
This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.


Google™ books

<https://books.google.com>





2^o Asc. 15



Asc. 15.



SANCTI
FRANCISCI
BORGIE
SOCIET.^{IS} IESV
TERTII PREPOSITI
GENERALIS,
EXCELLENTISSIMI
QUONDAM
GANDIE DVCIS
OPERA
OMNIA
QUE NVNC EX-
TANT AVT
INVENIRI
POTVERVNT

BRUXELLIS
Apud FRANCISCUM FOPPENS, Typographum, sub signo sancti Spiritus.
M. DC. LXXV.

Collegii Societatis Iesv Monachii
**SANCTI FRANCISCI
BORGIAE,**

**SOCIETATIS IESV
TERTII PRÆPOSITI GENERALIS,**

EXCELLENTISSIMI

QVONDAM GANDIÆ DVCIS

OPERA OMNIA

Quæ nunc extant, aut inveniri potuerunt.

Adjectis ejusdem Sancti Patris vitâ, & elogiis,

**Cum tribus luculentis admodùm Indicibus : Primò Librorum, Tractatum, & Capitum
totius Operis : Secundò locorum Sacræ Scripturæ : Tertiò rerum memorabilium,
quæ passim in singulis Libris occurrunt.**

*** OPERA AC LABORE**

**Illustrissimi Domini, clarissimiqûe Dòctoris D. DON FRANCISCI BORGIAE, ex Sancti Ducis
Excellentissima stirpe Pronepotis.**



BRUXELLIS,

Apud FRANCISCUM FOPPENS, Typographum, sub signo sancti Spiritus.

M. D. C. LXXV.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

LECTURE NOTES

PHYSICS 230


CLASSICAL MECHANICS

BY

JOHN H. COLEMAN

AND

ANDREW W. MAZUR



EXCELLENTISSIMO PRINCIPI
D O M I N O
D. FERDINANDO
B O R G I Æ,

PHILIPPI QUARTI *Hispaniarum invictissimi Regis Equitii
maximo Præfeto,*

Atque ejusdem in supremo Status Senatu
à Consiliis, &c.

S*æpissimè antea pronâ ad tuos nu-
tus voluntate, ut par erat, Optimi
Parentis litaveram prosperitati fi-
lius, Excellentissime Princeps: sed
haud scio, an dulciùs unquam exposueram erga
te observantiæ meæ Symbolum, majoremve pos-
sem tribuere cultum honoris, splendori nostræ Gen-
tis aut familiæ (licet, ut de aliis sileam, Regii
sanguinis, unde tam recenter derivata est, me-
mor esse velim) quam ubi ad Excellentia vestra.*

* 4 aras

E P I S T O L A

aras jam appendo nomen & facinora S. FRANCISCI BORGIE, Avi tui, cujus victrices, atque immortales palmæ humanarum laudum terminos superant, æternumque superabunt. Cæteri enim nostri Majores, Gandiæ Excellentissimi Duces, eorumque filii, haud parùm strenuè suis humeris impositas Regnorum Provincias à cognatis Regibus sustinuère fortitudine, consilio, virtute, dignitate, sapientiâ : ingenuè id fateor quidem : sed omnis hæc majestas (si terrena tantùm respicimus) ut maximæ est gloriæ, ita brevissimæ temporalisque vitæ, uti aliorum hujus mundi Principum : sed nostri FRANCISCI tot, tantisque suorum meritorum adamantibus irradians gratia, nec mortis ruinam, nec temporis brevitatem metuens, æternâ suâ nitet laude ac pulchritudine. Eò autem lubentiùs tibi consecro, optime Parens, ejus labores & opera, quòd tanto jure ea deberi videam tibi, qui ut generosus Francisci Nepos, Francisci etiam pietate vivis, Francisci spiræ amorem, & qui aliorum nulli digni-

ta-

DEDICATORIA.

tate cedis Heroium, solutis Beatissimo tuo Avo his obsequiis, plurimos antecellis. Ergò accipias, accipias illa in vestrum sinum ultrò atque expansis jam manibus abeuntia, ut diuturnis ea legas ac mediteris annis, quos firmet omnium Moderator Deus, ut productos ætate, ita placidissimos salute, prænunciosq; æternæ felicitatis. Tuo filio semper hoc votum, hæ preces. Matrivi Kalendis Martiis, annoq; à partu Virginis 1665.

Vestræ Excellentiæ

Obsequentissimus filius

D. FRANCISCUS BORGIA.

B E N E V O L O
L E C T O R I S .

Ecce jam demum exhibet se tibi (amice Lector) tibi donat pleno ac ditissimo sinu sua munera ; invitatur ad felicitatem æternam suo spiritu & eloquio . S. FRANCISCUS BORGIA ; purissimus ille atque Angelicus ex Grandioribus Hispaniæ Principibus Princeps ; oriundus quidem Regio sanguine , at vero seculi generosissimus contemptor ; prius Gandiensium excellentissimus Dux , sed postea Societatis Jesu Generalis Præpositus ; in utroque statu haud dubiè vir mirabili prudentiâ & sanctitate ; cælis & hominibus gratissimus , Inferorum hostium invictissimus expugnator ; delicia Summorum Pontificum , Regum & Cæsarum amor ; pauperum solatium , quin absconderetur divitibus summo Religionis honore & gloriâ . Dum autem te demulceat , hortetur , moveat his operibus , maxima sæpius proferet mysteria summis eloquentiæ varietate ac sapore . Sed tu , ut eò meliùs legendo discas , silendo utere oblatae liberalitatis jure . Cave , ne mireris tam parùm inter se discrepare Meditationes Libri sexti , ubi oratur , à Concionibus tertii Libri : quoniam mos obtinuit apud hunc Beatissimum Magistrum , & excellentissimum Doctorem , prius divinæ Majestati subdere doctrinam , quàm eam enuclearet populo ; ad amissim in se perficiens , quod aliis consuluerat in decimo libro , ubi in hunc modum scripserat , cap. 3. n. 4. sub initium : *Nec satis ducat Ecclesiastes , legisse , studiumque adhibuisse , memoriaque complexum esse dicenda ; verùm in mentem illi veniat Eliæ Prophætæ exemplum , qui comparatis iis , quæ ad Sacrificium essent necessaria , Deum oravit , ignem de cælo mitteret , quo victima incenderetur . Et paulò inferiùs in eodem numero : Credat itaque absque hoc igne mansurum crudum cibum , & insipidum , ut ne convivæ quidem concoquere eum possint : hic verò ignis precando parari , & meditando solet ; Ut ipsemet peragebat ; eoque tam jucundos , ac deauratos spiritu ediderat tractatus , & labores ; tamque ignitas cælestioribus radiis habue-*
rat

BENEVOLO LECTORI.

rat ad componendos hominum mores orationes. Alia etiam in eo notabis: In primis repetitiones Dominicæ Passionis, ut leges ex libro quinto, & ex tractatu secundo, cap. 7. primi libri. Et ex Meditatione 70. & sequentibus sexti libri; tot iteratas laudes & encomia sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, Deiq̃ue Beatissimæ Matris, ut penè videatur haud in aliud incubuisse studium. O quàm præclarum exemplum singulis, qui se moliuntur & alios summa cum perfectione deducere ad præmia æternitatis! In hoc enim imitatus est cæteras Ecclesiæ columnas & lumina, quæ indè efficaciam hauserant, & dulcedinem suæ doctrinæ. Deindè aliquando advertes dissimilem eum videri in dicendi stylo. Sed id minimè mirum debet esse consideranti varios fuisse qui hujus gloriosissimi Sancti susceperant ad aliarum nationum fructum & utilitatem exponere Latino idiomate merces gazasq̃ue tam pretiosas; nec tantùm eum scripsisse dum fungeretur munere Præpositi & Generalis, sed etiam dum esset Religiosus, secularisq̃ue Princeps. Quoniam, cùm nunquam non fuerit admirabilis & sanctus, semper ardebat animarum zelo, propriæque perfectionis desiderio: uti semper dilexerat, ita nunquam omisit ostentare amorem, quantumvis opus esset dignitate & exemplo vacare exterioribus muniis & negotiis. De his te monendum duximus, mi Lector, præcandumque, optimum maximum Numen, diu valeas felicissimâ vitâ ac salute.



C E N S U R A O R D I N A R I I.

Hic Liber, cui titulus Opera S. FRANCISCI BORGIAE, &c. quem olim ob singularem spiritualis vitae, rerumque ad eam spectantium peritiam, libenter consulebat S. Teresa, varia continet hujus vitae documenta, quorum cognitione & ruminacione fidelis & pius animus utiliter, & salubriter pascetur. Cum enim verus ejus cibus, quo solo satiari potest, Deus sit, salubre ei pabulum praebent ii libri, quibus ad Dei cognitionem & amorem accenditur, cui finis cum hic Liber conscriptus sit, laudando zelo nunc tandem opera & studio Illustrissimi D. & Clarissimi Doctoris Don FRANCISCI BORGIAE, &c. è tenebris eruatur, & publicae luci datur. Nihil in eo reperi Fidei, aut bonis moribus contrarium; quapropter utiliter imprimetur. Actum Bruxellis 4. Martii Anno 1675.

J. ROUCOURT S. T. L. Eccl. Coll. DD. Mich.
& Gud. Plebanus, Lib. Censor.

S U M M A P R I V I L E G I I.

CAROLI II. Hispaniarum & Indiarum Regis Catholici, ac potentissimi Belgarum & Burgundionum Principis, diplomate cautum est, ne quis praeter FRANCISCI FOPPENS Typographi voluntatem, librum, cui titulus: Sancti Francisci Borgiae, Societatis Jesu tertii Praepositi Generalis, &c. Opera omnia, proximo novennio ullo modo imprimat, recudat, aut alibi terrarum impressum, aut recusum in has inferioris Germaniae ditiones importet, distrahat, venalemve habeat: Qui secus faxit, confiscatione librorum, & insuper aliam gravi poenam mulctabitur, uti latius patet in Litteris datis Bruxellae 30. Martii 1675.

Signat

LOYENS.

V I T A SANCTI FRANCISCI BORGIAE,

FERDINANDO Catholico Regi Pronepotis, Gandiæ Ducis,
ac postea Societatis JESU Præpositi Generalis.

P A R S P R I M A.

De ipsius Pueritia, & Juventute.

C A P U T P R I M U M.

Quam Illustris Borgiarum Gens & Familia.



Sanctus Franciscus Borgia, (cujus scripta continentur hoc volumine) filius fuit Joannis Borgiae, Gandiæ inter hujus familiae Principes tertii Ducis, & Ducissæ Joannæ Aragoniæ. Dux Joannes nullo interciso tramite stemma virile deduxit à Ramiro Aragoniæ primo Rege per Garciam regium natum, (Infantem Hispani dicunt,) legitimo thoro habitum. Petrus de Atares, vel de Borgia (cognomina, quæ illi pepererunt propriæ ditionis oppida, juxta locorum morem,) Garciæ Infantis, & Margaritæ ex Pictavorum Dynastis filius, fuit ille, qui regnum sibi oblatum, extincto Alphonso Rege, hujus nominis primo, patruæle, in Fragæ prælio, simulata consultò excusandi se specie, ne à colenda pietate, cui maximè addictus fuit, aliquando fortè amoveretur, admittere recusavit. Ex Petro, & ex Comitissa Garcenda uxore nascitur Ximenius Garces de Borgia. Hic ex Theresia conjugæ, Bastanorum jam tunc apud Valcones Reguli filia, suscepit Fortunium Arnaldum de Borgia, qui ductâ Elisabethâ è clara Bauciorum gente, habuit filium Gundisalvum Ægidium de Borgia: hic autem, & Francisca Sanz & Despiux, matrona nobilissima ejus uxor reliquerunt Rodericum Borgia. Rodericus autem & Sabina Anglesola, profapia in citeriore Hispania satis nota, conjuges in lucem dederunt Rodericum Ægidium de Borgia. Huic nupsit Sibilla Boris, genere illustris: ipsisque natus est Jofrius de Borgia, qui juncta sibi matrimonio Elisabetha Borgia, Calixti tertii Pontificis Maximi, (cui nomen ante Pontificatum Alphonso Borgia) nepti, pater fuit Roderici Borgiae; & hic ex Julia Farnesia apud Placentiam amplissimæ domus, accepturæ mox clarissimam lucem à Borgiis, habuit inter alios Joannem Borgia, Gandiæ Ducem, maritum Mariæ Henricæ, Catholici Regis Ferdinandi patruelis: ex his parentibus prodiit Joannes, Gandiæ, ex Borgiis tertius Dux, Sancti Francisci pater. Ejus patrum fuerunt Petrus Ludovicus Borgia, qui filiam Regis Neapolitani in matrimonium duxit; Jofrius Schilachii Princeps; & invictissimus Cæsar Borgia in Gallia Dux Valentineus, cui nupsit Carlota neptis Regum Galliarum, & Vasconum: & animi sanè magnitudine, imperiosi genii majestate tantum inclyti nominis promeruit, quantum esset satis ad satiam dominandi cupiditatem; si hæc cum mortales occupat, modum teneret. Universam Europam rerum à se fulmineâ

scle-

celeritate gestarum admiratione, atque terrore suspendit. Tam excelsâ indole fuit Deus usus ad recuperandum divi Petri patrimonium, miserè distractum, Pontificibus Romanis. Sancti Francisci mater fuit Joanna Aragonia, Ildephonsi Aragoniæ filia, quem pater Ferdinandus Rex, cognomento Catholicus, Aragoniæ, Valentiae, Siciliaeque Regem, ac Barcinonis Comitem decreverat constituere; effecissetque nisi his conatibus obstitisset Hispaniæ Rex Philippus primus per Gundisalvum Fernandez, magnum Ducem, qui mediis procuratoribus apud Julium secundum, ad quem causa delata est, intercessit. Virorum serie descendebat Joanna à Joanne primo Castellæ Rege per Ferdinandum Principem ejus filium, qui Aragoniæ Regno electorum suffragiis comparato, nomenclaturam sibi & suis posteris dedit. Hi parentes Francisco fuere, cui mater communicavit Regium sanguinem, non addititium à sceminis derivatum; (quod multis accidit,) sed ab Hispaniæ Regibus continuatum usque ad suum avum Ferdinandum quintum, mille supra centum annis. Pater verò Vasconum, & Aragoniæ Reges quadringentis annis progenitores recensuit; dein Atares, Borgiæque Dominos, bello, ac pace egregios; postremò excellentissimos Gandiæ Duces. Quid gloriosius hoc stemmate excogites? Prætermitto Lucretiam de Borgia, Francisci Amitam, inseruisse Borgiarum genus Serenissimorum Ferrariæ olim, nunc Mutinæ Ducum domui, undè deducitur, & divagatur ad multos Europæ Principes. Quid referam illum doctissimum, atque heroicum priscae constantiæ exemplar, non expavescens potentium minas, nec vultus, in quo ad rectam rationem omnia collineabant, Calixtum tertium, prudentissimum Ecclesiæ Romanæ Pontificem, cujus auspicia, auxilia, pecuniæ, Duces, & industria, precesque ad Deum fusæ Mahometum Turcarum Imperatorem Hungariam devastantem vicerunt, fugarunt, delerunt. Alexandrum sextum verè magnum, ejusdem familiæ alumnum, quis merito possit laudibus cumulare, qui Tyrannos pervicacissimos, opibus & fautoribus suffultos à sancti Petri patrimonio exterminavit, & virtute incomparabili ditionem sedi Apostolicæ, non suis adquisivit? Quam aptè congruunt tanto Heroi verba aurea illius cultissimi Augusti Cæsaris aulici: *Virtus repulsæ nescia sordidæ, intaminatis fulget honoribus, nec sumit, aut ponit secures, arbitrio popularis auræ.* Quis ab illis temporibus tyrannus in Italia hujus vigiliis, curis, & impensis emerit, cum innumeri ante Alexandrum ferè quotannis Ecclesiarum Magistræ, & Matri bellum indixerint? Nec natalem generositatem oblivione dedit: adhuc enim pater purpuratus Legatus à latere missus in Hispaniam, summâ dexterritate superavit haud exiguas difficultates in pacandis horum Regnorum motibus, in stabiliendo matrimonio Ferdinandi, & Elisabethæ, in concilianda pace inter ipsos, & Henricum quartum Hispaniæ Regem, in sternenda via ad inaugurandam Elisabetham Castellæ Principem, simul cum marito. Quem latent emolumenta, quæ ex his navatis operibus dimanarunt? Eisdem jam Regibus indidit Catholicorum cognomen, Regum Castellæ proprium, clarissimumque. Dominatione in novum orbem, per plures auro, argentoque scatentes plagas eosdem ditavit, altâ ac profundâ animi cogitatione, & omnibus revoactis seculis inauditâ; Misit multos viros Apostolicos, qui populos, habitantes in mortis umbra Evangelii luce suffunderent. Nullus nisi cæcus non videat, quot regiones cum Galutifero animorum fructu ad Ecclesiam aggregavit Alexander. Felicissimus fuit, quod Catholicæ veritati subjectos terminos successoribus ferè duplo majores reliquerit, quàm acceperat; ex illisque porrectissima spatia, Christum verum Deum agnoscentia, ante obitum videret. Longum esset attingere, nedum recensere beneficia, quibus universos Europæ Reges, sed præcipuè Hispaniæ affecit: & erit, qui tantum bonum, horum Regnorum faustitati ortum, obnubilare & denigrare conetur? Eminentissimas purpuras, quibus hæc excelsa familia decoratur, otiosum esset numerare. Prætereo Magnates, (Grandes Hispani vocant) qui eam nobilitant, nulla plures habet. Gandiæ Dux, Borgiarum appellatione, & insignibus, à prima Magnatum Castellæ creatione inter horum ordinum primos conscriptus est. Alcanicii Marchio, Henriciæque domus, gentilitiis

à Bor-

à Borgiis virili traduce prodeunt. Quinimò devoluto paucis ab hinc annis Manriquiorum gentis Principe ad foeminam, secundò hæc ascivit, & elegit virum ex hac posteritate, ad populos gubernandos destinata: frustratur tamen suo voto Ducissa, morte omnia disturbante. *Qui genus laudat illius, qui possidet vetera paternæ domus decora, hæres ignavus, aliena laudat.* Francisco verò non solùm insunt nobilissimi avi, & altis inelytum titulis genus, sed clara virtus, quâ suos progenitores reddidit ipse splendidiore.

C A P U T I I.

Divinitus prænunciatur ipse Nativitas.

VT beneficia, quibus Numen muneratur terrarum Orbem, multò antequam 2. conferantur, æstimari possint, ea piorum prædictione providentia divina assollet indicare. Clariùs est hoc, quàm ut probatione indigeat. Francisci natales, & sanctitas promissa & revelata fuère; nam ejus amita Elisabetha Borgia, magnæ pietatis foemina (quæ in sanctæ Claræ cœnobio, ubi strictissimè hujus Sanctæ regula observatur, reluctantibus matre & fratre inter moniales suscepta est,) matrem ægrè ferentem, quòd cum nondum Dux filius liberos habuisset, nihilò ducens successionis in tanta domo imminentem defectum, se in Religionis portum reciperet, fuit solata, promittens Dei, (ut creditur) monitu, fratri quàm citissimè filium, & qui erit, (magnum nostræ solatium domus, ejus firma spes, stabile, solidumque ad temporaneam, & æternam foelicitatem gaudium. Præterea, Avia paterna Maria Henricia, quæ (ut ejus mentionem jam supra fecimus,) ab Hispaniæ Rege Alphonso undecimo per Fredericum filium, duxit originem, & duo de viginti annorum post editos in lucem Joannem, & Elisabetham filios, Joanne Gandiæ secundo Duce viduata viro, ab omni labe remotissimam, & cælesti simillimam vitam, tam in seculo, quam in Religione transegit, filio Joanni admodum anxio, & ferè diffidenti de valetudine nostri Francisci, tunc temporis morbo vexati, fidâ asseveratione, ait; hac solitudine te expedias Dux; non tibi successor deficiet: & hic, qui jam est ortus, lucidissimo virtutum splendore nitebit, & tuæ familiæ veluti singulare culmen, à Deo impetrabit munera, quibus indies semper proficiet: haud dictum res fuit morata, ut jam patebit ex decursu historiæ. De his foeminis Francisci amita, & avia, clarioribus pietatis ornamentis, multa dignissima relatu, & scitu, invenientur in annalibus Regii, ac venerabilissimi Excalceatarum Matritensium cœnobii, quod olim Serenissimæ Joannæ Lusitaniæ Principis, Caroli quinti filiæ, munificentia erectum fuit.

C A P U T I I I.

Ipsius Nativitas, & Educatio usque ad annum ætatis duodecimum: ac simul de stimulis, quibus in teneris illis annis excitabatur à Deo ad aucupandam perfectionem.

Quinto Kalendas Novembris decimo anno à Deiparæ partu, supra millesimum 3. & quingentesimum, Julio secundo Pontifice maximo, Hispaniæ Reginâ Joannâ, & pro ea regnum moderante Ferdinando ejus patre Aragoniæ Rege, abavo nostri Francisci, Gandiæ exoritur illa magna lux, quæ in tantum radios suos extendit, ut illuminaverit doctrinâ, vitæ sanctimoniâ, & exemplo haud exiguam Europæ partem. Ejus mater partus doloribus oppressa, subiensque maximum vitæ periculum simul cum foetu, præter preces, & eleëmofynas, petiit à Domino ab arctissimo conflictu felicem exitum, pollicita sancto Francisco, si id impetraret, & vir nasceretur, ejus nomine vocatum iri; illicò ex sanctæ Claræ cœnobio allato Seraphici ordinis strophio cincta, faustè, & facillimè soluta, & levata est. Ubi primùm mater scivit editum virum, exclamavit; auspiciatus sit ingressus tuus in mundum, Angele mi Francisce, quo nomine quidem celebrior

brior fuit, quàm posset esse tam splendidis gentilitiis cognominibus. Illius indoles ab incubulis clara indicia dedit, quò gratiæ ac pulchritudinis, cùm adolevisset, perventurus esset: nam egregiæ ejus propensionis ab insita animi benignitate suavitas, quâ Deus stabiliebat edificium tam sublime supra firma cæmenta, quod excitare decreverat, ejus rei fuit index. Avulsus à nutricis uberibus, pia mater adhibuit curam, ut prima verba, quæ audiret, & proferret, dulcissima essent JESU, & MARIÆ nomina. Quatuor annis natus orationem Dominicam, & salutationem Angelicam; quinquennis autem genuflexus singulis diebus ad Magistri pedes, gravis & doctissimi Theologi, ex memoria Christianam catechesim recitabat: pro crepitaculis, ensiculis, bullis, & aliis crepundiis, quibus pueri capiuntur, sanctarum imaginum veneratio, ex suggestuque ad populos verba facientium imitatio, & vocalium orationum repetitio voluptati erant. Non fuit in infantia difficilis, querelus, inquietus; sed pacatus, patiens, pudicus, omni que virtutum generi appositus; gratus omnibus, nulli infensus, aut gravis: alliciebantur tam exteri, quàm domestici ejus nativæ probitatis suavitate. Non efferebatur subditorum laudibus; nec in aliquem congeffit unquam verbum aliqua ratione amarulentum, etiam bilis erumpendæ datâ occasione. Dux pater voluit, (siquidem jam expeditè legeret,) linguam Latinam discere inciperet, quod facillimè fuit consequutus puer; pollebat enim ingenii acumine, ac felicissimâ memoriæ facultate.

4. Eodem ipso tempore morum magister adhibitus vir nobilis, qui eum componeret præceptis, quibus illa ætas instrui solet ad civilitatem, urbanitatemque. Gaudebat jam conscendere, & inflectere equos, prout per ætatem tam teneram licebat; navare simul operam Musices concentui & Aritmethicæ regulis. Adhæc; auspiciatus fuit (quod per omne vitæ intervallum deinceps semper observavit) frequentissimè animum sacrâ poenitentiam exornare, in Deum apprimè intentus, prius superans sua vitia, quàm ea ferè nosse posset. Volupe illi erat apud Deum deprecatores Sanctum, qui ei sortitò singulis annis obtigerat, allegare juxta laudabilem Gandiæ Domus consuetudinem, in qua per singulos annos singuli veluti ex urna eliciebant Divum, quem corrente anno unusquisque ut protectorem, & patronum reliquo anno culturus esset: in cujus rei obsequium Gandiæ Ducum filii binos, & filiarum binas pauperes in illius Sancti pervigilio convivii excipiebant. Pulchrum quid videre perfusum voluptate tenellum puerum, dum hæc executioni mandaret: cubito mane, quàm velocissimè surgere, ut bonorum largitorem de genu adoraret, haud immemor divi Jacobi Apostoli, cujus tutelæ quodam ex his annis se commiserat, & quem sciebat sæpius per diem in orando genuflexione fuisse usum. Non retardabat, quin Franciscus hujusmodi pietati se traderet, temporis inclementia quantumvis aspera, sæva, aut horrida. Nondum decenni Dei verbum, & cælestis patriæ nuntia per conciones delata, jucundissima erant. Pro morbo, quo occiderat ejus mater, cùm ætatis anno esset decimo, eo fine, ut ægrota infirmitate levaretur, in se verberibus, primò animadvertit, à nullo suavis; extinctâ verò non sine sanctitatis opinione, & ingenti erepto ad virtutem incitamento, minimè filius aliquid de progressu remisit, ut ad superna tenderet; potiùs quotidie magis se ostendebant novi flores, qui ex arboris tam pulchræ ramusculis erumpebant, veluti solent pullulare verni decore. Affabilitas admirabilis, spiritu generosus, & ad altiora erectus; hilaris convictus; conditus tamen omni circumspiciendæ; in clientelam munificentia; in egenos, & miseros misericordia & liberalitas; & licet tutinaret verborum momenta, & accuratâ consideratione omnes suos motus perpenderet, & consuetudine seriâ cum omnibus ageret; cunctis tamen se exhibebat benignum, sceleratum, gratumque. Nunquam probata illi nimia severitas, aut aliqua in sermone, aut nutu, aut vultu, acerbitas. Pari suavitate omnibus avebat videri; eoque cæteris major, quo melior. Hanc tranquillitatis seriem perculerunt oborti tumultus, quos excitarunt plebei, ob injurias sibi illatas, (ut illi jactabant,) à locorum Dynastis. Omnia confundebant, & pessumdabant, indicto bello universæ Reipublicæ. Invasit lues Gandiam

diam tantâ immanitate, ut vix potuerit Dux collocare in tuto suam familiam, & educere ex sanctæ Claræ Monasterio matrem, & sororem, jam (ut diximus) Moniales. Occupavit, & diripuit seditionis exercitus Gandiæ oppidum. Franciscus autem in equo sublatu ejus morum Magistri ope, & industriâ, delatusque ad littus, quod Gandiæ adjacet, evasit rabidum inimicorum furorem. Cymba deindè illic conscensa, adornataque navigatione Daniæ, mox Pæniſcolæ terris exceptus est; quò Dux ejus pater cum universa domo, & multis ex Valentinis Nobilibus navi appulerant. Joannes Aragonia Archiepiscopus Cæſaraugustanus Francisci avunculus petivit à Gandiæ Duce ut liceret ad se deferri nepotem; Dux stipatum pro decore permisit ipsi filium, breviq̃ue post tempore, fufis, & devictis rebellibus suam ditionem recuperavit, disposuitque ut Franciscus Cæſaraugustâ Gandiam remearet. Sed Præsul nullam non ostenderat industriam in retinendo nepote, ejus egregiæ naturæ, virtutisque splendore allectus. Domum ei paravit famulis, magistris, & aliis ornamentis regio Antistiti, & tanto hospiti congruentibus. Haud parùm jam verſatus fuit cum in lingua Latina, tum in equestribus prolusionibus novus athleta; cum tamen ætatis nondum excessisset duodecimo anno: haud dubiè ei concesserat Deus sublimiora, & altiora disciplinis humanis: nam ad seculi despectum concitus fuit duabus concionibus, quas Monachus, qui ipsi à confessionibus erat, habuit de ratione supremo Judici reddenda in novissimo die, & de Christi Domini generis humani vindicis morte. Prima ei incussit terrorem, & odium in culpas, & peccata: secunda cordis teneritudinem, in Deum ex visceribus amorem, & ardens desiderium profundendi sanguinem, & vitam pro Servatore, qui ut ingratos à dæmonum faucibus eriperet cruci affixus obivit. Harum concionum memoriam nulla unquam ipsi ademerat oblivio: earum meditationes semper fixas totius vitæ curriculo habebat in mente. Nam tam frequens mentio illius teneritatis, quâ tunc delinitus fuit ob acerbos Christi cruciatus, clarè ostendebat, eum nunquam oblivione delevisse beneficia, & dona, quibus ab infantia adeò feliciter ditue- rat; indè judicii divini timor, & Dei amor, in visceribus impressi, diù impulsere animum, ut valediceret caducis, ut contemneret omnes seculi pompas, relato nomine alicui religioni, in qua suo Creatori hoc mortali curriculo famularetur. Et licet his votis ætas matura, & libertas satis deliberata deficeret, tamen illa perindè ac stimuli incitaverant ad Deum, ut paulatim stratâ viâ ad exequendum, quod postea effecerat, quando maturioribus annis, judicio prudentiore, celebrioreque exemplo, & proximorum majore utilitate obtemperavit voluntati divinæ. Agebat jam tum duodecimum ætatis annum, summâ rerum divinarum voluptate sacris assistere, feriisque solemnioribus sua piacula apud confessarium detegere solitus: flagrabat desiderio se reficiendi sacrosanctâ Synaxi, & aliquando facta ipsi potestas à confessario ut reverentiâ ac pietate ad illam tremendam mensam accederet; & quamvis in annis puero, Numinis tamen favor in eo votum excitabat, gustandi, quàm suavis est Dominus puris animis, flagrantibusque cœlesti amore.

C A P U T I V.

Cui rei studuit Franciscus usque ad juvenilem ætatem, & quomodo primos hostis impetus sustinuit, superavitque?

Vivebat eâ tempestate Bastetaniæ, Beticæ urbis, lectissima fœmina Magdalena de Luna Francisci proavia, olim conjux Henrici Henriquez, regulorumque Fuentiduenæ filia, & neptis magni equitum Castellæ Magistri Alvari de Luna, (à quo tot in Europa Principes oriundi,) stirpemque maternam referebat ad Emmanuelem Infantem, Ferdinandi tertii Regis Hispaniæ filium. Audiverat hæc matrona inesse mores jam relatos, egregias dotes, ac virtutes, quæ omnibus admirationem commovebant, pronepoti suo Francisco. Exoptavit illum videre senio jam confecta, ante-

quam extremum diem clauderet; scripsit ad Gandiæ Ducem, & ad Cæsaraugustanum Archipræsulem super hac re. Hic ægrè acquievit pueri profectio, maximè cum inter se distarent Cæsaraugusta, & Bastetania tam lento itinere, sed tamen haud debere putavit non morem geri tantæ Principi, æqua, justa, ac rationi consona petenti. Ad eam ergo misit Franciscum amplo comitatu; proavia, viso adolescente tanto perfusa fuit gaudio, ut nihil suprâ in humanis videretur experta. Haud parùm tamen hæc dispulit morbus, quo diù juvenculus vexabatur. Ad hæc terræ motus adeò importuni & continuati, ut nondum recuperatâ salute coactus fuerit recedere ex urbe, & lecti vices gerente lectica non minùs quadraginta diebus permanere sub dio. Tentorium lecticam tangebatur, sub quo à temporis injuriis defendebatur. Pristina valetudine penè jam receptâ, quiescenteque elementorum vi, proaviæ, Duci, & Archiepiscopo consultum fuit, ut Tordefillam concederet, ministraturus (ut solent Magnatum filii) Catharinæ Principi, quæ vivebat ibi cum matre Joanna, Hispaniæ Regina, & avi materni Francisci sorore. Hic primùm aulicæ vitæ moribus imbuendus, prima tyrocinia posuit. Non pœnituit adolescentem hujus suorum decreti: concupierat enim ætate, & nobilitate pares, qui in illa regia versabantur, cognoscere, & convenire; animumque, haud assuetum hujusmodi curis illorum contubernio explicare, suggerentibus famulis non decere illius natales, sub umbra educari. Perbenignè fuit exceptus ab Infante, cui, non intermittens virtutum pensa, aderat usque ad annum illius sæculi vigesimum quintum, quo Infans Joanni tertio Lusitano Regi nuptura, Lusitaniam contendit. Gandiæ Dux non è re arbitratus filium ad regnum exterum abire, impetratâ veniâ à Regina disposuit, ut Cæsaraugustam remearet, ubi avunculus Præsul eum expectabat; videntisque nepotem ad quindecim jam annos pervenisse, nec distractum supervacaneis juventutis oblectamentis, simulque haud modicè profecisse in addiscenda lingua Latina, perfecit, ne otio marcesceret, ut navaret operam Philosophiæ sub docto admodum illius scientiæ professore, qui bis singulis diebus ædes Archiepiscopales adibat, Franciscum eâ scientiâ instructurus. Duorum annorum spatio non perfunctoriè horum studiorum pensum absolvit, & primas semper in arguendi acumine condiscipulis ferens, acutus, & præstans Philosophus evasit. At communis humani generis hostis jam diu sua damna prælagiens, pudico pectori insidias tendere, subdereque ardentiores faces cœpit. Captâ irruendi ansâ ex juvenis grata, & vivida natura, præcipuè sanguine ferverente, rerum affluentia, juventæ primo flore, pestiferisque cohortatoribus, quibus Principum palatia frequentius scatent. Instillabat fœdus, & callidus inimicus effluere optimos vitæ dies tetricos. Effunde, (suggerebat,) habenas, solve tristem juventutem; propria singulis rebus descripsit Deus officia; lætitia adolescentem, lugubris frons senes decet: animum rigentem emollito; amare discite, quid adeò coerces, & enecas jucundam indolem? Constans verò, & heroicus adolescens, ut dura cautes invictus undique resistit undis, & aquas laceffentes longè remittit: sic has instigationes spreverat, deviceratque. Confugere didicit crebrò ad Deum, qui ex alto ei suppetias tulerat, ut in primo limine obsisteret insana susurranti: nam qui blandiendo juvenile nutrit venenum, serò ferre recusat jugum, quod jam nolit subire. Dei amore, & timore armatus hæret immobilis, mentem avertit ab antiquo adversario. Districti judicii timor, ac memoria, propalare eum cogit assiduè Confessario suas pugnas, & victorias ab immani hoste comparatas. Consulebat autem tum præter Confessarium libros pios, instruendus contra eminentes rabidæ feræ insultus. In proposito persistens nunquam admittendi delictum, quo à charitate & amicitia divina divelleretur, cum Propheta Davide repetebat ingenuam illam promissionem: *Furavi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ.* Et exhortante Confessario induebat precum, propriæ demissionis, & diffidentiae arma, accurrens confidenter ad divinam misericordiam, cujus ope sperabat se adversarios superaturum, uti fecit conservante Deo illibatam ipsi, dum matrimonium contraxerit, pudicitiam. Solicitum reddidère Archiepiscopum Francisci serii cogitatus,

tus, & sermones, tantusque ab humanis negotiis secessus; timebat, ne aliquando se invito, vel nesciente, ad aliquam religionem reciperetur, delusis tam suis, quam Ducis parentis conatibus. Ut hæc præcaveret, decrevit nepotem in Cæsaris Curiam transferre, aptissimum id medium fore ratus ejus recreandi animum, atque ad aliqua ætati conformia diverticula eum traducendi. In aula enim quasi in splendidiore pelago, ad pia opera addictio facillimè solet veluti transmissio Lathæo flumine, (prisci ita fabulabantur,) ex memoria cadere.

C A P U T V.

De clarissimo virtutum exemplo, quo in Cæsaris aula nituerat.

Certiore de re factò Duce, ejusque obtentâ veniâ ad Aulam concessit Franciscus, ubi 6.
 tum temporis Carolus Cæsar Hispaniarum Rex morabatur, stipatus universæ His-
 pania, & exterarum provinciarum nobilitate. Florentissima Francisci ætas annorum sep- 1528.
 tem supra octo; species proceræ, & decora, candidi, miræque urbani, & omni suavitate,
 & gravitate temperati mores in illa procerum celebri palæstra, velut in clarissima luce,
 gratius, & acceptius nituerunt. Ille autem ita adjunxit humanitati & comitati pietatis
 munia, ut omnibus præstaret dignissimum Christiano heroe exemplum. Quamvis nunquam
 in aulicorum muneribus omitteret ornatum; visitaturus tamen fœminas horrido
 cilicio, hispido, & sævo carni admoto muniebatur. Quis inter tot delicias vidit talem
 austeritatem in adolescente Principe? Hoc scuto solertissimus pugil usus, ut ab ignitis in-
 ferni protelaretur jaculis. Equestres prousiones omnium gratulatione frequentabat,
 equorumque orbes implicare, & explicare edoctus, mirâ ludebat dexteritate, elegantiâ,
 nitelâ. In Gallico equitandi ritu nulli (præter Cæsarem) concedere; at in Maurico,
 sive Hispano omnes superare. Cuncta propè exercitamenta ad bellicas artes revocare,
 nihil molle, aut remissum unquam complexus. Aléam ut plurimo detrimento obnoxiam
 spectare nunquam libuit, ne dum ea ludere. Afferuit rerum quatuor maximi ponderis
 eâ fieri jacturam; temporis scilicet, fortunarum, pietatis, & conscientia. Alios ludos
 quàm rarissimè usurpabat, & solùm animi serii, pensisque defatigati remittendi causa:
 à sua clientela sedulò removerat hujusmodi ludos, turpes amores, obscœna verba, &
 quidquid astum, dolos aut ejusmodi malas artes redoleret: nec alienæ felicitatis invidentiâ
 de alicujus unquam defectu inquisivit: voluptatem percipiebat, ex egregiis aliorum
 rebus gestis & facinoribus, futurum sperans, ut & ipse aliquando præmium ferre posset
 similium operum. Abdicarat à se (sensu non annis planè vir) omnia insidiosa adulationis
 Principibus affinia lenocinia. Detractores quàm longissimè à se habuit: statis horis
 precationibus, atque insuper celebrioribus diebus Sacramentis muniebatur, Dei verbo
 audiendo magis, magisque deditus. Cunctorum ad se oculos alliciebat tantæ suavitatis
 decorisque, tam naturæ, quàm Divinæ gratiæ, ad hominem efformandum perfectissimum
 conspiratio in tam juvenili ætate; haud secus quàm pulchritudo corporea solet
 violenter inescare, & in sui admirationem intuentes rapere. Cæteris autem omnibus
 dulcius tanto virtutum concentu capiebantur Cæsares, admirati in juvene pudorem tam
 virgineum, tantam modestiam, tam inusitatam prudentiam, in tanta opulentia modum
 adeò mirabilem. Erat in Elisabethæ Augustæ obsequio nobilissima puella, natalibus
 Lusitana, Eleonora de Castro, filia Alvari de Castro, & Elisabethæ de Menezes Barretæ,
 antiquissimo & inclyto genere. Hanc secum ex illo regno adductam præ cæteris
 virginibus diligebat Augusta. Undè maximâ in Palatio autoritate valebat Eleonora,
 cujus tam animi, quàm corporis dotes, ac virtutes, satis promerebant exhibitum favorem.
 A Cæsare abitato indè Bononiam, ut à Clemente septimo inauguraretur Coronâ, petit
 Augusta, ut ante discessum collocaretur in matrimonium Eleonora; roganti que
 Cæsari quem puellæ maritum eligeret, respondit, Gandiæ Ducis hæredem sibi jam destinatum.


stinatum. Dux Parens de re ocyùs monitus, qui haud initio probabat nuptias (quamvis exoptarentur à multis Hispaniæ Principibus, cum ob sceminæ decorem, & profapiæ claritatem, tum ob amorem, quo eam Augusta prolequebatur,) quoniam in votis habuit natum conjungere in matrimonium cum alicujus ex Aragoniæ regnis Dynastæ filia. Cæterùm re attentius consideratâ assensum præbuit, interveniente Francisco Cobos, Majestati Cæsareæ à secretis, cujus nutu ferè Imperium tum gubernabatur. Gandiam ergò concessit Petrus Gundisalvus de Mendoza nuptias conventiones inter eos facturus.

P A R S S E C V N D A.

Quàm præclare in Matrimonii statu se gesserit.

C A P U T I.

Ductâ uxore, multis argumentis Cæsari gratissimus ostenditur? Recensentur filii quos habuit, tumque de quodam morbo, in quem eadem tempestate inciderat.

7.  Mnibus super matrimonio absolutis haud exiguâ Francisci approbatione, & gaudio, Cæsar continuò eum condecoravit Marchionis de Lombai, oppido paternæ ditionis, titulo: cujus honoris prærogativam præ cæteris Magnatum Hispanorum hæredibus primus acceperat. Sed ea deinceps reliqui etiam insigniuntur. Haud ignorabat Marchio hoc suum conjugium ad Numinis maximam gloriam initum; sicut Cæsari, & Augustæ item jucundissimum fuit: Atque adeò uterque multis summisque favoribus, præsertim regii equitii majori præfecturâ eum exornarunt. Ex officio, & muneribus percipiebat quotannis quatuordecim aureorum millia, præter alia subsidia, præcipuè illis temporibus haud exigui ponderis, ad sustentandam lautitiam, dum hæreditatem paternam adiret. Celebratis Marchionis nuptiis ætatis anno decimo nono, posteritate felicissimis. Hic annectant (ut Historiæ seriem non interrumpamus) filios ex hoc felici conjugio susceptos: natu maximus fuit Carolus Borgia, Borgiacum caput (de quo capite primo agimus:) secundus extitit Joannes Borgia, comes de Maialde, & de Ficallo, summæ authoritatis vir, Catholici Regis apud Cæsarem, & Lusitanæ Regem Legatus, Domusque Hispaniarum Reginæ Margaritæ, & antea Mariæ Augustæ in Hispania degentis, Præfectus major, & Regis Philippi tertii ab Status, & Belli Consiliis. Hic tantus heros, ex Francisca ab Aragonia, & Barreto, nobilissima fæmina, habuit excellentissimos Principes Franciscum primo natum Comitem de Maialde, celeberrimum Americæ Australis proregem, notissimum, non minùs animi celsitudine, sagacitate, & scintiarum peritiâ, illarumque professorum cultu, & favore, quàm ingenii amœni acumine, nobilitante, & decorante musas Hispanas, ut ejus opera manifestant, satis Principis Exquilachi nomine per Europam agnitum, quæ ditio illi evenit ob uxorem oriundam ex Jofrio Borgia, cui Principatum dedit, cum filia Santia conjugæ Rex Alphonfus Neapolis, hujus nomine secundus; erat Jofrius frater Joannis primi Gandiæ Ducis, ut supra retulimus; Joannis prædicti alter filius fuit Carolus Borgia Comes de Ficallo, & Dux de Villahermossa, eo quod, ei nupserit Ducissa, virili tramite illius Regiæ familiæ deficiente, quæ ducebat originem ab Alphonso Aragonio, Comite Ribagorçæ, Regis Ferdinandi, cognomento Catholici, fratre; Vir pietate, & prudentiâ præditus, à juventute dignus in Lusitanæ Consilio à Philippo tertio Minister deputatus, indeque à Philippo quarto illius Præses electus, & ipsius Majestatis ab Status, & Belli Consiliis factus. Alius Joannis Filius fuit Ferdinandus Borgia, Comes etiam de Maialde, prudentissimus prorex Aragoniæ, & Valentia, rectæ, & piæ gubernationis exemplar, Hispanæ juventutis Principis Balthasaris cubili summus Præfectus, & Philippi quarti

Hip-

Hipparchus maximus, ejusdemque Regis à Status, & Belli Consiliis, Eschilachil quoque olim Princeps, ductâ in uxorem hærede illius Principatûs, filiâ Francisci sui fratris. Alvarus Borgia tertius filius fuit sancti Ducis, qui contraxit matrimonium cum Eluira Henritia, Alcanicii Marchionissa, cujus mater fuit Joanna ab Aragonia filia, etiam beati Patris; quartus filius fuit Ferdinandus Borgia, Mariæ Augustæ, Philippi prudentis sororis, & ipse aulæ primus Præfectus. Quintus denique filius Alphonus Borgia, & ipse fratrum exemplo Augustæ Cariæ, dum vixit, præfuit. Filia fuerunt tres, Isabella Borgia, Dianii Marchionissa, & Lermæ Comes; Joanna ab Aragonia, quæ præfata (uti jam diximus) Alcanicii Marchionissa. Tertia fuit Dorothea in tenera ætate, jam Deo dicata in Cœnobio Divæ Claræ Gandiensi ad Cælum abiens; ex quibus tot in Orbe Principes recensentur orti. Ad Christianam gravitatem, quam ab incunabulis fuit professus, adjecit multa incrementa virtutis jam conjugatus. Omnes mirabantur de temperantia tam rara, de tanta à supervacaneis curis abalienatione, conjunctâ cum tanta humanitate, & virtute. Nemo non stupebat juveni egregiæ formæ nullum in palatio fuisse occlusum aditum, sed omnes, (etiam ipsum regiarum virginum gynæceum,) recessus semper patere. Hanc justissimam licentiam jure optimo sibi vindicabat ille candor, qui puritatem spirans inerat Francisci oculis, cui Cæsar, alioqui circumspæctionis studiosissimus, omnem suam concrederat familiam. Jam præmissimus maturiùs Logicæ, ac Philosophiæ, quæ ad sacram Theologiam viam egregiè sternunt, vacavisse Marchionem, & haud modicè in eis fecisse progressus. De Christianis politicis, quibus imbuendi Principes ad gubernationem, licèt illius vitæ Scriptores nihil dicant; ejus tamen gubernandi solertissima ratio, & scripta, in iis ipsum optimè versatum fuisse testantur. Sed ut nulla disciplina, quæ ornare debet virum natum ad Reipublicæ munia, deesset, constituit incumbere in Mathematicæ scientiam, quæ Solis, Lunæ, & Stellarum cursus explorat, dierum, & noctium notat varietatem, oculis subjicit orbis terrarum situm, & dispositionem, Geometriæ evidentissima arcana manifestat, tam utilis scientia, ut etiam Imperatores, & copiarum ductores expugnandi urbes, instruendi milites, metandi castra, erigendarum arcium præcepta mutuenter. Ad hæc diligentius addiscenda Cæsaris in ea propensio stimulabat: quapropter regios Cosmographos quotidie audiebat, idemque excepta, & audita Cæsari, qui ita Marchioni indixerat, repetebat. Per sex menses huic exercitio se dedit haud exiguo profectu, maximè in practicis. Nam Euelidis, Theodosii, & Apollonii speculationibus, ex quibus ea deducuntur, se mancipare non est Principum otii. Vanissima judiciaræ mortalium actus stolidissimè indagare tentantis principia; dum Magister ea suggerere vellet, ut erat Marchio sagacissimi, & piissimi ingenii, repulit, & contempsit. Crevit Cæsaris in Marchionem amor his exercitiis, & quò familiaris eum alloquebatur, eò fidiorem, ac prudentiorem eum inveniebat. Quàm opportunissimè interferebat Marchio, audiente Carolo, colloquia divina, & ambo in creatoris laudes interdum prorumpere: contemplantes sydera, astrorumque magnitudinem ibi, unde liber aspectus in cælum erat, tam miræ pulchritudinis Conditorem suspiciebant; jam terrenis sordescens rebus, jam pluris, plurisque æstimato cælesti illo decore amborum sublimia intuentibus animis, in his fermocinationibus, (ut fama est,) inter se mutuam fidem dederunt, abdicaturos esse sese caduca, si conjugum obitus præcessisset, quod uterque sanè postea præstitit. Sub idem tempus continuis febribus tentatus Marchio, magnum vitæ subivit discrimen. Visitabatur à Proceribus, & Magnatibus; erat enim omnibus acceptissimus, & gratia, quâ apud Cæsarem pollebat, haud ei parvam conciliabat auctoritatem. Ipse Carolus crebrò accedebat ad ejus cubile, & assidens pulvinari suavissimis verbis eum recreabat, præcipuè dum intermissus morbus repeteret virus. Altioribus tamen adhuc visitationibus Marchionis animus refectus per cæli monita, quibus frequentissimè instructus aspirabat ad beatorum Patriam: Humana potentia, (ajebat) quamvis exerat omnes suas vires, quàm infirma est! Non est confiden-

dum in Principibus, neque in filiis hominum, in quibus non est salus. Experiri tum maximè visus est hanc humanarum rerum imbecillitatem, ubi à maximo Imperatore, à quo visitabatur, nec tantillum levare se feбри posse discernebat. Hujusmodi rei ponderatio, eò magis in eo excitaverat incendium divini amoris, quò ardentius flagraverat reliquam vitam impendere in illius obsequium, cujus voluntate, opeque sperabat salutem. Ex ægritudinis molestia conjectavit illorum æternum supplicium, qui ob peccata in divinum numen commissâ sine ulla alicujus solatii, vel remedii spe torquentur apud inferos: tum identidem adibat consideratione ea loca, ubi expiatorio igne justorum animæ purgantur. Illarum miseratione, decernebat, nullum diem prætermittere, quin orationibus, eleëmofynis, aliisve pietatis subsidiis eas adjuvaret. Adduci ad se jussit libros, ex quibus legi possent res ad salutem attinentes, & sanctorum gesta, profanis omninò à se rejectis, etsi cultis, ac disertis, elegantiave, aut nitelâ suos lectores allicerent, cujusmodi solent esse plurima poemata, & heroum successus hominibus inescandis conficti, qui saltem tempus mortalibus eripiunt, parcissimè concessum ad promerenda æterna. Sanctorum Patrum voluminibus, & maximè Divi Joannis Chrysoctomi super Apostoli epistolas commentariis, haud impotentiùs delectari cœperat; novum Testamentum, quod vix è manibus excidebat, deliciis ipsi esse: cùm valetudinarius lecticâ per agros gestaretur, summâ id legere voluptate, inhærens ejus parcœmiis, ac sententiis, quas codice clauso, mente volutabat, incipiens jam ex sacra Scriptura piâs ad mores commentationes depromere, & ordinare, suavissimè inspirante Deo, quæ ad cœlestia ducerent. Solebat dicere postea, prima illa rudimenta meditationis tam altas radices tum egisse, ut cæteræ contemplationi (cujus celsissimum culmen attigerat,) deservirent. Propriâ manu, quæ piè subibant menti ad ampliorem memoriam scribebat in codice. Celebris ille Medicus, & verè Cæsareus, Villalobos, Marchionem invisibat; sed quadam die pulsatâ arteriâ, & feбри vexare incipiente morbidam illam materiam jam imminui perspexit. Quid subito Medicus? Quid (inquit) vestra Excellentia pro felici nuntio pollicetur. Prælagio enim haud ampliùs inferendam molestiam à feбри: ad quæ Marchio, postula quæ à te avidiùs appetuntur, modò de hac re securum me reddas. Subjunxit Villalobos: si evenerit, quod promitto, omninò contentus ero unâ ex his, quæ abacum adornant, lance: erant in promptuario vasa argentea multa, & magna. Oppignero fidem me staturum promissis, inquit Marchio, dummodò prædictio vera sit: quarto post die revertit Medicus horâ quâ solebat morbus accrescere; infirmus autem hilariori animo, mi Medice, judico tuam esse lancem, inquit. At ille attactâ venâ, utpotè perfectissimus suæ artis, facetè ingemiscens exclamat: *Amicus Plato, sed magis amica veritas*: alludens ad vocem (*Plato*, quæ apud Hispanos discum sonat, vel lancem:) Excellentia vestra feбри tentatur; sed quæ multos latet, summam sponsam perdidit. Non ita accidet, affirmat æger, accepto non modico oblectamento ex hominis ingenuitate, ideoque loco unius, duas argenteas lances ad eum comportari jussit.

C A P U T I I.

De ejus animis, ac virtute in re bellica, summaque dexteritate in venatione, ac musicis.

8. **D**Ecurrebat annus quingentesimus, trigessimus sextus supra millesimum, cùm Cæsar redactis in suam potestatem Tuneto, & Goletâ urbibus, abactoque à nostris oris Barbarussâ, piratâ per mare mediterraneum potentissimo, trajecerat in Italiam ex Africa restitutus Sabaudix Duci, Imperii beneficiario, magnam ditionis partem, unde haud jure eum deturbaverat Gallix Rex Franciscus. Ad hanc expeditionem accersivit aliquos Principes Hispanos Cæsar. Marchio, petitâ priùs veniâ ab Augusta, in cuius obsequio (uti diximus) erat, transmisit in Insubriam splendido apparatu, comitatu-

tatuque. Ejus enim stipabant latus multi nobiles, inter alios Rodericus Gometius de Silva; ille, qui sub Philippo secundo penè in regnis cuncta fuit moderatus; Georgiusque Melus, ex primaria Lusitana nobilitate, amicitiae vinculis cum Marchione, & cum Eleonora uxore ob arctissimam cognationem conjuncti. Insequutus Marchio Cæsarem in Galliam Cisalpinam, ab eo quam humanissimè exceptus fuit. Inter se contulerunt de via, & consiliis, quibus administrandum bellum. Ingressi interiorem regionem incedebant omnes cathafracti, Marchione excepto, ob nimiam corporis obesitatem, sed juxta se arma; quibus ingruente periculo tegetetur habebat; & sanè oblata velitatione in conferendis cum hoste manibus, strenuè se gessit. In expugnatione arcis de Feus delurbatus è scalis, per quas primus ad illam occupandam ascendebat Garcia Lassus de la Vega, Hispanæ Musæ grande, vel maximum decus, & oppressus demissâ ex propugnaculis ingenti saxorum vi, graviter vulneratus fuit. Huic heroi Niciam delato, & brevi deplorata salute, Marchio post captam arcem, ope quæ talî casu adhiberi solet, morienti succurrit, nobilissimo amico, suæque fortitudinis commilitoni, nec minùs Hispaniæ incolæ, quàm gloriæ. Marchionis præsentia commodo, & solatio Garsiæ fuit; piæ ejus monitiones, ac cœlestia verba animos faciebant ingredienti tam metuendum iter, quod sacris procuratus inibat. Feliciter confecto bello, Marchio nunciaturus Augustæ de re gesta ad Hispaniam rediit, Segoviæque, ubi Curia tum erat anno illius sæculi trigésimo septimo, nova ad virtutem incitamenta habuit ex quodam morbo, quo propè confectus fuit; hilaris tamen pro bene sibi parata mente, & quod tum saltem semel in mense muniretur Sacramentis, quamvis ob id etiam ab aliquibus, & doctis quidem (sic illud ferebat tempus,) taxari se discerneret. Paucis verò post diebus salute, cujus spem penè abjecerat, recuperatâ, non solùm à pernicioso, sed à quibusvis etiam oblectamentis, à quibus vel minimum periculum poterat ingruere, se avocare cœperat; animum tamen, intentum gravioribus occupationibus, relaxare, ut laboris intermissione ad serâ iterùm redire posset expeditior. Natura enim hominem continui laboris patientem esse non sinit. Duplici ergo maximè recreationi se tradidit; musicæ scilicet virili, & sanctæ, venationique. Quoniam non solùm temperare, & accommodare ad numeros vocem, sed etiam modos facere, & symphoniam cantum describere scitè noverat. Diu dicunt perseverasse in templis Gandiæ Ducis cantica, quorum ipse numeros composuerat. Canoras fides aptavit Homerus sapienter vehementissimis Achillis manibus, ut harum robur leni pacis studio reficeret: Sic prudentissimus aulicus se ad majora recreabat hac honestâ voluptate, quin jam senex eam omitteret; nam cum esset Societatis Præpositus Generalis, post gravem infirmitatem, ac pristinis recuperatis viribus, musices numeris alligavit Psalmum centesimum decimum octavum, qui incipit; *Beati Immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*: Consternatusque morbis, loco tristitiæ concinebat Davidica carmina, vel in Deiparæ laudem hymnum aliquem, ita fovens erga suam, cælique Reginam pietatem. Ad aucupium obsequendi Cæsari cura, qui huic exercitio mirè fuit deditus eum allexit; quia ut sordidi ingenii est, laudabilia Principum studia non laudare; ita obsecundare honestis, sapientiæ & liberalitatis: eaque etiam de causa diligentiam impendit Mathematicis, ut jam supra notavimus. Venatio autem, quantumvis incepta ad recreationem, ita ad animi etiam profectum excitabat, ut novo semper ei stimulo deserviret, præcipuè ob libertatem, quam solitudo undique per campos offerebat. Expedita cæli species, objecta oculis naturæ pulchritudo invitabant ad perpendenda æterna. Non semel postea asseruit ex venatione cælestes, suavissimasque occurisse animo cogitationes. Exercuerat aucupium frequentius per accipitres, falcones, aquilas. Ponderabat Dei sapientiam, & potentiam, qui avibus illis tantam donaverit celeritatem, & virtutem, ut volatu tam excelso possent aspicientium aciem superare. Meditabatur numinis beneficentiam, quæ subjecit eas hominum dominatui, ita ut easdem ad se jubeant venire, insitâ privatas libertate; cicures efficiant, & sicut clientes, ministros, aut milites;

ut sibi inserviant ad alias captandas volucres. In memoriam revocabat illam omnium animantium ante Adæ prævaricationem promptissimam subjectionem. Aliquando in invasione, & astu insistentis prædæ accipitris, dæmonum invidiam erga homines considerabat, rubore suffusus, quòd tam paruo beneficio illecta, indolem fera volucris exueret, ad hominis accederet manus, ancillaretur, compedibus ligari pedes, oculisque tegumenta obduci permetteret; cum homines, qui animalia sunt adeò imbecilla, non alis instructa, non unguibus armata, nulla vi pollentia quâ Dei manus effugiant, obstinata tamen mente ei resistent, & ab eo discedant; nec iis cicurandis tot munera, blandimentave sunt satis. Deinde perspicuus esurientem canem, & veluti prædæ devorandæ inhiantem, Domini audita voce, vel sibilo, eam relinquere, mortalium vicem desolebat, qui nullis Dei vocibus, promissis, aut minis à re concupita divelluntur. Oculos aliquando ob mortificationem declinabat à recreationis lusu, & diu quæsitâ, & non sine sudoribus jucunditate se privabat, cum jam falco aggressurus esset adversarium, rei suavitatem Deo immolans, tantò acceptiorem, quanto violentiori victoriâ oblatam, cælestibus proculdubiò ad tam egregium spectaculum dilaudandum accurrentibus. Quid hac temperantiâ, & moderatione in viro Principe fortius, quæ etiam innocentissimos affectus cohibebant? His industriis vir ad clarissima virtutis documenta natus, venationem, & aucupium in orationem vertebat.

C A P U T I I I.

De ejus mutatione, arreptoque consilio ex Imperatricis obitu.

9. **S** Uccessit à Deiparæ partu annus millesimus, quingentesimus, trigessimus nonus, qui totam Hispaniam funestavit Augustæ Isabellæ obitu. Celebrabat tum Cæsar generalia Comitia Toleti, eò convocatis Regnorum Castellæ, & Legionis Dynastis, & Procuratoribus, præter urbium quæ suffragii jure fungebantur, Procuratores: & quamvis pateretur Carolus repulsam in tributorum petitione, exhaustis Provinciis alia jam præterita largitione, omnia tamen personabant lætitiâ; fiebant spectacula equestria, in quibus Marchio fausta, & solita dexteritate se gerebat ad Cæsaris, (ita jubente Majestate,) latus. In tot Magnatum ab illo anno, nunquam deinceps ad tales conventus facto concursu, inopinata Augustæ mors totam eam hilaritatem summa amaritudine compleverat. O nullibi constantem hujus vitæ felicitatem! O magnum rerum humanarum ludibrium! Quid hic potentia profuit? Quid opes, comitatus, copiæ? Quid decorus juventutis flos? Quoniam erepta est bellissima Regina vigesimo nono ætatis anno, magnum ob egregias animi, corporisque dotes, tum marito, tum universæ Europæ sui desiderium relinquens. Marchioni injunctum à Cæsare ut Granatam deveheret cadaver, Catholicorum scilicet avorum Regum sepulchro inferendum. Quo cum pervenisset Marchio, patefactâ arculâ de more traditurus commissum corpus, illud ita invenerat à sua nativa pulchritudine mutatum, ut asseverare non auderet juramento illud corpus fuisse Elisabethæ Augustæ: affirmavit tamen pro exhibita à se diligentia, & sedulitate aliud esse non potuisse. Adeò verò eum perculit, & consternavit illata oculis novitas, comparato pristino illo decore, & venustate cum præsentis speciei misero statu, ut continuo statuerit haud famulari ulterius perituris dominis, qui extingui possent; sed in solum Deum intendere suas vires, & cogitatus: sic magna momento obruuntur. O nulla (dicebat,) longi temporis felicitas! Quoniam abiit ille vultus, amorem simul, & reverentiam sibi concilians? Itane disparent sublimia? Ita evanescent excelsa? Haud confidendum regnis in quibus sæviores detonant tempestates. Quò tantum fugit decus? Quò oculorum, rutilantium siderum fulgor? O vita fallax, quàm abdita mala tum demum pandis? quàm pulchram faciem induis deludens mortales? Præstò fuit potentissimus divinæ gratiæ radius, qui Marchionem ita possedit, movitque, ut in cæterâ vitâ nullo unquam casu imminuerit concepta ibi consilia.

filia. In somnium sequentem noctem traduxit, amarissime deplorans delapsos annos: interdum caduca, & perpetua inter se componere, Deo se omnino mancipare. Postridie Magistrum Joannem de Avila, (quem Beticæ Provinciæ ætas illa dicebat Apostolum,) insigni doctrinâ, & exemplo virum, (cujus splendidiori luce tot vanitatis contemptores, & Evangelii dolati præcones prodire, ut meruerit sanctæ Theresiæ lacrymis nobilitari in morte,) audivit, dum in Augustæ funere concionem haberet ad populum, deque humanæ vitæ fraudibus, atque ejus amatorum stoliditate, multa & præclara diceret, & tam commoda Marchionis sensui, ut suspiriis, & gemitibus proximam noctem transecessit: vehementer concitatus concionatoris oratione domum se receperat. Accersito Avilæ sua consilia familiariter aperuit; ab eo, ut à sapientissimo magistro accipit peropportuna monita. Ad hæc, amitæ, (quam supra diximus in tenera ætate sanctæ Claræ institutum fuisse amplexam in Gandiæ cænobio, quod tum gubernabat,) supervenerant litteræ, quarum sententia fuit hujusmodi: *Ego, fili mi, quo die conversus es ad caelestem meum sponsum, pro tua corporis, sed instantius pro animi tui salute suppliciter preces fundebam; vidi que te ad Christi pedes abjectum, gemitu, & fletu peccatorum tibi veniam exposcere; sed ipsum pariter vidi divinam suam porrigere dexteram, quasi subvenientem tuæ tristitie opis suæ pollicitatione. Grates ipsi referas, ut & idem ego perago; & accuratius, amantiusque quam à me fit, cura, ei in posterum servias. De Augustæ felicitate tibi annuntio, Dei clementiâ jam ejus animam ex purgatorio exivisse, multisque comitatam Angelis ad æternam beatitudinem pervenisse. Id ipsum quedam aliæ moniales hujus cænobii simul mecum viderant.* Hactenus Epistola, cujus primam partem satis comprobavit nepotis vita. Augustæ autem beatitudinem, ejus in Deum, dum vixit, pietas, & compositi mores satis persuadere videntur. Nos tantum referimus literarum tenorem, haud inscii humanas persuasiones in his rebus non raro falli. Marchio verò perlectis litteris decrevit, ubi primum liceret, domum proficisci, relictâ aulâ, quò pacatius expeditiusque Deo & sibi vivere posset, adjecto voto, si fortè prius obiret conjux, se crucis nuditatem, & opprobria, integro conatu amplexurum, & ni impediretur ætate daturum esse nomen alicui Religioni. Hæc acciderunt ejus ætatis anno vigesimo nono, & illius seculi nono supra trigessimum. 1539.

C A P U T I V.

Petit facultatem à Cæsare recedendi ab Aula, ut eò liberius possit vivere Deo.

Postquam Granata redierat Marchio, peracta in commisso munere Cæsari retulit, 10. qui pro officio ipsi gratias egit. In Regia innovata jam omnia videbantur, ac prorsus alia, quam reliquerat. Quippe alios afferebat ille oculos; desiderioque exequendi, quod promiserat, perivit à Carolo veniam, ut patrem inviseret. Miratus Cæsar de postulatu, quòd in acceptiore gratia vellet favores à tot ambitos declinare, amicè eum interrogavit de causa. Non detrectabo, Cæsarea Majestas, (inquit Marchio,) eam propalare. Postquam hæc meis oculis conspexeram extinctam Augustam, singulis in meo corde horis ad arma conclamatum est, & etiamnum percipio animi mei januas pulsari violentiori motu, ut expeditus Aulâ, totum me dedam immortalis Domini, cui si per me non retardetur, possum gratus in æternam durationem vivere. Fretus tot tuis in me collatis beneficiis, cupio facta à te potestate hanc novam viam illicò auspicari, multò amplius quam hæctenus, sed dum suppetit vita, tuis jussis addictus. Laudavit Cæsar Marchionis propositum, sed egrè ferebat illum à se divelli; eoque eum per aliquot menses secum retinuit dilata dimissione. Quod si semper fuisset Marchionis vita rationi, virtuti que admodum conformis, tum deinceps cœperat perfectiorem instituere; amicorum, quoad licebat, vitare colloquia, ad solitudinem se conferre cum Deo locuturus; duarum, aut trium horarum spatium intentæ orationi impendere; quando venatum ibat, utpotè qui Cæsareæ venationi præerat, avocans se à tumultu, Toletò vicinòs montes, & Tagi ripas

sibi in oratoria vertere; ubi fixis in cælum oculis, lacrymarum copiosos imbres profunde-
bat coram divina misericordia, simulque invocabat in suum patrocinium cunctos cæle-
stis aulae cives. Sacram Eucharistiam frequentissime suscipere, consulere religiosos, qui
omnino à mundi strepitu se abdicaverant.

C A P U T V.

Creatur Catalauniæ prorex, atque æquissime quidem desungitur munere.

11. **M** Archionis quantumvis adamaretur à Cæsare, non quiescebat animus; instabat de-
nuo; Cæsar autem reluctabatur annuere petitam licentiam, dolens jam de desi-
derio, quo afficiendus erat, ob ministri, dicam, an amici, absentiam. Cæterum quam-
vis coactus, jam tandem assensum præbuit; sed in magnum illius Reipublicæ commo-
dum, Catalauniæ Proregis titulo. Motus est Cæsar ad eum præficiendum illi provinciæ,
quod semper, & maximè tunc temporis, hominem magnæ authoritatis, profundique
judicii, ac Dei timentem requireret. Marchio autem obsistebat ea de re, quod haud suf-
ficere sibi ætatem, aut experientiam diceret. Nondum enim trigesimum annum attige-
rat, nullum gubernandi munus antea tulerat. Cæterum Imperatoris prævaluit decretum,
in discessu autem Jacobæ militiæ antiquissimæ, & nobilissimæ insignibus exornatur, &
Divi Augustini regulam, quæ ab ejus equitibus, (prout fert status,) observatur, pro-
fessus, emisit tria vota, nempe paupertatem, & obedientiam juxta statuta, & castita-
tem, quæ omnimodam à sceminis abstinentiam, præter conjugem interdicit. Facta
1540. professione, creatus est commendatarius à Cæsare, qui quatenus Castellæ, & Legionis
Rex, erat illius Religionis perpetuus administrator. Hujus officii sanctissime obivit obser-
vantias Marchio; nam singulis diebus sedulo recitabat præscriptas orationes, solemniori-
busque festivitatis præmissâ pœnitentiâ sacrosanctâ synaxi reficiebatur, sicut regula in-
dicit: & sanè splendidissimus hic cœtus, decoratus tot victoriis in fidei tutelam, tot lu-
cens equitibus bello, paceque celeberrimis, ex quibus multi cecidère, gloriosè sangui-
nem suum profundentes in propaganda Catholica religione, potest haud immerito glo-
riari hoc Principe in Beatorum numerum jam relato à sede Apostolica, uti de eo gloria-
tur. In principe enim totius Religionis delubro erecta est ara, in qua effigies hujus san-
ctissimi viri colitur. Præterea ordinum militarium regius senatus, nobilitate, & consi-
lio præstantissimus, quotannis in curia Matritensi apud Societatis domum Professam,
ubi ejus corpus requiescit, ipsius natalitia celebrat, pompâ, & sumptu, quæ Hispanam
nobilitatem decent. Catalauniæ Prorex creatus Marchio Barcinonem concessit. Scate-
bat provincia ea tempestate plurimis grassatoribus: nihil tutum: sublata erant commer-
cia; undique in pagis, & viis vis inferebatur. Administravit Principatum quatuor circiter
annos, secundum normam, quam sibi recenter proposuerat. Nihil antiquius habuit,
quàm relegare latrocinia, Reipublicæque pacem restituere; & profectò ita ab initio re-
giminis hanc rem suscepit, tactus miseratione publicæ calamitatis, ut brevi interciderit
atrociora scelera, quæ passim admittebantur. Excursiones ab ipsomet fiebant, stipato
armis, & militibus; aggrediebaturque reipublicæ hostes, qui numero, & audacia mul-
tis in locis invaluerant; dissipabat, & fundebat, ferente semper openi divinâ justitiâ;
cui sanctus Prorex, (uti solebat dicere,) veluti vindex, in his itineribus assistebat: Ni-
hil sibi jucundius affirmabat prædonum venatione: nullum aucupium gratius eo, quo
infestissimos generi humano adversarios intercipiebat, ut capitali supplicio luere possent
suas culpas. Nihil profectò hac severitate clementius, omnium incolumitatis custode,
& vindice: talis justitiæ promptissimo tenore effecit, ut hi ipsi scelerati quodammodo
contenti (si fas sit ita dicere) plecterentur, quia feliciter multi ex illis, (ut credere pium
est) æternitati concedebant. Nam hic considerantissimus æqui arbiter, non modò cura-
bat, ut puniendi quàm optimè animis disponderentur ad mortem, sed singulis per tricenas
mis-

missas succurreretur ad Purgatorii expiationem. Unde fiebat, ut nec vitæ meta utilior hominibus vitâ contaminatissimis, nec inferiæ honestiores evenire possent. Hac autem severitate justissimus gubernator minimè deponebat innatam commiserationem ex penitissimo sensu erga maleficos, quorum poenas simul, ut amantissimus Pater deplorare solebat. Sed opus est aliquando severitate ad defendendas leges, sine qua civilis ordo miserrimè pessum ubique dabitur: Ferre non poterat, quin rectè, & tempestivè jus diceretur; semper ad eum alloquendum facillimi, & expediti erant aditus. Summâ clementiâ respiciebat infelicium, desertorumque calamitates, nec minori lenitate, ac tolerantia dissimulabat, devorabatque inconsideratorum, & rusticè obmurmurantium querelas. Si fortè divitum quispiam egenis procrastinaret debitum, de suis solvebat, 1541. postea illud à debitoribus exacturus; Discipulorum scholas explorari jussit, & in meliorem ordinem eas redigi. Principium dedit mœnibus urbis ibi, unde in mare est prospectus, subjecitque primum lapidem sancti Francisci propugnaculo, quod totum tunc temporis est ædificatum ad fortitudinem, & decorem. Annonæ caritati prospexit, exportato ex variis regionibus comœtu ad sublevandos pauperes, præsertim ex fortuna secundiore præcipitatos; maritabat orbas virgines, collatâ ex suis facultatibus dote: sacris cœnobiis præstò erat, & cunctis solatio, & levamento; apprimè intentus, ut publica peccata per exemplum officientia evellerentur, propulsarenturque. Amarissimè dolebat de flagitiis, nec quiescere poterat donec adhiberetur remedium, hac in re sibi proponens exempla potentissimorum Regum Galliæ Divi Ludovici, & Hispaniæ Ferdinandi, (quem sanctum dicebant) suorum atavorum, qui sanè acerrimi fuerunt propugnatores justitiæ. Dies, noctesque quasi in specula in omnes Reipublicæ partes diligenti- 1542. simè prospectabat; gubernatorum proprium munus; aptiùs sanè, quò Cataluniæ Proregem, quàm suum Augustum dignitatum appetitoribus Mamertinus proponeret: *Ultrò vobis, (inquit,) imperandi avidis potestas datur, ut eâ, quâ noster Moderator, conditione dominemini; libertati subditorum serviatis; sæpiùs pro subditorum incolumitate incatis consilium, quàm prandium capestatis; nihil cuiquam auferatis, & ultrò omnibus largiamini. In nullum insontem seviatis. Tota in Provincia vestra cura, ut nulli inferatur injuria; æstate cunctorum saluti providentes, pulverem, hyeme pruina perferatis. Verborum profectò ipsorum molestiam delicatæ aures non poterunt sustinere; tantisque negotiis perterriti, imperium perosi, gubernationem detrectabunt. Videbunt enim justum Principatum anxietatibus, & sollicitudinibus esse plenum, cum ejus faciem amœnam, gratam, & amabilem sibi conspexerint, eos ærumnarum salebris latentibus.* Gubernatorem autem nostrum cuncti ejus subditi, non modò ut à Cæsare missum, sed quasi de cælo delapsum intuebantur; tanta temperantia, prudentia, comitas, & dexteritas sancto inerant Proregi, omnia incorruptè administranti. Sic in rebus publicis se gerebat, ut sibi eâdem tempestate cælestem vitam peragenda constitueret. Decrevit hominum pro mundi regulis cuncta trutinantium susurros contemnere, quo jacto fundamento, humanaeque haud respiciens fallacias, Christi asseclam se palam professus est. Sed in primis ita se tradidit rerum cælestium contemplationi, Numinis benignitate largiter opitulante, ut cum impendisset quinas, senasve aliquando horas in hac cum Deo arctissima familiaritate, profusis suavissimis lacrymis ipsemet admiraretur de Divini largitoris munificentia, quòd cor adeò lapideum (ita de se demissè sentiebat,) commutasset in carneum, petramque convertisset in aquarum fontes, jucundioraque flumina. Præterea illæ rerum divinarum repræsentationes sic illum alliciebant, ut animo; licet imposito contemplationi sine, in cælis semper conversatio duraret, non minuens, aut labefactans, sed potiùs perficiens gubernationis curam. Cœnam sibi prorsùs interdixit; & cum sine valetudinis gravi incommodo per quadagesimam potuisset duobus annis nihil ad panem, & aquam nisi herbas decoctas addere, libuit per integrum annum hujusmodi parsimoniam observare. Quâ poenâ corpus ita maceratum, & quasi limâ attritum habuit, ut è thorace jam in laxitate penè

penè dimidium superaret. Cilicia, flagella, vigiliæ, aliaque tormenta inediae adjiciebat; ita fovebatur influentiis divinæ gratiæ: nihil tamen (etsi aliquibus appareret haud parùm deflectere à communi prudentiæ norma) operatus fuit consideratissimus vir non à sanctis factitatum; nihil suscepit inconsultis piis, doctis, & prudentibus viris, quorum præcipui fuerunt Joannes Micus, & Thomas Guzmanus ex Religioso instituto Divi Dominici, ob pietatem, ac doctrinam satis in Aragoniæ Regnis noti. Singulis Dominicis, & sanctioribus aliis diebus sacrâ Eucharistiâ reficiebatur; non sine aliquorum offensione, sic illa tempora ferebant, ob seculi desidium; quo laici, præsertim conjugati, à vitali mensa diutiùs abstinebant. Sanctus verò Prorex nihili fecerat inutilia eorum judicia, affatim callens tanti Sacramenti institutionis finem, & nascentis Ecclesiæ in eo percipiendo morem.

C A P U T V I.

Audit de instituto Societatis JESU, mireque capitur exercitiorum libello, quem Divus Ignatius ad tantam animarum utilitatem conscripserat.

12. **A**Nno quingentesimo, & quadragesimo secundo suprâ millesimum, Barcinone Antonius Araozius ex JESU Societate Sacerdos, appulit à sancto Ignatio ejusdem religionis Fundatore ad Hispaniam causâ dilatandi familiam missus, vir prudens, & disertus, studiosissimusque majoris Dei gloriæ, qui habebat diplomata auctoritate Pontificiâ confirmata. Adhæc, à Barcinonensi populo pro summa animi benignitate amantissimè exceptus fuit. Viri fama pervenit ad Proregis uxorem lectissimam, uti jam diximus, foeminam, quæ non muliebri curiositate, sed spiritualis profectûs desiderio ad se illum accersivit, atque attentissimè auscultavit annuntiantem de nova Societate, quò factum, ut de ejus Fundatoris sanctitate multa scitu dignissima marito retulerit, quæ ab Araozio acceperat. Iterùm ergò vocatum ad Aulam Araozius, & Proregi avidissimè auscultanti aperuit Societatis institutum, ejus leges, & scopum. Quàm severè ambitioni occlusi aditus; quàm aureum illud exercitiorum opus tot sanctorum Officina. Legit attentè Marchio librum, nec semel percurrisse fuit satis; iterùm jucundissimè versavit illum. Ita ipsi arrisit, ut per vitæ reliquum tempus nunquam ejus lectionem prætermiserit. In eo novit mundi contemptum; certissimum ad solidas virtutes iter, ac totius Christianæ perfectionis compendium. Qua de re exaratis postea litteris ad sanctum Ignatium summoperè ipsi gratulatus fuit de tam salutari tractatu, & opere.

13. Hæc prima cum Ignatio, & cum Societate Francisco commercia, & quàm ipsi proficua, partim ostendit sequens, quem hic pono, successus. Crucis Domini inventæ dies anniversarius Barcinone præcipuâ celebritate, & gratulatione colitur. Eo die prima omnis nobilitas, virorum æquè, ac foeminarum solebat in prætorium convenire. Ergo quò puriùs, ac liberiùs hilaritatem sacri diei usurparent matronæ principes, à Prorege petière, ut solæ cum Marchionissa eum diem, omni virorum interventu excluso, liceret
1542. agitare; quod ita Francisco probatum est, ut libenter custodis quoque, ac janitoris munus, in sese receperit. Eo munere dum fungitur, ecce tibi Procerum quidam præcipuæ claritudinis per eos fortè dies Barcinonem advectus, in Prætorium advenit, & ad Gynæceum rectâ contendit; modesteque repulsus, quòd eum diem ab arbitris liberum foeminæ exoptassent; vehementiùs, quàm dictu facile sit, excanduit ille, repulsamque ejuscemodi contumeliam non ferendam interpretatus, vociferabat sibi ubique semper, & in Regia ipsa, ac Cæsarea penetralia aditum patuisse. Dum jam tandem ferociens pugionem strinxerit, admotoque eo Proregis pectori; profectò hic, inquit, aditum, si aliter non inveniam, faciet. Prorex, tam inopinato casu, gravique discrimine deprehensus, nihil tamen perturbatus, placidè, nec sine majestate Christiana; quid à me, (inquit) foeminæ postularint, quidque ego susceperim officii, candido, bonoque animo

animo declaravi. Quandoquidem id tua Excellentia tam ægrè ferat, consilium mihi nunquam fuit tanto impendio tibi prohibere aditum : non enim Dei gloria, neque Cæsaris rationes sustinent, ut ambo hic simul causâ levissimâ pereamus. Quo dicto avertit se, & expeditum reliquit ingressum. Nec postea persequi injuriam voluit, quin potius laboravit, ne homini apud Cæsarem fraudi esset. Hæc sanè occasio perspicuè admodum ostendit, quàm firmo nixa fundamento esset Francisci religio ; non enim potuit violentior turbo, aut sævior tempestas in animum nobilem, & honoratam personam ingruere, sed paruit indè sanctissima Christi Domini instituta, quantò ad veram gloriam, & humanas quoque opes opportuniora sint, quàm seculi perversæ leges, & consilia. Cæterùm Francisci clementia maximam ab ea ætate, ac potissimum ab Imperatore laudem retulit, & à posteris cum admiratione gloriam. Quoniam si mundanis legibus parere vellet, duas perampas continuo implicandas odio perderet familias. At verò alterius ira, licet ob inconsiderationem excusari possit ; eâ tamen exclusâ, nemo unquam non jure vituperare, ac detestari debet. Percepit ex eo factò miles egregius ab Imperatore cœlesti tantùm dulcissimæ, sanctissimæque voluptatis ; quantum ante nunquam acceperat. 1543.

P A R S T E R T I A.

Quàm strenuè militaverat Christo viduatus jam uxore ?

C A P U T I.

Gandiam contendit, defuncto jam parente, ubi amisit uxorem, & sequi constituit institutum Societatis.

Defuncto paulò post Parente Duce, enixis precibus ab Augusto impetravit, ut Gandiam liceret se recipere : quò ubi pervenerat, sedulò prospiciens rebus, publicum Nosocomium instauravit, instruxitque ; & oppidum ipsum, quod, utpotè maritimum, periclitari prædonum excursionibus solebat, diligenter communi- 1544: vit, æneisque bombardis firmavit, quamvis haud exiguo sumptu, quò, & securius oppidanis, & agrestibus in discrimine perfugium esset. Aedes quoque amplificavit Ducum ; & Collegium Societati Gandiæ condidit, quòd sufficienti censu, ornamentisque ad divinum cultum decoravit. Tribus ferè annis religiosissimè in Ducatu exactis, sæculi anno quadragesimo quinto, uxorem amiserat. Pro deplorata ægrotantis salute vehementiùs in preces intento, locuta est Christi è sacra Cruce pendentis effigies : in manu tua est Franciscæ, ut supersit infirma : cæterùm pro comperto habeas haud è re tua esse. Itaque modestè confusus ob electionem tantâ sibi indulgentiâ permissam, oravit Dominum, ut in ea re, ac cæteris omnibus, pro divina sua voluntate disponderet. Undè continuo desperata est salus Eleonoræ, velociusque Creatori tradidit spiritum. Liber jam matrimonii nexu Dux, totusque suus, cogitare non distulit, quòd, nuncupato jam pridem voto, promissum diximus. Ergo ad perfectionis aliquam scholam processurus, quanquam ad sanctum Franciscum præcipuo studio ferebatur ; diutiùs tamen consideratâ re Societatem elegit. 1545.

Pater Antonius Araozius per universam Hispaniam Societatis Commissarius generalis, loci vicinitate admonitus, ad Gandiæ Ducem Franciscum Borgiam, seu officii gratiâ, seu ut de re Collegii cognosceret, ocyùs accurrit. Jam enim nôrat postulatum à Duce Collegium, eamque rem P. Fabro, cum in Castellam venisset à S. Ignatio fuisse commissam. At verò postea longiore Fabri, Araoziique in Lusitania morâ, sex ex Societate ad initia Gandiensis Collegii impetraverat Dux, atque inter eos Andream Oviedum, quo moderatore strenuè sanè Gandiæ promotâ res est. Nam & populum statis feriis

zelosus pater instruebat, & in æde quadam addita Collegio ritè oppidanorum animos expiabat. Nec deerat per vicinos pagos solitæ catechesi, cæterisque animarum subsidiis, divisâ cum Patribus curâ. Sed spes scholarum, quâ non modò civitas, verùm etiam ipsa vicinitas invitata jam erat, solatio fuit; quibus paucos intra menses apertis, puerorum vacatum quàm diligentissimè disciplinæ. Quod ab his gerebatur, probavit Araozius. In Duce porrò singularem pietatem invenerat, adeoque propensos in Societatem animos, ut jam tum adiret illum, veluti si jam esset sub obedientia Societatis. Quanquam autem Patrum Religioni, studiisque attentionis satis adhibebat Dux, nihil tamen adhuc cogitati operis inchoaverat. Cunctationis causa, ejus scilicet animi magnitudo, quia per amplum moliebatur amplæ familiæ Collegium, ad propagandam subditorum religionem, ac fidem; tum etiam sancti Ignatii prudentiâ, qui non ignarus inchoatas celsitudines nimîâ sæpè festinatione perverti, lentiùs incedendum putavit. Dux autem etsi plurimum tribueret Collegio; omnia tamen ad D. Ignatii referebat arbitrium: adeo veriùs ex animo Societatem, quàm eam adhuc verbo profitebatur, induerat. Ergo per Andream Oviedum prima est operi admota manus.

C A P U T I I.

Gandiense Collegium perficit, & alia aliis in locis erigenda, curat.

16. **A** Uxit inchoatum superiore anno Gandiense Collegium Ducis benignitas, eam-
 1546. que suis omnibus explevit numeris. Additi Oviedo & alii, quos huc missos supra memoravimus, socii quatuor, Franciscus Onofrius Gallus, Ambrosius Belga, Albertus Caballinus Italus, & Petrus Canalis item Gallus; quem Dux numerum augere ad duodecim saltem Academicos cogitabat. Faber autem cum indè ad Urbem iter haberet, persalutato Duce, ad ædificii fundamenta, quæ tum ponebantur, primum lapidem ritè jecit. Scholæ deindè apertæ, & Philosophia tradi cœpta, præmissis ad ingenii specimen, doctrinæque laudes disputationibus cum elegantissima oratione: quæ omnia Dux cum erudito æquè ac nobili conventu cohonestavit, atque amplissimis verbis commendavit, licèt sibi ipsi etiam gratulari posset, quòd suis impensis videret primum in Europa litterarum ludum ab Societate tanto solemnitatis splendore, & magnificentiâ apertum. Valentiam autem ad perfectam vitam informati, aliquot Duci per litteras, unde suum posset amplificare Collegium, identidem offerebantur: quorum Præfecto item per litteras Dux; *ne cesses*, inquit, *Gandiæ quidem numquam eis, quos miseris, locus deerit.* Qui porrò deesset, cum vir ille liberalissimi pectoris, nequaquam domestico contentus Collegio, de aliorum alibi cogitaret initiis? Compluti quidem certum sociorum numerum suis redivitis alere cœpit; & ad Toletanum Archiepiscopum Joannem Silicæum litteras dedit, ut, quam ad bene merendum suis semper de liberis propensionem, voluntatemque præ se laturus esset, eam in sustentandos Societatis Compluti labores, operasque converteret. Ad Cæsaraugustanum item Archiepiscopum avunculum suum Ferdinandum Aragonium, & Aragoniæ Proregem misit, ut sedium aliquid Cæsaraugustæ iisdem Patribus inchoarent; quos ut factis magis, quàm sermonibus incitaret, fortunas in eam rem aliquas, & domicilium, quod illic habebat, primum obtulit. De alio item ponendo Hispali Collegio cum matertera (ea Medinæ Sydoniæ Ducis uxor erat) & cum uxore Marchionis de Pliego consilium suum communicavit, statueratque ex quibusdam fructibus, haudprocul ab Hispalensi urbe, decerpere ad sociorum alimenta. Equum quippè dicebat, ut ubicumque Dei liberalitate bonorum aliquid haberet, indè suam Deo decimam in hac Societate persolveret; nempè egregia pietas Societati eum arctè conjunxerat. Tantos habuit à funebri illo Imperatricis elatæ spectaculo continenter progressus, ut vir gravissimus, idemque doctissimus Michael

Tur-

Turrianus, cum ex urbe in Hispaniam hoc ipso anno revertisset, vehementer sit ejus, & altissimam humilitatem, ac modestiam, & eximium pectoris candorem in his rebus, admiratus.

Igitur ut primùm Gandiam venerat, continuò Ducem adiit, spectator futurus ipsius 17. virtutis, cujus laudis jam fuerat auditor. Hominem Religiosum, non Ducem reperit. Adeò se Franciscus in studia veræ pietatis abdiderat: Præsertim, paucis ante mensibus 1546. sublatâ conjuge, liber jam à rebus humanis ita desierat esse divisus, ut solùm quomodo placeret Deo suo in animo pertractaret. Ubi primùm applicuit animum ad Societatem, septem continuos dies inter preces vidit sublimem in aère, suoque imminentem capiti Tiaram; metuensque, ne Ecclesiastici id argumentum esset honoris, enixiùs incubuit precibus, dum septimo die anxium cor in hanc orationem effuderit: Obsecro, ne irascaris Domine, Deus meus, ultrà sustinere jam nequeo: nisi perpetuam mihi paupertatem, atque in Religione perseverantiam pollicearis, spondeo nunquam me Ecclesiasticæ militiæ daturum nomen; nam periculosius hoc habeo portenti, quàm quòd amoliri jam molior. His dictis, Tiara statim, & omnis timor evanuit. Ergò ad perfectæ vitæ studium effusus habenis eucurrit: Et quoniam à fundamentis noverat inchoandum, hæc 1546. quòd altiùs, firmiùsque locaverat, eò frequentius sibi velut gymnasium humilitatis exstruxerit, ubi dum dies, noctesque se contineret quotidianis exercitationibus, quibus se veluti ad deponendum fastum, & dimittendos spiritus stimularet, sancti Ignatii libellum, qui contemplandi præcepta, virtutesque complectitur, avidè universum exhaustit, & ad multos dies haud oscitanter adhibitum, ac perlectum, ita suspexit, ut quòd tutiùs degustaretur ab aliis, nec quemquam rei novitas deterreret, contendendum à Pontifice Ma- 1546. ximo putavit, suâ ut autoritate, judicioque tam salutarì suffragaretur opusculo. Itaque sic factâ à sancto Ignatio potestate, id ipse supplices per Internuntios, ac litteras à Pontifice postulavit: Ejusque postulationi Pontifex altero post anno adeò prolixè, ac liberaliter annuit, ut in Apostolicis litteris; quibus has Institutiones Divi Ignatii suo patrocinio, & autoritate communiit, non modò eas approbaret, collaudaretque, verùm etiam singulos utriusque sexus hortaretur, ut iis se excolere non dubitarent. Ab eodemque Dux Borgia impetravit, ut quisquis iis uteretur universæ vitæ peccata confessus, pro Apostolica mansuetudine summam haberet indulgentiam. Absoluta videbantur jam piissimè Ducis officia, nec ad omnem laudem restare aliud, nisi ut Christi consilia secutus ad perfectæ niteretur vitæ fastigium. Huc quippè illum cælestis spiritus, velut occultis itineribus adigebat, eoque ducente statuit funditus humana deserere, quòd velociùs ad divina raperetur. Itaque eam disciplinam, quæ erat jam tandem sectanda, arripuit, undè & cælestem sibi hauserat contemplandi rationem, & tot quotidie suis etiam subditis adjumenta. Id D. Ignatio significavit, deprecatus silentium, nempè Societatem se initurum, cum primum gravioribus quibusdam explicare se posset in sua ditione negotiis.

Gandiæ autem mirè Collegii rem unâ cum Academiæ ejus sollicitudo provexit. 18. Quamquam enim exiguum tum; in primis tamen annuis, idoneisque subsidiis instructum, & ornatum fuit. Eadem Ducis pietas Cæsaraugustanum Collegium, uti suprâ 1547. significatum est, sublevabat. Cumque ea de re cum D. Ignatio per litteras communicasset, sanctus purum ad eum obsignatum suo chirographo folium dedit, cui pro sua Dux ipse prudentiâ, habitâ rerum, locorumque ratione, quicquid videretur inscriberet. Quæ fiducia significatio mirè affecit Ducis animum, ac Beato Ignatio jam, & ejus Societati devinctum se multo adhuc altiore vineulo agnoverat. Eodem ferè tempore cum Regni Aragonensis Comitibus Monzonis in oppido haberentur, eò loci & Dux Borgia Principis Philippi jussu venerat, nec quamvis per litteras id tentarat, recusandi locus fuit. Quin potiùs perhonorifico Tractatoris munere decoratus, (sic enim appellantur, qui præcipua in iis cœtibus negotia pertractant, magnæ omninò autoritatis viri, spectatæque cum apud Regem fidei, tum in rebus gerendis prudentiæ,) negotiorum tum, quas vi-

- tabat occasiones, subterfugere non potuit; & tamen in earum æstu Catalauniæ quoque se Monasteriis virginum impertuit; curavitque, ut meliores illa mores, prima ex antiquitate repeterent: Hi que illis sancto Ignatio apud Sedem Apostolicam rogatu Principis, à quo binas super ea re litteras acceperat, strenuè adjuvante, restituti sunt. Araozius autem versabatur unà cum Duce, sed suo more læsa ex laboribus valetudine. Ducis autem curâ & humanitate haud modicè relevatus est; confirmandique sui gratiâ Barcinonem inde traductus. Quoniam autem id temporis de constituendo Principis æconomus Duce Borgia, qui Societatis ineundæ votum superiore anno conceperat in Aula, agebatur; Araozius ea de re D. Ignatium commonendum putavit, ut quid factò opus esset secum ipse perpenderet; dispiceretque, an privato professionis ritu Ducis esset animus confirmandus, modò ratio aliqua iniri posset, quâ vel ad tempus, quoad liberorum necessitati consuleret, ei liceret suas administrare, ac dispensare fortunas. Non neglexit, quòd prudenter suggereretur, Beatus Ignatius, hanc enim illi à Pontifice profertendi potestatem, & administrandi ad certum tempus res privatas æquè, ac publicas impetravit. Concessit quoque Duci Pontifex, ut autoritate Apostolica Universitatem excitare Gandiæ liceret, quæ Societatis administrationi, ac potestati subesset. Hæc biennio post ritè inchoata est, & anno quinquagesimo à Carolo Cæsare cunctis ornata beneficiis Academiæ Salmanticensis, & Complutensis; eamque primam omnium Societas Academiam habuit. Dedit Gandiæ nomen Societati inter alios Franciscus Saboia, qui Ducis liberis instituendis præerat: is confectis Philosophiæ, ac Theologiæ spatiis, Doctoris erat honestandus insignibus; utpotè satis in his scientiis facultatis, quam augebat commendatio virtutis, & suavitas morum. Sua omnia cum ad famulatum Dei in Societate ornamenta contulisset, quarto post anno decessit è vita, sed fructuosè satis in Religione operatus. Dederat & nomen Balthasar Diazius, consanguineus Andreæ Oviedi; atque illuc quoque Barcinone se contulerat Antonius Cordesius, bonarum uterque partium, & ad Societatem facti. Desideratus autem est Petri Fabri discipulus Ambrosius Belga, ipso eo die, quo superiore anno ejus magister vitæ laboribus functus in cælum abiit. Is & suum videre Magistrum, & ejus defendi precibus magnoperè gestiebat; haud quidem irritò voto; quippè octo diebus antea divino admonitu suum præsensit obitum: Qui ut propius adfuit, defixis in cælum oculis, manibusque, precatus est Deum, ne se diutiùs in hoc moraretur exilio: Cumque ad iter illud Sacramentis se supremis armasset, relictis suæ virtutis haud exiguis exemplis, illâ ipsâ, quâ Faber, feriâ, Apostolicis nobilitatâ vinculis hinc excessit. Artium curriculum à Francisco Onofrio Gallo, anno jam ante inchoatum, persecutus est Emmanuel Sa. Septemdecim annorum erat Emmanuel, cum docere Philosophiam cœperit, & quasdam etiam Theologicas Theses magna cum laude sustinuit; nec minor erat virtutis, quam scientiæ in tanta ætatis viriditate maturitas. Onofrius autem, & alter Sociorum tradere Theologiam cœperunt. Horum Dux studiis propinquam Collegii vineam, olearum amœnitate distinctam, peropportunum levamen attribuit: Ubi unà cum liberis publicam precationem institui voluit; primusque pallio posito, arreptoque ligone lætus aggressus est vites, (quas ut alter Isaac sublatas in humeros filius alacer comportabat,) infodere. Eas denique invocato cælestium nomine, suo ordine disponebat. Gnatus autem natu maximus, & cætera proles imitabantur piam genitoris industriam, pulchro fanè spectaculo, & mundi oculis insueto.
1547. Valentini quoque Collegii egestati Dux Borgia mille aureis subsidio venit. Sequenti
1548. verò anno illius seculi quadagesimo octavo, Paulus Pontifex, Ducis precibus motus, pridie Kalendas Augusti sancti Ignatii spiritualia exercitia, quæ tot viros Apostolicos dolaverant, tot dolatura sanctos, confirmavit, priùs censa à gravissimis viris Joanne Alvarez de Toledo Cardinali Burgensi, & ab Ægidio Foscarario sacri Palatii Magistro, utroque ex doctissimo Dominicanò cœtu, additâ simul à Pontifice amplissimâ operis com-

commendatione; jam traducti in Latinum idioma ex Hispano, quo illud sanctus Patriarcha scripserat. Cùm Gandiam Ducis visendi gratiâ Stephanus Almeida Carthaginensis Episcopus accessisset, ejusdem consilio exercere divinis contemplationibus mentem constituit; ac Murciae demùm ad exercitia illa se applicuit. Ab Oviedo instructus est, unâ cum Canonico quodam, Principis ædis Ecclesiastæ, tanto cum fructu, nihil ut aliud tractare animo videretur, nisi quemadmodum Deo se probaret, & creditum sibi gregem pro ejus voluntate foveret. Cujus rei gratiâ venit in mentem poscere aliquos è Societate Patres, datisque ad Borgiam litteris de instituendo Murciae Collegio, tum primum idem ab ipso cœptum est. Auxit autem vehementer exercitiorum studium conversus nuper antea Latine eorum liber, & Romæ typis Borgiæ sumptu impressus, unâ cum illustri in ipso libri vestibulo Pontificis maximi testimonio. Is Gandiam allatus, tantis illicò exceptus est plausibus, ut indè in posterum quotidie Patres antelucanæ contemplationis argumenta colligerent; eumque morem, unâ cum amita, sanctæ Claræ Moniali, imitatus est Borgia; & inflammata cæterorum pietas, ne ad ea præcepta dubitarent institui. Absoluto Collegii opere pridie ejus diei, quo gloriosus Christi in cælum celebratur ascensus, novas in ædes migratum est; postridieque novo in templo pro authore Collegii, recepto jam tum more, sacrificatum, atque initæ cum Duce, & liberis epulæ in interiori communiq̄ue cœnaculo. Postea inclinato in pomeridianum tempus jam die, Theses Philosophicæ, ac Theologicæ propugnatae. Tredecim in eo habitare Collegio de Societate cœperunt, plures deinceps magis corroboratis rebus futuri.

Decreverat sanctus Ignatius Patrem Oviedum Rectorem, & Onofrium Theologiæ 19. Professore Romam vocare: obtigit enim, ut nimia eis solitudo officeret: sed quoniam Duci aliter visum, id omisit: significavit autem D. Ignatio Dux, secum Oviedum 1548. ea de re contulisse; se autem hortante, ut Deo gratias ageret, cujus liberalitate medios etiam inter homines præmia solitudinis obtinere, simulque cum actuosæ vitæ fructibus, Monachorum posset merita, (dummodò æqua essent obsequia) adipisci; respondisse Patrem, toto eo temporis intervallo, quo expectabantur ad Urbem litteræ in magna se tranquillitate animi, & æquitate fuisse; nec tum minore, cùm accepto responso, quod petebat, negatum est. Bonarum quippè, & humilium est mentium, non pertinaces esse in sua sententia, sed faciles, flexibilesque secundùm Præpositorum judicia. Et sanè hic locus Oviedi obedientiam illustravit. Rescripsit enim ad D. Ignatium ingentem se ex responsione percepisse lætitiâ, ac proindè sibi planè esse persuasum, nihil rerum omnium conducibilius sibi, nihil aptius inveniri, quàm quod præscripserat ea Epistola.

C A P U T I I I.

Maximo pietatis sensu Religionis vota nuncupat.

Potuit autem Ducis autoritas multùm habere ponderis hos apud Patres, ne suis obsequi nutibus, solitudinis latebras, omiſſa actione quærent. Non tam quia Dux, quàm quia jam indè ab Isabellæ Imperatricis obitu, asperæ vitæ studiis vehementer erat addictus. Et quamquam mortalium oculos specie fallebat externâ; tamen & precationis assiduitate, & inediae tolerantia, & quotidiano sacrae lectionis usu haud antiquis sæpè cedebat Anachoretis, & qui sylvas inter, ac nemora deliteſcebant. Attamen cùm ad Religionem animum appulit, non abditas sylvas, nec ubique hominum meditatus est fugam, sed ad hanc vitæ quasi communitatem, societatemque mortalium, quam Societas, ut plurimum profitetur, cuncta sua studia, ac vota convertit. Anno illo Religionis vota, tum meriti amplioris, tum firmioris constantiæ causâ, domesticos inter parietes nuncupavit: (Nondum enim Religionis vestem induerat, & per Apostolicam Sedem ei licebat adhuc bona sua, privatamque rem toto tractare triennio, & ipsam quoque administrare Rempublicam.) Cujus professionis gratiâ Provinciale

Araozium ad se vocaverat, & sacro Purificationis Deiparæ Virginis pervigilio, incredibili jucunditate animi, iis sese votis, & sacris vinculis adstrinxit. Quo ex die cœpit illum sanctus Ignatius, Patrem Franciscum Borgiam, mutatis titulis appellare. Nec mirum in sancti Patris venisse mentem tantâ uti in admittendo ad ea vota Ducem festinatione, utpotè qui meminerat, eum tot jam annos vitam quandam instituisse cœlestem (Religiosæ utique propriorem, quàm populari) & in cultu seculi mores habuisse Cœnobii. Quoniam in Catalauniæ Prætura nitido sub amiçtu applicabat ad nudum corpus rigido ex crine cilicium; & uberes inter epulas, quibus excipiendi non rarò erant pro dignitate convivæ, frangebatur semetipsum tacitis, arctisquæ jejuniis; & inter Curia blandimenta, ac voluptatum illecebras, sæviebat in corpus suum quotidiano flagello. Multiplices, quibus passim capiuntur Aulici, garrulitatis anas, transmutabat in dulcia cum Dei Majestate colloquia, vel in jucunda pabula sacri Codicis. Cujus studii fructus tum primùm apparuit, cum & piis scriptitandis libellis, & habendis privatim ad sacras scœminas concionibus, cunctis repente fuit admirationi pariter, & exemplo. Superiore anno cum statutum esset, ut sua cuique religiosorum daretur post epulas concio, tanquam unus ex numero semel, atque iterùm loco suo verba & ipse fecit, ac posteriore quidem dictione de cognitione sui ipsius tanto animi ardore, tanto verborum ac sententiarum pondere egit, ut omnes planè admirati affirmarent, in eo divinum Numen fuisse loquutum, excipiendamquæ aureis litteris declamationem illam, utpotè quæ tota undique Deum spirabat, nec tam librorum monumenta, quam orationis redolebat incensum.

C A P U T I V.

Mitigantur ejus fervores, quoad corporeas castigationes, à B. Ignatio.

21. **C**ontinebat autem in sua se perenni exercitatione tyro Christi, & aggregatus novæ militiæ, pietatis augebat, & pœnitentiæ studia, ne abusus gloriæ nominis, tum in certando frigeret, cum majora danda essent suæ experimenta virtutis. Cœlesti autem prudentiâ sanctus Ignatius, nimios in eo reformidans ardores, utendum suo jure censuit, & moderandum in filio, quod dissimularat in Duce. Duce quippè nullum unquam ardoris frænum injecit, ut quo acriora essent inchoata studia virtutis, eò radices agerent altiores constantiæ. Nihil enim tam firmat animum ad constantiam, quàm perennis exercitatio virtutis, quâ paululum intermissa, sæpè labat, mutatquæ sententiam novellus tyro, & quasi suâ destitutus escâ, languescit. At ubi magnâ, longâquæ operâ usum, & facultatem peperit Dux, & suam fidem religiosi vinculis obligavit, in tutoquæ quodammodò posuit suæ constantiæ bonum; tum demum, sapientissimus Sanctus adhibere modum tantæ, ac tam fervidæ contentioni cœpit, & suis quasi finibus coërcere exundantes ardores. Principio igitur gratias Deo agere jussum de iis, quæ ad eum diem eo opitulante gesserat, hortatus est, ut quoniam alia ætas, statûquæ conditio alios mores, aliamquæ vitam postularet, ex nimio precationis otio partem aliquam in litterarum studia derivaret, & ad spiritualem disciplinam adjungeret eam, quæ studio comparatur humano. Majoris quippè ajebat esse virtutis, variis in locis, officiisquæ, frui charis Dei amplexibus, ejusquæ gloriæ, ac honore deservire, quàm seipsum exercere, aut unius intra loci cancellos, aut in unius tantummodò muneris, precationisve functione. Deindè quoniam frequenti ex inedia stomachus crebrò languebat, nec legi mentis (sic annuente Deo) adeò jam repugnabat lex membrorum, temperatis jussit uti jejuniis, & consentaneo victu firmare vires; ut cum æquè corpus, atque animum accepisset à Deo, paratus esset utriusque rationem ei reddere, nec sineret corporis omninò obtundi robur, & deperdi vigorem, quo semel amisso, minùs esset deinceps ad sua munera, & functiones idoneum. Quòd autem ad quotidianam verberationem attinebat, quoniam propositum erat in honorem quondam passi, & dilanati verberibus Christi, non priùs verberandi

berandi sui finem facere, quam vim cruoris effunderet, vetuit in posterum tantum sanguinem emitti, eisque loco diffundi lacrymas suasit, quas aut suarum, alienarumve commemoratio noxarum, aut caelestis aliqua contemplatio, aut suavissimus Christi amor exprimeret. Has enim pia mentis actiones omni ex parte frugiferas esse haud dubium est, corporisque exercitationi ex Apostoli sententia multis excellentiae partibus antequam. Ipsam vero corporis exercitationem tum in laude praecipue poni, cum alicui verae obedientiae in comparandis sibi de caelo donis ancillaretur, & serviret.

C A P U T V.

Dum componit rem domesticam, filiorumque, aliis in rebus exemplo est:

His finibus, & cancellis a superiori Borgiae vitae praescriptis, nihil erat amplius, quod 22. in eo desideraret sanctus Ignatius. Eminebant in egregio quippe viro expressae, non adumbratae virtutes, sed ea praecipue, quam Christianorum notam dicit esse Marcellinus, (alii autem Electorum,) singularis humilitas. Hanc comitabantur par charitas, & in rebus gerendis non tam humana, quam multo excellentior prudentia. Theologiae autem si quid initio defuit, id postea studium continens annorum aliquot ab edita professione supplevit: ut jam in homine, qui demum esset Religionis gubernacula tractaturus, amplius quod requireres, nihil esset. Interim ex accepta ab Apostolica Sede potestate rem privatam composuit, ac publicam, & professione vitae novae prudenter dissimulata studuit iis finem constanter imponere, quae Societatis propriorem convictum morarentur, & cultum. Filias in matrimonio, & quidem honestissimo collocavit: filio quaesivit uxorem Comitissae Olivae filiam, quae cum parenti in Comitatu futura esset Haeres, Gandiense patrimonium per se satis amplum, haud exiguo augere posset censu, uti auxerat: nam inter primarias Hispanorum procerum domos, non modo generis nobilitate, verum etiam amplitudine fructus, ea erat habenda familia. Caeterum Franciscus Borgia majores divitias aestimans cunctis Aegyptiorum thesauris, atque honoribus improprium Christi, non magnum aliquid se reliquisse putavit, cum illa reliquit: sed his pro nihilo habitis, de accepto paupertatis munere nunquam se satis Deo gratum fore, quamdiu vita suppeditaret, arbitrabatur. Gandiae ipsis Martii Kalendis rite Apostolicis 1549. recitatis litteris in Templo Collegii, praesente cum sociis Oviedo, & Araozio, & Francisco Rocca Decano Canonicorum Gandiensium, qui Apostolicorum mandatorum executor erat, excitata est Academia, & ejus Rector Oviedus, authore sancto Ignatio, ad quem ea pertinebat electio, publice declaratus. Is inito munere praecipuos eodem in loco designavit. Theologiae tradendae Hieronymum Perez praefecit, doctum plane virum, & in docendi palestra veteranum, commendatarium Monasterii Valentini, Regiae, ac Redemptricis familiae, (quae ob summam erga captivos pietatem titulum promeruit B. Mariae de Mercede,) & sui Ordinis Vicarium generalem. Caeteri Doctores de Societate fuerunt. Ille cum propter famam ad illustranda principia, tum ut sociis in tanta paucitate plus vacaret ad alia munera, lectus est: ac postea quoque interdum Borgiae consilio Philosophiae quidam externi Doctores acciti, ne quem sociorum ea doctrina a Theologico studio retardaret. Deinde aeterni Verbi a Virgine concepti die, Araozius quatuor Religiosis Societatis vota rite nuncupantibus praefuit, cui spectaculo praesens item adfuit tota cum Duce Nobilitas, & a Magistro Perez, quem antea diximus, habita Concio, in qua disertè, & luculenter de Societatis rationibus, institutisque differuit. Eodem die praeter alios ex Nobilitate Dux cibum cum Patribus sumpsit, & caeremoniam illam omni honore, judicioque decoravit. Non omittam dicere, quid eidem accidit, cum ad Araozium salutandi causa venisset: in digressu descendit ad culinam, ubi dum ea submissione se pascit, pastum etiam suum imbecillo paravit Araozio, & par ovorum sua manu coxit, quibus ad Araozium missis, monuit per internuntium

ova illa prima ab se cocta forberet. Ei cum præsens inculcaret Oviedus, quantum Dei munus esset, munera illa humilitatis obire; tantum, (inquit Dux,) ut equidem eo me planè indignissimum putem. Ob hanc insignem humilitatem inter alia superavit, & non semel quidem fallacias etiam visibiles Dæmonis; nam cum nondum personam Ducis exuisset, dum iret cubitum, invenit eum aliquando sub specie Æthiopis, quasi iridentem in lecto. Sed ocyùs etiam inde repellebat eum per signum Crucis Dux, additâ invocatione sanctissimæ Trinitatis. Ita eum timebat dæmon, expertus jam victorias quas ipsi cesserat, ut affirmarit Pater Antonius Alarconius, cui concessa à Deo singularis gratia adversus dæmones, sæpiùs à se obtineri clarissimum subsidium contra hos Inferorum spiritus invocatione beati Francisci Borgiæ; ejusque nomen haud mediocri ipsis esse metui, ac terrori. Cæterum ea ipsius fuit in Ignatium observantia, ut cognita ejus de minuendo sibi precatationis, & pœnitentiæ studio, augendo verò Theologico voluntate, hoc auxerit, & illud minuerit: quamobrem ut huic ultimæ disciplinæ solutiore vacaret animo (nam in cæteris satis jam versatus erat,) recepit se ad Collegium, quod ipse condidit, ubi Theologiæ operam dedit; sed in primis in id intentus, ut cuncta ad sese cognoscendum, despiciendumque revocaret. Cujus studii reverà Evangelici exemplum placet hîc apponere, descriptâ ad verbum Epistolâ, quam cum positionibus, propriæ confusionis Emmanuelli Sa dedit.

Mi charissime frater, vide has positiones, & in eis adde, vel minue, quod melius visum fuerit, quòd si gratæ sint, P. Rectori ostendantur. Utinam omnibus largiatur Deus hujus virtutis gradum, ut aliquando cum Propheta dicamus, pro nihilo salvi facti fumus.

POSITIONES PROPRIÆ CONFUSIONIS.

EX nihilo factus sum. Ad nihilum redactus sum. Quis admirabilem non admiretur hanc demissionem? Nam in Angelici Doctoris doctrinâ eminentissimus Theologus fuit, & ob eam rem assignatus ad confutandos in Tridentino Concilio illius seculi errores, quamvis eò postea non potuerit ire, gravissimis præpeditus negotiis à Quæsitore fidei Generali in Hispaniarum Regnis Vallisoleti, anno millesimo quingentesimo nono, ubi egregiè quasdam eò loci ex Anglia devectas hæreses, insignis sacre Scripturæ Interpres expugnavit, diruitque. Cæterum gradum faciamus ad cæteras ejus conclusiones. *Quid sum ignoro. Si aliquid scio, hoc tantum scio, Infernum domum meam esse.* Problema. *Ex me ipso facio nihil.* Defenduntur die crastinâ à prandio. Adhæc, ut est mirè solers ingenium pietatis, solebat Borgia Theologicarum rerum è sancto Thoma deprompta capita in seriem quasi Litaniarum digerere, ut studium in quandam orandi Methodum verteretur, deque Deo disputatio esset consuetudo cum ipso Deo. Postea verò Divus Ignatius cum Patres antiquiores, & qui cæteris autoritate præstabant, consequente anno in Urbem per litteras, multa cum iis de Societate, & Constitutionibus consultaturus, invitasset; visum est quoque, ut Dux Borgia, (quamquam nondum vestem Religionis induerat) eodem accederet. Hos enim, cum ab Urbe abessent, desideravit convocare Beatus Ignatius, ut cum eis de Societatis Summa conferret, Constitutionesque à se scriptas, & perpolitas, priusquam ederentur in lucem, iis inspiciendas traderet, & Generalis Præpositi sese, ut deindè patuit, abdicaret munere. Patres verò, qui ex Hispania Romam expectabantur, hi erant: Araozius Provincialis, Gandiæ Rector Oviedus, Franciscus Strada, & Jacobus Miron, quibus accessêre alii tres, Petrus Tablares, Emmanuel Sa, & Franciscus Roxas. Hi omnes optanti; petenti que Duci Borgiæ, quem cum cæteris invitatum à D. Ignatio supra diximus, sese comites adjunxêre. Dux autem ut illud adornare iter, ita distribuerat universa, nullo ut incommodo rei, vel publicæ, vel privatæ, Ducis munere abdicare se posset. Cumque se unâ cum filio Joanne Patribus conjunxisset ineunte Autumno, suo egressus Oppido, non sine honesto, nobili que comitatu, (Equites fer-

mè

mè triginta erant) manibus, oculisque sublatis in Cælum, ingenti animi sensu, multisque præ gaudio lacrymis carmen illud Davidicum decantavit: *In exitu Israël de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro: deinde illud ex eodem Oraculo: Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* Induxerat prorsus in animum, nunquam sibi amplius, undè abierat, revertendum; atque huic decreto sic paruit, nullis unquam ut postea, nè tum quidem, quando Pio jubente Pontifice, ejus nominis Quinto, cum Alexandrino Cardinali nobilissima in legatione rediisset, precibus sit adductus, ut Valentiâ, ubi substitute- rant, Gantium brevissimo inde distractam itinere recurreret.

C A P U T V I.

Contendit Romam, sui que odoris suavitate latissime eam Curiam implet.

IAm perpetui ad Urbem itineris ea ratio fuit, ut ejus comitatus, non popularis aliqua multitudo, sed Religiosorum bene instituta Sodalitas videretur: adeo erant omnia ad disciplinam apta, atque disposita. Quotidiè post precationem; eamque benè longam, noxas ipse animi Confessione tergebat. Missæ sacrificio singulari quadam illius mysterii reverentiâ quotidie aderat; Dominicum corpus pio ore, animoque sumebat; ejus cultus, ac vestitus eleganter decenterque compositi, Clerici propiores, quàm sæcularis Ducis erant: quotidianus cibus admodum parcus, isque sumptus semel in die. Nocturnam quietem, cum altior famulos oppressisset somnus, crebræ verberationes interrumpabant. Sed res ea geri tantâ dissimulatione non poterat, quin resciretur à pueris; nam frequenter crepitu excitati plagarum, plagas ipsas sæpè numerabant; quarum constat aliquando fuisse numerum ab eis initum supra quingentas. Tædia itineris mutua divinis de rebus collocutio levabat, eademque vicissitudine cujusdam longioris silentii in precatione interpellabantur. In prætereundis Urbibus, Oppidisque, quamquam sui ipsius despiciendi studio Principum, & Civitatum, quibus erat notus, vitabat occur- sus, ne quid sibi haberetur honoris; consequi tamen non potuit, quin ubique pro dignitate, quacumque iter faceret; exciperetur, præsertim Ferrariæ ab Hercule Duce suo Avunculo, Florentiæque à Cosmo Mediceo Hetruriæ Duce, apud quos, (utpotè tantorum Principum humanitate coactus) dies aliquot diversatus, tandem relictis suæ virtutis impressis ubique vestigiis ad Urbem venit. In eam etiam honestissimum, & celeberrimum contra desiderium, ac decretum modestissimæ mentis introitum habuit. Optaverat quidem, ne quid ingressus ille celebritatis haberet, per tenebras Urbem inire: verum tanta fuit & Cardinalium, & Cæsarei Legati, aliorumque Procerum vis & contentio, ut honorem illum, publicamque gratulationem, vel invitatus admiserit. Prodierunt ei obviam extra portam Cardinales aliquot, & is, quem dixi, Legatus, clarissimusque vir Fabricius Columna eum equitatus flore. Quo comitatu introductus in Urbem, cum & à Pontifice Maximo ad suas ædes, & à Cardinalibus invitaretur; actis vtrisque, quâ par erat humanitate, gratis, non dubitavit Societatis domus paupertatem, humilitatemque; magnificis, splendidisque Principum ædibus anteferre. Habuit Societas domi, Duci, Ducisque familiæ satis commodum conclave paratum, aliquot distinctum cubiculis, & à cætera Patrum habitatione secretum, ut esset aditus ad salutandum Ducem, sine domesticæ perturbatione quietis, & disciplinæ. Huc igitur succedens Dux, ut præstolantem ad januam vidit sanctum Patriarcham Ignatium, confestim ad pedes demissus, ut ferret ejus osculum, & amplexus, præhensaque item ad osculum manu, benedictionem, ut à Patre, Præpositoque jam suo, suppliciter postulavit. Sanctus quidem teneriore quodam animo præ læticia illacrymatus; dulciter eum amplexatus est, rectoque lætabundus excepit; & qui vim admirabilem in eo divinæ gratiæ persenserat, etiam tum animo providebat, quantos editura fructus esset ea recens in Christo proles. Cum ex itinere paululum conquievisset, Pontificem adiit ad

usitatam pedis osculationem, cujus de adventu summus ille Pastor gratulatus, peculiari quadam animi propensione, majore etiam quam ceteros Principes consueverat, eum excepit; singularem ejus pietatem, quam in suscipiendis propter Religionem illius professionis incommodis ostenderat, gravi oratione commendans, simul illud addidit, præclare actum iri cum Ecclesia Catholica, si multos ejus generis Dynastas, ac Principes Francisci Borgiæ imitatores haberet; futurum, ut aliquando illa revivisceret Ecclesiæ nascentis imago, cum olim Imperatores, ac Reges ad sepulchra Principum Apostolorum supplices convolabant. Ad extremum de habitatione suarum ædium ei rursus obtulit: Sed Dux dato iterum pedi osculo supplicavit, ut Societatis apud Patres majoris quietis, & otii gratiâ sibi esse liceret.

24. Relicto Palatio multis Præsulibus, & Cardinalibus cinctus est, cunctis admirantibus ejus eximiam humilitatem, & modestiam. Cujus quamvis de Societate mentem consiliumque ignorarent adhuc, admoniti tamen tantâ animi submissione & splendore virtutum, suspicari facile poterant id, quod erat. Haud minus admirando Religiosis exemplo fuit, ubi ad usum, exercitationemque virtutis suppetebat facultas. Cœnaturis cum D. Ignatio Patribus, repente aliquando unâ cum filio Joanne ministrandi gratiâ linteo parvo præcinctus apparuit, expressaque ejus rei veniâ, convivarum manibus aquam fundere, mensæ dapes inferre, capite nudo, velut è domesticis puer unus esset, totâ cœnâ sedulus ministrare: deindè sublatâ mensâ, rectâ tacitus ad culinam, ut patinas repurgaret, adire. Hoc abnuit tamen Divus Ignatius, præteritis contentus exemplis, & ne laboribus insuetus nimium defatigaretur. Nec minor erat jucunditatis fructus, quem ex usu Patrum illorum antiquorum Dux Borgia, quam is quem Patres ex ejus capiebant exemplo. Confestim Beato Ignatio, ut jam antea per litteras fecerat, se totum dedit, & addixit; sui que pectoris arcana, uti diu vehementerque optarat, aperuit: cum eo de sua precandi ratione, de pœnitentiæ genere, de toto suæ vitæ cursu statuque contulit, ut ejus ductu, nutuque in susceptis vitæ rationibus regeretur, ac de Societatis moribus, institutisque propius jam, uberiusque cognosceret. Ut autem satis sibi consuluisse, quotidiano S. Patris usu, colloctioneque visum est, adjecit de eo, quem semper iniverat, Societatis incrementa procurandi animo; atque ut in itinere, quod ad Urbem habuit, nullas unquam ejus augendæ, ornandæque prætermisit occasiones. Nam & Genuæ, illius Urbis Antistitem, & Ferrariæ, Florentiæque Duces, suis ut in Urbibus Societatis Collegia constituerent; Bononiæ verò Sedis Apostolicæ Legatum, ut inchoati Collegii initia promoveret, hortatus est. Sic in ipsa Urbe de Romano fundando Collegio, (quod sanctus Pater multis nominibus vehementer optabat,) suisque eo instruendo redivitibus cogitare sollicitè, studioseque cœpit. Cujus ut initium primus ipse faceret, sex circiter aureorum millia subito numeravit, ac postea à Maximo Pontifice, ut certos ei proventus attribueret, contenderat. Quapropter ejus tam egregiâ voluntate adductus D. Ignatius, non dubitavit offerre ipsi Fundatoris titulos, & honores, quos tamen ille modestissime recusavit; quod diceret, satiùs fore ejus honorem nominis alteri reservare, qui per suas facultates posset illud aliquando uberiore fulcire proventu. Pati studio, cum domus Professæ Templum perangustum, nec concursus quotidiani capax, animadverteret, statuit ædem ampliorem à fundamentis extruere, ad quod conficiendum opus, Esquilacensem Episcopum, Borgiæ genti amicum, induxit. Hic simul cum Duce, Divoque Ignatio ei primum lapidem ritè jecit. Quod ædificium licet postea pro alio meliore situ fuerit prætermissum, non idcirco suo apud Deum Ducis pietas merito, præmioque caruit.

C A P U T V I I.

Redit ad Hispaniam, & natale solum Divi Ignatii visitat.

HAud multò post, cùm jam aliquamdiù Romæ Dux Borgia confedisset, & pia 25.
 Urbis loca, Martyrumque rigata sanguine lustrasset, haud dissimulandum diu-
 tius putavit occultum suum de ineunda Societate consilium, & de nitore vestium, & 1551.
 ornatus unà cum fortunis, Ducisque titulis deponendis. Ejus rei Gasparem Villalonum,
 honestum Equitem, cum litteris in Germaniam ad Cæsarem misit, ut ejus voluntate si-
 bi liceret Gandiæ Dominatum, ac ditionem Carolo filio natu maximo tradere. Dum
 responsum affertur, serpere primùm obscuris rumoribus cœpit, deindè etiam totâ Urbe
 dissipari consilium Ducis, ut jam de eo in Cardinalium Collegium cooptando, ne tan-
 tum lumen sub modio delitesceret, Julius Pontifex cogitaret. Quod ubi Dux rescivit,
 perindè ad id expavit, ac passim alii exultare, triumphareque solent. Ergò Beato Igna-
 tio authore decrevit è conspectu Pontificis properè se subducere, ac celeri in Hispaniam
 reditu se recipere. Sed priusquam inde avelleretur, exoravit à sancto Patriarcha, sibi ut
 liceret in communi cœnaculo cibum cum cæteris Patribus sumere, ubi cum princeps ei
 locus, ut par erat, in accubatione datus esset: is postea, ut hoc quidquid erat honoris,
 pari humilitate compensaret, extorsit precibus ab eodem, ut in humillima omnium
 mensa, quæ pœnitentiæ nomine in medio Cœnaculo sterni solet, sibi unà cum filio suo
 Joanne, nonnullisque aliis amicis liceret accumbere. Hic ad majorem animi demissio-
 nem, ut ejus pietati mos gereretur, super mensam objurgator inducitur, qui (de more
 disciplinæ) Convivæ pœnitentis errata, noxasque perstringeret. Accessit ad hoc exem-
 plum egregia Ducis humanitas in excipiendis omnibus lautissimo convivio, Dei Matris
 Purificationi festo sacroque die. Quo tempore mensis ipse cum filio, aperto semper ca-
 pite, (itâ fecit ipsi copiam tot devictus precibus D. Ignatius) ministravit; sed dum ni-
 mio inter sese ardore Pater Filiusque ejus ministerii haud sanè multum periti decertarent,
 Joannes casu fictam ex argilla patinam fregit. Qui ne paternæ humilitati cederet, non
 dubitavit id quod in Societatis moribus animadverterat, recentem errati culpam ad coqui-
 nutum cunctis enuntiare convivis, & suæ inconsiderantiæ quodammodo præco fieri.
 Atque his aliisque multis tum Societati relictis præstantissimis genitor & proles documen-
 tis, veniaque à sancto Ignatio cum Paterna benedictione acceptâ, post charos singulo-
 rum amplexus, valedictionesque solemnes, in Hispaniam, undè excefferant, eodem equi-
 tatu, comitatuque, Patrum etiam aliquot adjuncto solatio, remigrarunt. Post Ducis
 ab Urbe discessum ducta sunt primordia Collegii Romani duodecimo Kalendas Martii,
 conductis in eum finem perangustis ædibus ad Arcis Capitolinæ radices, quo in primis
 è Professorum domicilio numero tredecim Religiosi, & qui eis præesset, Joannes Pelle-
 tarius, commigrarunt. Alebatur is numerus subsidiis, quæ ipsis Dux reliquerat, qui
 cum in Cantabriam Hispanorum Provinciam venisset, de natali D. Ignatii solo sollicitè
 percunctatus est; ejus incunabula Religiosè invisere, & stratus humi prima nascentis ve-
 stigia, piè osculari cœpit; tum immortalis Deo, quòd talem inde virum terrarum Orbi
 edidisset gratulari, simul orans atque obsecrans benignissimum Numen, ut quem sibi
 vitæ ducem, ac Magistrum dedisset, ejus quoque virtutes, ac sanctitatem liceret imi-
 tari. Deindè Ognatum venit, Oppidum à Loiolæ solo passuum millia ferè duodecim,
 ubi Petrus Michaël Araozius, Antonii Patruus, nullâ aliâ susceptâ prole moriturus, ædes
 quasdam cum suis fortunis ad ædificandum Collegium legaverat.

P A R S Q V A R T A.

De singulari omnium virtutum exemplo, quod in vita Religiosa ediderat.

C A P U T I.

Remittit Principatui, Societatisque JESU veste induitur: tum demum Sacerdotio initiatus, rem sacram ingenti populorum concursu facit.

26. **I**nterim Cæsaris litteræ à Gaspare Villalono, quem ad eum missum supra demonstravimus, perferuntur ad Ducem, in quibus Cæsar collaudato ejus consilio ac pietate, quippè qui se à rerum humanarum strepitu in Religiosæ vitæ sinum, portumque vellet recipere, potestatem faciebat cedendi ditionem Carolo filio: quo allato nuntio, ingenti quodam Franciscus gaudio delibutus, domesticum ingreditur Oratorium, & ad Christi è Cruce pendentis pedes suppliciter advolutus, se, suaque omnia verbis ardentissimis, atque amantissimo corde Deo consecrat. Inde ab oratione digressus tabelliones advocat, & per publicas tabulas suum Carolo, qui tum ab erat, Principatum tradit, seque universis vitæ hujus spoliat bonis. Confectis his tabulis, tanquam gravi onere jam liber respirans, festinat ad optatos sanctæ paupertatis amplexus: Ducis ponit insignia, & cunctas prioris hominis vestes sancto ardore & gaudio, 1551. veluti singula Deo reddens, & sacrificans, exiit: tum pauperem Societatis habitum, & talem tunicam induit, barbam de more tondet, ac proximè initiandus summum verticem radit. Dum intuerentur hæc domestici, fluebant ex omnium oculis ubertim lacrymæ, perindè quasi jam suum Dominum efflare animam conspicerent; abradique capilli reliquias, quas sibi in thesauris haberent, ac reconderent, furtim legebant. Sed Franciscus jam penitus quasi vir novus, denuò in privatum Sacellum incredibili animi voluptate se abdidit. Et ut aliam se personam jam gerere, aliumque induisse cultum, quem tam diu, tamque ardentè optarat, animadvertit, ad eandem Redemptoris effigiem devolutus in genua, ingentisque Deo grates, quâ majori vi posset, quòd eâ se luce, menteque donasset, ut rebus humanis valere jussis in tam sacram familiam, militiamque traderetur, persolvit. Postea suos famulos amicè dimissos, partim Joanni Borgia in clientelam dedit; partim Carolo Duci per litteras commendavit. Hic oratione vix consequar, quanta esset tum in Francisco animi, mentisque tranquillitas; quanta jucunditas, quam inusitata gaudia illud clarissimum pectus pertentarent, ubi sese Ducis onere, & speciosis titulis levatum senserat. Tum demum sibi ipsi reddi, tum 1551. suus esse videbatur: tum apertum, & expeditum esse iter ad Deum, verius ut eum posset colere, eique se totum ac penitus tradere. Quod ut ardentius faceret, Sacerdotio initiari non abnuvit, & ad obeundum pro dignitate tam grave munus, multâ se prece ac meditatione, etiam corporis afflictione limavit. Sacrificii quoque ritus, legesque ad amissim didicit, ut nihil non ritè, nihil non Sanctorum more institutoque perficeret. Tum Loiolam Religionis ergò, pietatisque contendit, & in privato sacrario, quod 1551. ejus loci Domini ad rem sacram ornarant, primum suum Kalendis Augusti, sine cantu aut Musicis sacrum fecit: alterum verò solemni ritu coram frequentissimâ multitudine Bergaræ, (qui locus distat à Loiolæa domo passuum millibus ferè sex) non in æde sacrâ, quantumvis ampla; sed in Campestri loco, ne turba novi Sacerdotis conspectu privaretur. Eò enim ingens Provincialium multitudo confluxerat, partim commendatione famæ sanctissimi Viri, partim amplissimo ducta Jubilæo, quod à Julio Pontifice III. impetraverat sanctus Ignatius iis, qui confessi per pœnitentiam culpas, ac sanctissimâ refecti synaxi, sacris illis adessent. Tot accesserant, (rarissimum quid illis temporibus)

bus) ad accipiendum de ejus manibus Christi Corpus, ut Sacrificium quod tempori suo inceptum erat, ultra meridianam horam extraheretur; sequuta deinceps Concio à novo item habita Sacerdote, eaque perattentis praesentium animis, fusiisque obortis lacrymis excepta. Quamquam autem plerique, vix dicentis vocem, quia longè aberant, assequi poterant, neque Castellani sermonis, quo Dux utebatur, vim satis percipiebant; rogati tamen, cur effunderentur in lacrymas ignari idiomatis, respondebant haud abstinere se suspiriis ac lacrymis posse, edito tam raro spectaculo Ducis sancti imitatoris Christi; seque voces quasdam intus accipere, quæ quodammodo ejus essent orationis interpretes. Haud impotentiùs sanè hauserat eà tempestate solatium beatissimus Pater ex nuncio, quo cæli eum ditaverant de æterna felicitàte Eleonoræ suæ olim Consortis, & Uxoris. Nam dum impensius insisteret orationi, multisque se rigaret lacrymis, tum fortè ingressus cubiculum Joannes Borgia ejus filius, propius ad ipsum accessit, cum cerneret nihil sibi dici ab effuso in lacrymas Parente, procubuit in genua præstolaturus quid de se vellet. Absolutâ tandem oratione, respicit filium Parens, dicitque; maesti simus animo, Joannes; jam collocutus sum cum Ducissa tua Matre; quæ ultrò tibi impertivit læta, & gloriosa suam benedictionem; referat ipsi grates pro tam magno Maternoque beneficio. Existimant hic alii quidam, tum etiam eum prædixisse ipsi filio futuram ejus æternamque salutem: ut, ut res fuerit, ad eandem Dei clementiam atinebat propriam huic suo obsequentissimo famulo exponere prædestinationem, qui alienam tam amanter significaverat. Haud contemnendi testes Septimancæ perhibuere, audivisse se à Patre Bartholomæo Bustamantio, doctissimo sanè, ac sanctissimo viro, hæc verba: Hodie jucundissima nova acceperat P. Franciscus Borgia, quibus nihil ampliùs in hac vita hilaritatis adjungi possit. Dicentibus autem, qui casu tum aderant, tam læta nova alia esse non potuisse, quam de ejus futura gloria, ac beatitudine. Sat est, inquit Bustamantius, ego ausim tantummodo dicere, haud posse optari meliora. Nec mirum id declarasse Bustamantio B. Franciscum; quoniam non solum cum præ sua humilitate ut spiritualem Patrem, verum ut Religiosissimum etiam virum, ac sibi amicissimum venerabatur.

C A P U T I I

Religionis tyrocinium init tam cælesti vitâ, ut à Maqueda Duce, Navarræ Prorege, invitetur, ut de gravioribus rebus inter se conferant, ejusque haud potens obsistere precibus, Pompeiopolim contendit.

INITO jam Sacerdotio Franciscus, ac Societatis JESU Religiosus declaratus, interiorem adhuc recessum, ac solitudinem, quò ardentius studia pietatis, ac pœnitentiæ coleret, adamavit. Ergò secessum (qui haud procul inde distat) Beatæ Mariæ Magdalænæ sacrum ab Ognatensibus impetravit. Hic humiles, & perangustas ædes, uti paupertatis ferebat amor, è rudi stipite atque impolito construxit. Hic die nocteque orationi incumbere; hic suas strenuè cupiditates frangere; hic corpus & animum pariter edomare, studere humilitati, & omnes numeros perfectæ sanctitatis explere. Factâ autem à Michaële Ochoa, qui Sociis præerat potestate orsus est coquo domestico famulari, atque alia ejusmodi munera non fugere; purgare lebetes, & ollas, pavimenta verrere, comportare aquam, focum construere, nihil non suâ manu obire, nihil horere. Deindè universis humilioris illius Officinæ scitè compositis veniebat in cœnaculum, ut suis fratribus ministraret, quorum & pedes sigillatim osculabatur, & veniâ suis exorâtâ delictis, cujusque preces suppliciter ambiebat, & ne domi tantum foret humilis, impositis humero manticis, manui dextræ scipione, lætus & alacer exibat ad colligendam stipem ostiatim per populum. Quo spectaculo exciti viri, sceminæque, (seu quia de facie notus à plerisque jam erat, seu quod ejus fama jam cuncta ea loca compleverat)

promiscuè ac certatim ex ædibus advolare, & panem prius osculati, cum illi porrigere, reposituræque ab eo benedictionem, & orationum suffragia. Summâ interdum alacritate cum tintinnabulo vicos, & finitima rura circuibat ut puerorum coacto gregi Christianæ legis enuclearet initia. Docentiq̄ue non modò puerilis, sed sæpè etiam adulta, & corroborata ætas, quacumque ingrediebatur, operam dabat. Tale vitæ genus, & institutum, singularisq̄ue viri virtus diu latere non potuit. Celebrata ubique ita ejus fama, ut eâ etiam viri Principes invitati, non dubitarent per litteras ab eo pro sua salute preces exposcere. Bernardinus certè Cardenas, Dux Maquedæ, & in Regno Navarræ tum Prorex, vir clarissimus, epistolâ ad eum exaratâ, pergratum sibi fore significavit, si de rebus quas ad animi sui commodum, quæq̄ue ad Regni illius administrationem pertinerent unâ conferrent. Cui Borgia, ejus se studio deesse non posse, nec recusaturum, quo minus ipse Pompeiopolim se transferret: quod perfecit quidem: nam vix remissus est nuntius, cum ad eam Civitatem adornavit iter uno vel altero comitante Socio; cumq̄ue ad Ducem pervenisset, & liberali (licet invitus) exceptus esset hospitio, sanè multas cum eo horas post usitata salutationis officia colloquendo consumpsit. Sed quoniam fidenter veluti discipulum se prebuerat Prorex, operæ non pepercit Franciscus, neque verecundiæ suæ paruit, ingenitæve modestiæ; sed liberè & audacter amicus amicum, & ultrò se credentem, tum ad eos, quibus imperabat regendos, tum ad obeundas Christiana cum laude Proregis impositas partes, luculentissimis præceptis instruxit; & hæc ita roganti Proregi in scriptis postea reliquit. Deindè Prorege comite, (nunquam enim ille à Patris latere discedebat) variis in Cœnobiis ac locis Conciones habuit: quod ipsum in itinere non semel fecerat. Non his finibus Borgiæ fama se tenuit: peregrinata longiùs, in Lusitaniam penetravit. Nam inde à Ludovico Regis Lusitanorum fratre, & Imperatricis Isabellæ Germano, litteras plenas laudis, & gratulationis accepit, quod id esset salutis iter ingressus, quo pluribus exemplo esse posset, & admirationi. Pugnam 1552. dum pro viribus Societati fuit hoc anno, ne Franciscum sibi honores eriperent, quos consultò fugitantem, ex oculis se subduxisse Pontificis, & in Hispaniam remeasse, ibiq̄ue Ducis positâ, religiosæ humilitatis assumpsisse personam satis jam demonstratum est.

C A P U T I I I.

Ejus sanctitatis ubique celebratâ famâ, Cæsar postulat ipsi à Pontifice sacram purpuram: sed exitu frustrata res Divi Ignatii prudentiâ, laboreq̄ue.

28. **I**Ta sanctissimè instituta vita, ac longè lateq̄ue celebrata sermonibus, Imperatorem Carolum impulit, ut à Julio Pontifice postularet, talem ut virum, tam illustris exempli, tantæque sanctimoniæ debitis præmiis, nempè sacrâ purpurâ decoraret. Nec id difficile fuit Pontifici, qui jam antea in eam ipse mentem, sententiamq̄ue venerat. Ergò Cæsar accedente judicio, ac voluntate, Franciscum absentem, in angulisq̄ue Cantabriæ delitescentem, referre in purpuratorum Patrum numerum constituit. Quod ubi audivit sanctus Ignatius, oportere censuit rei quàmprimum occurrere, & omni providere ope, ne tam longè progressa perduceretur ad exitum. Ante omnia ad exorandum Deum tridui spatium sibi sumpsit. Quo tempore quotidianis domi precibus, ac sacrificiis indictis, sentiebat se interdum, veluti timere obsistere petitioni tam excelsi Principis; interdum verò trepidationes illas, hæsitationesq̄ue diminui, dum ad extremum die tertio omni trepidatione sublatâ, tantam fuerit consequutus tranquillitatem, ut omne studium, & operam interponendam decerneret, ne res ad exitum proveheretur; idq̄ue à se prætermitti salvâ prorsus Religione non posse; cum tamen fieri posse judicaret, ut etiam, qui contra sentirent & agerent, ad id sine dubio incitarentur sanctissimâ intentione; neque hac in re ullam repugnantiam inveniri. Quod disciplinæ spiritualis rudioribus utile documentum est, ne faciliè alteram partium condemnent, de
una

una eademque re promovenda, disturbandave inter se certantium. Nam tatietsi exitum fortiri non possit utraque pars; fieri tamen potest, ut Deus velit pro se utramque conari. Quamobrem sanctus Ignatius, eâ, quâ erat sanctitate ac prudentiâ, Cardinales aliquot, qui Societatis causam agerent confestim adiit; utque eos in suam sententiam perduceret, conscios fecit maximi detrimenti, quo infirmari posset Societas ejusmodi honoribus. Deindè facilem nactus aditum ad Pontificem coram de causa, tamque prudenter & efficaciter peroravit, ut prorsus orationi acquieverit summus ille Ecclesiæ Princeps. Eò tandem devec̄ta oratio, ne honor ille deferretur invito, offerretur quidem si placeret; recusans tamen nullo urgeretur imperio; scilicet quod eâ ratione, & Cæsari; & Cardinalibus, quibuscum de ea re agebatur cumulativè satisfieri posset; & ipse porrò Borgia, Societasque omni curâ liberaretur. Pontifex Ignatii auctoritate æquè ac rationum momentis impulsus, in eam rem fidem dedit, & præstitit. Nam & purpureum Galerum obtulit Borgiæ, & invitum nullo coëgit imperio. Securus in Ognatensium recessu tum Borgia, & nihil de re suspicatus, sibi Deoque vacabat; cum tristem illum & inexpectatum ab Urbe nuntium accepit. At cum tam longè provectam Pontificis voluntatem videret, ingemuit; proptereaque, qui vestium squallorem, Religiosique cultus humilitatem cunctis purpuris præferebat, lacrymabundè indoluit. Sed lætior à sancto Ignatio nuntius, qui rem suâ jam industriâ, ac labore discusserat confestim perlatu, tristitiam omnem mœroremque deterisit.

C A P U T I V.

Iterùm oblatam purpuram effugit, aliosque suo exemplo movet amplissimos Viros ad Christi jugum, & paupertatem.

Non hoc unum perspecta viri virtus, ac singularis sanctitas discrimen evasit. Ille ipse Pontifex Julius eum iterùm in amplissimum illum Senatuum Philippæ Hispaniarum Principis postulatu referre jam decreverat. Cum ea de re Borgia acceperat à Poggio Cardinali Sedis Apostolicæ Legato, Philippique ad eam rem conficiendam interprete atque adjutore, suâ & oratione, & constantiâ Cardinalis animum ita flexit, & quò voluit adduxit, ut ille ipse magnoperè Author Philippo Julioque fuerit, ne Dei famulum, qui è mediis vitæ curis, & humanarum rerum strepitu ad optatissimam quietem, & silentia solitudinis se receperat, inde abstraherent, ad eaque rursus, quæ nuper tam studiosè fugerat, quodammodo adigerent.

In Cantabria continebat se Beatus Franciscus Borgia studio tantummodò sanctitatis intentus, licet ex umbra illius recessus Ognatensis prodiret subindè in solem, ac pulverem, loca finitima pererrans, ubi proximorum salutè propè incredibili fructu subvenerat. Effundebatur statim in omnium oculos splendor ejus paupertatis, humilitatisque fulgor; in aures autem, animosque vox urens, & ad pietatem incendens: in paupere cultu victum sibi precario quærebat; pedibus iter, & scipionis adminiculo faciebat, nunquam linguæ parcens, sive ut Deo laudes, & dulces hymnos caneret, sive ut ad omne officii decus populos inflammaret. His velut calcaribus etiam è longinquo incitati complures, qui splendore generis, & litterarum eruditione præclari, spretis humanæ vitæ commodis, & nuntio libertati remisso, Cœnobiorum subite jugum, & Christi paupertatis incommoda non dubitarunt. Atque ut eorum manum mittam, qui cæteras replevère familias, Societati certè, nec pauci, nec contemnendi dedere nomina. Nam & ætate ingenioque florentissimi juvenes, & maturâ gravitate viri multis ornati litteris, ac laude, venerandaque canitie Senes, sese Ognatam ad Borgiam, ut cum eo vitam degerent, contulerunt. In his fuit Antonius de Cordoua, Laurentii Figueroæ, & Catharinæ Fernandiz de Cordoua, Feriæ Comitum, & Marchionum de Pliego filius, vir non modò genere, sed etiam virtute clarissimus, & Borgiæ nostri Consobrinus, qui studio

studiorum causâ Salamanticæ tum morabatur ejus Universitatis Rector: qui honos, nisi Nobilioribus, nulli alteri dari solet. Hunc, cum indies esset auctior meritis, ac virtute, statuit etiam honoribus augere Hispaniarum Princeps Philippus; ejusque commendatione Cæsar, ut in Cardinalium numerum legeretur à Julio Pontifice postulavit. Jam illuc Julii voluntas incubuerat, cum unus ipse dissensit Antonius; eaque super re D. Ignatium fusissimè consuluit. Datis ad Urbem litteris accidit, ut Salamanticam veniret Borgia. Ejus exemplis, ac sermonibus devictus Antonius, non expectato D. Ignatii responso, Deo vocanti cessit, despiciensque humanas glorias; ac requirens æternas, Societatis humilitatem multò potiolem esse fluxis titulis duxit, & amplexus est. Eodem fermè tempore è præstantissimi Concionatoris Joannis Avilæ disciplina migrarunt ad Societatem Jacobus Guzmanus, & Gaspar Loartes: eademque vitæ rationes suscepit Bartholomæus Bustamantius, Insignis Theologus, & Concionator; is, qui Joanni Taveræ Archiepiscopo Toletano fuerat à secretis; & gravissimis in tractandis negotiis admodum peritus. Hic ille, ut ipse postea non sine teneriore pietatis sensu commemorabat, veluti voce quadam interiore; ac vehementiori impulsu, se moneri sensit; ut in Guipuzcoam sine cunctatione proficisceretur, & quod à Beato Francisco Borgia fieri animadverteret, (de cujus recenti vita nondum planè cognorat) id ipse suis moribus conaretur exprimere. Fuit hæc vox cælestis in auribus Bustamantii tam efficax, ut haud morâ cæteris negotiis posthabitis, Guipuzcoam petiverit. Quò cum esset ingressus, ubique reperit Borgiæ sanctitatis impressa vestigia, & suavi ejus velut odore omnia redundare. Ad Ognatensem deinde recessum ultra progressus in Borgiam ipsum incidit; lapides, & cæmenta ad ædificium convehentem. Hinc ipsi consilium suum exponit, hinc totum animum, & pectus aperit, dimissisque illicò famulis cum eo permanet; dein in Societatem receptus, complures annos ipsi Beato Borgiæ, cum in ejus itineribus, tum in explicandis conficiendisque negotiis magno usui, ac levamento fuit. Nec mirum quidem tot commoveri eos suavitate virtutum, quâ ubique flagrabat Franciscus, cum multos alios quoque postea in admirationem duxerit Prophetico spiritu, & miraculis. Avebant Angela Juliana Aragonia, Ducissa de Frias, & Maria de Velasco Comitissa de Ossorno, dum Matritum vocarentur quædam Gandiensium Monialium, scire, quænam essent. Hac curiositate interrogarunt Beatum Franciscum, quas opinaretur laturam inde secum sororem Franciscam Jesu, (eo celsissimo titulo dicebatur Abbatisa, Amita ipsius Patris) ipse autem admodum compositè: ni fallor, inquit, venient utraque amita; Marchionis Deniæ soror veniet; atque in hunc modum nominavit cæteras perindè, quasi interesset capitulo, quo electæ sunt. Tum pusillum cogitabundus, & veluti orans. Statim autem longissimè sublato dolore, subjunxit; probè sanè vellet soror Francisca mea amita, ducere etiam cum reliquis parvulam Dorotheam, (hæc ipsius Patris filia erat) sed jam longiori ab ea intervallo distat; pulchrioribus Regnis donata est. Haud multis autem interjectis diebus exceptus nuntius, qui eodem ipso modo omnia retulit, uti præmunita fuerant à Patre.

C A P U T V.

Lusitaniam cogitat; & manifesto vitæ discrimine liberat Patrem Bustamantium in itinere. Per honorificè tandem exceptus à Principibus illius Regni, Dei amore eos munit, inflammatque.

31. **A**Nno sequenti, illius sæculi quinquagesimo tertio, Lusitanæ Rex, Joannes tertius, maximus Societatis Protector, & columen; ejusque uxor cum Principe, Regiisque fratribus, quod jam diu ingenti tenerentur desiderio videndi in suo Regno virum, cujus sanctitatis, & virtutum fama per universam Europam, & præcipuè per Hispanias celebrabatur, à Societatis moderatoribus impetrarunt, ut Beatus Franciscus Ulissiponem contenderet. Ille ut piissimis Regibus, ac de Societate tam bene meritis
- totem

morem gereret; adhibito sibi socio Patre Bartholomæo Bustamantio, lentissimam illam viam inivit.

In itinere dum præruptum è saxi montem superat ultra Mundæ fluminis ripam haud 3 2.
ita Conimbricâ procul, præitque in Oratione, ac divinarum rerum contemplatione; sequitur Bustamantius sertum è globulis manu versans, atque ad eorum singulos Dei Matrem ex usitata forma salutans. Sed dum hic perangusto tramite loco sanè lubrico, & scopuloso securus obequitat; mulâ repentè prolapsâ, ambo in præceps per rupes, aspectu ipso formidabiles, devolvuntur. Magnæ tum Bustamantio tenebræ, magnus per oculos error: cæterùm adeò sibi ipsi constirrit, ut dulcissima JESU & MARIÆ nomina maximo affectu imploraret. Beatus Borgia ut clamantem socium, & Viatores quoque ac Pastores, qui ad horribilem Bustamantii casum clamores illicò sustulerunt, exaudivit: converso capite socium per salebras despicit volutabundum, atque unâ quidem cum mula sursum deorsumque præcipitem ferri; tum elevatis ad Cælum oculis, ac de chari focii periculo dolens; JESUS, inquit, tibi præstò sit: & tu Pater misericordiarum hominem protege. Vix hanc Borgia præcem fudit, cum ipso temporis momento constitit loco tam arduo prolapsus eques, ut admiratione propemodum obstu- 1553.
pescerent, qui miraculum spectabant. Inventus est illæsus, & integer Bustamantius, unâ cum mula, suspensa è manibus virginea, quam dixi, corona; is, quem jam fractum, ac comminutum omnium ferebat opinio. Qui cum emergere tanta ex voragine per se non posset, inde sublatus est à viatoribus funium adminiculo, divinam identidem prædicantibus clementiam, quæ illum tanto in discrimine salvum incolumemque servaverat. Non tulit videlicet Mater illa misericordiæ, quæ sæpè etiam occurrit miseris non vocata, supplicem suum tot se salutationibus invocantem, in tam præcipiti lapsu, tantaque ruinâ perire. Et verò ille tam præsentis mortis effugium ejus potissimum tutelæ, deinde Beati Francisci Borgiæ precibus tribuebat. Quo defuncti periculo, quod reliquum erat itineris absolutum; tandem pridè Kalendas Septembris Ulyssipponem perveniunt. Quo die Lusitaniæ Rex è suis familiaribus unum, qui Borgiam suo nomine salutaret, & alium, qui item pro Regina eodem fungeretur officio præmiserat. Proceres deinceps, Curiaque Principes ultrò ad eum salutandi, gratulandi que causâ prodierunt. In iis Ulyssipponensis Antistes, & Apostolicus Nuncius, Averi Dux, & Ducis Brigantini Fratres. Postero autem die invitatur à Regibus ad colloquium. Ad ejus ingressum Rex pariter & Regina consurgunt, & perbenignè aliquanto spatio ad eum excipiendum occurrunt. Ac Rex sanè sibi detraxerat pileum; quem honorem ne aliis quidem unquam infra regias Personas exhibebat: ad benignitatem addidit, ut protinus assideret; quem honorem deferebat ipsi, ut viro sancto, qui que, quæ cæteris in delicio sunt, tam generosè procul caverat ipse pedibus: vicit tamen humilitas ac modestia Patris, ac de more gentis Regem ex genibus alloquutus est; nec unquam, quamvis sæpiùs jussus consurgere, & in sella ad id parata sedere vir urbanissimus tulit. Nec minus honorificè postea Regina, cæteri que Regii Principes eum exceperunt. Cum autem idonea Ludovici suavissimi viri (qui Regis erat Frater) natura ad Borgiæ dulcedinem accessisset, adeò ejus usu & consuetudine ad virtutem sibi aditum aperuerat; ut de ineundo eodem vitæ genere, remittendoque protinus rebus humanis nuncio, planè decreverit. Verùm propter imbecillitatem, contractamque valetudinem sancto Ignatio, Borgiæque visum magis è re divina fore, si in Aula adhærens Regi, cæteris suo præluceret exemplo. Sed quamquam ad Societatem se adjungere pro voto non licuit; perinde tamen vitam egit, ac si ex ea esset, omni posito fastu, omni Regio apparatu, omni splendore familiæ, castimoniam paupertatisque vota pro sua conditione, statuque: præcipuè verò obedientiæ divinas erga leges, ac præcepta suâ sponte suscepit. Erat in præca-tione frequens; in virtutis pietatisque muneribus assiduus; sibi austerus, erga alios benignissimus; modestus in omni vita; & quod maximum est in viris Principibus, humi-
litas

litatis commendatione perspicuus. Cùm in vicum, ubi degebat Confessionis causa Sacerdotem accerferet, mandare puero consueverat, ne quemquam certum è Patribus nominaret, sed tanquam homini privato, unìque de populo, sibi unum aliquem postularet. Fundebat subinde lacrymas, ita secum ipso loquens; quid mihi tandem fiet, si supremo iudicii die puer hic Æthiops, ac mancipium cælum mihi præripiat detrudendo me ad Inferos? Aut certè jam consilio sit; si plus apud superos iste minus eruditus quàm ego palmæ consequatur, & gloriæ? Totus hic in Ludovici pectore ad insignem Religionem ardor, initium, aut certè incrementum duxit à Beato Francisco Borgia. Verùm ut quæ huic Beato Patri propria sunt prosequamur; aliis compluribus Regis in illum amoris, & observantiæ significationibus prætermisissis, ut ex tanta benevolentia fructum aliquem reportaret, Reges ad propagandum Dei cultum in suis Regnis, & colenda pietatis munia aptis admodum cohortationibus inflammaverat. Illud autem jucundius ad alendam in Regia familia venerationem erga Beatissimam Virginem, ex suæ pietatis excogitavit genio. Deiparæ Natali die multis in schedulis varias ejusdem virtutes ac laudes scribebat egregiis cuique virtuti. appositis precandi formulis. Dein aliis in schedulis numero paribus Matronarum, ac puellarum, quæ in Principis versabantur obsequio, scribebat nomina. Eductis schedulis, quam cuique fors dedisset, totis deinceps octo diebus jubebatur è concepta in ea formula præcem quotidie fundere ad Dei celsissimam Matrem. Quod inventum cum mirè arrisisset Regina, Borgia, qui immensâ quadam cupiditate flagrabat invitandi cæteros ad virtutem, pro mercede poposcit, ut cum mater esset Princepsque familiæ, placeret cum universo Palatio ad honorem Virginis animum repurgare per pœnitentiam, & alimentis deinde cælestibus refici. Quod cum facile impetrasset, ipsemet lectus ad id Sacerdos, priusquam divinam hostiam inciperet distribuere, breviusculam orationem, sed ardentem habebat; quæ vis ejus, quem manibus sustinebat; quæ ejus Majestas, & sanctitas; quanta etiam suscipientium imperfectio & humilitas. Quæ verba eo prolata sensu ac tempore ingens sequebatur audientium motus. Ab eo autem tempore in illius Principis familia singulis hebdomadis, vel minimum post quindecim dies sacram Eucharistiam frequentari cœptum est. Ea erat totius Regiæ fervor ac devotio, vix ut alius per eos dies misceretur inter aulicos sermo, nisi de Deo. Cæterùm ut eo constantior, ac diuturnior esset concepta flamma, inter Borgiam, Reginamque convenit, Principemque Joannam, ut diebus festis Societatis Sacerdos aliquis ad exponendam Christianam doctrinam invitatus accederet, uti statim introducta consuetudo diu postea tenuit.

C A P U T V I.

Totius Hispaniæ Lusitaniæque Commissarius constituitur; quo egregiè munere desungitur.

33. **C**Um res adeò ubique prosperè cessisse Beato Francisco S. Ignatius videret; indigereque statum, quo tum incipiebat Societas tam eximio strenuoque viro, totius eum Hispaniæ ac Lusitaniæ Commissarium designavit. Quod ille munus ut effugeret, plurimas rationes attulit; sed obedientiâ coactus est oneri, quod præcipiebatur cervicibus, humerosque supponere. Ad eum scripsit Divus Ignatius laturum Deum opem: studeret itaque in eo munere ad sanctitatem proventumque Societatis incitare suos, visitare Collegia; eadem augere; quæ inchoata jam essent, absolvere; nova verò ibi fundare, unde plus ad Dei gloriam, animarumque salutem fore videret fructus. Quod autem
1554. superesset temporis id in Regum Aula tradideret; nempe quod ex ea sede facilius cum suis Provinciis commercium habere posset. Quod nominatim Sanctus propter eximiam viri humilitatem, quâ solitudinem quærebat & latebras, adjecit. Huic tam singulari mandato Franciscus, ut erat obsequentissimus, ne verbo quidem ausus est respondere:

mo-

modestè paruit, & onus Commissarii, quod imponebatur, alacer subiit. Verùm cum intelligeret crediti sibi gregis reposcendam tandem à Deo rationem; mirùm, quâ diligentia, ac viribus incubuit officio. Jam cum se sibi & cæteris præesse videret; nec haberet, à quo detineretur in mortificatione, & fervore; solvi cœpit fusioribus habenis in corporis macerationem, in jejunia, verberationes, cilicii, rerumque asperiorum usus, adeò ut haud impotentiùs officeretur salutì. Qua de re monitus sanctus Ignatius scripsit, ne id ampliùs suo, sed alieno ageret arbitrio. Non facilè dixeris, quàm è re Cælesti, Societatisque fuerit Beati Francisci electio; tum enim temporis facta est, cum Societas tenera adhuc & perpusilla erat, nec à paucis divexata; cujusmodi solent esse, quæ in virtutis via tacitis ac levibus oriuntur initiis. Sed Borgia eam suo splendore nobilitavit, suâ propagavit administratione; suo exemplo ad sanctitatem excitavit, sua virtute, autoritateque multis ab incommodis, maximisque oppugnationibus eam defendit, ac protexit: in eam adscivit plurimos, quos partim flos ætatis, ob egregias doctes, & naturam, partim quos jam viros exquisitæ litteræ, ac doctrina, partimque caritatis, ac prudentia commendabat. Collegiis orientibus, & modò hic natis robur & vires addidit; nova, & perexiguus initiis orta ejus zelo, ac Religione crescere, plurimoque Ecclesiæ commodo florere cœperunt. Videbatur, cuicumque rei manum adhiberet, ei quoque suam admovere Deum: adeò prosperè in suscepto imperio navigabat.

C A P U T V I I.

Modus, quem observabat in gubernatione.

Hanc inivit rationem in gubernando; in primis providebat sibi; Deum ardentè 34.
 orabat & continuò, ut qui Provinciæ imposuerat onus, vires etiam, nervosque concederet ad illud sustinendum. Inde promanavit splendor exempli, quo tanquam 1554.
 face quadam cæteris prælucebat. Primus enim ad labores, & omne officii munus, tanquam vigilantissimus Pastor suo gregi præcurrebat. Admiratione digna res erat, spectare hominem tanto antea fastu ac vitæ lautitiâ enutritum, tot jam obire terrarum tractus, defatigatum sole, imbribus, hyeme, pauperie; cum tamen hæc omnia læto ferret pectore ad imitationem sui dulcissimi Domini Christi Jesu. Sanè ingens erat Francisci gaudium, & serenitas, cum sociorum tecta succederet, ut suo cunctos exhilararet ingressu; cum eoque simul omnis videretur ingressa lætitia, accensa pietas, impertitus ardor spiritus, & amor omnia patiendi Dei amore. Quòd si quis in iis Collegiis contractiore fortè animo, languidioreque fuisset, is ad unum Francisci aspectum se colligebat. Unumquemque sigillatim & remotis arbitris alloquebatur, ad omnem officii laudem incitaturus, aptissimè suggerendo pro cujusque necessitate præcepta, ac pro morbis medicinam. Omnes ad regularum, constitutionumque, quas tanquam divinum opus venerabatur, normam quàm maximè compositos volebat. Interdum cunctis in unum locum convocatis constantiam in suscepto proposito, & singulare Dei beneficium, quod è durissimâ Ægypti servitute tenebrisque educi, timendos hujus vitæ fluctus sicco 1554.
 vestigio transmitterent, ingerere; revocare in mentem brevitatem hujus vitæ, præmiorum æternitatem, Sanctorum exempla; labores, & ærumnas mundanorum, quibus comparati Religiosi acriùs sese promptiùsque ad virtutem exstimulant. Ponderare, quanta demum infelicitas foret, quàm extrema miseria, si cum per eos Deus tot homines à culpis hostilibusque insidiis eriperet, ipsi in eas se inducerent; & in iis ipsis fluctibus, unde alii per eos emergebant, mergerentur. Quòd si quis fortè regulas perfringeret, cura fuit, ut is errati culpam agnosceret, corrigeretque. Ad hoc illum suis verbis, & consiliis invitabat. Sentio, (ajebat) mea promeruisse peccata, ut hanc tu noxam incurres: unde æquum est, ut ad eam eluendam uterque poenarum aliquid subeamus. Ego qui-

quidem hæc, (designabat aliquas mortificationes) subibo; tu vicissim quid tibi subeundum putes, tecum ipse delibera. Quis tam pertinax, ac ferreus, ut ad hanc tantam dulcedinem Paternamque charitatem non mitesceret, aut non flecteretur? Rectoribus, ac Provincialibus seperatim præcipiebat, ut secum ipsi reputarent à se reddendam esse rationem eorum, quos suscepissent regendos; memores essent se Patres esse, non Dominos, eosque fovendos, & continendos ut filios, adhibitâ tamen præter comitatem gravitate, præter facilitatem (si opus esset) severitate: omninoque studerent eorum sibi animos suavissimè adjungere, quo faciliora essent omnia: ac ne verbis dumtaxat ac præceptis Collegiorum niteretur regimen, ut cunctis ostenderent exemplum charitatis & mortificationis. Qua ipse in re in primis prælucebat, mensis ministrare solitus; humistratus singulorum pedes sanctis osculis venerari, & tanquam tyronum unus inferioribus Ministris in suis officinis assistere; Custodias publicas, & præcipuè valetudinaria in ægrorum solatium frequenter visitare; Ad discipulos pro ætate, captuque habere exhortationes. Ita in uno eodemque misericordiae munere humilitatem pariter, & charitatem pulcherrimo quodam Societatis fœdere copulabat. His maximè modis severat Franciscus, & simul rigaverat nova germina Collegiorum; Dominus autem incrementum illis dedit, & quæ ad animam corpusque pertinebant, reddidit cum fœnore. Sæpè enim obrigit ut cum Collegium aliquod rebus omnibus egentissimum visitaturus ingrederetur, unâ cum illo Divina benignitas, rerumque omnium, quæ poterant desiderari, copia, & abundantia ingredi viderentur.

C A P U T V I I I.

Septimanca Collegium ferè miraculosè concessum, in probationis domum vertit.

35. **Q**uidam vir Nobilis Joannes Moschera, Hispaniæ Proceribus notissimus, à Societatis Patribus quàm maximè alienus fuit, adeò ut eorum ubique declinaret aspectum. Unde sancti Antonii Patavini die, cui Vallisoletani Collegii dicata ædes, cum 1554. ibi plena proposita esset Indulgentia, & Beatus Pater concionaretur, & ipse ante fores præteriret, ingredi ea solum de causa noluit, ne quem Sociorum conspiceret. Hic autem tam aversus, brevi ita permotus fuit à Deo, ut vix septem elapsi fuerint dies, quin mutatâ subito voluntate, domum, quam Septimanca cum hortis habebat sex passuum millibus ab illo oppido distantem Societati donaverit. Qua de re monitus per litteras Beatus Franciscus Borgia eò concessit, sedemque illam ad Novitiorum recessum, & institutionem propè factam admisit. Joannes igitur advocatâ Coniuge ultrò eam tradidit, utque in probationis domum verteretur, probavit, adjecto sufficiente censu ad Novitiorum victum. Hæc Moscheræ erga Societatem benevolentia & liberalitas tantillo tempore conciliata, miraculi instar habita fuit.

36. Verùm id quod penitus Societatis non modò in gratiam, sed in admirationem quoque eum rapuit, fuit spectata Borgiæ modestia perpaucis diebus, quibus eum apud se habuit Septimanca. Observabat enim hominem, & præcipuè mirabatur, quod sermone, mensâ, cæterisque rebus socio se laico, (is erat Joannes Paulus Borellus) adæquaret. Cum verò is aliquando, (antiquæ homo simplicitatis) mulam conscensurus evocari foras Beatum Patrem jussisset, ab eo, dum ad nutum prodiret, quæsit, quid esset factum de jumentis capistro? Tum verò hæc videns audientisque Moschera; nec humanâ lance, sed Divino quodam examine ea ponderans, ita permotus est, ut exinde passim nihili duceret humanæ gloriæ splendores, aut perituri nominis æstimationem. Tanta est exemplorum vis, & honoratæ præsertim humilitatis. Nimirum longè amplius hæc apud eum exempla, quàm elaborata Concionatoris valebat oratio. Tantos habuit ad virtutem pietatemque progressus nobilis hic vir, ut qui propter inimicitias nunquam ante in publicum prodire, nisi Sclopetariorum ac Militum manu stipatus contra hostium

stium auderet insidias, is postea Vallisoleti per vias forumque incederet inermis & sine gladio, modo huic condonans injurias, modo illi pro pace supplicans, singulis plenam praeberis satisfactionem. Eò autem usque benevolentiae studio in Societatem exarserat, ut cum aliud praeterea haberet Septimancae haud vulgare aedificium, eo Societatem donaverit.

Interim ut erat paupertatis admodum amans Beatus Franciscus Borgia, aliam domum similem ei, quam habebat Oguati, rudi scilicet è materia, & cemento, quae suis humeris una cum tyronibus comportabat, construi ibi jussit: in qua parietum loco, fragiles storeae perexigua cubicula distinguebant. 37.

C A P U T I X.

Iterum adit periculum induendi sacram purpuram: sed iterum etiam eo eripitur per opportunis industriis praecipue D. Ignatii: ad haec accedit providentia Dei erga ipsum, (ut pie credi potest) ob amorem paupertatis.

DUm in his curis vigiliisque rem Societatis strenue promovebat Franciscus, novum rursus periculum adit induendi purpuram. Id enim Princeps Philippus ferventius expetebat. Quod Beatus Pater odoratus, ab ejus sorore Joanna, quae mortuo jam Lusitano Principe, nuper in Castellam venerat, ut Regni gubernacula pro fratre tractaret, dum is ex Anglia, quò ducendi uxorem gratia discesserat, remearet, summe contendit ut litteris ab ea mente deduceret fratrem, simulque, ne pateretur id ab suo urgeri Parente Imperatore Carolo. Haud gravate fecit illa, quod petebatur; tum etiam sanctus Ignatius, licet omnes Romae aditus occupasset; attamen ut hoc insuper accederet munimenti, jussit vota illa à Francisco emitti, quae edita jam Professione, privatim Societatis Professi concipiunt; quorum unum est, nullum ut dignitatis honorem admittant, nisi ejus compellantur imperio, qui pro potestate id facere possit. Voluitque ea ad se in scriptis mitti: qui mos etiamnum in hac Religione viget. Cum Julio autem Pontifice tam ardentem egit, ut tutum illum ab ejus imperio, & ab honorum periculo & metu praestiterit. His procellis superatis Borgia, misso Septimancam Bustamantio ad probationis domum inchoandam, Placentiam (ubi tum erat) Hispalim contendit, Paulo Hernando & P. Provinciali Michaële Turriano eodem accitis. Quamprimum domum, quae parabatur Patribus satis augustam, atque magnificam aspexerat, graviter commotus est, & cum Suario de re conquestus: nam uti erat paupertatis amantissimus, volebat omnes, quam arctissime cunctis eam locis & occasionibus amplexari, & in ejus gratiam perpeti, quascumque rerum, aut habitationis angustias. Probè enim intellexerat, quo altioribus hujus virtutis fundamentis sanctitatis fabrica niteretur, eò firmius stabiliusque fore superimpositum aedificium. Quocirca quamvis tum ob vicinam festivitatem ibi diversatus sit; attamen haud ita multò post ad alias humiliores aedes migravit, quae cum ubique rimas agerent; & imbribus essent perviae, crebrò fiebat, ut non modò cubile, verum etiam caput ipsum maximam sancti Patris voluptate maderet pluviis: adeò ipsi in deliciis paupertas. Durissima ea fuerunt initia, diraeque aegestatis: sed majoribus angustis occurrit uti solet Deus, quippe qui caeli volucris alimenta ministrat, non sustinuit suos fame siti que famulos perire. Semel autem cum domi nihil esset omnino panis, nihil esculenti, ac ne nummorum quidem, unde comparari cibi possent, simulque advenissent hospites, recta Suarius Rector ad Borgiam perrexit, sciscitaturus, juberetne de more dari prandendi signum? Cui Borgia, cum paululum haesisset, quasi collecto ad orandum animo, Rectorem statim intuitus, explicataque fronte respondit: pulsetur si tempus est; suis providebit Deus: vix jussa fecerat Suarius, cum renunciatur praestolari ad januam missum puerum à quadam devotissima foemina, (cui nomen Isabella Galindia) cum tam liberali com meatu, ut eo die lautè refecti etiam externi pauperes. Non

Hispani modò, sed in re etiam simillima Septimaniae, & Vallisoleti pia viri supplicatione domesticæ necessitati ac penuriæ prospexit Deus, misso Patribus, cum mensæ jam sine necessariis accumbendum esset, copiosissimo cibo, celantibus obstinatè bajulis beneficentiæ auctorem. Patres tamen Dei providentiam, & curam propter B. Francisci Borgiæ merita taciti agnoscebant, ac simul debitas ipsi persolvebant grates. Cæterùm Beatus Franciscus, quo uberiores divinæ providentiæ fructus in Christi pauperes observaverat, eo majore exarsit ipse sustinendi amore. Hispani discessurus, inter alia suis dixit, nihil sibi majori esse lætitiæ, quàm eos se in tanta paupertate relinquere. Hortatus est, generoso essent animo, non defuturum tempus, quo abundantioribus rebus affluerent. Hæc vaticinatus est Borgia, & vaticinationem Dei benignitas implevit. Ex his enim tenuissimis paupertatis initiis ea orta incrementa, quæ hodie in ea urbe cernimus, ubi tres Societas habet tam luculentas, & tanto Patrum numero refertas ædes, qui animorum saluti deserviunt, atque in educanda juventute virtutis doctrinæque pabulis tanto plausu elaborant. Anno 1505. plurimâ quâ valebat auctoritate B. Commissarius apud Joannam Lusitaniæ Principem, Hispaniarumque pro Parente Cæsare, (qui tum aberat) gubernatricem, felicissimè & quàm citissimè dispulit sævam tempestatem coortam Cæsaraugustæ contra Societatis Patres, (qui quamdiu ab illa Civitate abfuerunt, excepti sunt omni benignitatis genere ab excellentissima Ludovica Borgia piissima fœmina, nec minus virtute, quàm sanguine, B. Patris germana.) Ad divexatos autem alumnos scripsit vigilantissimus Superior, quasi præfagiens humanitatem, quâ ab illa Regia civitate colendi deinceps essent, his verbis: *Colligite lapides in vos coniectos, iisque novam vobismet ipsis ædificate domum.* Eodem ferè tempore Murciam remisit sex piissimos Religiosos ad inchoandum illud Collegium, diu jam designatum ab Stephano de Almeyda Carthaginensi Episcopo, qui animo, & expensis planè regius opus perfecit, amplissimum dignumque illius Civitatis.

C A P U T X.

Afficit morti Regine Matris Joannæ, quæ præ nimio dolore ob defunctum maritum mentem amisserat; opemque ferente Deo sibi restitutam, piè sancteque ad supremum transitum præmunit.

39. **I**N Aula ex Beati Francisci disciplina fructus erat uberrimus: quippe Princeps Joanna, (componitur orbis Regis ad exemplum) è præscripta Viduis ab Apostolo forma, sanctitate, ac prudentiâ res Hispaniæ publicas administraverat; sed & privatæ publicæque personæ clarissimum jucundissimumque iis Regnis dederat exemplum. Ad Dominæ (ut fit) ingenium cuncta domus componebatur; diceres nobilium Virginum, quæ in ejus degebant obsequio, plures ad sacra Cœnobia, & beatas Agni nuptias, quàm ad splendidas ædes, & spinosa mundi conjugia demigrare. Procul inde profana garrulitas: nullus ferè nisi de virtutibus sermo: frequens ad epulas divinas accessus: multiplex corporis maceratio, nec flagella rara; oratio penè continua. Obedientiæ quoque studio cœperant unam de suo cœtu honoratiores singulæ singulis eligere hebdomadis, cujus nutui religiosè parerent; tum secretum in conclave recedentes, vel de noxis quas aliæ observaverant, vel quas ipsæ ultrò aperuerant, pœnas ad ejus arbitrium persolvebant; plerisque tum præcipuè triumphantibus, cum suismet famulabantur ancillis: adèò aulam sibi virtutis gymnasium, rudimentumque cœnobii fecerant. Ipsa verò Princeps, pro suo erga Societatem amore, per singulos dies non modò pro omnibus universim, sed nominatim etiam pro B. Francisco Borgia Deo supplicabat, ejus tam profundam humilitatem, (uti ipsa eam vocabat) propter exempli vim, tantum prodesse judicabat rei Christianæ, ut assereret in nullo honore eum plus emolumenti adferre posse. Ac proinde licet sua esset in manu, ne summum quidem Pontificatum ei, (cui tamen summa omnia cuperet) delaturam, ne lux tanti exempli obscuraretur, aut splendor

dor quodammodo palleceret. Et quidem aderat singulari quodam favore Christi gratia Borgiæ, ut cum omnibus magis indies venerationi esset, ac Procerum clarissimi quique ei totos se, suasque conscientias committerent, inde tamen quanto aliis pretiosior, tanto sibi vilior fieret. Inter curas, & negotia, quasi esset in solitudine, contemplationis suavitatem, studiumque macerandi extenuata membra in omni suo vigore retinebat. Haud mediocriter auxit ejus sanctitatis opinionem Reginæ Matris obitus. Erat hæc Joanna Caroli Quinti Parens, Conjux autem Philippi Primi, qui quo anno venerat in Hispaniam, & Regni gubernacula tractare cœperat, eo ipso non sine ingenti omnium luctu, & miseratione fatis concessit. Hujus ex acerbo funere Conjux tantum hausit doloris, ut planè rationis usum amiserit, amensque vitam reliquam Tordecillæ multos annos exegerit. Ad hanc ergò graviter laborantem jussus ab altera Joanna Nepte Principe Franciscus accurrere; cum eam haud ita procul à supremo periculo offendisset, aggressus est ocyus piis subsidiis & colloquiis. Votis tamen obsistebat continua dementia, quæ nullius integræ mentis dabat intervalla. Instare perrexit eâ, quâ valebat gratiâ, Borgia, & hortari infirmam, divino se numini committeret, posceret novissima Sacramenta; sibi verò recitandi ipsius nomine fidei articulos curam permetteret, si per morbum ipsa non posset. Ad hanc illa vocem præter spem omnium convertit se ad ipsum; jussit inchoari Symbolum. Quod cum Pater facere cœpisset, verba quædam ipsamet è Niceno Symbolo sapienter addidit. Deinde Christo è cruce pendenti, ejusque Matris imagini coram positis, pia oscula fixit: sibi que propius admoveri jussit. Sparso hoc per Curiam de Regina jam sui compote rumore, omnium commune fuit gaudium & admiratio; idque Borgiæ meritis adscribebant. Is verò cum tot compositæ mentis indicia animadverteret in moribunda, ut Salamanticam mitteretur, qui Doctorum sententias exquireret, an liceret Reginæ eo usque sibi restitutæ subministrare de more Sacramenta, Author fuit. Consultò inde venit Dominicus Sotus sapientissimus Doctor ex Ordine Prædicatorum. Hic de Reginæ statu edoctus, censuit ritè eam inungi posse. Nam sanctissimum Christi Corpus accipere non potuit, nauseante jam stomacho. Transiit ergo ad beatam, uti sperare licet, immortalitatem majori hebdomadâ, & feriâ sextâ, & quia tum utcumque sui compos magno populi gaudio, Caroli verò Imperatoris filii, & Regis tum Angliæ Philippi Nepotis longè maximo.

C A P U T X I.

Fundatur Collegium Placentinum, Fundatorisque animus præcipue B. Francisci precibus ad meliorem frugem reducitur.

Gutierrus Carvajalius magnificentiam tanto Præsule dignam in antiquæ Lusitanæ, 40. (quam Extremaduram vocant) Principe Urbe allectus Patrum Societatis, quos in Concilio Tridentino cognoverat, virtutum, & sapientiæ splendore, Placentinum Collegium fundaverat.

Hanc tantam Episcopi liberalitatem suis vicissim officiis egregiè compensavit Societas, 41. quæ meliorem illum ad frugem, & vitam sanctiorem reduxit. Habebatur quippe vulgò generosus antea potius Nobilis, quam pius Sacerdos & Episcopus. Sed cum ei plurimum se debere Borgia sentiret, propter summa ejus in se, Societatemque beneficia, placuit meritam referre ei gratiam; ejusque salutem crebris & iteratis à Deo precibus exorare. Monuit ergò, ut, qui in eo erant Collegio, suas omnes preces, ac sacrificia, jejunia, & corporis afflictationes eò referrent, ut Deum Episcopo placarent. Obtemperatum à Patribus, quod idem faciebat & ipse Borgia, qui eò usque de Pastoris salute sollicitus, conquiescere non dies, non noctes poterat, dum tacitam spem animo fiduciamque conceperat, se voti jam compotem esse factum, ut etiam nonnullis Patribus indicavit, quibus ex oratione digressus obviam veniens, inflammato vultu, ardentibus oculis,

oculis, hilaris, jucundus; grates (inquit) agite Deo, mei Patres, quod nunc demum suam nostro Episcopo misericordiam impertiverit; nec vana cecinit. Nam cum ejus jussu ad eum postea P. Villanova rediisset, ut Christianam eum libertate moneret, curam, ut gereret sui ipsius, qui aliorum erat Pastor, ita eum perculit, ut deinceps constituerit emendare vitam. Secessit ergo paulisper à populo, strepituque negotiorum; precationi, & lacrymis sese dediturus. Dein hoc quasi jacto fundamento ad majora contendit. Tres delegerat viros, qui jus dicerent, & sua cuique redderent, si quid deberetur: nempe Proviforem suum, & duos è Societate Patres, alterum Theologum, alterum Juris Pontificii peritum. Apud hos magnam vim auri, argenti que deposuit, unde iis universis, quibus familiarium neglectu fraus aliqua facta esset, commodè satisficeret. Postea ad ordinandam familiam conversus, eam omnem reduxit ad frugem. Denique totum se in virum alterum vertit, & aliud vitæ genus, quale scilicet ejus decebat personam, suscepit. Quod singulare Dei munus, & Francisci Borgiæ, Societatisque precibus acceptum referebat. Tanta est elemosynæ Dei pauperibus erogatæ vis, & efficacia!

C A P U T X I I.

Publicè emitti jubet vota Societatis, ut quibusdam calumniis auferatur materia.

42. **A** Sancto Ignatio missus fuit sub id temporis P. Natalis, ut cum B. Commissario expeditet quædam haud negligenda negotia. Attulerat Romam tum Natalis nomina Sociorum, quos in Hispania ad solemnem Professionem admitti vellet D. Ignatius. Quamobrem cum eo sine Baptistam Barmam Murciâ Vallisoletum advocavisset Borgia, haud abs re fore judicavit, si quemadmodum biennio ante in Lusitania coram Rege, ac Principibus cuncti Societatis gradus publicè celebrati, ita etiam in Castella celebrarentur; quo planius Societatis Jesu institutum, ejusque membra viri Principes perciperent, calumniisque auferretur materia; quibus furtim omnia sua agere Patres Societatis dicebantur, quasi hominum oculos formidarent. Id probatum consilium à plerisque Patrum. Quare S. Bernabæ sacro die Nuncio Apostolico, Carolo Principe Philippi filio, multis Proceribus ac Dynastis, atque è Regio Consilio primariis viris, cum plurimis Religiosorum Ordinum Superioribus ac Magistris in Societatis Templo spectantibus habita solemnia. Orationem habuit Araozius, aptissimè quidem, & maximo cum audientium motu de Societatis institutis ac functionibus. Deinde Borgia ad altare Professionem excepturo, primus ascendit Barma; quatuorque solemnia Professorum vota emisit. Mox accessit Hieronymus Portillus, domus Septimacensis Rector; tribus se Coadjutorum spiritualium votis ligavit. Deinde ex Coadjutoribus temporalibus unus, & è Scholasticis alter sua etiam Deo nuncupavere. Postremò additi alii quinque, inter quos erat Cæsarei ac Pontificii Juris Doctor Ferdinandus Solierus, qui uti postulabant ad Tyrocinium Societatis admissi sunt. Atque ita absoluta ingenti omnium approbatione Sociorum tam celebris cæremonia.

C A P U T X I I I.

Invisit Imperatorem in Cænobio D. Justi, & aliis liberat Societatem calumniis.

43. **H**oc procedente anno, cum adjecisset sanctus Ignatius Beati Francisci Borgiæ cætero oneri etiam Indiarum curam, terras suo funestavit obitu, exhilaravitque cælos; & licet Socios orphanos reliquerit, simul tamen eos perfudit è sua gloria spiritualibus deliciis. Non potuit Borgia adesse Patrum Congregationi, quâ electus in Generalem P. Jacobus Laynes, vir omni sanctitate ac litteris absolutissimus, tum propter negotia, quæ in Hispania eum detinebant, tum ob adventum Cæsaris, qui jam eum Religiosum professum convenire desiderabat. Neque in Hispania cessavit Commissarii offi-

officium, neque apud Indos, quamvis cæteri Visitatores per universam Societatem suo 44.
 quique munere defuncti essent; id datum nostri Commissarii sanctitati, dexteritatiq[ue].

Multi palàm jactabant, Carolum, & sororem ejus Mariam abhorrere à Societate. Hanc autem tempestatem beati Borgiæ opera, prudentiaq[ue] discussit. Nam ubi Cæsar redierat in Hispaniam, ac sedem fixerat in quodam Placentini deserti Monasterio, (cui inditum nomen Divi Justi) eum salutandi gratia adivit Borgia: cum in conspectum venisset; veniam, prius factâ veneratione debitâ, oravit, ut quædam de suscepto vitæ genere liceret dicere, ne lateret tam sacram Cæsareamq[ue] Majestatem inita vita ab oblerantissimo subdito. Tum nactus ad id licentiam à beneficiis erga se Imperatoris exorsus est urbanissimus Pater, causis, cur eo usque tacuisset, commemoratis, ea in primis breviter recensuit, quibus ad suscipiendam severiorem vitam inductus renunciaverat seculo. Subinde de Religionis delectu differens, & suâ penè ab ipsis incunabulis & Majorum suorum pietate ad Franciscanos propenderet, tamen potius ad Societatem se contulerit, tribus id præcipuè factum de causis explicuit: in primis, quòd cum de vitæ eligenda forma cogitaret, summam sentiret hilaritatem, respiciens Societatem; secus autem, ubi vertebat animum ad cæteras, quas tanti æstimaverat Religiosas familias. Deinde quòd cum Societas nova esset, atque apud multos laboraret invidiâ, existimaret se obscurum in ea, & inglorium latere posse: Postremò, quòd uti id positum in more apud magnos Principes, novellis quos componunt ad delicias hortis, benignissimè excipere novellas etiam stirpes, quamvis ignobiles, ita crederet germen, qualequale ipse afferret, gratum admodum fore Deo, si in horto recenter ad ejus gloriam incœpto, uti erat Societas, confereretur. His adjecit, institutum Societatis mixtum esse ex utraque vita, qualis Apostolorum, & Christi Domini fuerat; ac proinde placuisse adeò suæ inclinationi. His libenter auditis, Carolus, gratum sanè accidere sibi asseruit, tandem certè aliquid ea de re intelligere. Tum profundius illud meditatus, sensimq[ue] contra delatores, militari illo recalescente spiritu, ac repentè fronte sibi manu percussâ, ergo, inquit, mihi quoque mentiuntur? Mox residente impetu, leniter ac jucundè protrahitur sermo. Velim audire Pater, ait Imperator, quomodo diluetis illud, quod ubique jactant, nempe inter vos nihil nisi juvenculos cerni, nullam caniciem apparere? Hic modestè Borgia: dum mater, optime Cæsar, juvencula est, filii senes esse quî possunt? Hoc autem, si vitium est, curabit dies. Alia multa de suo recessu, vitæq[ue] asperitate Carolus quoque Patri aperuit, ac tribus elapsis diebus in visitatione jam abeuntem jussit sæpè ad se redire. Sed Franciscus Aularum semper, nisi aliter officium cogeret, piè osor, nunquam nisi vocatus ad eum revertit. Dictu facile non est, quantam hæc Caroli humanitas vulgò cognita, & sermonibus celebrata serenitatem rebus Societatis attulerit.

C A P U T X I V.

Iterum petit Lusitaniam, prædicitq[ue] se liberandum gravissimo morbo; unde recuperatis viribus redit in Castellam, atque in Cæsaris obitu funebrem Orationem habet Vallisoleti.

Eodem anno extincto Joanne tertio Lusitaniæ Rege, missus à Cæsare B. Francis- 45.
 cus ad consolandam Reginam, quæ Cæsaris erat soror. Dum Ulisipponem contendit, summa erat æstas, calores gravissimi, qui non leviter ejus valetudinem afflixere; sanè ubi Eboram venit in gravem incidit morbum. Deploratâ jam à Medicis salute, effusisque Patribus in lacrymas, ac genitus, consolatus eos est, eâ quâ erat dulcedine ac sanctitate infirmus, suavissimè pronuncians, abstinendum à luctu; non moriturum se eo morbo. Quod magnâ omnium, præcipuè Medicorum admiratione evenit. Cognito periculo missus officiosè à Regina, qui significaret dolorem de tam inopinato eventu, ac simul invitaret eum Regiâ lecticâ, ubi paululùm se remitteret morbus, ut Ulisipponem ad commodiorem, certioremq[ue] curationem deveheretur, Humilis autem Pater Regiæ

benignitati persolutis grâtiis, sibi tanquam clienti obediendum quidem subjecit; orare tamen se demississimè tantam Majestatem, sineret pauperiori modo, quem profiteretur Religiosi eò devenire. Id ejus petitioni, ne crearetur ipsi aliquid afflictionis, ita indultum. Jam recreatus à morbo, obitoque munere Uliisipponè, rediit iterùm in Castellam, exceptusque est benignissimè, uti semper à Cæsare. Sed digredienti bis mille argenteos in eleëmofynam ut Religioso dedit, adjiciens, plus honoris ei fecisse se Principem ut Principi, cum plus haberet; tum autem pauca donari à paupere pauperi. Accepit eleëmofynam B. Pater, & eò libentiùs, quò tractari jam se videret ut pauperem à potentissimo Cæsare.

46. Anno sequenti Carolus excessit è vita. In cujus exequiis noster Franciscus Vallisoleti celebrem Concionem habuit, quæ incipiebat ab illis Prophetæ verbis: *Ecce elongavi fugiens; & mansi in solitudine.* Egit de animi celsitudine, miroque consilio, quo vir ille maximus, Orbium Dominator, mortalibus rebus desertis, priusquam ipse desereretur, & post tot ex hostibus reportatos triumphos sui præstantissimus Victor, Imperii insignia, regnorumque tot Coronas ad Christi Crucifixi pedes abjecit, ut obtineret æternitatem. Ingenti plausu totius Curiaë audita fuit funebris Oratio. Cæterùm B. Franciscus demandatæ sibi à Cæsare curæ exequendi Testamenti vehementiùs incubuit, ad eam insuper incitatus à Lusitaniaë Principe Joanna, ipsius Caroli filia, quæ pro Philippo Rege tum Hispanias gubernabat.

C A P U T X V.

Iterùm cogitat Lusitaniam, atque Apostolica munia exercet in eo Regno, & inter ejus fratrimos populos.

47. **A**Nno deinde nostræ salutis 1559. Lusitaniam repetiit, & purificationi Deiparæ sacro die in P. Leonis Henrici solemnibus votis institutâ Oratione, negotia & splendorem Aulaë fugiens continuò Eboram remeavit. Hic totius Quadragesimæ Dominicis diebus in templo urbis principe concionem habuit. Id illi munus, imò adhibitis precibus devulsi ipsa Ecclesia. Ex prædicatione uberrimus collectus fructus: quippe ejus ea fuerat vita, ea olim fortuna, ut conspectus ipse pro admirabili Oratione haberetur: quod significavit non multò post Cardinalis Infans illius Regni, qui cum ad extremam Quadragesimam Eboram venisset, rogareque sanctum Commissarium cœpisset, ut coram se vel semel tantum concionaretur; excusanti id Francisco ob summam, quam præsentiebat ex peracto jam labore, imbecillitatem, subjecit Cardinalis nolle se offerre novam defatigandi occasionem; satis superque sibi videre eum pro rostris, quamvis nihil orantem. Efficacissimus enim sermo exempli. Venerat autem Infans Eboram, ut, quoniam ibi aderat B. Franciscus, fundatam à se Academiam ei traderet: quo die ad Collegium iturus erat Infans, ad fores eum expectavit B. Commissarius cum cæteris Religiosis; tum persolventem grates, paucisque adjectis in commendationem liberalitatis tanti Principis, humanissimè excepit eum Cardinalis hac responsione: affore spero tempus, mi Reverendissime Pater, quo prolixius adhuc meum erga Societatem studium & affectum explicare possim. Inde rectâ processum ad templum, cujus valvæ, & columnæ aulaëis ornataë, trium linguarum Principum carminibus amiciebantur. Hujus Academiaë rebus ita compositis, inde Conimbricam adornaverat iter B. Franciscus, ubique spargens suæ sanctitatis odorem, & fragrantiam, adeò ut Episcopus Bracarensis, venerabilis Bartholomæus de Martyribus, è generosa sancti Dominici familia haud contemnendus filius, condiderit etiam Societati Collegium: & licet exigeret quoddam conditiones, quas admittere non valuerat Societas; postea tamen autoritate Beati Francisci omnis amota difficultas. Inde ad Civitatem Portus, quæ sibi optabat aliquos Societatis alumnos, perrexit. Hic in oblato sibi domicilio, utpote quod undique redolebat

dolebat paupertatem cæteræ vitæ sibi deligendam sedem putavit humillimus Pater. Hic adornato facello, prout ferebat loci pauperies, fractas, ac mortificationibus penè consumptas exercere vires in ministeriis Societatis desiderabat: benignissimè excipiebat pauperculos, quasi uniuscujusque esset Parens. Demulcebat eos; hortabatur ad virtutem; visitabat infirmos; solabatur miseros; componebat discordes; circuibat plateas campanulâ, ea dignitate, & canitie vir; rudelque ac pueros Apostolicâ lætitiâ ad Christianam institutionem in aream Ecclesiæ principis congregabat. Nam cum puerorum bina, (ut erat fama) aliquando millia, aliorumque promiscuæ multitudinis innumeri convenirent, templum haud facilè omnes capere poterat. Quibus misericordiæ operibus consecrabat tempus, quod reliquum erat ex multis per diem meditandi horis, aliisque spiritualibus exercitiis, quibus sibi ipsi diligentissimè providebat. Cæterùm haud multò post coactus fuit officii causâ abire Conimbricam, & inde ad ædes sancti Fælicis, ubi oblata opportunitas latissimè explicandi zelum suum. Nam Gallæci proxima gens, qui dudum rerum divinarum penuriâ miserandum in modum laboraverant, uberem præbuerunt charitati materiam: hos invisit ferventissimus Pater, secum adductis egregiis viris, Bustamantio & Saavedra, aliisque præterea sociis. Discurrere cœperat per varias partes illius Provinciæ: nam licet corporeæ vires haud sufficere viderentur ei molestissimo labori; quia tamen ab Aulis aberat, tantoque ardebat Dei amore, sibi ipsi videbatur dulcissimè quiescere.

C A P U T X V I.

Vocatur Romam à Summo Pontifice; præficitur Vicarius Generalis universo Ordini; in quo Officia amplissima Ecclesiæ ac Societati exhibet.

DUm hæc gerebantur in finibus Lusitaniæ, Romæ supplicaverat Pontifici Cardinalis Ferrariensis, ut ad eam civitatem virum tam eximium vocare vellet; libentissimè annuit petitioni Pius IV. qui tum regebat Ecclesiam: dedit ergo statim litteras ad B. Franciscum, quibus rogabat, adjecto veluti obedientiæ signo, ut ad Urbem proximâ opportunitate accederet, & ne pro humilitate obtenderet aliquam excusationem. Hoc strictissimum decretum nullam patiebatur dilationem. Quamobrem pridè nonas Septembris Romam ingressus est anno à Christo nato 1561. Divulgato per urbem ejus adventu, statim amplissima illa Curia eum salutandi gratiâ ad Societatis Collegium confluxerat; atque inter alios, qui Pontificis nomine ei obtulit in Vaticano hospitium. Sed actis gratis B. Pater clementiæ tanti Pontificis urbanissimè reposuit, si ad osculanda sanctitatis suæ vestigia, admittendum se sperare auderet, se confestim accursurum: quo quidem perfunctus est officio quinto Kalendas Octobris. Nec minorem Christi Vicarius præsentem honorem ac benignitatem, quàm absenti æstimationem tribuit. Cum Francisci humilitate deinde certatum. Surgere enim jussus, non ante potuit à genibus dimoveri, quam Pontifex id seriò & ex obedientia imperaret. Cùm lentiùs inter se colloquuti, subjunxit Pontifex, maximæ sibi curæ res ejus fore, quod tam singulare exemplum illis turbulentissimis temporibus exhibuisset.

Assistebat tum in Concilio Tridentino Pater Jacobus Laynez Præpositus Generalis Societatis, in ejusque locum successus Romæ pro Vicario Generali Pater Salmeron; sed cùm huic etiam discedendum ad idem Concilium, omnium acclamatione & plausu ejus delatum officium ad B. Franciscum Borgiam. Kaleudis Januarii inter prandendum grato admodum socios exhilaravit nuncio novus Vicarius; exposuerat enim significatum sibi ob cognationis titulum à Cardinali Alexandro Farnesio, eum velle ipsis ædificare templum; quod regiâ planè magnificentiâ postea conditum fuit, amplissimum Farnesianæ pietatis monumentum. Quamobrem hortatus est omnes, ut in significationem tam grati animi aliquid Religiosi muneris conferrent. Pro se quisque certatim sacrificia,

ficia, preces, flagella, jejunia, ejusque generis varia ab aliis summo fervore oblata sunt. Collegii ergo Romani templum hoc eodem anno sancti Vicarii curâ, ac diligentiam aedificari coeptum est. Primum lapidem jecit solemnissimo ritu Otho Cardinalis Augustanus, & quod non parum opus hoc commendat, nullam in eo profanus, sive faber, sive famulus operarius partem habuit: tota Religioso labore stetit, uti decuit, tam nobilis sanctimoniam palæstra, & beati Francisci excitata industria. Addidit pretiosius adhuc donum noster Vicarius domestico Sacello. Nondum enim servaverat sanctissimum Sacramentum; sed nullius rei potior cura devotissimo Vicario, (utpotè, qui singulari admodum affectu prosequeretur semper hoc mysterium) quam ut ad salutis tutelam, fomentumque charitatis orantibus præsto esset. Sanctitatis nomen, quod jam obtinuerat per universum orbem noster Vicarius, præcipue in Civitate Romana penè incredibili plausu celebratum. Ibi per hebdomadas Quadragesimæ tempore in Hispanorum fano, (cui divi Jacobi titulus) Hispanicè concionatus est: præter cæteram nobilitatem, quæ frequentissima erat, septenos octonosve Cardinales assidue habuit auditores. Cum plurimi venissent linguæ Hispanicæ parum periti, interrogati, cur adirent haud lecturi fructum orationis? ferè hoc respondebant, (quod & alibi etiam alii affirmarunt) ire se, ut audire possent hominem olim Ducem, jam sanctum. Hoc ejus gubernationis tempore, Præsidis ferventissimi zelo ad summam Religionis Catholicæ propagationem, & augmentum, multæ expeditiones in Indiam, Africam, & Asiam factæ, quæ legi possunt in Annalibus Societatis. Adventante jam anno sexagesimo quarto illius sæculi, gloriosissimè absoluto Concilio Tridentino, redierat Romam Pater Jacobus Laynez Præpositus Generalis Societatis. Quare demandata Beato Francisco Hispaniarum assistentia, eique adjuncta Lusitaniam, quod nulli alii nisi ipsi ante vel post obtigit: charissimus enim erat, & acceptissimus apud omnes Christiani Orbis nationes. Decimo quarto Kalendarum Februariarum è vivis excessit æternam decorandus gloriam Generalis Laynez, vir de Republica Christiana optimè meritus, & inclytus fidei Catholicæ Propugnator. Prævisum ab ipso obitus sui diem crediderat B. Franciscus; de eo enim ad Patrem Salmeronem ita scribit: *Noster optimus Pater à miseranda hac vita ad æternam migravit, de toleratis hic ærumnis laturus amplissimam mercedem. Haud dubium, quin damnum faciamus ipsius absentiam; sed lucrum, uti spero, legemus haud mediocre ipsius in cælis assistentiam. Etenim quantum melior est vita, ad quam delatus est, tantum magis nostris rebus opitulari potest: inter alia id ausim affirmare, haud ignorasse eum suæ mortis horam: nam dum ab aliis crederetur, imò ab optimis Medicis exemptus periculo, ille tamen, quippe qui ejus rei certiores habebat nuncios præstantioresque auctores, cum ei vellent medicatam potionem exhibere, distulit in posterum diem, mibique dixit: hodie rem Divinam celebrare volo, ut sit pro viatico; idè differenda est potio. Ita fecit, ita evenit. Nunquam enim aliud deinceps sacrum fecit, quamvis nondum decumberet, & quantum opinor, etiam prodiret domo. Deinde ingravescente morbo, cum ego de sacrificiis, quæ pro ipso fiebant referrem, quadam quasi ægrè id ferentis specie intulit; tantum nollem pro mea salute; ab iis enim hic retineor. Jam autem munitus sacra Unctione, (ejus rei nunquam obliviscar) subinde me respiciebat, ac placidissimo vultu sublevans ad cælum oculos, videbatur me simul invitare ad Patriam. Hactenus epistola.*

50. Gravissimè lacescebant tum Societatem quidam Parisienses, quâ cognitâ re ocyùs confugit Franciscus pro subsidio ad communem Parentem, Romanum Pontificem, qui amanter pollicitus opem ac suffragium, haud multò post exaratis litteris ad Regem, ejusque Regium Senatam, impensius ipsis commendavit Societatem; sed in primis Collegium Parisiense, cujus causa agebatur.

P A R S Q U I N T A.

De eximia ejus Sanctitate, dum Præpositus Generalis totius Societatis fuit.

C A P U T I.

Eligitur Præpositus Generalis totius Ordinis, atque egregiè officio suo fungitur.

Altero ab obitu Generalis Laynii die, Professorum, qui Romæ tum aderant suffragiis Vicarius Generalis usque ad novi Generalis electionem assignatus est noster Franciscus: sed ipse quò maturiùs exueret se honore, postridie, nempe duodecimo Kalendas Julii Generalem Conventum edixit. Primo die declaratum legitimè congregatos esse Patres: ad quartum autem Kalendas ejusdem mensis iterùm convenère, ac priùs impetratâ à Summo Pontifice benedictione, habitaque ad omnes Latinè Concione à beato Francisco Borgia, ferè omnium suffragio electus est ille ipse in Generalem sanctissimæ Deiparæ Visitationis die. Consuluit statim Salmeronem & Ribadineiram, quo posset modo amoliri à se præfecturam; sed innuentibus his, nullo id pacto convenire, statim obsequutus est. Ergo summo omnium plausu, & gratulatione collocatur in Prædecessorum sede. Nemo non hilaris, & festivus: solus ipse sibi tristis, & lacrymabundus, qui tantis in Aula & bello muneribus egregiè perfunctus fuerat. Interdum postea solebat repetere, nunquam putasse se tam gravem suis imponendam humeris Crucem. Et nihilominus haud defuère, qui suo sanè decepti sensu, dicerent; non, convenisse gubernationi Religiosæ, virum actuosæ vitæ osorem, adeoque contemplativæ deditum, atque antea Aulicum & Principem adhibere. Hæc judicia ab aliquibus, lata fuère de prudentissimo æquè ac sanctissimo Præsule, qui toties habitus fuit à Cæsare Carolo, & ab ejus filio Philippo sagacissimis Principibus, pro summo Governatore; qui à D. Ignatio in gubernandis rebus Hispaniæ ac Lusitaniæ Commissarius designatus fuit; qui Romæ bis constitutus Vicarius Generalis magnâ sanctitatis famâ; de quo denique post Patrem Lainium in Societatis Præpositum generalem electo affirmavit Summus Pontifex, nihil Societati clariùs, nihil Romano Collegio utiliùs; nihil gratiùs efficere potuisse Patres, quàm eligere in Parentem, qui per totum Orbem sanctimonix laude celebrabatur. Sed de his satis. Simul ac susceperat dignitatem, quam ipse gravissimam sibi dicebat Crucem, toto pectore incubuit in observantiam Religiosam. Voluit singulas Provincias habere Tyrocinii domus, ubi juxta Societatis leges per biennium instituerentur Novitii; nullaque alia re, aut studio eos distrahi toto eo tempore à spiritualibus exercitiis, ut eò firmiores in solida perfectione, ac virtute radices agerent. Quamvis semper plurimùm viguit usus Orationis mentalis in Societate, ne tamen aliquando usu temporis tepesceret, statuit huic sanctissimo exercitio tempus, quod hodie servatur à lociis. Prohibuit ne tales opiniones, quæ studiorum fervore possent quandam novitatem sapere, scriberentur, aut legerentur in Societate. Quod ut eò constantiùs observaretur, selectissimos Magistros, & regulæ Societatis apprimè gnaros, sui que contemptus amatores præfecit studiis. Quamvis illis temporibus ob sanctitatis, doctrinæque famam quævisissent sibi per universam Europam viri Principes Confessarios è Societate: ne tamen Aulâ & æstimatione aliquando degenerarent Patres à suarum Constitutionum puritate, ac nitore, strictissimis eos obligavit paupertatis & observantiæ erga suos Superiores vinculis, ut passim legere est in variis hac de re editis Decretis & Constitutionibus.

C A P U T I I.

Ob ipsius dexteritatem ac prudentiam conservatæ in Societate quædam datæ à Fundatore Constitutiones : ejus allecti fragrantia, ac vita, plures unius anni decursu ad Societatem recepti sunt amplissimi Heroës.

52. **O**biit anno tum currentis seculi sexagesimo quinto Pius quartus, optimè de Societate meritis Pontifex; & susceptus in ejus sedem alius sanctissimus Pius, qui inter solemnem pompam, quâ deventi solent recenter creati Pontifices ad Basilicam Lateranensem, videns præ foribus Societatis, cum cæteris Religiosis nostrum Generalem, eum ad se accivit, priusque arctissimè eum complexus prolixiori detinuit colloquio, tolerantibus moram, qui comitabantur, Proceribus. Multæ ibi promissæ favoris & benevolentia tesseræ erga Societatem, ejusque Præpositum: multæ persolutæ tanto Pontifici grates, omnesque oblatis Patres, acerrimi ubicumque gentium, (quantumvis pareretur vitæ, aut salutis periculum) pro Sede Apostolica defensores: rei autem abundè probavit eventus haud perfunctoriè tum inter eos mutuò inita promissa. Cæterùm salutis anno 1567. maximæ superandæ difficultates. Pontifex enim, utpotè sanctissimè educatus in veteri Monachorum disciplina aliquantulum offensus fuit aliquibus Societatis statutis: ideoque in ea desiderabat Chorum, & Psalmodiam: tum etiam absoluto Tyrocini spatio solemniū votorum nuncupationem. Hic opus fuit, egregiâ prudentiâ, & dexteritate Patris Generalis, cujus rationibus, & sanctitati indulgit multa Summus Pontifex, licet professionem emitti voluerit antequam promoverentur ad sacros Ordines Scholastici. Sed in hoc etiam postea à Gregorio ejus successore dispensatum: Ad Societatem recepti hoc eodem anno morum & virtutum beati Francisci Borgiæ suavitate allecti plures, tum generis, tum Religionis laude nobilissimi viri: interque cæteros eam amplexus est Franciscus Turrianus clarissimus in Concilio Tridentino Theologus, & Fabius de Fabiis ex pervetusta Fabiorum familia, qui ad Religionis altiores dignitates infra summum Magistratum plurimis meritorum titulis ascendit: primum inter hos locum obtinet ob sanctitatem beatus Stanislaus Kostka, qui delatus Romam fugâ ex splendoribus suæ familiæ ad sequendum Christum, eum arctissimè complexus est in Societate. Adjungi etiam nominatim potest, tum ab majorum claritudinem, tum ob res prudentissimè gestas in Religione Claudius Aquaviva, deinde Præpositus Generalis.
53. Proximè sequenti anno humanis deliciis remisso nuntio ingressus est Societatem Rodolphus Aquaviva Atriæ Ducum Filius, qui postea gloriosam Martyrii palmam pro defensione Catholicæ Fidei reportavit.

C A P U T I I I.

Procurat, sed frustra, deponere Officium, atque egregia sibi ac Societati edit facinora.

54. **I**terùm à nostro Beatissimo Generali impensius laboratum in deponenda gubernatione, affirmante haud parem se esse tanto oneri; sed constantissimè obstitit Societas ejus petitioni, experienciâ edoctâ, quanti esset ponderis vigilantia, & authoritas sui Parentis ad augmentum & splendorem Religionis. Quamobrem omisso eo conatu supplicavit Pontifici, ut confirmaret Societatis Constitutiones juxtâ mentem Divi Ignatii ejus sanctissimi Patriarchæ; quod vitrò concessit Pontifex, ac simul instauravit privilegium, quo à Monialium cura eximuntur Patres, eò quòd ita ordinatum invenisset à Fundatore.
55. Hoc anno, nempè 1569. integram nostro Generali restituit salutem, atque omninò liberavit à febre, quâ divexabatur Beatissima Virgo, dum ejus domum, (quam Lauritanam dicimus) visitaret; indeque redux Romam, obtulit Pontifici pro Concionatore

toꝛe Patrem Franciscum Toletum, qui postea haud sine meritis, ex obedientia recepit purpuram. Maxima cum pompa, ac pro rei dignitate celebrari fecit primam translationem corporis D. Ignatii, viginti amplius horis pridie audita in loco suavissima Angelorum musica. In secunda autem ejus translatione, peracta tempore P. Claudii Aquavivæ, in novum Mausolæum, haud exiguo numero delabi videbantur stellæ. Sed ne divertat ab Historia, maximus Pontifex cupiens occurrere calamitati Ecclesiæ, duas instituit Legationes ad tres potentissimos Reges Hispaniæ, Galliæ, & Lusitaniæ alteram; alteram autem ad Cæsarem Regemque Poloniæ; commisit primam Nepoti Cardinali, dato ipsi in comitem B. Francisco. Quapropter vocat eum Pontifex: exponit, quanti ponderis ac momenti res suscipienda; se nempe mittere velle Cardinalem Alexandrinum ad eos, (quos jam memoravimus Reges) pro protegenda Ecclesia; nullum se alium potuisse invenire socium, aut aptiorem, aut majoris apud eos Reges authoritatis, Patris Francisci personam; id laboris pro amore optimæ atque undique concussæ Matris, generoso filio suscipiendum. Hic humillimus Pater, semperque strenuus Athleta in militia Dei, nihil sibi optatius, jucundiusve fore, (inquit) quam in obedientia summi Patris vitam defungi. Cæterum antequam discederet, impetravit à Pontifice duo diplomata; primum in eorum favorem, qui in gymnasiis Societatis Philosophiæ, aut Theologiæ navarent operam: secundum autem, quo inter mendicantes Ordines declaratur Societas. His præterea subdidit Pontifex amplissima elogia, quibus Societati nihil accidere potest honorificentius, utpotè pronunciata à tam integro Pastore. Adornato ergo itinere, ita cum suis sociis, & ad ipsius imitationem Cardinalis cum sua familia incumbebant cælestium rerum contemplationi, ut quiescere potius orandi dulcedine, quam defatigari viarum labore viderentur. Cùm ingressi tandem fuissent Barcinonem, quæ urbs ferè in ipso Hispaniæ aditu sita est, ingenti Civium lætitiâ, quippè qui probè meminerant, quam egregium eum quondam habuerant Proregem, exceptus est Franciscus. Quo magis penetratum regnum, eò ptura adhuc amoris, & benevolentiæ data signa. Legatum in Gothialania, Regis Philippi nomine, salutatam missus Ferdinandus Borgia, Francisci filius, regiaque patri hæc litteras obtulit: *Ferdinandum Borgia ad Legatum Pontificis missus, faciendam putavi, ut ad te quoque litteras darem, quibus certior fieres, tuas mihi redditas, postridie Kal. quintiles datas. De duodecim sociis in novam Indiarum Hispaniam, ad disseminandum Evangelium mittendis, per mihi gratum fuit, & habeo gratiam. Latus, & ille mihi nuncius accidit, qui salvum te venisse in Hispaniam attulit, & videbo libens. Cetera Ferdinandus tuus à me referet, quem ad te etiam ablegavi, cum salute, quam, & abste exposito. Ex D. Laurentii æde a. d. iix. Kal. Septembris anno 1571.*

Eodem ferè argumento, paulò tamen copiosius, alteras dedit Ferdinandus Spinosa, Episcopus Seguntinus; Concilii Regii Præses, & Quæstorum fidei Princeps, Regium Catholico in paucis carus, acceptusque. Valentia operiebatur Parentem Carolus Dux Gandiæ, cum numerosa manu propinquorum, & nobilium. Sequenti die ab illius Urbis Archiepiscopo rogatus, pro rostris Orationem habuit in principe Ecclesia, ubi à Nobilitate, & confertissimo populo summâ acclamatione & plausu auditus fuit. Inde cum ad Aulam, semper à Cardinalis latere pervenisset, non solum Regis Catholici, Imperiique Optimatum insigne erga se studium expertus est, verum egregiè etiam Legationis negotium, (ut pat erat) promovit. In Imperiali Collegio Societatis, ubi hospitio exceptus est, latinatis classes id petente ipso Rege, Regioque Senatu, erexit. Ita hic compositis rebus, susceptum iter est in Lusitaniam, parique felicitate & favore ibi gesta legatio, ac in Castella, ob incredibilem eorum Regum affectum & amorem erga Beatum Franciscum: deinde reditum per Castellam in Gallias. Rex Carolus Blesii, ubi casu tum degebat, cum Aulicorum flore biduo post ingressum Cardinalis, insidens equo prodivit obviam nostro Generali, deduxitque eum ad Reginam Matrem. Hæc reverenter admodum eum excepit, coëgitque sedere ad colloquium. Ipse autem cum
lentiùs

lentiùs sequentibus diebus egisset de commissa legatione, graviter & peramanter hortatus est filium, & matrem, ut strenuè tuerentur fidem Catholicam in eo Christianissimo Imperio. Humanissimè quidem auditus fuit à Regibus, tantaque pietate, præcipuè à Regina, ut vel invito, (ita demittebat semetipsum præ humilitate) dempsit pro reliquiis quosdam precarios globulos Beatissimæ Virginis, qui pendebant è cingulo. Quis non miretur hic zelum & integritatem hujus Dei Athletæ coram cellissimis Principibus? Haud faciliè sanè invenies, qui in his turbulentissimis temporibus toties, & tam bene excitaret potentiores totius Europæ Reges ac Principes ad defensionem fidei, ad Sedis Apostolicæ obedientiam, ad æquiozem gubernandi methodum, ad Dei amorem, Christianæque virtutis perfectionem.

C A P U T I V.

De ejus sanctissima morte, & funere.

56. **C**Æterùm finitâ jam legatione, dum rediret Romam quodam die, de more celebraturus, ingressus templum, illudque miserum in modum dirutum cernens; tanto animi dolore oppressus fuit, ut in febrem, quâ postea mortuus fuit, inciderit. In transitu, quod declinare non poterat, lautissimè exceptus Turini, & Ferrariæ ab illis serenissimis Principibus, atque ita ad urbem devectus est. Romana mœnia ingressus, graviusque jam gravecente morbo, haud corruente tamen animo, dixit: *Nunc dimitte servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace*: quasi prælagiens à se brevi obtinendam tot meritorum coronam; lætusque consumptam vitam in Sedis Apostolicæ obedientia, prout eum obligaverat quartum Societatis votum. Ad portam Flamineam iussit consisti lecticam, pro ædisque Virgineæ foribus ferè dimidiâ horâ junctis piè ac reverenter manibus, tacitus precessionem fudit ad sanctissimam Virginem. Confluxere statim ad complexum amantissimi Parentis Societatis Patres; & quamquam mœstissimum erat videre morientem; solatio tamen erat eum recepisse adhuc spirantem. Ergo donatus benedictione, plenaque indulgentiâ à Summo Pontifice, ac supremis ritè communis Sacramentis excessit ex hac mortali vita æternùm regnaturus in gloria, biduo postquam Romam venerat; paulò jam inclinata nocte in Kalendas Octobris, quæ incidebant in diem Mercurii, ætatis anno sexagesimo secundo; vir sanè magnarum virtutum, ac sanctimonix famâ celeberrimus, illius seculi decus, voluptas Principum, pauperum solatium, Societatis gloria, totius Ecclesiæ maximum ornamentum; ac de illo quidem uti tali doluit Gregorius decimus tertius, qui tum in Divi Petri Sede præsidebat. Multis postea circumdatus ac præfulgens inexplicabili gloriâ apparuit. Ad ejus funus tota Aula confluxerat ob sanctitatis famam, quæ undique de eo emanabat. Mirum, quam reverenter devoluti in faciem Purpurati Patres ac cæteri Proceres oscularentur ejus pedes. Initio in veteri Societatis templo juxta D. Ignatium ejus corpus sepultum est; sed postea inde ad Regis Catholici Aulam delatum, debitaque Beatis reverentiâ cultum, celebratumque.

C A P U T V.

Breviſcula descriptio ipsius personæ.

57. **E**legantissima dispositio corporis, omni que imperio dignissima: procera statura, oblonga, sed candore simul ac rubore temperata facies. Membris decenter admodum compositis corpus benè compactum: frontis dignitas, & majestas animi celsitudinem haud mediocriter indicabat; nasus aquilinus & longus; pulcherrimi oculi; rubicunda labia; incessus gravis, quamvis ab omni fastu alienus: integræ fuissent vires corporis, nisi mortificatione debilitatæ fuissent; attamen hilaritas, ac magnitudo animi prorsus

prorsus excellens. Ingenium quidem vividum, & peracutum, sed maturum, & quietum, haud inferior perspicacitate optimâ, quam obtinebat, memoriæ fœlicitas. Morum tanta castimonia, & paritas, ut vel ab incunabilis insitâ semper evitaverit honestate mimos, ac parasitos, qui in Principum aulis ansam præbent lædendi hanc virtutem. Duplicia verba ac mendacia intimis sensibus exosus est. Quod si de se quid laudis videret efferri, prudenter divertebat sermonem, & sine loquentium offensione. Quamvis de nemine mali alicujus suspicionem unquam formaverit, paucissimis tamen se credidit, nisi fuissent Confessarii, aut Superiores, quibus nihil poterat occultum tenere, etiam ex iis, quæ divinitus excipiebat, ne fortè exponeretur errori, si proprium sensum sequeretur. Dulcissima erat erga omnes conditione, falli malens de aliorum actionibus, quàm in malum sensum eas interpretari, etiamsi speciem haberent alicujus imperfectiois. Doctrina, quam adeptus est, tum in rebus Theologicis, tum in meditatione sacræ Paginæ, non tantum eximii ac præstantissimi fuit Doctoris, sed etiam auctæ, ac præmunitæ sanctitate ac spiritu, quo diligentissimæ vacabat rerum cælestium contemplationi; sui ipsius confusioni, & contemptui; in hoc imitatus præcipuas Ecclesiæ columnas, ac Doctores.

P A R S S E X T A.

De ejus virtutibus, Prophetiis, & Miraculis.

C A P U T I.

De insigni ejus humilitate, quæ sapius tentatorem hostem, (quippe qui aded superbus est) rubore suffudit.

Hujus Beati, ac celeberrimi Athletæ vita, undique redolebat cælestem sanctitatis fragrantiam. Nam grandior jam natu, opulentæ, ac delicatæ fortunæ haud leviter circumdatus blanditiis, ut primùm planè earum comperit vanitatem, generosissimè gradum ad solida Evangelii bona fecit; novumque vitæ genus excelso atque ardenti animo, prout ejus amplitudinem, tum generis, tum mentis & animi decebat, arripuit. In D. Francisci Assisii, cujus felicissimè videbat se decoratum nōmine, amorem tam proclivis fuit, ut Seraphici Patris vitam, & austeritatem fervidè imitari constituerit. In id etiam à principio maximè incubuit, ut ædificiò, quod ad fastigium Evangelicæ perfectionis evehere cogitabat, altissima jaceret fundamenta humilitatis. Itaque huc omnem meditationem, huc piorum lectionem librorum, huc sermones, huc omnem curam, & studia conferebat. Quidquid oculis cæterisque sensibus occurrebat, indè sedulò captabat materiàm, & occasionem abjiciendi, ac demittendi semetipsum. Quamobrem præclaras, atque ubique utilissimas de vanitate seculi observationes, & exercitia susceperat. Plurimus in ignium infernorum cogitatione solebat esse, proindeque interdum hortabatur alios descenderent in infernum viventes, si nollent descendere morientes. Cùm verò se tanquam ex inferis ereptum reputaret, nullum usquam locum aiebat esse, qui sibi non ruborem deberet afferre: simulque erat hoc ipso rubore tam contentus, ut sæpissimè oraret Dominum sui despectum, & confusionem. In concione, quam feriâ quintâ majoris hebdomadæ Septimanæ ad Novitios habuit, *Sex annis (inquit) ad Judæ pedes aptissimam esse mihi sedem credidi: at cum jam Christum Dominum videam illos abluentem, & tergentem, omninò arbitror mihi nusquam relictum esse locum.* Ex hac perenni propriæ confusionis consideratione, ut peramcenâ erat indole, & generoso in Deum amore, singulari gratiâ omnia ad sui contemptum derivabat. Itaque illius seculi anno quinquagesimo, cum solemni, quæ tantum decebat Principem, pom-

pâ Romam ingrederetur, obviam ei præmissis; uti gentis fert urbanitas; Cardinalium famulis, ac mulis, nunquam factum sibi aptiorem occursum dixit; *Quoniam bellua* (inquit) *excipiunt alteram belluam.* Ita Vallisoleti cum primùm in Religioso habitu apparuit, confluente ad spectaculum populo, Bustamantio comiti insurravit, sibi videri eos homines tanquam ad novum Elephantis, aut immanis cujusdam ligatæ feræ conspectum accurrere. Nec dubium, inquit, nisi Religionis hoc amictu Deus quasi catenâ me vinxisset, quin omnes bestias feritate superarem. Ita etiam in Civitate Portus, ubi quodam die fortè janitoris explebat vicem, cum humeris occisum porcum, quem in elemosynam acceperat per multos angustosque gradus in sublimem cellam silentio subve-xisset, mirantibus postea id factum Patribus, *Quid mirum,* inquit, *portus quod porcum ferat.* Hac eadem solertiâ utebatur adversus dæmonem. Inter meditando, cum sese rebus omnibus creatis postponeret, accidit vox ad aures: *Abi etiam humiliter consideratione:* haud inscius à Sathana prolatam vocem, faciam omnino, inquit, ac merito: tu enim ob superbiæ unicum crimen amisso Deo, Inferni tremaris flammis, æternumque ardebis: ego autem, qui tot, & tam gravia in meum Dominum commisi delicta, etiamnum vivo. Nec rarò postea ad excitandum in sese pudorem eadem utebatur comparatione. Aliâ vice audito strepitu in conclavi: bene est, inquit, quod meum confortium non fugias, quoniam jam diu ad eandem mensam, ex eademque lance vescimur. Idem hostis in triclinio sub humana specie ad eum accessit, dixitque, cur tantus Princeps inter has quisquilias? Cui Pater. Amplius ego de te miror, qui superbus adeò cum sis, congressum meum, capitis tam vilis, non erubescis. Ad Patres Lusitanos Ognato scribens: *Simon, inquit, vester, ac meus Pater, qui viva epistola est, melius enarrabit, quod ad hunc vestrum pertinet indignissimum, minimumque fratrem: minimum dico: quia quidquid ipse est, proxime accedit ad nihil. Me enim video haud mereri minoris nomen, quin potius major sum peccator quàm fuit Cain, quia ille ipse sum qui Abelem occidi, in quo accepta sunt sacrificia: videor ille Esau, qui fuit venator. Nam ego non solum fui venator ferarum, verum etiam animarum, irretiens eas, capiensque diabolo. Denique non sum minor uti Benjamin, sed ex fratribus majoribus, qui Josephum vendiderunt. Hæc loquor in Christo Patres, quo melius vilissimi vestri fratris misereamini; oratisque pro eo Dominum, ut illum velit ita minimum esse, ut regni celestis numeretur inter cives. Decimo quarto Kalendas Junias. Salutis anno millesimo, quingentesimo quinquagesimo primo. Franciscus peccator.* Sic temper subscribebat Epistolis, donec monitus à D. Ignatio morem communem sequutus est. Nunquam mentionem faciebat dignitatis antiquæ, nisi ut inter defunctos jam Duces divinæ se misericordiæ committeret, aut ut aliquando Principis titulo in viarum itinere necessaria invenire posset ad celebrandum; tum quidem patiebatur à socio nominari eo honorifico titulo, facetè adiciens tempus tum esse implorandi brachii secularis auxiliî: in cæteris autem nemine non inferiorem se reputabat.

C A P U T I I.

De ipsius patientia, & mortificatione.

59. **E**X hac animi submissione exortus ille vehementissimus ardor domandi corporis, ejusque cupiditates. Amicos vocitabat & adjutores solis fervorem, gelu, imbres, dolores, & si quæ alia ad mortificationem prodesse. Dum alicujus adversitatis sustineret injuriam, composito vultu, ac mente solebat dicere: quàm bellè nos juvat amicus; cum quadam veluti veneratione ejus ictus excipiens, ut satellites summi Regis, quibus obsistere appellabat nefas. Interdum cogitabat quid de eo foret, qui fortè eadem catenâ cum truci aliquo leone colligaretur, haud dubiè oraret ab omnibus præsentibus unum de tribus; ut vel mactarent bestiam; vel fatigarent, domarentvè eam verberibus, vel certè solverent à catena. Quod si ipse arma haberet, quibus semetipsum defendere posset,

ea procul dubio non abjiceret. Ita omnes aiebat colligatos esse cum vetere nostro ac ferociente homine. Stultissimi ergo qui suum leonem attingi nolunt, sed potius omisâ disciplinâ, & jejuniis, sui deditioem faciunt. Quod si magnum quid fuerit, Daniele paucis diebus inter leones conservatum; quantum (dicebat) donum Dei est, quod tandiù me, qui non Daniel, sed peccator sum, à tam sanguinei leonis faucibus liberavit per infinitam suam liberalitatem, & misericordiam?

Hac præmunitus cogitatione, non solum pacatè, sed suaviter etiam perferebat labores ac molestias. Non semel evenit, ut acerbiores per ministrantis imprudentiam oblatus cibos, sine offensione caperet, comederet, & laudaret. Quærenti autem Bustamantio, quomodo talia posset dilaudare? Respondit cum gemitu: Ah Pater! Si inferna gustares, hæc non abjiceres. Quidam Novitius ei oluscula paraverat, & summo quidem amore ac studio; sed ignarus notis herbis ignotum quoque absinthium miscuerat. Gustato absinthio, libentiùs totum absumpsit disculum beatus Pater; sed re demum cognitâ, Novitius admodum confusus, poposcit veniam; nunquam aptiores mihi oblatae deliciae, inquit Franciscus: nullus veniæ locus, ubi nullum delictum. Sed illud Bustamantii non minus ostendit ipsius submissionem ac patientiam: integrâ quadam nocte æger hic Pater, beatum Franciscum, qui ante ejus lectum humi in stipula quiescebat, ad omnem ejus nutum promptus, sputis scædum in modum cooperuerat: orto die inurbanitatem suam agnoscente, & ignorantiam prætendente Bustamantio, factum laudavit Franciscus, adjiciens, dignissimo loco excepta phlegmata, nimirum in sinu magni peccatoris. Urunt quidem acerbius vi illata cruciamenta, quam sponte suscepta: cæterum qui non contentus illatis, accersit etiam voluntaria, amplius constantiam suam probat, non tantum solidam, sed etiam efficacem. Hujusmodi erat Francisci invicta virtus ac fortitudo; quoniam lentissimè medicatas potiones, ac pillulas sorbebat ad excitandam memoriam aceti, & fellis, quod in sua Passione degustaverat Christus. Ejus continua fuit oratio, ut in pœnis haberet delicias, pro deliciisque hujus vitæ pœnas; honores pro ignominia, vituperationes pro gloria; ut quidquid non esset crux, veluti crucem experiretur, quò robustius ei posset oblistere voluntati, quæ Divinæ toties obstitit. Rogavit eum aliquando Bustamantius impetraret sibi à Deo, quod ipse Franciscus magis sibi appeteret; necdum tertia abierat hora; cum vehementissima feбри, capitisque dolore ita correptus fuit, ut vix mente consisteret. Atque hæc Francisci, (inquit) vota, hanc sibi optat scelicitatem: ocyùs iterum ad ipsum pro remedio recurrit, tanti doloris acerbitati imparem sese professus. Rem postea, non sine sui ipsius demissione commemorabat, increpans suam audaciam, quâ nimirum pusillus suscipere gigantum onera voluisset. Affirmabat Franciscus acerbam fore sibi vitam, si sciret obeundam sibi mortem eo die; quò nihil asperi subiisset: ita omnes dicatos huic studio habebat dies. Quapropter in Ognatensi secessu amarescere sibi afferebat cibum, quando eodem die rigorosissima disciplina non præcesserat; lenteque ad eò in se flagris sæviebat, ut socius nonnunquam verberum ictus amplius octingentos numeraverit. Ciliciis specie ipsâ horridis utebatur. Aliquot quotidie horas terræ appressò ore perseverabat in oratione, unde dentes plerosque amisit; regiam dicebat ad cælum viam peccatori esse dura & aspera pati. Avarissimi instar negotiatoris, undecumque captantis lucra, vacabat sui ipsius mortificationi, nullo tempore, locovè eâ remissâ curâ. Inter peregrinandum apud locupletes hospites, nec in mensa cibos, quantum fieri poterat, nisi Societati usitatos contingere; nec in mollibus lectis, sed in culcitrīs humi positīs recubare solebat, quas nocte digressis arbitris detrahebat è lectis, maneque in suis locis, nè id innotesceret, sedulo reponebat; vellebat sibi cum dolore carnes, vellicabat artus, calceis arenam, & scrupos inferebat: per solis æstum, gelu, ac nives lentiore gradu incedebat: tolerantiam materiam quantum alii declinabant, tantum ipse sibi conquirebat. Quemadmodum si quis per imprudentiam nocivis amicum feriat armis, ea, jam rei conscius impatienter abs se

proicit, conteritque pedibus: ita sibi suos aiebat proculcandos sensus, qui Christum dilectissimum animæ suæ Sponsum offendere ausi fuerant. Quare non aliter sua membra, quam ut fatales hostes reputabat: Nec debilitata ætas, aut diuturni languores eam unquam depellere valuere acerbis famem, ut apparet ex eo piissimo colloquio, quod paulò ante exitum habuit Madriti cum Joanna sua Sorore Religiosissima Excalceatarum sanctæ Claræ Abbatisa. Sic enim illam affatus est: Soror, conveniens professioni nostræ res hæc, ut quater, ac vicies quotidie, (horis nimirum singulis) nos tamquam in mortis momento constituamus, ut ex iis simus, de quibus ait Apostolus: Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Mecum quidem satis bene jam agitur, cui dicere fas est, quotidie morior.

C A P U T I I I.

Haud impar memoratæ tolerantie paupertas, quæ Evangelicæ perfectioni studuit; nec huic inferior ejus obedientia.

61. **H**Aud absimile huic patientiæ ejus Evangelicæ paupertatis studium, tantò commendabilius in Francisco, quantò à re ampliore transitum ad summam paupertatem fecerat. Quod quidem studium ut illà sui mirabili submissione asperabat ex una parte; ita mitigabat ex altera. Declaravit id Franciscus ipse cuidam Dynastæ, qui mirabatur, quemadmodum posset iterum ærumnas in tanta rerum egestate tolerare. Nil mirum id, inquit, non enim (uti opinaris) ita imparati incedimus, præmissis in itinere, qui diversoria, cæteraque ad voluptatem procurent: suspenso Dynasta, ac sciscitante, quosnam ejusmodi antecursores diceret? Ita subjecit, mi Domine, cognitio mei, & reputatio illius quod promereor, nempe flammæ supplicii mihi in his occasionibus metatores sunt: Diversorium ita nullum desertum, aut miseram inveniunt, quod paratissimum à deliciis non repentent.

62. Denique non in vestitu solum, victuque; sed in publica etiam Societatis moderatione hujus virtutis summam attigerat; præcipuè in fabricandis Collegiis, quæ planè non pauperum domicilia, sed paupertatis diceret. Obsecundare si voluisset proprio desiderio, Professorum domos oppidatim, pagatimque sparsisset; sed ut in viro perfecto coherent sibi mutuoque respondent cunctæ virtutes, ita redegerat Franciscus suas optiones ad aliorum normam, ut in eo nihil inferior cæteris virtutibus obedientiæ vigor. Statim ut Ognatum secessit, austerum Præsidem habuit, à quo sic exercebatur, ut etiam in construenda domo velut infimus Operarius fatigari permetteretur; ipsi tamen nihil dulcius aut suavius eâ obedientiâ. Mandavit deinde sanctus Ignatius, ut, quoniam nimium pietatis abreptus æstu in se ipsum sæviebat; in iis, quæ ad regendam valetudinem pertinerent comiti obtemperaret. Is religiosus Coadjutor erat, (cui nomen Melchior Marcus) huic vix diei potest, quam obediens fuit Franciscus. Non ita assentatores Aulici alienos induunt mores, ac ipse ex arbitrio pendeat Melchioris Marci. Vesceretur ad Marci nutum, ad eundem abstinebat. Si libuisset Marco ambulabat, nec minus libenter quiescebat; si Marco id potius arrisisset: velut planè mortuus suis, Marci dumtaxat, (aut veriùs Christi, quem audiebat in Marco,) sensibus uteretur, & viveret. Exercebat in eo bonus frater ita strenuè dominatum, ut si quæ ipsum res interdum aliquo avocarent, vicarium (liceat ita dicere,) relinqueret edoctum, quid interim fieri vellet, admonitumque; ut diceret, ita Marcum jussisse. Nam ea sola vox omnem cunctationem Francisco eximebat. Si ad juvandum Coquum exercendæ humilitatis gratiâ veniret, non sustinere poterat ab ejus præscripto, vel latum, ut aiunt unguem, recedere. Itaque jussu quondam in duobus æreis vasis ferre aquam, obvius fortè quidam Pater, gerenti nunquam extorquere potuit vas alterum: quod Coquus ferre ipsum utrumque jussisset. Nomen obedientiæ usque eò venerabile habuit, ut antequam Commis-

missarius crearetur, si quando ad habendam Concionem, aut aliud quid invitaretur ab iis etiam Rectoribus, quibus non obligaretur per obedientiam, ita se facturum diceret, si id juberent, malens imperio secum agi, quam precibus; non quod stimulos ad obsequendum requireret; sed ut semetipsum ad subditi normam redigere posset. At erga eos, quos semel obtinuerat Superiores, vel ex una ejus rei memoria venerationem perpetuam conservavit. Acceptas à divo Ignatio litteras antequam resignaret, procumbens in genua supplex orare Deum, ut quæ litteræ illæ mandata ferrent, ea sibi & intelligere rectè daret & facere; nec secus deinde quàm oracula eas legere, implereque jussa. Cujus obsequii haud inscius sanctus Patriarcha, nihil ferè Francisco præscribere; sed leviter tantum suam adumbrare sententiam solebat, liberrimè ipsi facta copia utendi consilio: quæ verò re indulgentia Patris, & obedientia filii perpulchrè inter se certabant. Obedientiam vocabat tutissimam navim, quæ Religiosi inter humanæ hujus vitæ fluctus tranquillum, ac ne somno quidem interruptum ad æternitatem tenere possent suum cursum. Eam tanti faciebat, ut diceret sperare se Societatem tribus maximè præsiidiis conservatum, & amplificatum iri: Orationis, & pio Sacramentorum usu; adversariorum molestiis, & obedientiâ. Nam primo attrahimur ad nostrum Creatorem; ex secundo deliciarum oritur contemptus; postremum autem mirè inter se & cum capite conjungit Religionis membra.

C A P U T I V.

Quàm mortificatum habuerit amorem familiæ, & sanguinis?

Non rarò usu venit, ut quemadmodum Parentes multa filiis exoptant, quibus ipsi se frustrari haud difficulter patiuntur; quidam sic Religiosi viri sua citius, quàm propinquorum commoda aspernentur. At quem Franciscus erga suos, ac nominatim erga liberos, naturæ commendatione charissimos, conservaverat animum, nec Imperatorem Carolum Quintum, nec Pontificem Pium quartum latuit; quoniam cum maximus ille Cæsar ei narrasset Sancium Cardonam, ex supremis Aragoniæ Præfectis vehementer conquestum fuisse de Carolo ejus filio Gandiæ Duce, quod per injuriam obtineret regionem, quam jure ad se dicebat pertinere; respondit Franciscus ignorare se quidem unde jus illud esset: cæterùm rogare se Cæsarem, ut Cardonæ non jus modò conservaret, sed clementiam quoque adjungeret. Subjiciente autem Imperatore; itane liberorum causam ageret? Æquum videtur, inquit, majori indigentia, quæ fortè penes alios est, gratiam impertiri. Pius autem quartus, cum peteretur dispensatio pro Alvaro Borgia, Beati Francisci natorum uno, ut cum sororis filia nuptias contrahere posset, ad quam Alcanicii Marchionatus hæreditate pertinebat, miratus nullum à Francisco factum sibi verbum ea de re, ultrò accitum interrogavit, cur, cum perspectam satis haberet Pontificis erga se, suosque voluntatem id reticuisset? Cui Franciscus: tametsi à multis rogaretur id negotii suscipere, annuere se tamen noluisse, quod vellet potius consilio bonæ existimationi tanti Pontificis, quàm liberorum commodo. Attamen ea est mea sententia, inquit, cum hinc Patruus, inde Avunculus æquo propinquitatis intervallo idem matrimonium petant, ut nubendi optio fiat ipsi virgini; sic videlicet, & remittentur querimoniæ partium, & liberius contrahetur matrimonium. Tum Pontifex præter integritatem viri, prudentiam quoque suspexit: Sed Alvarum lege solvit, illud tantum adjiciens; ad Dei gloriam pertinere, ut, siquidem Francisci erga Romanam Ecclesiam tot existerent merita, & eò usque filiorum oblivisceretur propter Dei amorem, eorum res Apostolicæ Sedis curæ essent. Ubi filiam Isabellam amiserat, elegantissimam sanè feminam; demiranti Lusitaniæ Principi Joanna, quod tam parùm doleret de jactura talis filie, sic respondit: Deposito Dominus qui id crediderat, idem appetit: non igitur militiam alieni reddito, sed usura gratiam postulat; præsertim

cum ad sempiternam quietem ab hujus seculi turbulentissimis fluctibus eam commigravisse speremus.

C A P U T V.

De ceteris ipsius virtutibus.

64.

Non mirum in caelestes adeò transisse eum mores, cui tanta cordis munditia, & commercium cum Deo. Mori potius volebat, imò Averni pati supplicia, (ut interdum addebat,) quàm vel levissimâ noxâ divinam Majestatem deliberatè offendere. Ordinis regulam in bis perscrutanda singulis diebus conscientiâ strictissimè observavit, imò acuratissimo examine, secum vocabat ad iudicium suam mentem, vires, linguam, manus, oculos, cæterosque tum internos, tum externos sensus, & si quid aberratum deprehendere posset, (purissima autem illa acies plurima dispiciebat, quæ alios etiam bene oculos fugiunt,) ad sacrum Judicem bis quoque illud singulis diebus deferebat, semel ante Sacrificium Missæ, & iterum noctu cum ire vellet cubitum: qua de causa interrumpere ejus meditationem frequenter studuit dæmon, nunc ridiculi Simii, nunc proceri admodum ac deformis gigantis specie, subsannando, territando spectris, sed signo crucis præmuniens se Dei Athleta, haud ægrè superabat ejus insidias, ac tentationes.

65.

Tam celeri volatu conscenderat ad perfectionem, ut nihil secum crebrius decerneret in meditatione, quàm de integro ita ferri in Dei obsequium, quasi primùm tum auspicaretur ea in re tyrocinium: Mirum profectò quantoperè jam Senex & cæterorum Præpositus insisteret orationi, ut perseverantiam in Societate, perfectamque votorum, ac præcipuè castitatis custodiam à Deo impetraret. Considerabat interdum sese velut senescentem; sensimque degenerantem arborem; adhibendamque dicebat operam, ut amputatis vetustis ramusculis, atque inserto de Christi Cruce generoso furculo posset iterum pulchrior, feraciorque germinare. Sed præcipuè utebatur eâ similitudine horologii, cujus rotæ, cum assiduè laxentur, ac discordent, perpetuâ item indigent, ut ad justum iterum temperamentum revocentur, curâ. Quamvis orandi consuetudine jam sibi vertisset penè omnia loca, quasi in piissima sacella, negotia omnia in fomitem meditationis; seipsum tamen, veluti quandam Cytharam, aut aliud id genus instrumenti musici cogitabat, ut eò impensius laborare posset in edenda dulcissima harmonia eo tempore, quo vacaret rei caelestis contemplationi. Huic spirituali exercitio ita deditus fuit, ut mallet haberi pro fatuo à secularibus viris, quàm sine eo mentis partu temporis iacturam facere. Sub mediam noctem, quinas interdum in summa illa orandi tranquillitate, senasve, quasi nullam præsentens moram, transigebat horas. Cordis sui centrum vocabat orationem: ita ferebatur ad illam; ita in eadem quiescebat, ut jam extra suos sensus raptus, jam venustissimè ardere radiis ac flammis videretur. Dum Methymnæ Campi oraret, adiit ipsum Pater Hieronymus Ruisius Portillius, qui illius urbis Collegio pro Societate tum præerat, & postea Peruanæ Indorum Provinciæ, Francisci vultum formosissimâ luce undique splendescere vidit. Quid simile Catharinæ Mirandæ eximiâ sanctitate sceminæ obtigit, dum intererat sacro, quod Hispali celebraverat Franciscus. Idem in Berlangæ Villula deprehendit Pater Doctor Ayala, qui dum interpesta nocte accedit ad ipsius cubiculum consilii gratiâ; amoto autem omni naturali lumine, omnia circiter clarescere obstupuit tam fulguranti luce, ut perstrictis oculis ipsum solem observare videretur. Erga Christi Domini mysteria dulcissimè affectus, ejus sanctissimam Incarnationem in Sacrificium matutinum, ejusque Passionem, & Mortem in Sacrificium vespertinum offerebat. Dum rei sacrae ad quam mirè se disponebat, daret operam, ita rapiebatur præ amore ac dulcedine illius sanctissimi Mysterii, ut toto vultu ignescere videretur. Id muneris divino quodam instinctu consequutus est, ut inferens pedem

pedem in templa, sagacissimè statim præsentiret, quo loco venerabilissimum Sacramentum servaretur; nec quo ad hoc unquam, (lampades licet interdum, aliaque argumenta fallerent,) ipsum falli accidit. Quanta ipsius devotio erga sanctissimam Virginem fuerit, quam Matris loco semper habuerat, nullius eloquio, quantumvis Rhetoricæ munitus penicillo, & coloribus pro dignitate adûmbrari potest; ita dulcescebat memoriâ hujus gloriosissimæ Reginae. Cæteros autem cælites suo coluit ordine, ac miro quidem affectu, ut plurimis argumentis ostendi potest, sed ne prolixior fiat Historia

C A P U T V I.

Quaedam prænuntiat, miraculosè priùs cognita, quàm contigerant.

A NNO ejus seculi altero, & quinquagesimo, cum Ognatum Gandiâ advenisset 66 nuntius, significaturus Carolo Duci natum fuisse filium; præoccupavit ipse Sampsonem, (hoc nuntii nomen) dicens: bene adsis Sampson; quomodo se habet Francisculus? Demirante nuntio, quisnam sibi, qui nihil ad celeritatem omiserat, præripere potuisset tam fausta nova, salva (inquit) sunt tibi, Sampson, tua præmia. Ter ego salutabo pro te beatissimam Virginem; cætera, Duci scribam, ut ipse persolvat. Francisco Brioni graviter ægrotanti semel atque iterum prædixit, nequaquam eum periturum eo morbo, sed brevi, ut accidit, recuperaturum salutem. Ultimo eo tempore, quo reliquerat Castellam P. Joanni Suario prænuntiaverat suam mortem, dum perveniret Romam; eum autem rursus præfuturum Provinciæ Castellæ, quæ omnia ita obtigerunt. Comiti suo Marco jam propè moribundus, fore prædixit, ut in Indiam proficisceretur, cum nihil minus cogitaret Marcus, quàm de tali navigatione, peregrinationeque. Mirum quod evenit Joannæ Aragoniæ ejus filia, quæ Marchioni Alcanisio nupserat. Hæc quodam consternata morbo, adeo ut jam deploratâ salute sub forma viatici receperit sanctissimam Eucharistiam: filia rogavit Patrem, ut sibi jam moribunda opem aliquam impetraret à Deo. Cui sanctus Parens; id si fecero, temperabis tibi ipsi ab ornatu vestium? Omittes inutiles Heroum libros? Id haud gravatè faciam, inquit; infirma. Quo promisso, divinum deprecatus numen Beatus Franciscus, licet breviusculâ oratione; sed ut effectus ostendit, efficacissimâ. Ne timeas jam, inquit, filia mi, sanaberis quidem; longior tibi reliqua vita, quàm mihi, quamvis non ita diù. Hoc prædixerat Pater, implevitque verè Deus, quod promiserat. Quoniam haud amplius duobus annis deflevit obitum Parentis superstes filia. Non prætereundum silentio, quod accidit alteri filiae Lermæ Comitissæ mensæ accumbens cum Parente (hoc interdum faciebat prudentissimus Pater, ut eò suaviùs insinuaret sua consilia filiis) radicitus avulsam dentem exeruit. Hanc ob rem cum affligeretur, multum id formositati suæ nociturum existimans, subjecit facetè admodum Pater, manu sustinens collapsum dentem; quàm parum decori comparebimus filia mi, sine hoc dente; illa iis verbis in majorem incidit tristitiam. Ipsi autem miseratus Pater, huc accedas, inquit; absint jam mœrores, dentemque reducens ad suum locum, addidit; hic saltem non deficiet; sumat jam cibos; quasi futurum prænuntians, ut reliquis dentibus firmiùs gingivæ adhereret in posterum, quod ita successisse fama est. Quoniam cum multis jam annis defuncta esset Comitissa, cæteri que ipsi defluxissent dentes, ille solus haud de sua sede dimotus est. Lermæ Duci, antequam à privatis Consiliis Regi Catholico Philippo tertio esset; prophetico id ipsi spiritu denunciatum est à suo sancto Avo Francisco Borgia. Pluribus hic opus esset, si recensere vellem omnia, quæ eodem spiritu prædixit cæteris suis filiis, Patribusque Societatis de eorum obitu, periculis, salute, egregiis facinoribus, & fœlicitate.

Quorundam ex plurimis, quae patravit in vita, mirabilibus Compendium.

67. **S**egoviae Ferdinandum Solierium ex tertiana decumbentem febre invisens comiter eum rogavit; quid ita operiretur exasperationem morbi; (accessionis enim jam ferè instabat tempus?) Tu ergo reverende admodum Pater, inquit infirmus, ejus impressionem comprimas, & ego haud invitus desinam talem congressum operiri. Ita sit, inquit Pater, impero tibi, febris, ne laceffas deinceps Solierium: continuo autem, (magnum sanè miraculum,) morbus veluti audito imperio prorsus cessavit, repenteque recuperavit integram salutem infirmus. Pater Christophorus Rodriguez mandatum habuerat à beato Patre Francisco Borgia quandam suscipiendi pro Dei gloria peregrinationem. Tum autem aegrotabat Christophorus, sed obediendi avidus, fretusque sanctitate & orationibus praecipientis, monuit ipsum de morbo, haud obtendi tamen à se eam excusationem, si consentiret Superior. Iterum repetiit mandatum B. Franciscus, suaviter innuens è caelo procul dubio tam liberali obedientiae subministranda auxilia; statim autem obsequutus est infirmus, plurimaque hilaritate ac salute commissum sibi adornavit iter, absoluitque. Vallisoleti unius anni puellulus cujusdam Principis Matronae unicus filius, deploratus à Medicis, jam ferè reddebat spiritum; misit afflictissima Mater, qui citò vocaret beatum Franciscum; venit, collectusque parumper ad orationem, inflammari toto vultu videbatur. Tum simul moveri quoque infantulus coepit, atque aperire ocellos: sed sine imposito orationi, jussit bono animo esse Matrem beatus Franciscus, & quàm maximas referre grates summo Numini, quod aliquantulum diutiùs produci sineret vitam filii ad parentis solatium: cæterum eum deinceps committeret Divinae voluntati. Prolixius autem prosequutus colloquium, egit de injuria, quae inferri potest infantulis, dum hic desideratur eorum temporalis salus cum aeternae tanto discrimine. Tum Mater: reverendissime, inquit, Pater, ad aeternitatis discrimina non peto ego vitam mei filii; ni postea aditurus sit gloriam, ne modò tentemus Deum; fiat de ipso pro dispositione Divinae voluntatis, ac misericordiae. Satis jam, replicat Pater, aliquantulum diutiùs vivet, foreque spero, ut qui jam ipsum donat temporali vitâ, ad aeternam quoque eum perducatur suo tempore. Annorum deinde aliquo facto intervallo, dum jam floreret ætate juvenis, sed ornatus jam virtutibus, plurimis datis signis praedestinationis sublatus est, (uti piè credi potest,) ad aeternitatis delicias. Contraxerat in quadam peregrinatione alterius humeri intensissimum dolorem ex aquis & frigore Pater Dionisius Vasquius. Ejus commiseratione ductus beatus Franciscus immergi statim jussit aquae frigidæ linteam, applicarique malè affecto humero. Vix autem id factum, adjectâ prius ejus benedictione, quando liberatus omni prorsus dolore Vasquius, suum iter prosequi potuit; cum tamen certum sit, haud naturale fuisse illud remedium. Nihil enim magis contrarium ad depellendum morbum, cujus omninò causâ à re frigida, hujus ipsius rei applicatione. Eam tamen diligentiam adhibuit humillimus Pater, ne divulgaretur miraculum. At verò non mirabiliùs mederi supra naturam, quàm eadem virtute inducere corporales morbos ad salutem animæ. Duo clarissimi apud Hispanos viri, Pater & filius, maximis inter se discordiis diffidebant; adiit Parentem beatus Franciscus: eum dulcissimè invitavit, ut reconciliaretur cum filio: sed nullo eum pacto dimovere valuit à conceptis jam odiis. Cæterum, quod abnuerat ille, haud difficilè fuit nostro Francisco impetrare à Deo. Ad asyllum orationis se recepit, ubi concessum, ut, dum ille Princeps vacaret agitandis feris, corriperetur periculosissima febris, quâ ferè desperabatur de ipsius salute. Cognito jam periculo jubet ad se vocari beatum Franciscum Borgiam; agnoscit coram ipso culpam; vitæ proponit emendationem, atque admittere in amicitiam filium. Jucundissimè his auditis, monuit eum

B. Fran-

B. Franciscus, ne consterneretur animo, se oblaturum Divina mysteria pro ejus salute i-
 perfecit quod promiserat, & continuo ille Princeps antiquis viribus restitutus est. So-
 clo Concionatori, ne impedimento forent ad prædicandum Evangelium restituit den-
 tes. Mariam Barrassam, gravi quodam lentoque trium mensium divexatam dolore, sola
 impositione manus sanavit, ut ex processu, qui confectus est ad ejus Canonizationem,
 constat. Pauperioribus Collegiis à Deo interdum miraculosè impetravit ad vitam susten-
 tandam necessaria, Eâ religione colebat sacras reliquias, ut coram Principe Joanna, Ca-
 roli Quinti filia, aquæ, quibus immerferat quandam ligni crucis particulam sanguineum
 induerint colorem; atque ex particula item pellis Divi Bartholomæi, sicca admodum &
 arida, quam diviserat, cruoris gutta in linteum, quod infra erat, defluerit. In Lusitania
 ad ripas Tago fluminis haud procul ab Aula situm est Cœnobium Franciscanorum.
 Hic dum sudum esset cælum, atque adeò non sine aliquorum risu monuit Religiosos,
 proximè sequente nocte ad alteram partem remotiorem à mari se reciperent, quoniam
 ferociente illo elemento haud mediocre sustineri posset damnum. Ingruit nox, & simul
 tam atrox tempestas, ut irruentibus undis per Cœnobii fenestras subsidio indiguerint
 fratres ad sui incolumitatem. Hujus rei memoria etiam hodie narratur in illo Cœnobio.
 In aliis quoque occasionibus, (de quibus Pater Eusebius Nieremberg,) liberavit haud
 absimili revelatione socios tempestatibus, incendiis, & ruinis.

Tremendum obstinatis peccatoribus jam aggredior exemplum: sed describitur in in- 68.
 formatione, quæ de hujus beati Patris Canonizatione instituta est. Ex sui Regni nobili-
 tate Primarius sanè, & amplissimus vir, ad extremum vitæ deductus, nihil minus cogita-
 bat ob inveteratam jam peccandi consuetudinem, quàm de æterna sua salute. Nullâ viâ,
 aut consilio ipsi persuaderi poterat, ut pœnitentiam ageret de peccatis. Beatus Franciscus
 rei miseratione, ut par erat, ad Crucifixi pedes, quem secum in suo recessu habebat, se
 suppliciter abjecit: fervore, & precibus contendit à cœlorum Domino, dignaretur pro
 suo infinito amore respicere miseriam illius infirmi. Dum in hunc modum prosequere-
 tur orationem, vidit sublevari caput à pendente Domino, è cruceque sibi dicere: adiro
 infirmum: dum eum monueris de pœnitentia, ego ipse sub specie Medici utrique assis-
 tam: his munitus subsidiis, accessit ad moribundum devotissimus Pater: movere eum
 contendit incredibili suavitate, & efficacia, subministrante simul suas inspirationes, & au-
 xilia dulcissimo JESU, qui sub memorata forma aderat; sed contumacior peccator, de
 filice, aut marmore excisus videbatur: tam barbarè repellebat à se remedium. Tum san-
 ctissimus Deus blandæ valedicens Patri, eumque relinquens in suis colloquiis, è conspe-
 ctu abivit. Quo viso iterum rediit ad suum recessum Franciscus, ardentiori incubuit ora-
 tioni coram sacratissimo Crucifixo. Sed iterum etiam respondit ipsi Christus: ut videas,
 quàm vehementer optem salutem illius miseri hominis, ferar à te illuc. Accipit eum ve-
 nerabundè Pater, convolat ad ægotum, dimittit foras turbam, solusque agit cum illo de
 æternitate, de ipsius periculo, de impœnitentium pœnis, de facilitate pœnitentiæ, de
 amore, & magnitudine Divinæ misericordiæ; sed haud minor jam illius calamitosissi-
 mi peccatoris pertinacia, quàm antea. Cæterum, (ô Dei mirabilia!) omnibus vulne-
 ribus cœpit manare sanguine affixus Redemptor; invitare eum ad pœnitentiam, loque-
 lâ & signo insinuare quanto eum redemisset pretio in sua cruce; sed etiamnum surdes-
 cente illo peccatore, solvit è ligno alteram manum, ad lateris vulnus eam ducit, implet
 manante sanguine, atque in faciem illius impœnitentis hominis conjicit cruorem, ad-
 jungens condemnationis sententiam; nempe cum noluerit uti ad salutem tam pretioso
 liquore, ei fore jam totâ æternitate ad pœnam, & supplicium. Tum prorumpens in hor-
 ribiles blasphemias maledictus Reus, tradidit perpetuis flammis & ignibus suam animam,
 executoribus Divinæ sententiæ. Beatus Pater rediit domum cum sancto Crucifixo, sus-
 pensus admiratione, quæ in tam raro eventu quemlibet occupare posset. Claudet jam ca-
 pitulum, quod de hoc felicissimo Beato in Imagine primi sæculi lib. 5. cap. 8.

IX VITA SANCTI FRANCISCI BORGIAE.

circa finem. Franciscum (inquit) *Borgiam* orantem aliquando deprehenderat Marcus viri socius, & (quod rariùs, animadverterat,) manantibus ex singulari lætitia lacrymis largè perfusum. Rogat ergò, causam uti promat tanti solatii, & cum urgendi, instandique non faceret finem, ita demum ex Francisco intelligit: *Scito Marce frater, hæc ipsa verba Borgiæ sunt cum fide transcripta, Deum impensè amare Societatem, ei que concessisse beneficium, quod olim Ordini sancti Benedicti; nimirum, ut trecentis primis annis, nemo qui in ea ad mortem usque perseveraverit damnetur.* Quod si in hoc, (subjungit idem Author,) ego erro, (nec enim fide constat aliã, quàm humanã,) quod animos sociorum beatos fore confidam, libenter erro; dum tamen hic error, quo delector atque sustentor, magis excitat ad virtutem.

C A P U T V I I I.

De aliis Miraculis per eum, hac jam defunctum vitã, patratis.

69. **D**Eus, qui solet esse mirabilis in suis Sanctis, non modò decoravit hunc sanctissimum virum dum versabatur in hac mortali vita, sed etiam jam exceptum æternitatis gloriã, grandioribus miraculis, quæ in ejus Canonizationis processibus lecta sunt. Francisca Milan una è famulis Franciscæ Aragoniæ lateris dolore adeò vehementi feralique correpta est, ut jam penè mortua desereretur à Medicis: dum parabatur illi ultima Medicina, quam præscribere poterant, in somnis videbatur sibi persuadentem quemdam Patrem Societatis videre, malè affecto lateri admoveret Reliquias beati Francisci Borgiæ, cæteraque omnia respueret remedia, utpotè quod illo altero prorsus restaurare posset salutem: excitata è somno clamat, oratque præsentem, abstineant medicinis, sine mora sibi petant reliquias beati Francisci Borgiæ. Quis in eo articulo denegaret solatium? Eodem ergo tempore adhibitæ sunt reliquiæ, & mitigatus infirmæ dolor, ita ut subitò suis antiquis viribus, ac saluti restituta sit. Postea ad eam delatã imagine beati Patris, quã exprimebatur in juniore ætate, haud concedebat eum esse, quem ipsa viderat in somnis: aliã autem priori substitutã, coramque positã, quæ eum repræsentabat jam ut seniore ac Religiosum; hic, hic, (inclamavit) qui me planè allocutus est; cum tamen nunquam antea conspexisset ejusmodi imaginem. In quodam Cœnobio Monialium Divi Benedicti urbis Recanatensis, quæ haud longiùs, quam una leuca distat à Lauretana Virgine, ita laborabat toto corpore per quinque aut sex menses Justina Andici, admodum nobilis virgo ejusdem Cœnobii ac civitatis, ut ferè demortua viderentur omnia ipsius corporis membra, nec sufficerent Medici, aut medicinæ ad salutem. Sancti Petri Martyris nocte cœperat ultra modum excruciaci doloribus, accurrit pro subsidio ad beatum Franciscum Borgiam, quem jam antea elegerat colebatque ut Patronum: Sanctissime (inquit) Pater, ac mihi singulariter auxilium & Patrone, ni amanter jam opem feras his cruciatibus, ego de mea imbecillitate fateor, me ampliùs sustinere eos non posse. Vix hæc absolvit, cum clarã distinctaque voce jubetur adire Chorum, ad exordiendam cum cæteris virginibus precationem matutinam. Obstupescit voce, atque in primis præcepto: repetitur iterum; ad quid moræ, cum expectent in Choro sociæ, & ipsa potiatur salute. Extendit contractum pedem, ut probet, si vera illa, quæ audit, sanamque se comperiens prosilit è lecto, progreditur ad Chorum omnium stupore & admiratione. Hujus quoque rei testis Cardinalis Araceli, qui haud multò antea visitaverat illud Monasterium, probeque noverat infirmitatem, ac morbum illius virginis. Gandiæ variis temporibus integram miraculosè recuperarunt salutem Joanna de Burgos, & Franciscus Soliva, qui gravioribus laborabant morbis, per intercessionem hujus gloriosissimi Sancti. Quinque in diversis quoque occasionibus haud leviter febricitantes ab eo planè restitutos sanitati commemorat Pater Eusebius Nieremberg in hujus S. Patris vita, quam Hispanicè scripsit *lib. 6. cap. 9.* atque inter cæteros Margaritam Austriacam, Reginam Catholicam, Philippi

lippi tertii uxorem. Hæc devotissima Princeps, postquam ingenti dolore in lucem ediderat filium suum Carolum, haud mitioribus jam à partu defatigata est tertianis febribus. Accepit hoc ipso tempore haud exigua veneratione à Religioso quodam Patre Societatis JESU, (nomen ipsi Richardus Hallerius, quo pœnitentiæ utebatur Ministro, reliquias beati Francisci Borgiæ: ei semetipsam commisit, quo majori potuit affectu, oravitque, ut qui ab aliis tam mirabili imperio prohibebat morbos, sibi quoque eum dignaretur impertire favorem. Haud effectu sanè frustrata tam humilis petitio; numquam enim ex illo tempore eam invasit febris, penitusque abacta est. Sed non prætereundum silentio, quod Hieronymæ Cardonæ Marchionis Villaloris filix obtigit. Dum hæc tam notæ nobilitatis juvencula adeò periculosè laboraret pariendi angustiis, ut jam inter se consulerent Medici de dissecando foetu; quippe qui aliter salvâ Matre abigi non poterat. Præmissus ad ædes Professorum, quas Matrini obtinent Patres Societatis, qui peteret reliquias B. Francisci Borgiæ. Cum iis velocius accurrit Pater Petrus Espegius. Nondum ingressus ubi laborabat infirma, omnia alia devotionis signa removeri jussit, ut eò clariùs B. Patri Francisco Borgiæ attribui posset, si quod efficere dignaretur per illum Deus miraculum: (jam enim ejus rei firmiorem spem conceperat memoratus Pater.) Declaravit laboranti, quid ipsi vellet applicare; monuit, quâ maximâ posset veneratione ac fiduciâ se commendaret sancto Patri: admovit ipsi sacratas reliquias, & ecce consequutum, quod veluti præsagiebatur miraculum: confestim enim soluta omni periculo Mater demortuam edidit infantulam: ita quidem ab obstetrice judicatum cum de ejus Baptismate moneretur à cæteris mulieribus: obtigit autem inaudiri ab Espegio, quod inter se colloquebantur Mulieres: accessit ergò haud remissâ spe, dicens: qui primum valuit edere miraculum, haud minor ipsi virtus ad hoc secundum; & ferè simul ademit Matri reliquias, imposuitque filix, cum defuncta proles plorare ac vagire cœpit, inclamantibus omnibus; *miraculum, ingens hoc miraculum, quod patravit B. Franciscus Borgia, etenim resuscitavit planè defunctam.* Avunculus Marchio, qui inter cæteros etiam aderat prodigio, haud potuit præ gaudio continere lacrymas: nomen autem inditum puellulæ in sacro fonte, *Francisca Borgia*, ne aliquando ipsa, aut Parens unquam tam singularis beneficii obliviscerentur. Cæcæ etiam Ducissa, uti testari potest Dux Lermæ cum multis Hispaniarum Aulæ præcipuis matronis, jam protinus deplorata à Regiis Medicis, ocyùs ejusmodi pariendi periculo liberata est per reliquias beati Francisci Borgiæ. His adjungere possem Historiam Mariæ Martinez Villanovæ Infantum Civis, quam bis restituit saluti imago hujus Beati; semel in periculosissimo partu, & iterùm pectore laborantem. Tungix in novo Regno Granatensi exposita eximio cultu, ac veneratione ejus imago, haud minus viginti dierum spatio, portenti teste omni ferè ea regione, sudabat grandioribus guttis, quas, ne alicui fallaciæ esset locus, variâ, & exquisitissimâ diligentia, haud aliundè quàm clarissimo miraculo fluere potuisse compertum est: nec tantum beati Patris imago perfundebatur eo sudore, verùm etiam sanctissima nostri Servatoris è Cruce pendentis effigies, quam altera gerebat manu. Ad hæc Martinus Virgantium, qui Præfectus fuit Duitamæ, devolutus coram sancta Imagine, ipsique oblatâ informatione, quam perfecerat de ipsius miraculis, ac simul remiserat ad Sanctæ Fidei Archiëpiscopum, humiliter supplicabat dignaretur respicere devotionem & amorem, quo se, suaque omnia ipsi commendabat. Tum sanctissima Imago præsentè præter hunc Prætozem, fratre Adriano Ribera Ordinis Seraphici Patris D. Francisci, eandem, quâ tenebat Christum, aperuit, clausitque manum, quasi lubenter acceptans viri zelum, & oblationem. Dum hæc gerebantur, alii, qui aderant miraculo, adverterunt imaginem varios induisse colores, jam ardentes, jam rubros, jam pallidos; quâ re videbantur denotari dolores ac tristitiæ. Quapropter Joannes Borgia, amplissimus Regni Præfectus, beati Patris Nepos, haud mediocri timore fertur pronuntiasse hanc sententiam: *Faxit Deus, ne sudet Avus, quod sustinendum est Nepoti.* Cæterùm ritè sancteque ad omnes eventus se disposuit hic egregius Governator; nec eum deceperat opinio; nam viginti circiter post diebus,

aut breviori potius spatio repentinâ morte sublatus est. Deinde notatum eodem ipso tempore Matriti turbulentissimis calumniis Patres Societatis domus Professæ, ubi Beati Corpus dignâ veneratione colitur, divexatos fuisse. Vix ediderat tot prodigia mirabilis imago, quando plures ejus devotione sperarunt sibi opem, & subsidium in suis laboribus; atque ea sanè consecuti, inprimis Sebastiana Moxica, Antonius Horozcus, & bis Anna de Oquendo, qui linteis, quibus extersi ii sudores, miraculosè recuperavêre salutem. Diligenter confectæ horum omnium informationes, maturiùs convocato cœtu approbatæ sunt à Juliano Cortazario Archiepiscopo Sanctæ Fidei, ejusque loci Prælatis, & Religionum Superioribus. Hinc orta tam incredibilis devotio illius Urbis ac Populi erga B. Franciscum, ut Archiepiscopus, Capitulares, Regiusque Præses, cum singulari plausu, & acclamatione totius Civitatis in Patronum eum adsciverint, nuncupato publicè voto servandi festivum ipsius diem, instituendique singulis annis supplicationem in ipsius honorem, ut dignaretur Divina misericordia tueri eam Urbem ab ingruentibus malis, & periculis. Idem prætereà ad eorum imitationem fecerant Popayana Civitas, & circumjacens Provincia. Ad hæc, in Civitate Regum coactus fuit Ecclesiastico imperio dæmon fateri gloriam, ac sanctitatem nostri Beati, ipsumque olim alloquutam fuisse sanctissimi Crucifixi effigiem, de qua supra in decursu Vitæ, ubi de obitu Ducis Leonoræ fecimus mentionem. Alia plurima, atque insignia quidem, ac notissima brevitas causa omitto hujus clarissimi viri miracula, quæ passim invenies apud Patrem Eusebium Nieremberg, & alios. Cæteris tantum adjiciam has Kilkeniensium Musarum lusiones:

* Nore a in-
signe Lage-
nia flumen,
plurimumque
haud inele-
gantium
Musarum
nitidissima
Mater.

Ingens prodigium, & Sociorum gloria gentis,
Borgia! majoris magnus amoris amor.
Quàm celsè splendet virtus, roseusque per auras
It decor; accinctus dum tibi plaudit honos?
Gloria nobilibus toties deducta Trophæis,
Te dedit heu summis prodigiosa frui.

*Quamobrem eadem Musa concinunt ipsi plausu,
& hilaritate victoriam.*

Maximus Princeps cupiendus orbi;
Victor; Hispanos potiore ditans
Rore, quàm mergit sua prata Bætis,
Aut Tagus amnis.

Borgiae gestis Patriæ perennis
Fama respirat, speciesque fulget;
Quidquid Augustæ retegunt Coronæ
Mortis in umbra.

Pauper & mitis, dape, veste, cultu;
Sed micans raro pretio lapilli,
Quo rubent cæli, radiatve quidquid
Orbe nitescit.

Sancta Dux sanctus rigidis flagellis
Membra proscindit, natat & cruore;
Dum tamen ducunt tribulos lacerti,
Æthere pastus.

Gloriam fecit tibi lex amoris,
O Pater, Patrumque decus! venustè
O super nubes, super Astra, pulchros
Tende triumphos.

Fulgurent auro, nitidisque gemmis
Membra, quæ durâ jacuere terrâ;
Lucis emittant radios labores,
Verbera, fletus.

*Eadem jam demum soluta in Choreas & risum
inter se invitant, ut festiviùs edantur plausus,
in honorem Beati Francisci Borgiae.*

Nimbos rosarum prodiga liliis
Arbusta lætæ fundite Noreæ: *
Altè feremur sic sorores,
Undique delicio affluentes.

Sint ex Smaragdis nostra monilia;
Collum catenas proferat aureas;
Tam pulchra sit cordis voluptas,
Lumina ut exhibeant favores.

Jucunda reddant Nablia Musicam;
Vates resumant carmina per choros,
Plaudantque concentu; feracis
Hesperia celebranda lux est.

Nefanda mundi crimina corruant;
Præclara vincant agmina Virginum,
Cum gaudeat virtus Trophæis
Principis irradiantis Orbem.

Musæ per ipsum culmina possident
Florentis Afræi, & sui Apollinis
Parent sonis, ac pervenustè
Calliopem celebrat Juventus.

Quid non honestas Imperio domet,
Nostras medullas depopulantibus
Francisci in æternum decorem
Luminibus, nitidisque flammis?

Omnes sacratæ nunc inhiant dapi,
Ususque tanti numinis est frequens,
Francisce dum sacros amores
Atque animos refoves rigentes,

Nimbi rosarum currite per juga
Almæ parentis Kilkeniæ, ut probè
Celsèque ludentes sorores,
Risu, & amore satis triumphant.

I N D E X

PARTIUM ET CAPITUM

TOTIUS VITÆ.

PARS PRIMA.

De ipsius Pueritia & Juventute.

Caput I. *Quàm illustris Borgiae genus & familia?* Numero 1.

Cap. II. *Divinitus pronuntiatur ipsius natiuitas.* n. 2.

Cap. III. *Ipsius natiuitas & educatio usque ad annum ætatis duodecimum: ac simul de stimulis, quibus interioris illis annis excitabatur à Deo ad aucupandam perfectionem.* n. 3.

Cap. IV. *Cui rei studuit Franciscus usque ad iuvenilem ætatem, & quomodo primos hostis impetus sustinuit, superavitque?* n. 5.

Cap. V. *De clarissimo virtutum exemplo, quo in Casaris Aula nituerat.* n. 6.

PARS SECUNDA.

Quàm præclare in Matrimonii statu se gesserit?

Caput I. *Ducta uxore, multis argumentis Casari gratissimus ostenditur; recensentur filii quos habuit, tum de quodam morbo, in quem eadem tempestate inciderat.* n. 7.

Cap. II. *De animis & virtute in re bellica, summaque dexteritate in venatione & muscis.* n. 8.

Cap. III. *De ejus mutatione, arreptoque consilio ex Imperatricis obitu.* n. 9.

Cap. IV. *Petit facultatem à Casare recedendi ab aula, ut eò liberius possit vivere Deo.* n. 10.

Cap. V. *Creatur Catalaunia Prorex, atque æquissimè quidem defungitur munere.* n. 11.

Cap. VI. *Audit de Instituto Societatis JESU, mireque capitur exercitiorum libello, quem D. Ignatius ad tantam animarum utilitatem conscripserat.* n. 12.

PARS TERTIA.

Quàm strenuè militaverat Christo, viduatus jam uxore.

Caput I. *Gandiam contendit, defuncto jam Parente, ubi amisit uxorem, & sequi constituit institutum Societatis.* n. 14.

Cap. II. *Gandiense Collegium perficit, & alia aliis in locis erigenda curat.* n. 16.

Cap. III. *Maximo pietatis sensu Religionis vota muncupat.* n. 20.

Cap. IV. *Mitigantur ejus fervores quoad corporis castigationis à S. Ignatio.* n. 21.

Cap. V. *Dum componit rem domesticam, filiorumque, aliis in rebus exemplo est.* n. 22.

Cap. VI. *Contendit Romam, sui que odoris suavitate latissimè eam Curiam implet.* n. 23.

Cap. VII. *Redit ab Hispaniam, & natale solum Divi Ignatii visitat.* n. 25.

PARS QUARTA.

De singulari omnium virtutum exemplo, quod in vita Religiosa ediderat.

Caput I. *Renunciat Principatui; Societatisque JESU veste induitur: tum demum Sacerdotio initiatus, rem sacram ingenti populorum concursu facit.* n. 26.

Cap. II. *Religionis tyrocinium in tam celesti vita, ut à Maqueda Duce, Navaria Prorege, invitetur, ut de gravioribus inter se rebus conferant; ejusque haud potens obsistere precibus, Pompeiopolim contendit.* n. 27.

Cap. III. *Sanctitatis ejus ubique celebrata fama, Cesar postulat ipsi à Pontifice sacram purpuram: sed exitu frustrata res D. Ignatii prudentiæ laboreque.* n. 28.

Cap. IV. *Iterum oblatam purpuram effugit, aliosque suo exemplo movet amplissimos viros ad Christi jugum & paupertatem.* n. 29.

Cap. V. *Lusitaniam cogitat; à manifesto vitæ discrimine liberat P. Bustamantiam in itinere; perhonorificè tandem exceptus à Principibus illius Regni, Dei amore eos munit, inflammatque.* n. 31.

Cap. VI. *Totius Hispania Lusitaniaque Commissarius constituitur; quo egregiè munere defungitur.* n. 33.

Cap. VII. *Modus, quem observabat in gubernatione.* n. 34.

Cap. VIII. *Septimancia Collegium, ferè miraculosè concessum, in probationis domum vertit.* n. 35.

Cap. IX. *Iterum adit periculum induendi sacram purpuram; sed iterum etiam eo eripitur peropportunis industriis præcipuè D. Ignatii: ad hæc accedit providentia Dei erga ipsum, (ut pie credi potest,) ob amorem paupertatis.* n. 38.

Cap. X. *Assistit morti Regina Matris Joanna, qua præ nimio dolore ob defunctum maritum mentem amiserat; opemque ferente Deo ad se reductam pie sancteque præmunit ad transitum illius Articuli.* n. 39.

Cap. XI. *Fundatur Collegium Placentinum, Fundatorisque animus præcipuè B. Francisci precibus ad meliorem frugem reducitur.* n. 40.

Cap. XII. *Publicè emitti jubet vota Societatis, ut quibusdam calumniis auferatur materia.* n. 42.

INDEX PARTIUM ET CAPITUM.

Cap. XIII. *Invisit Imperatorem in Carnobio D. Justi, & aliis liberat Societatem calumniis.* n. 43.

Cap. XIV. *Iterum petit Lusitaniam, predicatque se liberandum gravissimo morbo; unde recuperatis viribus redit ad Castellam, atque in Caesaris obitu parentalem orationem habet Vallisoleti.* n. 45.

Cap. XV. *Iterum cogitat Lusitaniam, atque Apostolica munia exercet in eo Regno, & per ejus finitimos populos.* n. 47.

Cap. XVI. *Vocatur Romam à Summo Pontifice; praeficitur Vicarius Generalis universo Ordini; in quo Officia amplissima Ecclesia ac Societati exhibet.* n. 48

P A R S Q U I N T A.

De eximia ejus sanctitate, dum Praepositus Generalis totius Societatis fuit.

Caput I. *Eligitur Praepositus Generalis totius Ordinis, atque egregie incumbit suo Officio.* n. 51.

Cap. II. *Ob ipsius dexteritatem ac prudentiam conservata in Societate quadam data à Fundatore Constitutiones: tum denique ejus allecti fragrantia ac vita, plures vel discursu unius anni ad Societatem recepti sunt amplissimi Heroes.* n. 52.

Cap. III. *Procurat, sed frustra, deponere Offi-*

cium, atque egregia sibi ac Societati edit facinora. n. 54.

Cap. IV. *De ejus sanctissima morte & funere.* n. 56.

Cap. V. *Breviuscula descriptio ipsius personae.* n. 57.

P A R S S E X T A.

De ejus Virtutibus, Prophetiis, & Miraculis.

Caput I. *De insigni ejus humilitate, qua sepius tentatorem hostem, (quippe qui adeo superbus est,) rubore suffudit.* n. 58.

Cap. II. *De ipsius patientia & mortificatione.* n. 59.

Cap. III. *Haud impar memorata tolerantia paupertas, qua Evangelica perfectioni studuit; nec huic inferior ejus obedientia.* n. 61.

Cap. IV. *Quam mortificationem tenebat amorem familiae & sanguinis?* n. 63.

Cap. V. *De ceteris ipsius virtutibus.* n. 64.

Cap. VI. *Quadam praenuntiat, miraculose prius cognita, quam succedant.* n. 66.

Cap. VII. *Quorundam ex plurimis, qua patravat in vita, mirabilibus compendium.* n. 67.

Cap. VIII. *De aliis miraculis per eum, hac jam defunctum vita, exhibitis.* n. 69.




INDEX LIBRORUM, TRACTATUUM ET CAPITUM TOTIUS OPERIS.

LIBRI PRIMI.

TRACTATUS PRIMUS.

De propria hominis confusione.

 Aput I. De quibusdam considerationibus, qua nos ducant ad confusionem propriam. Lib. I. Num. I.

Cap. II. De Proventu, qui à propria sui cognitione dimanat. ibidem. n. 5.

Cap. III. Quibus mediis conciliandus sit divinus amor, & obtinenda propria confusio? ibidem. n. 9.

Cap. IV. De impedimentis, quibus à cognitione propria, & continua oratione avocamur; aequè ac de eorum remediis. ibidem. n. 12.

Cap. V. Amplior confirmatio horum. ibid. n. 18. Epilogus. ibidem. n. 20.

De spiritualibus signis interioris hominis. ibidem. n. 21.

TRACTATUS SECUNDUS.

De Vita Christi.

Cap. I. Brevis norma actionumque distributio, accuratè ab omnibus observanda in honorem Passionis Christi; Deipara Virginis & B. Josephi. ibidem. n. 27.

Cap. II. De Dominica Annuntiatione. ibidem. n. 33.

Cap. III. De ultima Cæna Domini, & preparatione, quâ recipi debet sanctissimum Christi Corpus. ibidem. n. 40.

Cap. IV. Nunquam metu scrupulorum, aliave fractione animi omittenda communio. ibidem. n. 47.

Cap. V. Passio Servatoris nostri Christi absolutissimum omnium virtutum exemplum nobis ad imitandam proponit. ibidem. n. 48.

Cap. VI. Modus tenendus in meditanda Dei Passione. ibidem. n. 49.

Cap. VII. Quaedam cum notatiunculis narratio Passionis, quo facilius prædicta in praxim reducatur. ibidem. n. 57.

Cap. VIII. De gloriosa Resurrectione, & Ascensione Domini; & de Spiritus sancti festivo adventu. ibidem. n. 68.

Cap. IX. Quanam præcipuè ex rebus gestis Christi Domini percurrenda? ibidem. n. 71.

TRACTATUS TERTIUS.

Paradisi scala, quâ tractatur de novissimis, ni-

mirum de morte, universali iudicio, Inferni pænis, & Paradisi gloria. ibidem. n. 73.

Cap. I. De mortis novissimo. ibidem. n. 74.

Cap. II. De Inferni pænis. Ibidem. n. 75.

Cap. III. In Inferno torquentur, ejus Incola decem pænis corporeis, qua hic breviter subjiciuntur. ibidem. n. 76.

Cap. IV. Præter has decem corporeas pænas, alia spirituales annectuntur. ibidem. n. 80.

Cap. V. De Iudicio universali. ibidem. n. 83.

Cap. VI. De felici statu nostra beatitudinis. ibidem. n. 84.

Cap. VII. De damnis culpa. ibidem. n. 85.

Cap. VIII. Ex opposito sequuntur boni effectus virtutis. ibidem. n. 87.

TRACTATUS QUARTUS.

Caput unicum. Spirituale colloquium inter beatissimam Virginem, & quendam discipulum, quo de miris ac verè divinis rebus inter utrumque miscetur sermo. Huic annexus Hymnus, quem, (si credendum sit fama,) Hispanicè composuit Regina Catholica. ibidem. n. 88. usque ad 274.

TRACTATUS QUINTUS.

Reliquiæ Spirituales.

Cap. I. Orationes quadam. ibidem. n. 274.

Cap. II. Pia quadam Meditationes ante Communionem. ibidem. n. 276.

Cap. III. Oratio ad sanctissimam Trinitatem ante Communionem. ibidem. n. 279.

Cap. IV. Preparatio cordis ante Communionem. Ad Lectorem. ibidem. 283.

Pars prima. Qui frui desiderat Christi dulcedine in sanctissimo Sacramento, ita se preparare potest. ibidem. n. 283.

Pars secunda. Alia preparatio ante Communionem. ibidem. n. 285.

Cap. V. Devotissimum Soliloquium post Communionem. ibidem. n. 286.

Cap. VI. Oratio ad sanctum lateris Domini vulnus. ibidem. n. 294.

Cap. VII. Bene vivendi speculum. ibid. n. 295.

LIBER SECUNDUS.

Super Threnis aut lamentationibus Hieremiæ Prophetæ.

P Roemium. lib. 2. num. 1.

Declarantur Versiculorum litteræ. lib. 2. n. 2.

Caput primum. lib. 2. n. 4.

Caput

I N D E X L I B R O R U M,

Caput secundum. ibidem. n. 38.
 Caput tertium. ibidem. n. 107.
 Caput quartum. ibidem. n. 189.
 Oratio Hieremia Prophetæ. ibidem, statim
 post numerum 242.

LIBER TERTIUS.

De variis Concionibus.

- C**oncio I. *In primam Dominicam Adventus.*
 lib. 3. n. 1.
 Concio II. *In secundam Dominicam Adventus.*
 ibidem. n. 32.
 Concio III. *In Dominicam tertiam Adventus.*
 ibidem. n. 52.
 Concio IV. *In Dominicam quartam Adventus.*
 ibidem. n. 68.
 Concio V. *In die Conceptionis Beatissima Mariae
 Virginis.* ibidem. n. 85.
 Concio VI. *In die expectationis partus.* n. 122.
 Concio VII. *Habita sacra nocte Nativitatis
 Christi Domini, fratribus votorum nuncupationem
 repetentibus.* Anno 1560. lib. 3. n. 142.
 Concio VIII. *Habita de Nativitate Domini
 Eboræ in Divi Benedicti Canobio.* lib. 3. n. 159.
 Concio IX. *In die Circumcisionis.* lib. 3. n. 171.
 Concio X. *In die Epiphania.* ibidem. n. 187.
 Concio XI. *In illud, cum factus esset annorum
 duodecim, & ex 2. capite Divi Lucae.* lib. 3. num.
 200.
 Concio XII. *In die Purificationis.* lib. 3. n. 221.
 Concio XIII. *In Septuagesima.* ibidem. n. 243.
 Concio XIV. *In Sexagesimam.* ibidem. n. 253.
*Conciones Quadragesimales scriptæ in Civitate
 Portus, ad Ostium Durii.* ibidem. n. 278.
 Concio XV. *In diem Cinerum.* ibidem. n. 278.
 Concio XVI. *In 1. Quadragesima Dominicam.*
 ibidem. n. 289.
*Alia Concio in Dominicam 1. Quadragesima, qua
 est 17. hujus libri.* ibidem. 294.
 Sermo XVIII. *in feriam sextam post Cineres.*
 ibidem. n. 295.
 Concio XIX. *In feriam secundam post Domi-
 nicam primam Quadragesima.* ibidem. n. 299.
 Concio XX. *In feriam tertiam prima Domi-
 nica.* lib. 3. n. 304.
 Concio XXI. *In feriam sextam prima Domi-
 nica.* lib. 3. n. 312.
 Concio XXII. *In feriam tertiam post Domini-
 cam secundam.* ibidem. n. 327.
 Concio XXIII. *In feriam tertiam Dominica
 tertia.* ibidem. n. 338.
 Concio XXIV. *In feriam sextam tertia Domi-
 nica.* lib. 3. n. 351.
In idem Evangelium alia Concio, qua est 25. lib.
 3. n. 365.
 Concio XXVI. *In illud Joannis ex 7. capite.
 Siquis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscat de
 doctrina utrum ex Deo sit; an à seipso loquar.* ibi-
 dem. n. 370.
 Concio XXVII. *In feriam sextam Dominica 4.*
 lib. 3. n. 384.

- Concio XXVIII. *In feriam tertiam post Domi-
 nicam Passionis.* lib. 3. n. 395.
 Concio XXIX. *In feriam 4. post Domini-
 cam Passionis.* Ibidem. n. 402.
 Concio XXX. *In feriam sextam ante Ramos
 Palmatum.* ibidem. n. 411.

LIBER QUARTUS.

De Oratione, & ejus utilitate; ac simul de
 impedimentis, quæ ei obstant.

- P**roæmium. lib. 3. n. 1.
 Cap. I. *De Orationis utilitate.* lib. 4. n. 2.
 Cap. II. *De aliquibus Orationis obstaculis, cum
 quâdam congruente Methodo ad examinandam con-
 scientiam.* ibidem. n. 3.
Dispositio ad animi examen & expiationem; ibi-
 dem. n. 4.
 Cap. III. *De impedimentis, quibus retardantur
 à divina consuetudine ii, qui eò quod de se nimis præ-
 sumant, nesciunt orare; & quâ ratione ea auferri
 poterunt.* ibidem. n. 5.
 Cap. IV. *De impedimentis, quæ eis obfistere pos-
 sunt, qui nimis in oratione per intellectum discur-
 runt. Deinde offenditur, quâ via incumbendum me-
 ditationi.* ibidem. n. 6.
 Cap. V. *De impedimentis ignorantia, quæ ali-
 qui laborant sua indigentia; & de remediis, quæ ad-
 hibenda sunt tanto damno.* ibidem. n. 7.
 Cap. VI. *De impedimentis inutilium cogitatio-
 num, earumque remediis.* ibidem. n. 10.
 Cap. VII. *De iis, qui nihil presentunt suavi-
 tatis aut dulcedinis in oratione.* ibidem. n. 11.
 Cap. VIII. *De impedimento rerum visibilibus,
 atque earum remedio.* ibidem. n. 12.
 Cap. IX. *De orandi difficultate, ejusque reme-
 dio.* ibidem. n. 13.
 Cap. X. *De obstaculis, quibus retardantur ab
 oratione mæsti, tristesque, & eorum remedio.* ibi-
 dem. n. 14.
 Cap. XI. *Frequentanda sacra Eucharistia, pæ-
 nitentiaque Sacramenta ad fovendum contemplan-
 di spiritum.* ibidem. n. 15.
 Cap. XII. & ultimum. *De oratione vocali, &
 ejus mediis.* ibidem. n. 16.

LIBER QUINTUS.

Meditationes Passionis Christi Domini juxta
 septem horas Canonicas.

- P**refatio. num. 1.
 Cap. I. *Ad Completorium.* n. 8.
 Cap. II. *Ad Matutinum.* n. 12.
 Cap. III. *Ad Primam.* n. 15.
 Cap. IV. *Ad Tertiam.* n. 22.
 Cap. V. *Ad Sextam.* n. 25.
 Cap. VI. *Ad Nonam.* n. 27.
 Cap. VII. *Ad Vesperas.* n. 31.

LIBER

TRACTATUM ET CAPITUM.

LIBER SEXTUS.

Meditationes in præcipua Evangelia pro diebus Dominicis & Feriis totius anni, & quibusdam ex principalioribus Festis. Hic liber dividitur in duos Tractatus, quorum primus incipit à prima Dominica Adventus usque ad diem Pentecostes: secundus autem à Pentecoste usque ad Dominicam vigesimam quartam, quæ deinceps sequitur.

Proæmium.

P Meditationum exercitiam sequens modus docebit, ut qualibet dies anni suam Meditationem habeat, quod diversimodè præstabitur.

Quomodo Meditationes pro necessitatibus, quo offeruntur, variis in casibus sint exercenda, ad ampliorem ex iis profectum consequendum?

TRACTATUS I.

Prima Meditatio prima Dominica Adventus.

- Medit. 2. de S. Andrea Apostolo.
- Medit. 3. de sancta Barbara.
- Medit. 4. sanctissima Incarnationis.
- Medit. 5. de sancto Nicolao.
- Medit. 6. De S. Ambrosio die septima Decembris.
- Medit. 7. secunda Dominica Adventus.
- Medit. 8. Sabbathi secundi Adventus.
- Medit. 9. de Beatissima Virginis Conceptione.
- Medit. 10. tertia Dominica Adventus.
- Medit. 11. tertii Sabbathi Adventus.
- Medit. 12. quarta Dominica Adventus.
- Medit. 13. de sacro-sancta Redemptoris Nativitate.
- Medit. 14. de sancto Stephano Protomartyre.
- Medit. 15. pro die S. Joannis Evangelista.
- Medit. 16. pro die Innocentium.
- Medit. 17. de Circumcisione.
- Medit. 18. de Epiphania Domini.
- Medit. 19. Dominica infra Octavam Epiphania.
- Medit. 20. pro Dominica secunda post Epiphaniam.
- Medit. 21. pro Dominica tertia post Epiphaniam.
- Medit. 22. pro Dominica quarta post Epiphaniam.
- Medit. 23. pro Dominica quinta post Epiphaniam.
- Medit. 24. de Purificatione Beatissima Virginis.
- Medit. 25. pro Dominica in Septuagesima.
- Medit. 26. pro Dominica in Sexagesima.
- Medit. 27. pro Dominica in Quinquagesima.
- Medit. 28. pro Die Cinerum.
- Medit. 29. pro feria 5. Cinerum.
- Medit. 30. pro feria 6. Cinerum.
- Medit. 31. pro primo Sabbatho post Cineres.
- Medit. 32. pro prima Dominica Quadragesima.
- Medit. 33. pro feria 3. post 1. Dominicam Quadragesima.
- Medit. 34. pro feria 4. post 1. Dominicam Quadragesima.
- Medit. 35. pro feria 5. post 1. Dominicam Quadragesima.
- Medit. 36. pro feria 6. post 1. Dominicam Quadragesima.
- Medit. 37. pro Sabbatho post 1. Dominicam Quadragesima.
- Medit. 38. pro Dominica 2. Quadragesima.
- Medit. 39. pro feria 3. post 2. Dominicam Quadragesima.
- Medit. 40. pro feria 4. post secundam Dominicam Quadragesima.

- Medit. 41. pro feria 5. post 2. Dominicam Quadragesima.
- Medit. 42. pro feria 6. post 2. Dominicam Quadragesima.
- Medit. 43. pro Sabbatho post 2. Dominicam Quadragesima.
- Medit. 44. pro Dominica tertia Quadragesima.
- Medit. 45. pro feria 2. post tertiam Dominicam Quadragesima.
- Medit. 46. pro feria 3. post tertiam Dominicam Quadragesima.
- Medit. 47. pro feria 4. post 3. Dominicam Quadragesima.
- Medit. 48. pro feria 5. post 3. Dominicam Quadragesima.
- Medit. 49. pro feria 6. post 3. Dominicam Quadragesima.
- Medit. 50. pro Sabbatho post 3. Dominicam Quadragesima.
- Medit. 51. pro quarta Dominica Quadragesima.
- Medit. 52. pro feria 2. post 4. Dominicam Quadragesima.
- Medit. 53. pro feria 3. post 4. Dominicam Quadragesima.
- Medit. 54. pro feria 4. post 4. Dominicam Quadragesima.
- Medit. 55. pro feria 5. post Dominicam 4. Quadragesima.
- Medit. 56. pro feria 6. post Dominicam 4. Quadragesima.
- Medit. 57. pro Sabbatho post 4. Dominicam Quadragesima.
- Medit. 58. pro Dominica in Passione.
- Medit. 59. pro feria 2. post Dominicam in Passione.
- Medit. 60. pro feria 3. post Dominicam in Passione.
- Medit. 61. pro feria 4. post Dominicam in Passione.
- Medit. 62. pro feria 5. post Dominicam in Passione.
- Medit. 63. pro feria 6. post Dominicam in Passione.
- Medit. 64. pro Sabbatho post Dominicam in Passione.
- Medit. 65. pro Dominica palmarum.
- Medit. 66. pro feria 2. Majoris hebdomada.
- Medit. 67. pro feria 3. Majoris hebdomada.
- Medit. 68. pro feria 4. Majoris hebdomada.
- Medit. 69. pro feria 5. Majoris hebdomada.
- Medit. 70. pro feria 6. Majoris hebdomada.
- Medit. 71. ad Primam.
- Medit. 72. ad Tertiam.
- Medit. 73. ad Sextam.
- Medit. 74. ad Nonam.
- Medit. 75. ad Vesperas.
- Medit. 76. ad Completorium.
- Medit. 77. pro Sabbatho sancto.
- Medit. 78. pro Feria 2. post Pascha.
- Medit. 79. pro Feria 3. post Pascha.
- Medit. 80. pro Feria 4. post Dominicam Resurrecti.
- Medit. 81. pro Feria 5. ejusdem hebdomada.
- Medit. 82. pro Feria 6. ejusdem hebdomada.
- Medit. 83. pro Sabbatho ejusdem hebdomada.
- Medit. 84. pro Dominica prima post Pascha.
- Medit. 85. pro Dominica secunda post Pascha.
- Medit. 86. pro Dominica tertia post Pascha.
- Medit. 87. pro Dominica quarta post Pascha.
- Medit. 88. pro Dominica quinta post Pascha.
- Medit. 89. De Ascensione Domini.

I N D E X L I B R O R U M,

Medit. 90. pro Dominica infra octavum Ascensionis.

T R A C T A T U S I I.

De sequentibus Meditationibus.

Medit. 91. pro die Pentecostes.

Medit. 92. pro Feria 2. post Dominicam Pentecostes.

Medit. 93. pro Feria 3. post Dominicam Pentecostes.

Medit. 94. pro Feria 4. post Dominicam Pentecostes.

Medit. 95. pro Feria 6. post Pentecosten.

Medit. 96. pro Dominica sanctissima Trinitatis.

Medit. 97. De die Corporis Christi.

Medit. 98. pro Feria 6. post festum Corporis Christi.

Medit. 99. pro Sabbatho post festum Corporis Christi.

Medit. 100. pro Dominica in Octava Corporis Christi.

Medit. 101. pro Dominica tertia post Pentecosten.

Medit. 102. pro Dominica quarta post Pentecosten.

Medit. 103. Dominica quinta post Pentecosten.

Medit. 104. Dominica sexta post Pentecosten.

Medit. 105. Dominica septima post Pentecosten.

Medit. 106. Dominica octava post Pentecosten.

Medit. 107. Dominica nona post Pentecosten.

Medit. 108. Dominica decima post Pentecosten.

Medit. 109. Dominica undecima post Pentecosten.

Medit. 110. Dominica duodecima post Pentecosten.

Medit. 111. Dominica 13. post Pentecosten.

Medit. 112. Dominica 14. post Pentecosten.

Dominica 15. post Pentecosten Meditationis repetitio.

Medit. 113. Dominica 16. post Pentecosten.

Medit. 114. Dominica 17. post Pentecosten.

Dominica 18. post Pentecosten Meditationis repetitio.

Medit. 115. Dominica 19. post Pentecosten.

Medit. 116. Dominica 20. post Pentecosten.

Medit. 117. Dominica 21. post Pentecosten.

Medit. 118. Dominica 22. post Pentecosten.

Medit. 119. Dominica 23. post Pentecosten.

Medit. 120. Dominica 24. post Pentecosten.

L I B E R S E P T I M U S.

Instructio S. Francisci Borgiæ in ordine ad bonum regimen Principis in suis Provinciis.

Praludium.

Cap. I. De lumine naturali, quod in administranda Republica Philosophi consecuti sunt, & specialiter Aristoteles. ibidem. n. 2.

Cap. II. De Consiliis Platonis circa idem. ibidem. n. 4.

Cap. III. De aliis aliorum Philosophorum consiliis super eadem re. ibidem. n. 5.

Cap. IV. De regulis & praeceptis, quae à D. Augustino Republica Gubernatoribus traduntur. ibidem. n. 6.

Cap. V. Depromptum ex doctrina diva Thomae circa eadem. ibidem. n. 7.

Cap. VI. De iis, quae alii Doctores sancti de hoc ipso tractaverunt. ibidem. n. 8.

Cap. VII. De iis, quae à Scriptura sacra de iis educuntur. ibidem. n. 9.

Cap. VIII. Quid agendum sit ad divinam sapientiam animis nostris adquirendam? ibidem. n. 10.

Cap. IX. De verbis, quibus divina Sapientia est petenda. ibidem. n. 11.

Cap. X. De exemplo & modulo Regis Davidis in Regimine; & damno, quod resultat, quando ducitur gubernatio quieti, cum tantus in ea sit labor. ibidem. n. 12.

Cap. XI. Quo pacto cum vitiis & peccatis sit dimicandum Regi? ibidem. n. 13.

Cap. XII. Quam difficulter ad gubernandum perveniat? ibidem. n. 14.

Cap. XIII. Quid faciendum sit, ut in nobis vetus homo moriatur, cujus morte ad gubernandum promoveamur? ibidem. n. 15.

Cap. XIV. Quid fecit David, priusquam regnaret in Juda & in Israel. ibidem. n. 16.

Cap. XV. Quid praestandum in ipso limine administrationis? ibidem. n. 17.

Cap. XVI. Quid erga semetipsum agendum sit Principi? ibidem. n. 18.

Cap. XVII. Quid erga familiam agendum sit? ibidem. n. 19.

Cap. XVIII. Quid erga plebem sit agendum? ibidem. n. 20.

Cap. XIX. Quomodo reliquus fructus hauriri possit ex Historia Davidis? ibidem. n. 21.

Cap. XX. De magnitudine & perfectionibus Davidis. ibidem. n. 22.

Cap. XXI. Caetera exempla, quae nobis reliquit Rex David. ibidem. n. 23.

L I B E R O C T A V U S.

Opuscula quaedam S. Francisci Borgiæ.

Tractatus I. Sermo super illis Luca: ut appropinquavit Jesus, &c. ibidem. n. 1.

Tractatus II. De Christianis Operibus.

Authoris Epistola ad Religiosissimam Feminam Franciscani Ordinis sancta Clara Monasterii Gandiensis Abbatissam, suamque Amitam, & in Christo Dominam. ibidem. n. 4.

Tractatus III. Collyrium spirituale.

Argumentum. ibidem. n. 9.

Prima Pars. Qua traditur, quemadmodum eorum, quae sub terra sunt, se possit anima consideratione confundere. ibidem. n. 10.

Secunda Pars. Qua traditur, quemadmodum eorum, quae in terra conspicimus, consideratione confundi debeamus. ibidem. n. 14.

Ut verò etiam ad Republica Artifices veniamus. ibidem. n. 45.

Ad sensus transcamus. ibidem. n. 54.

Tertia Pars. Qua traditur, quemadmodum caelestium rerum contemplatione possimus confundi. ibidem. n. 57.

Tra-

TRACTATUUM ET CAPITUM.

Tractatus IV. *De preparatione ad sacram Eucharistiam. Confessio beneficiorum Dei.* ibidem. n. 62.

Alia preparatio ad sacram Eucharistiam. ibidem. n. 63.

Tractatus V. *Quo spirituale quoddam exercitium ad nostri cognitionem comparandum, in septem dies hebdomada distributum continetur.* ibidem. n. 101.

Tractatus VI. *Super Cantico trium Puerorum, cujus initium; Benedicite omnia opera Domini Domini.* ibidem. n. 134.

Præcipua, magisque necessaria D. Thomæ Aquinatis materia in Litaniarum rationem redacta.

LIBER NONUS.

Sancti Francisci Borgiæ Operum

TRACTATUS I.

Christi anima est utilissimum exemplar, unde lectores ejus imitationem debent petere.

Introductio. ibidem. n. 1.

Cap. I. *De sacratissima anima Christi creatione & unione hypostatica, & quâ ratione aliquo modo sit nobis imitabilis.* ibidem. n. 2.

Cap. II. *Ut hac anima sacratissima ab admirabili creatione sua fuerit divinitatis mirum instrumentum.* ibidem. n. 5.

Cap. III. *Quam exigui visi sunt Christi Domini anima labores, per trium & triginta annorum spatium tolerati, collatione donorum, qua ipsi concessa fuere primo sua creationis momento?* ibidem. n. 10.

Cap. IV. *Ut Christi Domini anima perpetuò offerbat Deo sua sacra Passionis Calicem.* n. 14.

Cap. V. *Uti Christi Domini anima secundum partem superiorem perfectè fruebatur beatifica visione, & per inferiorem patiebatur, & merebatur sui Corporis glorificationem, & generis humani Redemptionem.* ibidem. n. 18.

Cap. VI. *Ut anima Christi Domini quanto proximior erat verbo divino, tanto illud magis venerabatur & colebat propter majorem cognitionem, quam de illo habuit.* ibidem. n. 23.

Cap. VII. *Ut anima Christi Domini gratias eximias referebat Deo hominum vice, ob amorem quo illos dilexit.* ibidem. n. 27.

Cap. VIII. *Incipit secunda hebdomada.* ibidem. n. 33.

TRACTATUS II.

Trium potentiarum anima exercitium, in quo agitur de ejus ornatu & decore. ibidem. n. 60.

Cap. I. *Preparatio ad auspiciandum hoc exercitium.* ibidem. n. 62.

Cap. II. *De memoria quoad naturam suam.* ibidem. n. 63.

Cap. III. *De memoria quoad supernaturalia.* ibidem. n. 64.

Cap. IV. *Quid hac potentia fecerim?* ibidem. n. 65.

Cap. V. *Quid facturus sum, quando bonorum meminero?* ibidem. n. 66.

Cap. VI. *Quid sum facturus, cum malum in mentem venerit?* ibidem. n. 67.

Cap. VII. *Quid facturus sum, quando rerum celestium obliviscor?* ibidem. n. 69.

Cap. VIII. *De intellectu quoad naturalia.* ibidem. n. 71.

Cap. IX. *De intellectu quoad supernaturalia.* ibidem. n. 72.

Cap. X. *Quid patruerim hâc potentiâ?* ibidem. n. 73.

Cap. XI. *Quid faciam, quando occurrit aliqua bona cogitatio?* ibidem. n. 75.

Cap. XII. *Quomodo me geram in tenebrarum tentationibus?* ibidem. n. 76.

Cap. XIII. *Quid facturus sum cum aliquo animi dubio pendeo?* ibidem. n. 78.

Cap. XIV. *De voluntate quoad naturam.* ibidem. n. 80.

Cap. XV. *De voluntate quoad supernaturalia.* ibidem. n. 81.

Cap. XVI. *Quam utilitatem depromemus ex hac potentia?* ibidem. n. 82.

Cap. XVII. *Quid faciendum est, quando animus motum Dei amore se sentit?* ibidem. n. 84.

Cap. XVIII. *Quid faciendum, quando animus se videt hoc amore carentem?* ibidem. n. 85.

Cap. XIX. *Quid animus faciet ad perseverandum in Dei amore?* ibidem. n. 88.

Cap. XX. *Prædictorum Compendium.* ibidem. n. 89.

Oratio ad petendam propriam cognitionem. ibidem. n. 65.

Concio habita Valentia à S. Francisco Borgia, quando jussu Pii Quinti Roma contendit Hispaniam comitando Cardinalem Alexandrinum, Legatum à latere. ibidem. n. 66.

TRACTATUS III.

De tribus quibusdam de Christo Domino considerationibus. ibidem. n. 71.

TRACTATUS IV.

Varia pro variis.

Cap. I. *Documenta cuidam Nobili Amico.* ibidem. n. 92.

Cap. II. *Continuum exercitium, in quo quilibet Christianus debet singulis diebus se exercere, ut magna voluptate diligat Deum, & ei seruiat.* ibidem. n. 102.

Cap. III. *Exercitium spirituale Nobilibus & hominibus negotiis præpeditis.* ibidem. n. 103.

Cap. IV. *Monita spiritualia, quibus sternitur via ad perfectionem.* ibidem. n. 113.

Cap. V. *Aliqua remedia, ne Dei servi mortem indiscretè timeant.* n. 130.

I N D E X L I B R O R U M, &c.

T R A C T A T U S V.

Exercitium ad Dei præsentiam singulis horis habendam.

Cap. I. *Via Sion lugent, eò quòd non sint, qui veniant ad Solemnitatem.* ibidem. n. 139.

Cap. II. *Considerationes ad comparandam cognitionem propriam distributa in septem capita.* ibidem. n. 140.

Admonitio ad Sacra Eucharistia sumptionem dicata Joanna Lusitania Principi. ibidem. n. 149.

Alia instructio ad Sacra Eucharistia sumptionem. ibidem. n. 150.

Modus recitandi Deipara Rosarium. ibidem. n. 152.

T R A C T A T U S V I.

Industriæ & spiritualia arma ad consequendas virtutes.

Cap. I. *Incumbendum examini particulari.* ibidem. n. 188.

Cap. II. *Industria ad consequendam charitatem.* ibidem. n. 190.

Cap. III. *Alius modus Charitatem consequendi.* ibidem. n. 191.

Cap. IV. *Modus complacendi de Domini nostri bonis.* ibidem. n. 192.

Cap. V. *Ad præcavendum, ne in peccata delabamur tentationis tempore.* ibidem. n. 193.

Cap. VI. *Ad evellenda vitia, quæ nos molestant.* ibidem. n. 194.

Cap. VII. *Industria ad assequendam humilitatem.* ibidem. n. 195.

Cap. VIII. *Alia consideratio in eandem rem.* ibidem. n. 196.

Cap. IX. *Industria, ut utiliter patiamur adversa.* ibidem. n. 197.

Cap. X. *Industria ad odium nostrum sanctum consequendum.* ibidem. n. 198.

Cap. XI. *Beatitudinis gaudii consideratio, unde spiritualis amor redundat.* ibidem. n. 199.

Cap. XII. *Alia meditatio de nostra beatitudine.* ibidem. 200.

Cap. XIII. *Consideratio, quæ excitetur ad amandum Deum super omnia.* ibidem. n. 201.

Cap. XIV. *Ut petamus honesta, quibus indigemus, & ad spei virtutem excitetur.* ibidem. n. 202.

Cap. XV. *De Orationis utilitate.* ibidem. n. 203.

Cap. XVI. *Regula ad vitam corrigendam, & adipiscendam divinam gratiam.* ibidem. n. 204.

Cap. XVII. *Piæ quadam meditationes, quæ per hebdomadam percurrere sunt.* ibidem. n. 205.

L I B E R D E C I M U S.

De ratione concionandi.

Cap. I. *Præfatio de concionandi munere cum timore & fiducia Dei.* lib. 10. n. 1.

Cap. II. *Quale studium concioni adhibendum?* ibidem. n. 3.

Cap. III. *De Meditatione ante concionem.* ibidem. n. 4.

Cap. IV. *De dispositione Concionis.* ibidem. n. 7.

Cap. V. *Quomodo seipsum comparabit & cum fructu alios juvabit Concionator.* ibidem. n. 13.

Cap. VI. *Suggestum conscensuro quid agendum concionatori?* ibidem. n. 17.

Cap. VII. *Concionatoris officium in suggestu.* ibidem. n. 19.

Cap. VIII. *Dimissa concione, quid agendum Concionatori?* ibidem. n. 33.

Epistola B. Francisci Borgia ad Patres & Fratres Societatis Jesu, de mediis conservandi spiritum ejusdem Societatis, ejusque vocationis. ibidem. n. 37.



S. FRAN-



S A N C T I
 F R A N C I S C I
 B O R G I Æ
 O P E R U M
 L I B E R P R I M U S.

De propria confusione.

TRACTATUS PRIMUS.

P R Æ L U D I U M.



Annuat benignissimus Deus, ut noverim mei confusionem, quam inde par est, eruam, quod ausim dicere de confusione. Quod enim tam vilis lingua aded celsa velit predicare, res est certè profundissimæ confusionis. Sed ne turpiori tamen confusione reticere videar, prorsusque abjicere jugum, quod mihi imponitur, jussa curabo exequi, auspice Deo, etiamnum inde oblectatus iis, quæ de propria mei confusione postea dixero: quod si bene, ut sint mihi confusioni: sin verò malè, nihilo etiam minus; Sit nomen Domini benedictum.

CAPVT PRIMVM.

De quibusdam considerationibus, quæ nos ducant ad confusionem propriam.

Num. 1.



*I Dei consuetudine uti quàm familiarissimè appetis, ô dilectissime Amice! cave ne te subducas à te ipso. Si flagrare cupis Divino amore; suspires semper pro tui ipsius odio, necesse est; neque diver-
 tas longius à consideratione tuorum operum; sed maturè expendas singula, eaque tecum ipse diligenter examines, ut clariùs videas perniciem, & damna, quæ*

undique tibi ab illis proveniunt. Undè suborietur propria cognitio, atque odium sanctum, quod omnes optare debemus.

Si altiùs repetas perturbationes animi, 2. atque immoderatas cupiditates, quas germinat degenerata voluntas; reperies proculdubio tuo vitio penitus abruptam esse interiorem pacem, violatum silentium, distractum intellectum, huc illuc divertisse oculos, cæterosque sensus rupisse pudorem, nec minus efferam voluntatem unicè in sui complacentiam effusam esse: atque in hunc maximè modum crudele tibi indictum bellum à te ipso, tum maxime, cum putabas te satis multà diuturnâ-
 que

A

que

que pace vivere. Quare his ritè perpensis, ac timore perterritus tui ipsius, vereri debes, ad exemplum illius invictissimi Job, omnia opera tua; quæ iterum rogo atque oro, frequenter in meditationem revoces, ut diducto omnis ignorantiae velo, aperiatur tibi summa veritatis, continuoque detegas, quàm alius sis ab eo, quem judicabas te esse; nec minimum differre à Topiario illo, qui aliud nesciebat plantare in commisso sibi horto, quàm plantata radicitus evellere. Mirum sanè esset, si iste Topiarius, ne interdicto quidem aditu ad hortum, lautè etiamnum exciperetur ab horti Domino: non minùs tamen admirari possunt, quòd Deus animæ nostræ hortuli verus Dominus acherus, benignè nos sustineat adhuc, ac depascat, quos quotidie videt sui horti everfores esse.

3. Vis ab ingruentibus indies animi tui morbis de integro convalescere? Perfice, quod Deus consuluerat Israëlitis, ut agerent ad suam salutem. Suspice nimirum te ipsum, ut serpentem elevatum in arbore, citiusque ita mentis tumor sanabitur. Mittes deindè manum in sinum tuum, & sine dubio obtestam leprâ videbis; tum demum extrahes eam, quòd velit significare, ut tu te avoces à te ipso, atque antiquam suam manus eadem recuperabit pulchritudinem. Vis confundi per considerationem creaturarum? animadvertite omne animal generare sibi simile. Quo factò, te statim convertes ad tua opera, & scitè eorum discordiam dignoscas, & quàm parùm convenient cum specie suæ imaginis. Rogo iterum? aves tui confusionem? Intelligas autem à tuo factore te conditum fuisse in modum nitidissimæ lampadis, cujus lux fides est; cujus flamma charitas. Tu autem quos splendores edidisti hâc luce? quas amoris scintillas his flammis? Tibi inprimis curæ fuit vitiorum diluvio tuam lampadem extinguere, cum ita incenderetur à Deo.

4. Si ulterius velis duci in admirationem Dei, atque infinitæ ejus bonitatis, ac patientiæ. Considera, quam, opus est, haberet pictor, qui operosè à se depictas imagines videret statim deleri à suo famulo. Talem autem famulum te ipsum esse judices, qui toties demolitus es eam pulchritudinem, atque ornatum, quem Deus in mentis tuæ imagine depinxerat; ut mirabilem credas ejus patientiam, qui tanto tempore te ejusmodi defunctum officio sustinuerat.

CAPUT II.

De proventu, qui à propria sui cognitione dimanat.

5. **C**UM jam, amice, satis te ipsum consideraveris, interest, ut timeas de tuo periculo, deque operibus quæ agis: eoque gravius metuendum, quo periculosius de rerum summa dimicas. Quòd si hostis loco te ipsum habeas; gaudeto persequi eum hostem, & sancto & perfecto odio vindictam sumere de ipso. Sed si insuper idem hostis laceffat te bello, ut fervetur jus inter te & ipsum, id perendum ab altissimo Numine. Væ autem illis, qui se ipsos pro amicis habent! Horum despondendæ sanè miseriæ effusis lacrymis. Quid enim sperandum ab his unquam boni? nam ut res esset omni admiratione digna, quòd frequentibus dehiscens flammis terra in auream aliquando surgeret messem: ita mirum quid foret, quod anima passionibus arida, ac penè ignescens in bonorum operum amœnitatem aliquam converteretur.

6. Indè etiam fructum hunc alium mortificationis metes; quòd ad mentem revocans delicta, quibus divino Numini toties contradixisti, agnoscas, quàm justè tibi omnes etiam creaturæ contradicant. Si autem aliquando parcant, majorem debes indè ferre confusionem, videns tuam erga Deum ingratitude, cum tot & tam singularia ejus beneficia apud te extent; præcipuè quæ orta sunt ex doloribus Christi. Cujus confusionis stimuli ita valent pungere animum, ut nihil altiùs penetrare possit. Verùm non minorem tibi potest afferre utilitatem verecundia, quâ coram divina Majestate te sistas; sensuumque ac potentiarum licentiam per tui cognitionem ipsi aperias. Quod solum perennem tibi posset comparare confusionem, dum in hujus corporis ergastulo delitesceres.

7. Aliam adhuc utilitatem exhauries ex tui consideratione, quòd scilicet communem hunc aërem etiamnum respices, cum fores detrudendus ad inferos, ni tuæ calamitatis miseret Deum. Ut sit cumulatio hic fructus, attentè mediteris velim, quantâ lætitiâ perfrueretur is, qui delatus ob turpitudinem alicujus delicti, jam jam supplicio addiceretur, si postea impunè ex tortorum manibus evasisset, donatus veteri libertate. Non minùs certè tibi lætandum, qui ejusmodi culpæ reus, idem deberes luere supplicium, nisi subve-

O P E R U M L I B E R P R I M U S. 3

subveniret divina misericordia, omnibus creaturis indicto silentio; igni, ne te flammis suis consumeret; aquæ, ne suis undis te obrueret; aëri, ne suo pernicioso flatu te inficeret; terræ, ne devoraret te vivum. O quantam felicitatem hanc nostram, qui tam bonum habemus Deum, cum ipsi tam ingrati simus!

8. Quis unquam putaret impendendos suos thesauros in construenda arce, quæ statim prodicione dedenda esset hostibus? aut quis desudaret in consitione vineæ, quam irritò labore excindendam videret? Te autem infirmam arcem, tam sterilem vineam, tam insignem tui ipsius proditorem, cum non modò pro sua benignitate creaverit hic suavissimus Deus, verùm etiam à perenni captivitate redemerit immenso pretio suæ vitæ, ac sanguinis. Quod clarius argumentum ostendere potuit sui erga te amoris? rependas ergò ipsi grates, oportet; ac supplicii veneratione ab ipso ores, ut nè imposturum pro patris admittisq; sceleribus te rejiciat; speresq; id facturum; nam si generosum ac liberalem adeò se ostendat, nondum à te exoratus, nec ullis lacessitus antea precibus; quid negabit, si vivâ atque accensâ fide supplices ad ipsum tendas manus, id petiturus?

C A P U T I I I.

*Quibus mediis conciliandus sit Divinus Amor,
& obtinenda propria confusio?*

9. **I**mprimis meditandum, quibus conceduntur ea munera; & quo vase tam pretiosus liquor recipitur. Meditandum, quantis constitit Christo Domino, comparasse nobis eam gratiam, pro qua non aliud minus, quàm propriam vitam profuderit. Quàm alta providentia constituit, jam inde ab æterno in me conferre id beneficii meus dulcissimus Servator, & Conditor! Quid feci ego in meritum ejus amplissimi amoris? aut potius quæ non admisi facinora, quò minus eum promererer? quid agebam tum, cum tanta felicitate aspirabat mihi Deus? tum verò sæpenumero non cohærebam ipse mihi, desciscens potiùs ab excitato spiritu ad inclinatum & propè jacentem meum languorem, variis, atque inutilibus implicitis cogitationibus deficiebam.
10. Haud sanè posito rubore poterò meminisse, nullas ferè à me relatas gratias tanto Numini, tot tantisq; muneribus me beanti; aut saltem quòd morosius, quàm res poscebat, decurrerem ad sol-

vendam aliquam partem tanti debiti: quòd remissius agerem, cum deberem potiùs secundo amne defluere divinarum inspirationum: quòd venalem haberem virtutem; homo deterrimus, sine fama, sine re, sine vita, sine honore, sine conscientia; cum nihilominus summus ille Deus, qui tuetur, ac moderatur omnia, divino suo consilio ac providentiâ per hanc lacrymarum vallem adeo benignè me semper direxerit & gubernarit, unâq; ab omnibus viarum angustiis sospitem custodierit.

Hos Domini mei favores expendere nullo modo possum sine maximo meo pudore, cum illius haud aliter persecutor fuerim, quàm protervus Absalon Patris sui David. Quoties enim me invitaverat ad suam glòriam, cum ego, (heu pudet id fateri,) prolixis horis præstolari eum fecissem ad meas fores? in melius tandem emendabo meos errores. Fovebo; fovebo, (inquam) cæleste pabulum, quo ita me recreat tam divinus parens. Mirum, quantum in cordis mei culturam incubuerit hic benignissimus Dominus! Mira ejus patientia! Mirabilia omnia opera! æternùm vivam his mirabilibus. Summis pariter ab ipso contendam precibus, ut non modò colat ac mitiget meæ mentis siccitatem, sed etiam riget superiori rore suæ gratiæ, dum maturos ac tempestivos, dudumq; expectatos fructus ipsi feram.

C A P U T I V.

*De impedimentis, quibus à cognitione propria,
& continua Oratione advocamur, aquè ac
de eorum remediis.*

Imprimis obsistere video interiori paci, divinoq; amori; quòd tam facile se diffuere patiatur animus per sensuum cupidinem, insumpto in iis rebus tempore, quæ viro sapienti lucro esse non possunt, quoniam affluere superfluis; aspicerè; audire illicita, malos ab ineunte nostra ætate generant habitus, quorum remedium, haud parum negotii spiritualibus faceffit.

Secunda causa, quòd occultior, eò majoris damni principium est: ortum ducit à distractione mentis, quæ propositâ voluntati terrestrium rerum specie ac pulchritudine, eam in exitium ducit, cum ipsius officium sit, prælucere huic inoculatae potentiæ, ac semper verè amanda ipsi ostendere, quin dissipet pretium temporis in tantam perniciem suæ alumnæ voluntatis.

14. Latioris adhuc detrimenti causam præbet ipsa voluntas; quæ ad tam vilia, atque abjecta se demittit, ut jure optimo excitentur in nobis turbulenti motus, ac dissensiones. Ad hæc, cum amoris pondus tam variè in factiones distinguatur, undique obsidione premimur inermes, & tam validè oppugnamur, ut si in propriam considerationem veniremus, haud dubiè receptui caneretur, peteremusque desertis pluribus, quæ erant ante dilecta, salutem pernicitate fugæ.

15. Ad tam clara removenda impedimenta necesse est, adhibeantur acriora remedia. Quare cum te jam immiseris in has angustias, scire oportet ope solùm divina ab iis eripi te posse: id solùm spectat ad gratiam Spiritus sancti, qui ut prædicat Apostolus, uti concedit velle, ita & perficere. Quamobrem accedendum ad salutis medicum Christum servatorem nostrum, ipsique declarandum, quibus sis saucius vulneribus, ut inclinare dignetur in misericordiam. Exoratus his aut similibus verbis: nescivi aliud facere Domine: *Eccce ego*: hic coram divina tua Majestate me sisto vilissimum peccatorem, immersum vitiis ac peccatis, confossum vulneribus, infelicem prorsus; sed tamen creaturam vestram jam renunciantem veteribus delictis, ut promptus possim esse imposterum ad tua sanctissima obsequia. Oro per infinitum tuum amorem, semper tuus sim; nullius sim nisi tuus, restauretur in me iterum quod perditum est; depingatur, quod deletum est; renovetur, quod excisum est; tibi semper ligatus sim: ecce turbatæ passiones surrexerunt contra me, mentisque penè impotem me fecere, nec aliud invenio remedium quàm ad asylum confugere tuæ misericordiæ.

16. Jam cum rem posse confici propriis viribus, & sine Dei præsidio diffidas; superna ope confirmatus, intemperantiam sensuum in ordinem reduces, diu enim peccatum est in juventute: animus vitioso indutus habitu obduruit ad virtutem. Jam tempus est, ut prudens, sobrius, modestus, frugi appelleris; ut quantum antea juvenilibus annis indulseris, ad componendos mores jam tandem referas, tibi omnino temperans à mentis, vitæque aberratione. Imo oblata inde occasione ritè immoleris victima viva divino amoris. Si horum fortasse magnitudine concidis, subveniet mortis memoria, ac vanitatis sæculi, brevitatis hujus vitæ, aut futuræ æternitatis consideratio: quorum meditatione incredibile est, quàm dulci bello superentur adolescentiæ habitus.

Alio autem remedio haud ineptè sanatur intellectus, in horologii speciem à suo conditore affabrè creatus. Horologii faber, illud cum velit temperare, primò sistit rotas, tum moratur cætera, quæ eas in præcipitium ferunt; postea moderatur arte ipsorum velocitati: ita planè cohibendus à suo cursu intellectus, cum præter omnem ordinem ultra prohibita septa per prædia vanitatis vehitur, rotatus, ac præcipitatus in sui exitium. Sistendæ ejus rotæ memorià beneficiorum Dei, quæ per discursum vitæ accepimus, cum tam remissas egerimus pro illis gratias; quinimo, cum nihil in me videam præter dirissimas vitiorum species, quæ me perterrent. O si inclinationis nostræ cohibito cursu in hunc modum verterentur nostræ rotæ Spiritus sancti suavissimâ motione, quàm diversa vita nobis traduceretur!

C A P V T V.

Amplior confirmatio horum.

18. **D**Uabus præcipuè rebus percipi potest, quanti momenti ac ponderis sint, quæ huc usque diximus. Imprimis haud comprehendi posse humano captu, quæ extra sphaeram naturæ sita sunt, atque omninò superant ejus vires; adedq; necesse esse, ut illuminetur noster intellectus infusâ claritate Fidei, ut eorum contingamus notitiam; deindè cum suis certis finibus ac limitibus concludatur hîc intellectus ac mentis acies, ad nihil aliud, nisi ulterius roboretur divinis præfidiis, extendi posse, quàm ad limitatum & finitum. Convenit ergò, ut in obsequium legis ac fidei captivum eum ducas, ac percipias bene hanc ejus brevitatem & conditionem. Quâ moderatione uno momento temporis altiora intelliges, quàm alius versis habenis, alioque adornato itinere per plurimos annos. Tum enim nullâ lassitudine conficiet suos discursus intellectus jucundissimo motu, atque impulsu divinæ gratiæ, in morem horologii, quod mirâ regitur temperie.

19. Voluntas autem sanari potest exemplo Chirurghi, qui, ut corpus recuperet salutem, crassos pellit humores, cauterioque eos dissipat: ita planè removendi sunt concreti humores, qui voluntatem obstruunt, admissio cauterio mortificationis; continendi effrænes ac sensuales animi motus ab omni ratione averfi; eorum domanda ferocitas continuâ crucis &

OPERUM LIBER PRIMUS. §

Luc. 9. & laborum velitatione, ut monet Evangelium: *Abneget semetipsum, &c.*
23.

EPILOGUS.

20. **O** Amice, quàm facilè, collapsis moribus ad pristinum splendorem restitutus, intra te ipsum maneres; si devincires rotas tui intellectus; si quæ nociva ac turbida fluxerunt; ab externo sensu in voluntatem, mortificationis cauterio ad suos puriores fontes ac principia reduceres! O si reparares te ipsum! O si quod in te corrui ac renovatione indiget, reficeres, quàm citò sentiret tibi fuisse dictam illam veritatem Evangelicam: *Regnum Dei intra vos est.* O si semel præsentiret dulcedinem hujus veritatis, quàm citò à rebus transitoriis te ad interiora revocares? quanto spiritu, quantà velocitate hæreret centro Divini amoris? non minis certè quàm levium sursum, gravia deorsum feruntur ad suum. Accedamus igitur ad centrum nostrum, ut feriat à seculari cura, & ab omni creaturarum sollicitudine, solo Deo transigamus placidissimam vitam, quam dignetur nobis concedere pro amplissima sua pietate, & clementia. Amen.

De spiritualibus signis interioris Hominis.

21. **S**I sensus exteriores, dum repræsentant res sibi objectas, perindè se gerant ac si eas non sentirent; devotionis initium est. Si in mentis speculo ea solum exprimentur, quæ demonstrari veluti digito solent per Fidei lumen; optimum signum est. Si flagrat semper voluntas amore Dei ac proximi, rejectis cæteris omnibus rebus ultra eas, quæ per divinas leges licent, manifestum est indicium interioris renovationis. His etiam accedunt alia plurima signa hujus ipsius proventus spiritualis; ut si statim se colligit intra se anima, quoties per otium sit locus, eo pondere ac impetu, quo lapis descendit ad suum centrum: si jam tædet implicari negotiis exterioribus, solumque oblectant interiora, clarissimum signum est æstimationis, quam cepimus jam habere de conscientia tranquillitate & pace. Si absolutà jam horâ meditationis, tyrones videmur in hoc mundo, quasi eo nunquam fuisset usus; ac de novo timemus agere de ipsius rebus, tanquam prælium initari; optimum etiam est signum. Si ad alia negotia, exceptis per obedientiam jussis aut commissis, aut ad proximorum salutem con-

ducentibus, non divertimus, ad Dei numerum unice attenti, multum nos profecisse credendum est in virtutis via. Cætera signa provecior jam factus, procedente tempore, edisces Doctore divino spiritu, qui distribuit illa, prout vult; ac sæpius talia, ut ne percipi quidem possint, nisi ab expertis.

TRACTATUS II.

VITA CHRISTI

DX aliis, quorum notitia reservatur in judicii ultimi diem, sunt multa, quæ acciderunt in Vita ac Passione Christi. Nam licet sacri Evangelistæ declararint res insigniter ab ipso gestas; non tamen omnia ipsius exposuere prodigia, sed ea solum, quæ breviter explicanda erant ad nostram doctrinam & salutem, cæteris silentio prætermittis; in hoc per omnia consulentes captui atque imbecillitati hominum. Fit indè ut, quamvis carptim dixerint de ejus pueritia, ac tenerrimis annis, à duodecimo tamen usque ad trigésimum de ipso siluerint; cum sanè per eos annos, atque in adolescentiæ flore præclara gesserit, dignaque tanto Numine. Quot autem præter memorata ab Evangelistis opprobria, & injurias Mortis ac Passionis tempore sustinuit Dominus tyrannide Judæorum, qui ipsi infensissimi hostes erant? Quàm barbarè depilarent, dilacerarentque ejus barbaram & crines? Quàm feras impingerent ejus maxillis alapas? Quot salivis, quot sputis conspurcarent ejus faciem splendidiorem astris, pulchriorem rosis, suavio-rem balsamò, nitidiorem cristallo, clariorem adamantibus? Quantà immanitate injicerent pulverem ac cineres oculorum luminibus? Quot sordibus, quibus immunditiis operirent ipsum? Quantà crudelitate dilaniarent ipsius membra? Quàm dirè implerent carcerem, civitatis vias ac plateas, latèque Calvariæ montem ipsius pretiosissimo cruore? Quot vulneribus confoderent totum ejus corpus? Quam nodosis, durisque funiculis? Quot cæderent flagellis? Vix hæc enumerari possunt, nonnullis dicentibus ea ad octingentesimum vigésimum octavum pervenisse; eò quòd humani corporis ossa numero sint ducenta & sex supra septuaginta; & singulis ossibus Vindicis, & Assertoris nostri Christi ter singula flagella respondisse. Alii verò numerata affirmant quinque millia cum trecentis.

23. Ut coronaretur spinis ex acutissimis juncis in pilei morem sertum quoddam contextum est, atque impressum summâ diritate capiti, fronti, temporibus. Imò nonnullâ parte ipsum cerebrum penetratum est vepribus per faciem & genas, (quarum purpura, niveusque candor, pulchritudinis miraculum fuit, cæli Angelorumque imperio digna forma,) undique defluente sanguine septuaginta duobus vulneribus; ut videant homines, quanto amori, quàm cordi sint Deo suo, & quanto odio persequenda peccata.
24. Singuli pedes singulis clavis affixi fuerunt Cruci, ut aliqui dicunt, & conceptus inde dolor videtur ex intensioribus totius Passionis. Uti etiam erat, quo affectus est, quando obviam venit ipsi Beatissima Virgo, cum eam aspexerit subditam tot opprobriis, compellatam blasfemi Matrem; crucigeri Genitricem, venefici, maledicti.
25. Nullâ re, ut Author est S. Augustinus, generosius excitamur ad exantlandos labores, quàm Passione Christi: seque affirmat in omnibus suis angustiis & afflictionibus ad eam semper, tanquam ad securissimum portum, appulisse. Cæterum carnis præcipuè stimulis lacessiti, ibi in promptu habent remedium; quod eleganter differit Albertus Magnus, plus libidinis æstro percitis prodesse, licet tantummodo brevi intervallo temporis meditentur tormenta, quæ sponte hominum causâ subivit Christus, quàm si integro anno semel in hebdomada pane & aquâ jejunarent, divinum Officium absoluerent, sanguineisque se verberibus exciperent.
26. Serid solebat, ut fert omnium fama, suis præcipere Religiosis sanctus Dominicus, ut in cubiculis appenderent imaginem alicujus devoti Crucifixi, magnamque in ejus consideratione diligentiam & curam haberent: quod idem, ipse sedulo faciebat, tum inprimis, quando rem sacram peragebat, amicâ quiete ac dulcedine, sopitisque sensibus in admirationem raptus insignis illius beneficii, quo servitutis jugum è cervicibus nostris excusserat Christus in Cruce. Exemplo Divi Dominici opinatur seraphicus Doctor sanctus Bonaventura fore, ut nullâ re citius attingere valeamus perfectionis summam, quàm Passionis Christi memoriâ. Ad rem venit, quòd cuidam Religioso viro accidit. Huic apparuit alius, professus etiam Religionem, sed vitâ jam defunctus, qui alterâ manu ferebat formosissimam Ecclesiam, aut Templum; alte-

râ verò admotâ sinistro lateri cor operiebat. Percunctatus est vivus, quid volebat ea visio? cur ita gerebat manus? ad quid deportatio Ecclesiæ? Responsum est: Ecclesiâ illam significari gloriam, quam in cælo adeptus erat, eò quòd vanitati remisso nuncio prætulisset in hac vita Episcopalibus Mitris ac Dignitatibus humilitatem Religionis. Verum alteram ex manibus adhærentem pectori indicare ineffabile præmiûm, quòd respondebat merito considerationis, quâ frequenter corde & pectore versabat Dominicam Passionem; adeoque celsum, inclytum, gloriosum esse illud, ut quasi videretur inumbrari manu, ne sub aspectum hominum veniret; quo significabat, ob conditionem, atque umbras hujus mortalis vitæ, ne percipi quidem mente aut cogitatione posse, atque eadem gloriâ donandos fore pro mensura meriti singulos Prædestinatos devotioni addictos hujus sanctissimi mysterii.

C A P U T I.

Brevis norma, actionumque distributio accuratè ab omnibus observanda in honorem Passionis Christi, Deiparæ Virginis, & gloriosissimi Patriarchæ sancti Josephi.

AD æternam salutem haud parum 27. proderunt hæc infra descripta documenta, ab omnibusque fidelibus observari debent. Primò, ut numquam eas cubitum conscius ac reus lethalis alicujus noxæ, quin prius ex intimo corde elicias hunc, aliumve similem contritionis actum. Omnipotens, immense Deus, toto corde doleo & conteror, quòd ingrattissimè in te peccaverim, summam Deitatem, bonitatem infinitam; causâ autem mihi tanti doloris est, quòd Divinam tuam Majestatem offenderim: firmiter jam, constanter, summamque deliberatione propono nullam deinceps unquam à me iterandam offensam aut culpam, easque quas modò habeo, quàm primùm eluendas Sacramento Pœnitentiæ, aut saltem quando à te, aut ab Ecclesia ita præceptum fuerit; futurumque spero innixus meritis pretiosissimi sanguinis Servatoris mei Jesu Christi, ut delictorum omnium impetratâ veniâ, æternam consequar gloriam. Amen.

Secundò per Confessionem; ut sæpius 28. singulis annis expiato animo à noxis, & criminibus Sacræ te Synaxis cœlesti pabulo reficias. Tertiò, ut quotidie punctum aliquod mediteris Redemptoris nostri

stri, vitæ, aut passionis. Quartò, ut Sanctorum pervigiis, aut festis, aliisque solemnioribus, ac Dominicis diebus, eroges mendicis eleëmofinam : quòd nisi ea suppetat, saltem effusis apud Deum precibus pro paupere suppleatur defectus. Quintò ut in singulos dies Veneris in crucifixi Numinis exemplum & honorem maceretur corpus, aut jejunio, aut flagellis; aut nisi ad hæc sufficiant vires, tunsione pectoris, subductisve cibo condimentis, quæ potiùs ad demulcendum palatum, quàm ad nutritionem excogitantur. Sextò, ut mane statim ac surgis è lecto inprimis te ipsum cum omnibus tuis fortunis ac rebus; tum deindè actiones, loquelam & cogitationes ejus diei, mente sincerâ ac humili offeras Deo tuo, contestans nullam tibi aliam esse optionem, quàm vivere, & mori secundùm Divinam legem ac fidem Ecclesiæ Catholicæ, proque defensione ipsius, si ita opus esset gravissima subiturum te martyria. Septimò, ut diligenter caveas à juramentis, maledictis, diris imprecationibus, quibus passim mundani impetunt Dei creaturas; extremæ horæ refricata memoria, cujus legibus semel tantùm concedendum, ac pro meritis adeundum aut æternum supplicium in Inferis, aut in Cœlis æternam gloriam. Octavò, si suppetant res, aut negotia, ut conscientia sit ritè disposita, maturè condatur testamentum, nec reservetur in angustias ultimæ horæ, quando jam vix datur locus ad corporis medicinas & curam.

29. Hæc designatâ præxi, jam ad scopum redeamus. Sentit Ecclesiæ sanctissimus æquè ac eximius Doctor Augustinus, idè verbum divinum ultra principale motivum, quod respexerat redimendi humani generis, induisse nostram carnem, ut eâ re suaviùs ac faciliùs teneretur, exciperetur, cognosceretur, tractaretur ab hominibus per dulcissimam suæ vitæ ac mortis contemplationem; ne tam alto ergò frustreretur aut devolvatur sine, ad amissim vacandum huic meditationi; quod triplici modo perficiendum est. Primò, summâ mentis, cordisque dulcedine adeundo incarnatum Deum, allectus ipsius pulchritudine, venustate oris, nitore oculorum, genarum rosas, ac nivibus perplutâ purpurâ, elegantiam morum, prudentiam consiliorum, ineffabili sapientiam, dicendi jucunditate, puritate amoris, sanctitate vitæ, totiusque corporis, animique decore; ut credi potest initio fecisse Apostolos, hæcque suspensos bellissimâ specie secutos esse Christum. Quibus

considerationibus motâ jam voluntate, prorumpes in hos affectus, impetraturus tibi ipsi gratiæ, puritatis, ac salutis munera: *Domine, si vis, potes me mundare*; *Jesu, fili David miserere mei*. Quoniam si immoreris in sola jucunditate, quæ defluit ex consideratione Christi pulchritudinis, quin progrediaris ulterius ad imitationem ejus vitæ, non leges integrum fructum, quem prætendimus his exercitiis. Judas enim vidit mirabilia Christi; neque Pilatum latuit ipsius mansuetudo, modestia, insignis forma, honestas; nec Hærodem aut Judæos, qui nihilominus deformes mansere in suis culpis, eò quòd aurâ tanti exempli adhuc renuerint ad portum salutis navigare.

Quare sit secundus modus tenendus in hac meditatione, ob mentis oculos ponere perfectiones, non solum humanæ naturæ Christi Servatoris nostri; sed etiam Divinæ. Ambas enim complectitur naturas Christus, quamvis unica sit persona. Si perpendantur pulchritudo ac suavitas humanæ ejus naturæ conciliabunt delicias, de quibus antea diximus. Quando autem sit copia cognoscendi ejus divinitatem, simul cum infinita ejus Majestate & attributis, incredibile est, tum ille Deus homo summè justus & misericors, summè tremendus & suavis, summè absolutus & potens, qui nihilominus subdebatur suis hostibus subiturus pro nobis mortem in cruce; tum inquam incredibile est, quàm ardentè incendat nostros affectus; quàm vehementer ad se rapiat nostram voluntatem; quàm jucundè demulceat nostrum amorem; quàm fortiter alliciat nostram animam in sui venerationem & cultum.

Satis autem cognitis ac perpensis undique Dei hominis pulchritudine, oportet, & est tertius modus in hac meditatione servandus, ut sinat se anima duci suo amore, eoque quasi quâdam unione, atque arctissimo vinculo alligari suo Conditore Deo, ob ejus perfectiones, dilectionisque titulos, quæ in ipso percipit; patiat in sinuari se in hanc conjunctionem spirituum, misceat ita amicitiae colloquia cum ipso submissè tanquam cum Rege; piè ac religiosè ut cum Deo; tenerè tanquam cum patre; pavidè, ut cum Judice; tanquam cum sponso, amicè; cum amico, benevolè. O cordis mei amœnitas! O lux animæ, ô pulcherrime hominum, oriunde ex Virgine, sed æternum tamen Verbum ex Patre Deo! O verè promissæ Messias in lege, & per Prophetas! Jam ductu tuæ divinæ gratiæ tibi ipsi supernè uniri

uniri velim : ð uniar semper! te filiulus sequor , veteris modo disruptis vitæ vinculis : ð æternum sequar! te colo : imploro te , ð maxima atque optata salus : te semper implorem ; ð æterna veritas , ð vera charitas , ð dilecta æternitas! Hanc doctrinam tradidit nobis D. Augustinus in Joannem , nitidè ita ac disertè dicens : non arbitremur Dominum Jesum Christum , hunc esse Solem , quem videmus oriri ab Oriente , occidere in Occidente : cujus occasui nox succedit , cujus radii nube obumbrantur. Qui certâ de loco in locum motione commigrat. Non est hoc Dominus Christus : Non est Dominus Christus sol factus , sed per quem sol factus est. Omnia enim per ipsum facta sunt , & sine ipso factum est nihil. Est ergo lux , quæ fecit hanc lucem. Hanc amemus , hanc intelligere cupiamus , ut ad ipsam aliquandò veniamus , ut nunquam omninò moriamur. Ista enim lux est , de qua Propheta olim ita in Psalmo cecinit: quoniam apud te est fons vitæ , & in lumine tuo videbimus lumen.

August.
Tract.
34-

32. Qui ita meditatur , & amat , adeptus est ultimum & supremum gradum contemplationis , qui in hac vita mortali , in hac valle nostræ peregrinationis , usque dum clarâ Dei visione beëmur obtineri potest.

C A P V T I I.

De Dominica Annuntiatione.

33. **A**Dventante tempore , quo unigenitus Dei filius induendus promittebatur mortalitate , legatus est Archangelus Gabriel , ut adiret Beatissimam Virginem , denunciaturus Incarnationis mysterium : legentem invenit ex Isaia Propheta , de felicissima illa fœmina , quam Deus ab æterno præviderat futuram sibi Matrem. Dum profunda ipsius dignitatis contemplatrix Virgo deosculari optaret terram , qua duceret plantas Dei Mater ; dum devoveret se intimè ipsi , suaque omnia manciparet ejus obsequiis ; ecce venerabundè salutata est ab Angelo : Ecce pronunciata pro ea ipsa Matre , quam adeo admirabatur , colebat , amabat. Quàm læto timore , quàm timida tum lætitia perfusam crederes regiam Dei Genetricem illo eventu , eo momento temporis , quo tam excelsam faustamque excipiebat legationem ? Quanto stupore teneretur ipse Angelus , tantam intuitus humilitatem in illa celsitudine ?

34. Hinc devotionis exempla peti possunt , non modò ad ponderanda hæc mysteria ;

verum ad fructum etiam imitationis , tum in his , tum in cæteris miraculis , quæ per totam vitam patrata sunt à Christo. Quam in rem convenit meditari gaudium & hilaritatem Matris , quibus amicam suam & consanguineam Elisabetham inviserat ; comitatem illius salutationis , amorem Virginis , relatas gratias ab Elisabetha , exortum lumen ex concepto Deo , exultationem Baptistæ in materno utero ; elevationem virgineæ mentis ad cælestia ; modulatos sonos , quos fuderat in laudem Virginis Elisabetha ; suspensionem Josephi , Zachariæ reverentiam.

Nec mediocriter recreabunt mentem 35. considerationes de nascente Deo in paupere stabulo. O præsepe Betlemiticum , quos ostentas in te honores , quas depromis opes ! Tu cælorum Principi paratus thalamus , tu Sanctorum gaudiis optata regia , quamvis belluis accommodatum ; te tamen superni Numinis divina mens , haud nullius patiens erroris , maximorum Regum Palatiis anteposuit ; delapsos in terram cælites ad te concessisse video ; te insonuisse ipsorum choris , patuisse divitibus , nec tamen rejecisse pauperes ; admisisse pastores rusticos ; nec tamen renuisse dona Principum. O si fas mihi esset suscipere vagitus & lacrymas nati inter tua stramina puelli , magnæque Matris dulcia suspiria haurire ! O Genitricis amor ! ð pietas filii , quot maritabat oscula puellulo Mater ? Quàm teneras inter lilia rosas jungebat Matri bellulus ? Quot lacrymis utriusque genæ madebant ? Quàm rara gratia utriusque labiorum ostro sedebat ? Quàm devotè hoc spectaculo Angelici spiritus , Principes gloriæ , illic locarent sua diademata , procumbentes ipsi in genua coram filio , & Matre ? Quàm placidè coram tam alta majestate sui imperii sceptrâ reponerent ? Quàm taciti obstupescerent summâ illâ nuditate & pauperie illius Numinis , cujus solo nutu universi rerum orbis dependent. Quo certè monemur de cultu & veneratione , quæ exhibere debemus huic Præsepi , huic Matri , huic Infanti.

Quòd si ducamus considerationem ad labores , quos octavo Circumcisionis die perpeffus est hic cælestis puer , abundè docebunt , ut vidui superfluis , vanitati mortui , tantummodo veræ saluti vivamus. 36.

JESUS nomen ipsi inditum est , quod Hebraica lingua , Salvatorem significat. Servabit , verum est ; sed tamen suos , non à se alienos ; nisi abdicatâ priùs animi cæcitate ad ipsum redeant.

A Magis Regibus salutatur. Ex hac saluta- 37.

O P E R U M L I B E R P R I M U S. 9

38. *tutione, & ex aliis mysteriis, quæ procedente tempore subsecuta sunt. discas in primis offerre Deo preciosa cordis munera, charitatis aurum, religionis thura, pœnitentiæ myrrham. Discas prædicare Christum ex triplici teste, Magis, Scripturis, & Stella; animi submissionem discas, ex turturum oblatione, quibus redemptus fuit ut pauper in Templo: devotionem discas ex supplicatione, quam hic instituerunt sequens Simeonem Deipara Virgo, & Josephus: observantiam discas; nam exempti à lege, eam tamen observare voluerunt. Discas patientiam ex defatigatione itineris, quâ lassati ad Ægyptum confugerunt, & ex rerum penuria, quam per septem annos horridis illis, atque incultis locis, & inter barbaros pertulerunt. Discas misericordiam erga proximos ex luctu Virginis pro innocentibus Martyribus, qui vix hausere vitam; cum jussu & tyrannide Herodis, eâ perditâ, desiderati sunt. Discas obedientiam ex ea, quam Christus Deus annorum flore, per omnia subditus Parentibus, coluit à duodecimo ætatis anno usque ad trigésimum. Quo tempore sapientia æterna delitescens ac silens abstinuit prædicatione & miraculis ad tuam frangendam superbiam, qui vix litterarum candidatus te absolutissimum Doctorem putas. Ex baptizato Christo in Jordane discas ejus humilitatem; discas & reverentiam à Baptista, qui Dominum veneratus ejus petitione timuit. Habere confidentiam discas in æterno Patre, quippè qui hanc opportunitatem natus, clarissima & elevatori voce filii gloriam demonstravit, & in filio qui ad prædicandam salutem missus est à Patre, dicente: *Hic est Filius meus dilectus.* Et in Spiritu sancto, qui altissimo mysterio columbæ specie descendit in Christum.*

Matth.

3. 17.

39.

Discas præterea ex recessu ipsius ad desertam, jejunii, solitudinis, & vitæ contemplativæ amorem; ex illatis à Dæmone tentationibus magnanimitatem & fortitudinem in illis. Deinceps ne admireris de insidiantibus tibi infernis, cum etiam in ipsam innocentiam tam protervè auderet impetum facere. Uberrimos fructus mansuetudinis, comitatis & modestiæ colligere potes ex humilitate piscatorum, quos ut Apostolicos milites conflavit ad mundi expugnationem. Perpende bene dulcedinem, quâ misceret sermones cum hominibus; quæ ipsis exhiberet consilia & exempla; quam præclare se gereret inter illos; quot patra-
ret miracula; quo comitatu incederet

nunc quater, nunc septies mille viris per solitudines stipatus; cum tu tamen lentiori passu sequare cum tua Cruce. Nota benignitatem Redemptoris, quâ duci se tulit Hierosolymam, vili Asello inventus, hillaresque plausus ac triumphos admisit à concinentibus Judæorum pueris: *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* *Matth.* Cæterum misericordiâ motus in his ipsis 21. 9. Triumphis amarè deslevit statum civitatis, civiumque, quibus atrocius sua facinora dominabantur.

C A P U T I I I.

De ultima Cæna Domini, & præparatione, quâ recipi debet sanctissimum Christi Corpus.

40. **I**Nter alia memorabilia, quæ nobis reliquit Christus Dominus, omni veneratione dignissimum est Eucharistiæ Sacramentum, cujus jam mysteria summo studio ac devotione percolenda sunt. In rei aditu video humilitatem Christi, qui unâ cum pauperrimis discipulis, eadem mensâ celebravit hanc cænam; imo eam proditori Judæ paravit. Statim occurrit charitatis exemplum, quo in genua devolutus celsissimus Deus à luto, & squalore Apostolorum pedes abluit. Deinde ponderanda magnitudo mysterii, generositas cibi, majestas illius Sacramenti, quod confecerat, facta simul discumbentibus potestate idem consecrandi, tradendique aliis. O summa Majestas! ô inaudita liberalitas Domini! ô stupenda vis amoris! ô augustissimum Sacramentum! quid potest negare, qui seipsum sub specie potus & cibi donaverat? Quid grandius fieri potuit? Cuncta, quæ pro nobis potuit, compendiosè illa hoc unico beneficio fecit; clariora, ac majoris pretii dona, quæ habuit, elargitus est: dedit sub candore panis, vini que rubore, omnes suos Thesauros; dedit amicitiae pignora; atque ut iterum altius repetam, quod antea dixi, quia amplius nihil, aut præclarius dici potest, dedit seipsum intimè jungendum peccatoribus in amoris signum, adjiciens: *Hac quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.*

41. Eleganter ad rem divus Hieronymus: nobis inquit, reliquit testamento hanc suæ passionis memoriam, ne se absente & defuncto hâc vitâ, eam oblivioni traderemus. Ut solent facere, qui longas suscipiunt peregrinationes, donare amicis gemmas, aut alias amoris & benevolentiae thesseras ad sui recordationem, quam semper retinebunt, qui grati sunt amici,

B

amici,

amici, nec videre ea signa sine fletu & dolore poterunt. Sic igitur faciamus nos, dignas semper persolventes gratias misericordiae ac liberalitati Dei pro eius beneficiis, monumentoque eorum omnium sanctissimo Sacramento, ne videatur apud nos non perennare ejus memoria sempiterna, quod ex mente melliflui Bernardi, infirmis Medicina est, peregrinantibus praesidium, tristibus & imbecillis solatium, praeservatio fanis, salus & voluptas omnibus, qui dignè recipiunt illud. Comprimit superbiam, humilitatem fovit, charitatem incendit, auget fortitudinem, obedientiam docet, puritatem alit, germinat virgines, sensus gubernat, ac ne consentiant in gravissima delicta, voluntatem regit. Quocirca si aliquando refectus hoc pretiosissimo cibo, non ita acerbè molesteris tentationibus gulae, invidiae, luxuriae, irae, aliorumve similium; grato corde & mente referas omnia ad virtutem corporis, & sanguinis Christi, cujus effectus sunt. Solum liceat dicere, pro dispositione etiam recipientis communicari solere aliquoties effectus Sacramenti. Nam Judas accessit ad mensam Domini, & sine gratia recessit, quia indignè accessit. Quare summam curam attendi debet ad munditiam & praeparationem animi, antequam veniamus participaturi de hoc Angelico delicio; quoniam qui secus fecerit, iudicium sibi, & mortis sententiam inde feret.

42. Tria igitur procuranda, antequam gustes caeleste hoc convivium; nimirum corporea mundities, puritas animae, & praesens devotio. Dispositio corporis aliquoties consilii est, aliquoties verò mandatur praeepto, ut ex Theologis discas. Abstergatur anima ab omni lethali macula, semper necesse est; aut praemissa confessione, si copia detur; aut contritionis actu & dolore, si jam ad mensam flexeris, & sine magna nota, & scandalo inde recedere non possis. Accessurus ad mensam Domini, optare debes etiam lacrymas, quibus omnis vitiorum colluvies abluatur, si eas concesserit Deus. Oportet, dicit eloquentia Gregorii, ut qui dignè velit refici his divinis epulis, prius conteratur coram Majestate Dei, ut eo facilius adaptetur ejus passioni, cujus Mysteria ibi celebrantur; deinde intimos animi tui recessus, ubi delitescit culpa, legitimo alicui Sacerdoti aperias. Tertiam dispositionem, quae est actualis ac praesentis devotionis propinabunt sanctus Dei amor & timor. Nam Dei ti-

mor ingerit animo ejus reverentiam, & amor rerum caelestium desideria. Haec moliri potest consideratio summæ ejus, quem excipis hospitio tui pectoris, Majestatis; ibi enim mirabili mysterio praesens est ipse Christus, idem ipse, qui in ultima caena, suo Corpore & Sanguine depavit Apostolos, qui in Calvariae monte Cruci affixus pro nobis omnibus & singulis acerbissimam mortem sustinuit. Illud Numen, cujus celsitudine percussus magnus Baptista formidabat, quem praeveneratione fugiebat Apostolorum Princeps Petrus, affirmans peccatorem se esse, atque indignum comitatu tanti Numinis; in cujus conspectu Caeli columnæ tremunt, quem adorant Angeli, qui vivorum & mortuorum ultimus ac supremus iudex futurus est. Aequum est ergo, ut tu religiosè timeas & contremiskas, dum accedis ad ipsum.

43. Consideres, quamvis per annorum millia vacares huic dispositioni, tum demum tamen amplius devotioni insistendum fore, ut promerearis dignè recipere Sacramentum. Cum autem tam brevi tempore te compares ac praemunias; fas erit, ut submissione saltem cordis & animi accedas, & desiderio gerendi morem Dei monitis, qui te invitat, ut asseruit Divus Augustinus, hunc Angelorum cibum spirituali fame ac siti appetendum. Varia sunt motiva, quae ducunt ad Dominicam mensam. Alii enim veniunt animo uniendi se Deo; alii medendi suis morbis ac passionibus; alii consequendi remissionem ac veniam suorum peccatorum; alii subveniendi proximis, tum vivis, tum defunctis, qui nostram opem requirunt.

44. Ut eo intensius inflammemur cupiditate hujus convivii; notandum est neminem, qui adierit Christum verà ac sincerà spe consequendi salutem, repulsam tulisse. Nam Peccatrix demissa ad ejus pedes, illosque deosculando veniam obtinuit: Cananæa iteratis precibus exaudita fuit: Leprosi perducti ad ipsum mundati sunt: Obsessi daemone liberati: solidati paralitici; mancorum membra restaurata: caeci recuperarunt visum: surdis auditus restitutus est: Publicani & peccatores, eò quod veniam petierint, eam impetratam ad ejus gratiam admissi sunt. Virtus enim, quae promanabat atque exhibit ex illo, certam omnium morborum generi ac salutarem medicinam afferebat. Agedum Amice mi, cum te pro viribus disposueris, multa fide inito has epulas, futurum sperans, ut Divinae misericordiae

diæ arrideant tuæ optimæ voluntatis affectus. Quotò autem accuratiùs mente cogitaveris Passionis mysteria, tantò meliorem dico fore eam dispositionem.

45. Hic desiderabis intelligere, cui affectui imprimis vacandum sit? Timorine & reverentiæ, an amoris & desiderio? An stimulatus timore ac notitiâ tuæ vilitatis abstinere debeas à Christi Corpore? An permotus desiderio & amore illud recipere? Haud operosè solvunt hoc dubium sacri Doctores, dilaudantes unum & alterum affectum, factâ potestate eligendi iisdem ipsis, qui ad sacram mensam accessuri sunt. Nam gaudens excepit Zachæus suis ædibus Christum Dominum, quem tamen timebat excipere præ suæ conditionis pudore humilis Centurio, ita exclamans: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Cæterùm utriusque affectus jucundi ac pergrati fuerunt Deo.

Unum manifestè constat securum esse, 46. haud pessum teiturum, si confirmato ac fidente animo sumpseris Sacramentum; ita tamen ut nulla re obruncet fiducia timorem. Nam, ut ait Divus Gregorius; *Nihil viatori securius quàm fidentem timere.* Nihilominùs haud ulli dubium esse potest, quin præcellat timori charitas & virtus divini amoris. Quamobrem præstabit magis, ut ritè dispositus, plenusque spe & amore accumbas mensæ Domini, quàm perculsus timore abstinere ab illa.

CAPUT IV.

Nunquam metu scrupulorum, aliave fractione animi omittenda Communio.

47. Quosdam deterret à suscipiendo Eucharistiam ea existimatio, quam habent de sua indignitate, judicantes, nedum quidem ritè se dispositos esse, nec abundè purgatos à culpis. Frequenter hæc nobis suggerit dæmon, ne è sacra synaxi fructus colligantur. Huic tentationi obsistes, si probè penetres imbecillitatem tuarum virium, futurum ratus, ut his nunquam, quantovis tempore labores, comparare valeas dispositionem debitam celsitudini ac dignitati tanti Sacramenti: præter hæc debemus cogitare, neminem in hac vita ex ordinaria Dei providentia posse certiozem fieri notâ atque infallibili certitudine de sanctitate suæ animæ. Quare prudenti iudicio, ductuque Rectorum spiritualium, securus sufficientis dispositionis, nullus debet adeò consternari animo, ut se ipsum de-

fraudet, à tanto emolumento refugiens, quod sine superbiæ specie accidere non videtur: neque ob aliqua venialia semetipsum eò usque despiciat ac deprimat, ut tam inexplicabili beneficio abstineat.

CAPUT V.

Passio Servatoris nostri Christi absolutissimum omnium Virtutum exemplum nobis ad imitandum proponitur.

48. Perfectionum leges, quarum Doctõr fuit Christus in suis Evangeliiis, omnium exactissimè servavit, implevitque in sua Cruce, & Passione, ita ut haud abs re vocetur Crux Domini, finis Legis & Scripturarum, omnium virtutum summa. Hanc cogitabat Paulus, quando prædicabat, solum sibi cordi esse discere JESUM crucifixum; noverat enim hæc solâ sapientiâ comprehendi omnia, quæ æternæ saluti deservire possent. Nec video certè quid proponatur pulchrius ad exemplum & imitationem. Nam si paupertatem desideras; quis Christo pauperior, tam nudo, tam inopè in cruce ut non haberet ubi reclinaret caput? Si vis obedientiam & humilitatem; quis abjectiùs unquam se demiserit Dei filio, qui humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem; mortem autem Crucis? Si castitatem, quis castior oriundo ex Virgine, cujus Pater est Deus? Si charitatem; quis mirabiliùs amavit, quàm Christus, qui tot ignominias pertulit pro amicis? Si patientiam; ea clarissimè indicatur passione Christi; si mundi contemptum, à quo unquam tantopere despectum mundum legimus, quàm à Christo Domino, qui totius vanitatis pompâ & gloriâ superior elevatus, triumphavit de illis in Cruce? Si jejunium & abstinentiam; quis eo abstinentior, qui nihil degustavit aliud in sua passione præter fel & acetum? Si mortificationem corporis, quis posset ferre suis membris tam dira supplicia ac tulit ipse? Si orationis ardorem & efficaciam; quis unquam ferventiùs oravit illo, qui præ amore & attentione guttas sanguinis per apertos corporis poros sudavit? Si liberalitatem & misericordiam, quid potuit benignius facere hic Deus, quàm adeò indulgenter ac munificè tribuere suam carnem ac proprium sanguinem in potum ac cibum miseris peccatoribus? Si de ejus commiseratione dicam; visitabat infirmos, curabat ægros, redimebat captivos, parcebat peccatoribus, suscitabat mortuos:

si de dilectione & amore ; vel pro ipsis inimicis Crucis tormenta passus est. Animosè ergo aspiciamus hunc crucifixum, hilares conscendamus mente & affectu in hunc montem, qui est Christus ; sic uti in alio loco monuerat Deus. *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Hujus enim ex meditatione cum rebus turbidis, adversaque fortunâ quocumque in genere jactamur, fatigamurque ne à virtutis via flectamur, robur ac tollerantiam adquirimus.

CAPUT VI.

Modus tenendus in meditanda Dei Passione.

49. **M**ysteria passionis Domini sic mente percurri possunt, ut imprimis intendas animum desiderio imitationis ejus ; deinde commiserationis ; tertio admirationis ; tum postea dulcedinis, postremo autem summæ resolutionis sequendi Christum.

50. Ut ordiar à primo ; mors Christi totius perfectionis norma est, quâ quantò meliùs vitam rexeris, tantò firmior, & solidior erit tua virtus ; uti qui recedunt ab illa omnium vitiorum tenebris obscurantur. Idcirco ut propriùs accedamus ad labores Crucis & Passionis Domini, cupiamus toto pectore, & medullis, necesse est, plagas & ignominias ferre, contumeliam pati, lacerari adversis, injuriis omnibus onerari, habentes pro summo dolore, vindicari à doloribus ; & pro summo gaudio, satiatis aliis, adhuc alios esurire. Cedant dulcia amaritas, luxus modestiæ, gula sobrietati, superbia clementiæ ; quoniam nihil dissonum magis, quàm delitiis affluere discipulum, cum amarities fellis & aceti delibatur à Magistro.

51. Quod ad secundum attinet, meditatores Passionem, condolere debemus, nullo quæsito lugendi fine, eò quòd infinitus sit, qui pertulit eos labores, ac simul eò quòd non fecerit dolendi modum ejus sanctissima Mater, eò quòd denique aliis in rebus tam ingrati sumus erga divinam misericordiam, cum vix quot, & quanta apud nos extant Dei merita, enumerari possint. Hic deserviet attentam considerationem alicujus ex singularibus & majoribus ignominias, quæ obviæ sunt consideranti in discursu Passionis. Tribus præcipuè in locis dicunt Authores insigniter faceffisse sensum doloris Christo Domino sua tormenta ; nimirum quando posuit vestes, destinatus verberibus & flagellis ; & quando exutus

denuò iisdem, fixebatur Cruci ; & quando jam confixus, sublatâ sacrâ arbore, pendebat in aëre. O dolorem ! ô misericordiæ magnitudinem ! voluit nostras culpas dissolvere suo supplicio, magnas magno ; voluit nostram libidinem coercere suis doloribus, summam summis. Sed ad doloris gravitatem adjice tenella ac delicata membra formosioris inter viros illius juvenis, qui torquebatur : adde nostram ingratitude, cum pro nobis tamen omnibus dignatus sit pati : sed nihilominus adde Angelorum unâ cum miseratione dulcedinem ; nam licet commoverentur admiratione cruciatuum, concipiebant tamen jucunditatem de fructu : adde suspiria Matris, quam ita meditari possumus querentem sub Crucis ligno. Heu quem te Parenti refers, Nate ? quem te aspicio pulcherrime juvenum, tuæ Matris nitidissime splendor ? Illene antiquus honor tui vultus ? Illene genarum formositas, oculorum gratia, serenitas frontis, labiorum suavitas ? Illudne crinium decus ? ô mea viscera, ubi jam pulchritudo tui corporis ! Hinc tui pedes ? hæne illæ manus fabricatrices mirabilium ? hicne prodigiosus ille Deus, qui ipsum cælum distinxit suis adamantibus ac luminibus ? hicne flos ille Virginum desideratus gentibus ? Quot dolorum spiculis penetrarent hæ occultæ voces cor filii ardentis amore Matris ?

Perpende tecum hos dolores, hæc interna colloquia, has amaritudines, has pænas, ut saltem commisereri possis. Si autem id minùs faciendum putas ; quæ conjunctio potest esse tui cum capite Christo ? Capitis enim labores membris condolent ; & cum arctiori vinculo conjunctionis astringamur Deo, quàm capiti cætera membra corporis, aut possidenti suæ fortunæ, aut cognatis consanguinei, aut parentes filiis ; æquum est, ut intensiori luctu defleamus Passionem Christi, quàm bonorum jacturam, amicorum ærumnas, mortem parentum, ægritudines corporis, imò & quàm ipsam vitam, acerbissimo martyrio perdendam.

Ad tertium affectum, qui est admirationis, convenit ponderare ; quis est, qui passus est ? quid passus est ? pro quibus ? & quinam erant ejus persecutores ? Si quærimus, quis est hic, qui passus est ? videbimus esse Unigenitum æterni Patris Filium, immensum, omnipotentem, infinitè bonum ac sapientem, cujus Majestas tam alta est, ut ab ipsis Principibus gloriæ summa veneratione adoretur ; cujus

jus pulchritudo tanta, ut creaturæ omnes, atque earum species, & decor, videantur una minima scintilla, aut potius nihil comparatæ cum ipso. Quid passus est? per totam vitam plurima, in morte atrocissima; in vita exilium, peregrinationes, sitim, famem, calorem, frigora, persecutiones, opprobria; mortis autem tempore insidias, vincula, dolores, carceres, verbera; blasphemias; tum ipsa gloria despecta est, accusata innocentia, violata justitia; conculcatus Christus, condemnatus Deus, mortua vita; ejus palmæ trajectæ clavis, ejus tempora fædata dumis, ejus caput coronatum spinis, ejus latus apertum lanceâ, omnia corporis membra rorantia sanguine. Pro quibus cuncta hæc passus est? pro nobis certè vilissimis peccatoribus, ut illa extensa brachia comprehendant nostras miserias, illi perforati pedes regant nostros passus, illa cruoris flumina abstergant nostra delicta, illa vulnera recipiant ac foveant nostras animas. Sed qui sunt, qui Christo intulere eas injurias? qui? dilectus populus Servatori suo, ac vero Messiæ, vilissimi potentissimo, creaturæ Deo, stultissimi sapientissimo, crudelissimi dulcissimo Domino, spurcissimi formosissimo. O mirabilem Dei patientiam! ô singularem fortitudinem ac misericordiam! quis alius acerbitatem ejus Passionis sustinere posset nisi Deus?

54. Ut ad quartum tandem accedamus dulcedinis affectum, dolor debet esse nobis de pæna, sed gaudium & lætitia de fructu. Mors enim Christi generi humano attulit redemptionem, & vitam; cælos aperuit, restauravit Angelos; triumphavit de Inferno; nam licet in passione Christi miscebantur dolores, acerbitas, contemptus, mors, paupertas; in iis tamen doloribus reperies gaudium; in ea acerbitate dulcedinem, in eo contemptu honorem, in ea morte, vitam; in ea paupertate, maximos thesauros & divitias. Quis non exultaret totis visceribus, videns seipsum in libertatem divinæ gratiæ assertum per hanc beatissimam Passionem, erutum è damnatione æterna, ex ignominia culpæ, è faucibus Inferni, ex imperio ac potestate Diaboli? Cui non afferrent voluptatem tam dulces, tam aureæ atque efficaces flammæ divini amoris, qui ipsam æternitatis celsitudinem inclinare potuit in tam profundam dolorum vallem pro ingratis creaturis? Non suadeo, læteris hic ob utilitatem, quæ tibi indè à passione Domini prove-

nit, æquè ac propter magnitudinem ejus amoris. Quis enim Satrapes, qui ingruente pugnâ liberum se videret ab hostium impetu, eò quòd ipse regni hæres, aut Imperator transferret in se omne periculum, ob ejus amorem, non is ipsi summa voluntate gratularetur? Quanto autem saniori modo nos, qui pauperissimi sumus, perditissimi homunculi, debemus gratulari Deo, Regi Regum, & Domino Dominantium de triumphis, quos nostrâ causâ egit de hostibus, tot faucibus vulneribus, tam dirâ desideratus morte? Quis toto affectu non polliceretur sua obsequia tam tenerè amanti? quis amissâ dulcedine, & non potius obortis lacrymis præ animi exultatione meminisse potest Angelorum restaurandas fore sedes, sub uno pastore, unoque in ovili per nos homines, Adæ filios, convocatos ac nobilitatos ad complendum numerum illius cælestis collegii, quod grassante aliquorum superbiâ, eorum fecerat jacturam, eamque tristissimam. Hoc ipsum haud dubiè ipsi quoque cælesti curiæ argumentum est gaudii, & lætitiæ, quidni & nostræ militanti Ecclesiæ atque implicitæ tot periculis & laboribus? O dulcissimam Crucem & Passionem, quæ ita res tam disitas nectis amoris vinculis, atque ex earum varietate tanquam bellissimorum florum conficis unam coronam ad perpetuum ornatam & pulchritudinem! Quid dicam de benignitate & clementia Dei, qui ita indies tuam gloriam extollit, ut à nemine satis laudari possis, nedum mea barbarie prædicari sat s?

55. Quin, tò & ultimò, oportet, omnibus viribus nitamur transformari in Deum passum & crucifixum; cujus imaginem & similitudinem non solum tum induimus, cum ejus Crucem ferimus nostris humeris, aut mente & corde concipimus descriptos jam supra commiserationis affectus, pœnæ, solatii, doloris, admirationis, verùm etiam cum ita animo defixam ac ligatam eam habemus, ut nullibi fiat nobis potestas delendi memoriam, aut considerationem illius. Tum autem anima omnibus rebus creatis superior, extra se posita, & absorpta in Deo, ita conspirat in idem & commune cum ipso, ut non videatur aliud jam degustare, intelligere, sentire, videre, audire, nisi quod dilectus amat & diligit; aut nisi quod ipse dilectus est crucifixus & mortuus. His accedunt animi suaviora deliquia, quæ patitur vir contemplativus unicè deditus suo amori, cui quantò la-

deplorabat eas Joannes, cæteri Apostoli deplorabant, harum rerum nuncio perlato ad ipsos. Sed me miserum, qui velut durissima cautes adhuc contineo lacrymas. Sed ne memoriâ excidant negationes Petri: dum in Caiphæ ædibus verfabatur Christus, Petrus, qui eò usque loci animosè ipsum sequutus est, jam concidens animo, in turpes deflexit negationes. Initio tantum abnegabat ipsum, pejeravit postea, postremò autem cum turpiter perjurio addidisset execrationem, quodeum non noverat, continuò cantavit Gallus, quo signo, unaque aspectu Christi recordatus est Petrus illius sententiæ: *Prusquam Gallus cantet, ter me negabis.* Egressus ergo foras, flevit amarè suam culpam, monens hoc discessu, ad veram pœnitentiam, utique peccati præcidendas occasiones. O dulcissime Domine, uti respexisti Petrum oculis tuæ misericordiæ, eosdem, precor, ad nos referas, ut tuarum inspirationum vocibus & cantu permoti, amaris lacrymis animi sordes deleamus. Tradducta tota nocte in sua turpitudine, Seniores & Principes Sacerdotum, rursus statim ac illuxerat aurora sequentis diei, inière novum Concilium adversus **JESVM**; nimirum ut viderent, quo mortis genere eum perdere possent. Hinc conjunctis sententiis vinctum Romano cuidam Præsidi, quem dicebant Pilatum, tradidère, ut jure Imperii ab ipso multaretur. Judas cognita enormitate sui delicti, doluit tandem de composita prodicione, offerensque in Templo Sacerdotibus maleficii pretium, aliaque aliam excipiente culpa, laqueo ad infernum amandatus est. Nihil tetrius quam cum appetitu, mundo, aut dæmone moliri offensas contra Deum: voluptariè enim viventibus cohæret acerbitas supplicii.

60. Sistitur mitissimus **JESVS** coram Pilato, ut læsæ majestatis reus; sistitur vivorum & mortuorum judex coram infideli Præsidi, cælestis coram Romano, sanctus & immaculatus coram nocente, Deus coram creaturâ. Ut admirari desinas, ô anima, de iniquitate loci, ad quem deturbant te superbi hujus vitæ, qui sibi altiores sedes resumunt? Abnuebat initio Pilatus, nisi auditis partibus, proferre contra quemquam mortis sententiam. Quare interrogavit Christum, an Judæorum esset Rex? cui, utpotè qui talia quærebat amore cognoscendæ veritatis, modestè se quidem Regem esse Judæorum innuit Christus; tamen ne

indè fieret locus adversariorum calumniis suum regnum non esse de hoc mundo, terrenis copiis, aut armorum strepitu firmatum. Ad ea autem, quæ falsò imponebant accusatores, ne aperto quidem ore, profundo silentio obmutesceret, ita ut ea super re vehementer admiraretur Præses. Cæterum perseverabant Principes Sacerdotum in accusatione, veriti ne liber pronunciaretur à Judice, unaque inferebant perturbatorem esse Reipublicæ, & sparsisse suos errores per totam Judæam ab Galilæa indè usque ad urbem Hierosolymam. Qua ratione collegit Pilatus Galilæum esse Christum, & subditum Herodis, qui per eos dies venerat Hierosolymam. Propere ergo abrenunciavit cognitioni causæ, & simul quibusdam præmissis, qui vinctum custodirent usque ad judicium Herodis, oravit eum ut ea de re, quæ ad Galilææ Principem pertinebat, sententiâ ferret. Vix credi potest, quàm propemodum impotenti ferebatur lætitiâ Herodes adventu Christi Domini, fore ratus, ut eo eventu aliquid prodigii posset extorqueri ab ipso. Verum frustratus spe vanus Rex, spreto Dominum, & pro stulto habitum candida indui veste jussit, & hoc maximè modo ludibundus cum cæteris suis aulicis, iterum remisit eum ad Pilatum. O sapientia æterna! quot ludibriis te habebant Principes ac Satrapæ hujus mundi? sed quâ veneratione usquequaque adorant te superi?

Cum neque hæc quoque viâ resilere potuisset Pilatus à ferendo eam injustam sententiâ, ad quam impellebatur à Judæis, aliud iniuit medium liberandi Christum, suo judicio peropportunum; mos enim erat apud Judæos, dimittere aliquem ex comprehensis in carcere ob Paschalia festa. Coram ergo simul cum **JESV** posuit grassatorem quendam insignem, atque infensum omni populo præ improbitate, quem dicebant Barrabam, dicens illis: utrum dimitti vobis postulatis, seditiosum Barrabam? an hunc alium, quem immunem ab omni culpa reperio **JESVM**? At seductus populus consilio Pharisæorum, clamabat: non hunc, sed Barrabam; & continuò iterabant voces, in cruce moriatur **JESVS**. Quid aliud facimus & nos, amici, quando molimur offensas in Deum? deserto Christo petimus peccati Barrabam; divertentes à Cælo descendimus ad Infernum; spreto Deo, amplectimur creaturas. O miseriam! ô pessimam electionem nostram! ut quid adeò perditæ relinquimus veteram aquarum viventium, inhiantes cæno
atque

atque immunditiis Satanæ ? Pilatus ne quid inexpertum relinqueret, aliam haud minori atrocitate tentavit viam, si quo modo Judæos placare posset, permiffa facultate prætoriarum cohorti flagris ac verberibus sæviendi in Christum; quod iustum acriter fecere lascivi milites, contra quam cogitari potest. Nam feralibus flagellis addidit acutissimas spinas, quibus divina illa tempora cinxerant; datis quoque coccinea veste, & arundine pro sceptro, mentitâ veneratione quasi Regem salutavere, ac nihilo secius, ne quemquam fortè lateret illusio, frequentibus alapis eum diverberavere: sætantia sputa expedivere in ejus faciem, aliisque oneravere ipsum contumeliis. Quâ cognitâ immanitate Pilatus adducit eum, ita ut erat, faucium vulneribus, irroratum cruore, ornatum eâ coronâ, & rejectitiâ purpurâ, atque in edito loco, quod ab omnibus conspici posset, collocari iussit. Tum elevata voce: *Ecce*, inquit, *Homo*, (quibus addere posset,) cujus calamitates, vel lapidea corda ad miserationem & lacrymas emollire possent. Quid amplius vultis de illo? nonne sufficient hæc pœnæ? ô fidelis, attentius respice hunc hominem! Ecce Homo, Princeps hominum, propè sine specie hominis pro tuis delictis. Inspice virtutes huius hominis in tot miseriis: inspice ipsius humilitatem in tali contemptu; ipsius paupertatem in ea nuditate; ipsius mansuetudinem inter tot injurias; ipsius patientiam in tam sævis doloribus; ipsius modestiam in mediis hostibus; ipsius obedientiam inter tot carnifices, qui educto eo spectaculo, magis ferocientes altiori voce contendebant à Pilato, ut imperaret in crucem tolli eum, alioquin minati futurum, ut excideret gratiâ Cæsaris. Pilatus verò conterritus huiusmodi murmure, rursus consedit pro sede iudicii; variisque argumentis ultrò citroque habitis cum Pontificibus, ad extremum sententiam mortis tulit in Servatorem, idque fieri iussit suspendio crucis pro more gentium: peccatum proprium iniquorum Judicum, favoribus humanis timorem Dei postponere, ut fecerat hic Pilatus, veritus, ne pro amico Cæsaris haberetur.

62. Vix pronunciavit Pilatus hanc Sententiam, cum indutus est Christus propriis vestibus, ut eò facilius dignosceretur per Urbem. Unâ cum ipso educti sunt è carcere duo Latrones, quibus comitatus, portabat suam Crucem versus locum supplicii. Cum incederet per plateas civitatis, stipatus armato, densoque milite,

tum equite, tum pedite; ac simul pro ædium portis ac fenestris, præter turbam, quæ implebat vicos, inspectante nobilitate, ita exclamari cæptum à Præcone: Hæc est justitia, quam imperat Romanus Cæsar, ejusque nomine Pontius Pilatus, quem creaverat Judææ Præsidentem; ut hic, quem JESVM Nazarenum appellavit, inter duos Latrones crucis, mortisque supplicium luat: Nam qui seduxerat populum, turbaveratque Rempublicam, æquum est, seductorum pœnas subeat. Quo tremore concuterent hæ voces pectus beatissimæ Virginis, quæ fortè tum obviam veniebat, ad filii vulnera abstergenda, fovendaque, si fieri posset locus? & mœsta Mater, (dicit sanctus Bonaventura *cap. 78. de vita Christi*) propter multitudinem gentium ei appropinquare non poterat, nec videre; ibat per aliam viam brevior, ut alios præcedens, ei, appropinquare valeret. Apertâ tandem viâ, accessit amplexura filium; mutui dolores inter Matrem, & filium tum in eo eventu coorti adeo superant Oratorum eloquentiam, ut plerumque cujusque meditatione ponderanda potius videantur.

Procedente cohorte, & emensa par- 63. tem itineris, propè consumebatur fatigatus JESVS, nec amplius sufficiebant vires tanto oneri. Quapropter suffectus in ipsius locum Simeon quidam Cyrenensis, ut deportaret lignum ad montem, qui erat sedes supplicii. Quò cum pervenissent, tertiâ jam vice sacrilegè denudaverunt tortores suis vestibus illud sanctissimum Corpus omni decore nitens, omni nitore honestum, omni honestate eximium ac puritate clarissimum; explicatumque super Crucem, confixum est ipsi perforatis pedibus ac manibus durissimo ferro; ac deinde sublatum in altum inter duos latrones, ut tanquam nequitie Princeps & caput à spectantibus censeretur. Impii ministri, pendente Domino, declinarunt ad spolia, ut Scriptura adimpleretur, quæ dicit: *Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserunt sortem.* Hic propinarunt ipsi in potum fel & acetum, haud temperantes sibi ab irrisione; hic motu capitis plaudebant ultionem: sed hic etiam orabat pro illis filius Virginis, imago æterni Patris; hic extendit sua brachia ad excipiendos etiam hostes, si fortè ducti pœnitentiâ, fores pulsare vellent divinæ misericordiæ, unâque admissi erroris exorare veniam; hic commendavit Matrem Joanni, ut eam acciperet in suam, quo præmio nobilitata est castitas, triumphavit virginitas; hic palluit formosissimus

mus hominum ; atque amore languens verus animarum sponfus concessit morti, æternùm regnaturus. Tum obeunte Deo, concidit splendor creaturarum. Nam sol lugubri amictu pullatus est, Cælum coopertum tenebris, tremoribus concussa terra, divisæ rupes, monumenta aperta. Tantummodò peccatores duriores silicibus, rigidiores feris, absque sensu doloris in sua perstitère stultitia ; hic per Longini lanceam cæso Christi jam demortui pectore manarunt versus Ecclesiæ Paradisum pellucidi rivi, purpureæ undæ, quibus rigatæ boni fructus arbores, florent modò virtutibus, operum amœnitate virescunt, inumbrantur gratiâ, postea coronandæ gloriâ.

64. Sensim hæc perpende, dulcissime Amice, hanc Christi Crucem, hoc salutis signum, hanc divinam arborem totis brachiis amplectere ; intimè fove corde. Verissimè scias non solum suavitate ejus memoriæ illustrari posse mentem, ne aberret à via æternæ salutis, verùm restaurari etiam perfectiones morum, inflammari-que voluntatem ad legendos fructus sui amoris. Pendeant omnes tui affectus expendente in hoc ligno, ut eò gloriosius ovantes, imponant sibi partam coronam per ejus spinas, clavos, dolores, certamina, triumphos. Cum sancto Apostolo Thoma introduces aliquando manum in ejus latus ; nec solum hoc, sed progressus etiam ulterius cum exceptus fueris in ejus vulnerato corde, ita hærebis illi mutuo amore, ut nulla in re alia festiviùs suspendi velis, quam in amato. Aut exclamabis cum Doctore gentium Paulo ; te crucifixum esse cum JESU ; jam non vivere te ; vivere autem in te Christum : vivere jam in te ipsius pœnas, & tormenta, qui cum præsideret syderibus, inter latrones ut latronum caput suspensus est in Calvariæ monte, communi cum grassatoribus loco : adde eodem ipsi comparatam sedem in aère, utpotè qui ab hostibus neque vivere in cœlis judicatus est dignus, neque mori in terris. O scelus ! ò minimè ferendam audaciam ! totius orbis Domino nullibi terrarum concessus est moriendi locus. O benignissime Deus, quoties tibi explicata tormenta ? In ædibus Annæ alapæ ; in Caiphæ sputa ; in Palatio Herodis contemptus ; in carcere flagella ; inter flagella spinæ ; à Pontificibus blasphemiarum ; per civitatis plateas injuriarum ; in Calvaria martyria. O maledicti tyranni ! ò Judæi, gens adultera, quam malè statuisis morte turpissima condemnare Creatorem vestrum ; sed statuisis tamen, &

abundè expletum initum consilium.

Asseruit mellifluus Bernardus speciem, 65. formamque servi indutam fuisse à Christo ; qui quamvis filius, spontè tamen demissus in servum, servi formam assumpsit, nec tantum hoc, sed etiam peccatoris servi sine propria culpa, ut supplicio addictus in corpore proprio, pœnas lueret pro delictis alienis. Elegit super hæc tantam ignominiam mortis, ut nemo potuit magis, nam factus est obediens usque ad supplicium Crucis, cui generi inusta summæ infamiæ nota per eos dies ; quin propterea quid refrigerationis suis contritis membris admitteret, coronatus verpibus in lecto crucis ; ibidemque ferreis clavis, qui pedes ac manus penetrabant ; orbis vestibis ad ignominiam, irrisus à prætereuntibus, ludibriis læsus ; viduatus cruore, enectus amaritudine ; quæ eo cumulatiùs afferebant dolores, quo delicatiori temperie erat virgineum corpus illius bellissimi juvenis, qui ita torquebatur. Quoniam si eorum memoria tantum impulit Christum Dominum ad sanguineas afflictiones & dolores ; quid sensim perficeret omnium tolleratio ? quæ super re differit beatissimus Bernardus : angustias Christi planè ostendi eo sudore sanguinis, quo dum oraret in horto, perplutus est. O dulcissime JESU, amantissime hominum ! quænam, oro, fuit causa tot vulnerum, necis tam acerbæ ? sed jam intelligo me hanc causam fuisse. Parce Domine, parce meis erroribus, jam omninò me pœnitet stultitiæ, cui hæcenus indulceram per illos. Video amarissimos fuisse tuos dolores ; eoque magis, quo innocentior tua vita. Quoniam ò immense Deus, ab omni labe immunis fuisti, nec in labiis tuis inventus est dolus. Id quod suo testimonio perhibuit Pilatus, cum certò affirmaverit sibi nullam causam patuisse, ob quam promereris mortem : at tamen eam passus es, scatens vulneribus à planta pedis, usque ad verticem capitis. Sed ad quid, (mea viscera) tot fluentia tui pretiosissimi sanguinis, siquidem minima solum guttula abundè sufficeret ad solvenda millies sine fine debita totius universi ? Mei amore hoc factum ? Mutuus sit in posterum noster amor : florida sit dilectio, quæ æternùm te amem pro tam generoso amore : mea lingua semper prædicet tua encomia : mea memoria oblectetur tuis gratiis : mea mens invigilet tuis obsequiis : mei labores semper conjungantur tuis, lacrymæ lacrymis, fletus fletibus, vigiliæ vigiliis, dolores doloribus, semper ornentur tuâ purpurâ, clavis, lanceâ, coro-

Coronâ : capiti meo dentur aquæ, atque oculis meis fontes lacrymarum, quibus die & nocte defleam tuam Passionem, qui cum nullius esses conscius delicti, pro peccatoribus tamen mortuus es post lentissimas triginta trium annorum vitæ ærumnas, quas memoravit Propheta, ubi palam ostenderat pauperem te vixisse atque in laboribus à juventute tua.

66. Quorsum (putas) ad capiendos humani pectoris affectus tam multiplex in Passione est quæsitâ varietas à nostro Servatore? Nimirum ut suæ in iis vestigia pulchritudinis adumbraret, suamque ipsis commendaret benignitatem. Quid enim suavius, aut benignius, quam subdere se supplicii Principem pro servis, altissimum Deum pro vilissimis hominibus; quorum si ponderarentur merita, haud ægrè daretur anxia detrudendi eos in summas miseras ob ingratitudinem. Væ autem ingratis! nam impliciti culpâ ultrâ Christianorum modum, sibi facultatem præcidunt legendi fructus ex ubertate Crucis. Quod si Christus caput suum inclinaret ad beandos ipsos osculis; ipsi ab hac oblata pace ad hostium factiones deficiunt: si tendat brachia animo complectendi ipsos; fugâ illi perniciem sibi petunt: si pectus teneat apertum, ut ingentia undique sibi animarum lucra conquirit; in vanitate ipsi curas, quæstusque suos intendunt: si confossus undique sit vulneribus pro eorum amore: illi habentes sanctitatem procul, vulneribus addunt vulnera. De his videtur quæstus D. Bernardus, quando introduxerat ipsum Christum sic partim colloquentem cum illis: Attendite, Amici, si potuit cogitari tam intensus dolor, ac dolor meus: nusquam enim acerbioribus martyriis tantum doloris datum, haustumque. Quid omisi facere, quod vestrum mulcere posset sensum, aut velut arridere palato? Exemplum dedi vobis, cur non sequimini illud? Aperui vobis viam, cur non curritis per eam? Ingentes deportavi vobis victorias, cur non sumitis de præda? Constitui in meo ditissimo imperio novos Principes suscitare, eisque novos splendores accersere; venite, possidete illos: Ne sitis ignavi aut ingrati tot beneficiis. Etenim si ea dona pretio sanguinis comparavi, animata mente erga vestrum genus; quid cunctandum est vosmetipsos in certamen elicere, ut accipiatis Coronam.

67. Ponite ergo Crucis signum super cor vestrum, & super brachia vestra, ne aliquando lassati ex itinere, incipiatis redire ad antiquas miseras vestri exilii. Quando autem videritis rem secundè processisse,

procul omnino habeatur omnis superbia; quinimò muniti hoc signo firmate iterum decertandi propositum, quod olim arripuistis, tanquam qui nihil eo usque præclare gesseritis. Quod si interim quid triste aut minus jucundum se fortè obtulerit, statim petenda vestra arma, meâ nimirum crux, clavi, lancea, & corona; ut quod amarum videtur, sapiat dulcedinem; & quod triste est, vertatur in gaudium. Huc accedit illius exemplum, qui devictus aupertate vitæ Religiosæ ad mei pedes pendens è cruce conqueri cæpit de rigore Ordinis, de simplicitate potus & cibi, cæteraque paupertate, quæ dilectissimè, ut mater solet coli à Religiosis. Cæterum vix effusus prolapsus in has querimonias; quando ex æquo contendi purpurascere lateris mei sanguine, ac monere ipsum, ut quotiescumque ingruerent iterum ejusmodi tentationes; condiret suos cibos meo liquore. Quo consilio roboratus, qui antea ægrè sustinebat ordinaria regulæ, ita generosè occupare cæpit culmina perfectionis, ut deinceps ad extremum usque diem sanctissimam vitam duxerit.

CAPUT VIII.

De gloriosa Resurrectione, & Ascensione Domini; & de Spiritus sancti festivo adventu.

Modum considera, quo sanctissimum Christi corpus avulsum est è Cruce, atque in novo sepulchro conditum. Meditare, quemadmodum ejus gloriosissima anima descenderat ad Patrum Lymbum, latura gaudium, & hilaritatem illis venerabilibus Patriarchis, qui tot retrò annis expectabant suum vindicem; ut conficerentur dolore ac tristitiâ Dæmones ob amissam victoriam; ut redeunte tertia jam aurora, invecâ roseis suis quadrigis ob solemnitatis lætitiâ, triumphavit de morte expugnator Inferni, Princeps æternæ pacis, ac Servator hominum, splendidior sole, ipsius pulchritudinis miraculum; ut eò firmius persuadeatur nobis futura nostra resurrectio ultimi judicii die. Cogita Judæorum timorem, qui consternati animo custodiebant sepulchrum: assistentiam Angelorum, qui sub marmore considebant, aliorumque, qui circumfluebant foris: Visitationem Magdalænæ, alteriusque Mariæ, quæ permotæ vehementiâ cordis sui amoris, quod initio salutare non possent Dominum, iterum redibant ad monumentum: Omnes eos eventus, quibus apparuit Dominus; imprimis suæ sanctissimæ Matri; deinde Mariis, & Discipulis: dulcedinem,

cedinem, quâ recrearentur ipsius aspectu, & sermonibus, quibus mutuo inter se miscerent colloquia.

69. In contemplationem item revoca, uti post quadraginta dies cum lectissima manu Principum caelestis militiae, & Lymbi Patribus, in monte Oliveto apparuit Beatissimæ Virgini, & Apostolis, eosque solatus, ac stipatus suis copiis, triumphantis more paulatim cæpit elevari per aëra, aliis alios excipientibus æternæ curiæ aulicis, dum ad gloriæ portas conscenderint. Tum hic quot festivis salutationibus gratularentur inter se de Ovantis Regis adventu! quantâ suavitate Musicæ cantus numerosque in ipsius laudes moderarentur? Quâ compositi venustate, quo decore venusti, eo congressu salutarent ipsum? Quo cultu, quâ majestate comitarentur eum ad Imperii solium, ubi ad sui Patris dexteram perenni sceptro regnaturus erat. Indè excerpes tibi hunc fructum, ut quàm maxime studeas elegantiae & puritati tui spiritus. Nihil enim non purum, non elegans in ascensu ac triumphis Christi Domini.

70. In cælis excepto Christo, properè se recepit sanctissima Deipara cum discipulis ad cænaculum montis Sion, orationi & precibus vacatura; ibique decem dierum spatio operiens descensum Spiritûs sancti, qui antea promissus erat, ac recitans illum Prophetæ versiculum: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur; & renovabis faciem terra*; horâ tertiâ Dominicæ diei repente visibili specie obumbrata est à Spiritu sancto. Apostoli verò, qui eundem recepere spiritum, quamvis antea timidi & pusillanimi, post tamen hoc divino afflatu pleni, eoque confirmatis animis, in Judæorum conspectum mente validâ, fortiq; pectore exivere, prædicaturi Evangelium. In singulis his punctis potest contemplativus meditationis vela explicare pro devotionis mensura, quâ judicabit se ditari à Deo.

Psal.
103:30

C A P U T IX.

Quanam præcipuè ex rebus gestis Christi Domini percurrenda?

71. **Q**uamvis ubique tenenda mente & animo omnia, quæ per discursum totius vitæ gesserat Christus Dominus; præcipuè tamen recollenda sunt hæc. Primum, ut in genua devolutus lavit pedes Discipulorum, cum pauperes piscatores essent, & ipse aded præcellens dignitate. Secundum, ut in horto Passionis nocte oravit, ita rorans suo cruore, ut in terram usque defluerent sanguinæ guttæ,

campumque circumcirca abundè tingerent. Tertium, ut coram Anna, & Caïpha, cæterisque Judicibus sistitur dimissis oculis, ligatis collo & manibus, haud fecus quam si Dei, aut Reipublicæ capitalis esset hostis. Quartum, ut iisdem vinculis & funiculis abstractus, publicè de Senatu in Senatum traducitur. Quintum, ut tanto sui rubore viduatum se vidit tunicis ad sustinenda flagella. Sextum, ut constrictus columnæ ea pertulerat. Septimum, ut humeris deportanti Crucem obvia fuit beatissima Virgo, & quam gravem dolorem ex maternis suspiriis tum acceperat in eo congressu. Octavum, ut nudum confixerant eum Cruci illi barbari, Judæorum ferissimi Ministri, procul habentes omnem sensum pietatis & misericordiæ, utpotè qui per tyrannidis insolentiam humana conditione prorsus abutebantur. Nonum, ut sublata in altum Cruce, afficiebatur vulnerum dolore, ac simul pudore nuditatis, quod se apertum cerneret, fixumque cruci per infamiam in conspectu tantæ multitudinis civium ac popularium illius regionis, qui ea tempestate concesserant Hierosolymam, ducti novitate tam inopinati supplicii. Decimum, ut rursus die tertia ab obitu gloriosè surrexit ex mortuis. Undecimum, ut summa Majestate & decore conscendit in Cælos. Duodecimum & ultimum, ut veniet supremus Judex, non iterum laturus injurias ab hominibus, sed strictissimè eorum rationes ducturus, cujus tremendum judicium nemo, quantumvis Rex, aut Princeps, effugiet.

Ad calcem hujus tractatus notandum, 72. si quis integri anni spatio in morem Rosarii velit legere singulis diebus Orationem Dominicam cum salutatione Angelica, tot uniuscujusque numeri recitatas fore in fine anni, ac inflictas fuerunt Christo vulnera per lanceam, clavos, spinas, & flagella.

T R A C T A T U S III.

Paradisi scala, quâ tractatur de novissimis, nimirum morte, universali Judicio, Inferni penis, & Paradisi gloria.



Memorare novissimam tuam (dicit Ecclesiasticus) & in æternum non peccabis. Hoc idcirco dicit, quia malitia feralis culpæ, malæ mortis æternæque damnationis periculum facessit. Eoque, qui harum rerum meminit si grassari in se eam pestem

pestem videat, spectabit fugam, opportunè consulens suæ salutis. Et cum è contra virtutem sequantur pretiosa mors, & Paradisi gloria, omnes harum memores, niti curabunt huic cælesti scalæ, per cujus gradus scandunt sanctæ Ecclesiæ milites ad recipiendam suam coronam. Ut igitur eò facilius percipiantur nostra novissima, hic breviter ea discutienda duximus.

CAPUT I.

De mortis novissimo.

74. **D**ecem ingentia præcipitia ferè semper obveniunt iis, qui in lethali culpa decedunt. Primum est intentissimi doloris, qui corpus cum omnibus suis membris occupat. Veluti enim, qui naufragium passus undique obruitur undis, quin potis sit eas à se repellere: ita, qui in angustias mortis devenit, tam immani tristitiâ, tam feris doloribus obsidetur, ut quæ ratione mitigari possint, non videat, clamat Psalmista: *Circumdederunt me dolores mortis; & torrentes iniquitatis conturbaverunt me. Dolores Inferni circumdederunt me: præoccuparunt me laquei mortis.* Quando omnia hæc eadem vi & impetu irruent; quo se vertet delicatior nobilitas hujus mundi, eo usque nunquam macerata jejuniis aut rigore pœnitentiæ? Quid tum fiet de elegantioribus molliculis, qui una voluptate corporis metiuntur vitæ felicitatem? Certè satiùs foret his, temperare se à libidine, quàm ut deliniti blanditiis in tam manifesta se pericula detrudant. Secundum præcipitium est ipsius peccati, cujus faucibus vix liberari possunt, qui in ejus discriminis iniquitatem adducuntur. Egregiè enim monet Divus Augustinus, haud injuriâ obvenire, ut qui in vita oblivioni tradit divina obsequia, ne meminerit quidem sui ipsius in hora mortis. O si hæc attenderent, qui exertâ linguâ inimicorum sanguini inhiant, se sanè continerent ab ultione, & gauderent de oblata occasione parcendi injuriis, ut absolverentur à Deo. Tertium est peccandi consuetudinis: Inveterata enim consuetudo fit quasi altera natura, adeoque profundè agit suas radices, ut nihil molestius, quam in earum avulsionem niti. Quoniam quo altius radicantur mores, eò firmius inhærent. Væ illis, qui per unum aut duos menses, & aliquando per integros annos indormiunt suis vitiis. Væ, væ illis, qui per totam vitam renuunt converti ad Deum; etenim certissima eos manent pericula futuri judicii, siquidem

Psalm.
17.

faciat eâ pertinaciâ vitæ, ut horrendi quidam mortis terrores de eorum torpore expectari possint. Quartum est earum tentationum, quas moribundis peccatoribus solent facessere dæmones; tantoque ferociùs his vexant, quo minus illi distant à morte. Quid autem certiùs accidere potest, quàm ut desperent victoriam in eò conflictu, ii qui integris viribus inglorii timebant hostium impetum sustinere. Toties enim reducti in captivitatem, vel solo velificationis nomine expugnati concident. Quintum est tyrannici illius amoris, quo peccatores indomitè feruntur in malè à se partas divitias, ita monente Domino: *Ubi est thesaurus vester, ibi est cor vestrum.* Potiùs ergo deberent obedire consilio Evangelico, quod exhibetur: *Vide-Luc. 12. te, & cavete ab omni avaritia*, quia non in eo, ut supersit cuiquam de facultatibus suis, vita ipsius est. Nam in ultimam horam declinatâ jam vitâ dilucidè aparebit stultitia divitum, qui tum suæ infelicitati, veluti scopulo adhærebunt. Quippè qui tunc maximè divitiarum oneri succumbent, quando minimè retineri poterunt; nec promptum erit scire, quis earum possessor inducetur. His consequi gloriam per paupertatem, quam descendere ad Infernum ob opulentiam, satiùs foret. Sextum præcipitium est implacabilis tristitiæ, quod paulatim, ingravescente morbo, deficient corporis vires, neculla medicorum ope, aut vi humana, restaurari valeant. Hic incredibile est, quàm concidant animis mali, illicò se aperiente illis porta ad flammam æternam; & quantum eos resumant boni spe gloriæ. Septimum est feralis odii, quo ferè demessâ vitâ habent improbi virtutem; eo quòd salutis flore stultè nescierunt diligere eam. Quoniam lippis oculis nihil gravius ad-versatur, quam claritas lucis. O quàm saniori mente vellent se semitas vitæ trivisse, quàm laxiores Inferni vias, qui oderunt expiare conscientias, easque munire præsidii divinæ gratiæ, cum tam lubricè videbunt agi de se, ac propè in sententiam iri de sua perenni damnatione! O quam devotè interessemus & nos rei sacræ, quot lacrymis defleremus culpas, quam delicatè observaremus nostros mores, quam severè castigaremur passiones, si hæc frequentius, statisque temporibus in Meditationem vocaremus. Octavum est anxietatis, quâ, ferè desperatâ salute, jactabuntur. Quis timor erit hic? quæ dubitatio? quæ hæsitatio, mentis & cogitationis? Cum se noverint oneratos culpis & peccatis, nec se unquam pœnitentiam

tiam suscepisse pro illis, nec ulterius pro-
tendi licere vitam, ut suscipiatur. No-
num est memoriae illius tremendi ac parti-
cularis iudicii, quod jam jam ipsis immine-
bit. Ed delati, quo se vertent peccatores?
percunctabitur Judex: ista imago, quâ huc
venistis ingratiſſimæ creaturæ, cujus est?
Ubi abscondidistis mea talenta? Ubi vestis
nuptialis, quam comparare debuistis? ubi
debitum lucrum mei pretiosissimi sangui-
nis? ubi prima gratia? ubi quæſita per
mea Sacramenta? quo emolumento im-
penſa tot beneficia? Quid his respondere
poterunt infœlices? Taceant: id pudebit.
Loquantur: loqui non audebunt: nam
apertâ conſcientiâ, nihil latebris oculari
licebit; ſi quidem qui rationes ducet,
erit ſcrutator cordium ipſe Deus. Deci-
mò, quò præcipites ad Infernum feren-
tur, nihil horribilius; id erit ultimæ ſen-
tentia, quâ pronuntiabit Judex, ut liga-
tis pedibus ac manibus detrudantur in
flammas ſempiternas. O formidabilis ſen-
tentia! ô terribilium terror! cujus ſuffi-
cient humeri aut vires tuo ponderi? te cer-
tè ſuſtinentibus melius foret, ſi nunquam
nati fuiſſent, quam æternum laſſari tan-
to onere.

C A P U T I I

De pœnis Inferni.

75.

Sequitur de Inferno tractatio; qui lo-
cus in visceribus terræ ſitus eſt, ubi-
que excipiuntur, qui hac vitâ diſcedunt
in mortali culpa. Infernus ob tres præci-
pue cauſas aſperrimus eſt. In primis, quia
ſicuti ad Dei magnificentiam pertinet,
ſummâ amœnitate recreare ſuos milites,
qui ex æquo, & animi generoſitate & con-
ſtantia, præliorum ſudores atque hoſtium
incurſus tulere: ita ad ipſius juſtitiam ſpe-
ctat, perpetuo carcere continere juris &
juſtitiaeproditores. Secundò, quia ſi va-
rietate meriti varientur præmia, & virtu-
tis corona ſit gloria, quid remanet pec-
catis, præter pœnas & ſupplicia. Tertio,
quia ed quod avertant ſe jam Peccatores à
Deo per ſuas culpas, converſi ad creaturas;
æquum eſt, ut aliquando Deus ſe aver-
tat à ſuæ benevolentia miſericordia erga
illos converſus ad juſtitiam. Divinae pro-
videntia placuit conſtituere infernum in
centro totius univerſæ terræ, ut ſicut
pulchritudo gratia longiſſimè diſtat à de-
formitate culpæ, ita etiam maximâ di-
ſtantiâ inter ſe recedant infernus juſto-
rumque Paradifus: & quia improbi Pec-
catores viliffimè mancipantur ſuæ libidini,

in viliffimo ſimiliter puniantur carcere.
Tum denique quia hi iidem conſtituerunt
ſuum ultimum finem ac beatitudinem in
inſimis rebus, ut poſt uſuram hujus lucis
commigrent in inſimum locum. Infernus,
quamvis latiſſimè extendat ſuos ſinus, ut
poſſit damnatos omnes ſimul in ſe recipe-
re; attamen ſi comparetur cum ampli-
tudine cœleſtis Paradifus, arctiſſimus locus
eſt. Viri enim juſti, & qui nulli aliæ rei in-
ſerviunt, niſi Deo, ed quod omnem ſuam
fœlicitatem collocent in ipſius infinitate,
ut in ampliſſimo, belliſſimoque ſine; ita
latiſſimam ac formoſiſſimam merentur ha-
bitationem. Quò ſit, ut pari etiam modo
æquum ſit, ut qui minimas voluptates ac
delicias ut finem amplexi ſunt, more la-
terculorum, qui ardent in fornace, com-
primantur inter ſe anguſtiis loci ubi ſem-
per immorandum. Inferni puteum tor-
rentibus flammis ambiunt pœnæ, ſicut
Paradifus ſedem jucundiſſimæ amœnitates.
Id enim ſummam Dei majeſtatem decet,
ut qui ſe orbarunt per gratiam vanitate
hujus vitæ, poſtea diteſcant inter amœ-
nitates Paradifus beatitudine gloriae; &
qui unice ſe dedere infami libidini, pur-
pureoſque voluptatum metebant flores in
hoc mundo, ut in denſiſſimas umbras,
tartareoſque lacus rejiciantur hominum
infœliciſſimi.

C A P U T I I I.

*In Inferno torquentur ejus incola decem pœnis
corporeis, qua hic breviter ſubjiciuntur.*

Prima ex his pœnis eſt ignis, ut acce- 76.
pimus à Chriſto Domino. *Dicite à
me maledicti in ignem æternum, qui paratus
eſt Diabolo, & Angelis ejus. Quatuor ha-^{Math.}
bet proprietates, quam maximè diſſitas^{25.24.}
ab iis, quas oſtendunt flammæ hujus or-
bis, quo hic vivimus. Ut incipiamus à
prima; tanto fervet calore, ut hic noſter
ignis tepidus ac depictus videatur, ſi con-
feratur cum illo, quò altiſſe poſſit incen-
dere eorum tormenta, qui antea nolebant
extinguere æſtus ſuæ malitia. Secunda
ejus proprietates eſt, ut numquam extingui,
aut mitigari poſſit aquâ, aliave re, ut Au-
thor eſt Iſaias: *Veniet omnis caro, ut adoret
Cep. ult.
coram me, dicit Dominus, & egredientur, & 54. &
videbunt cadavera virorum, qui perſide à me 55.
deſciverunt, quoniam vermis eorum non mo-
rietur, & ignis eorum non extinguetur, &
erunt faſtidio omni carni.* Tertiam hancha-
bet proprietatem tartareus ignis, ut
quamvis acerrimè urat, non tamen luceat,
niſi tantum, ut conſpiciant damnati ſuas
pœnas;*

pœnas, seque ipsos horribiliores omni pœna ob turpitudinem visus, quâ allici se sinebant in hac vita. Quarta denique est ejus proprietates, ut inextinguibili æstu & obscuritate intensissimus; nullo unquam tempore absumat miserabilium corpora, quæ semel in suis visceribus recipit. Quâ lege æternum vivunt in lethalibus flammis; qui semper vivere cupiebant in mortalibus culpis.

77. Secunda pœna corporis aut sensus, quâ torquentur reprobi in Inferno, est densissimus fumus, qui ibi comprimitur & stagnat, quin possit unquam sibi aperire ex eundi viam, quia in Inferno nullæ fenestræ, nulla fumaria, quibus exonerari possit, ut cecinit Propheta: *Ascendit fumus in ira ejus, & ignis à facie ejus exarsit: Carbores succensit ab eo.* Quis stygio illo carcere comprehensus eripere se poterit ex amaritudine fumi, quem exsuscitat ira Dei viventis? Quis ab ejus terribili morsu liberare se poterit? Nam per omnia sequitur conditionem suæ flammæ: suffocat, non occidit; mordet, non consumit; fremit, non emittitur; eo implentur ac proscinduntur ora, nares, fauces, viscera, non evomitur: obnubilat mentem, excæcat oculos, deturpat faciem, acuit furias, contorquet animam, cuncta oblinat & tingit suo pestilentissimo fœtore in eorum pœnam, qui purpuris, & fucis venustatem ementiti sunt in hac vita; ut obruantur spissiori fuligine, qui hic volitabant leviori bysso ac purpurâ, pretiosis unguentis delibuti, in foemineosque gestus, muliebremque indolem ubique fracti.

78. Terribilis est tertia pœna, quam reperio in Inferis, ut colligi potest ex verbis Christi Domini: *Illic erit fletus, & stridor dentium.* Ubi horrida riget bruma, quæ suis pruinis & frigore non modò carnem, sed ipsa etiam ossa & medullas penetrabit, desæviet & rumpet per omnes venas corporis suâ glacie, ita asperans humores & sanguinem, ut jam nivali videantur gelu constringi. Quo rigore frænabitur, sive ut melius dicam, merito punietur supplicio impetus iræ ac superbix multorum, qui in ultiones & vindictas exardescebant, licet simul domiti iisdem ipsis pœnis, frænoque in feralia odia, atque in majores erumpant perturbationes.

79. Quarta damnatorum pœna reducit ad tristissimas voces, & suspiria, strepitum, & murmura, quibus obtundunt inter se aures, ob rationes, quas hîc inferam, & numero sunt quatuor. Primò, propter gloriam, quam stolidè amisere. Nam ut cæcus cognoscit præstantiam luminis, quo vi-

duatur; ita damnatus nitorem & fœlicitatem gloriæ, quam suâ culpâ perdidit, nunquamque sistet lacrymas, pro comperito jam habens, de se, suæque salute omninò actum esse. Hîc dirissimis clamoribus surget Moab contra Abadon, id est, insurgent lascivi suis pellicibus, quas indomitè deperibant, proclives in libidinem. O stulti, dum per otium licet ad meliorem aliquando recepti frugem, corrigite venerem, nè irrepat nox, quâ rei tam adversæ nihil solatii aut remedii ferri possit! Secundò patientur ea tormenta petulci, & vani collusores, qui otiosè dissipant pretiosum tempus, quod ipsis pro consequenda salutè datum est. Ibi clamabit Belial contra Belial, ludio contra ludionem, qui in jocis & voluptatem simul profudè vitam, obruenturque tumultu, qui movetur apud Inferos. Tertio ea patientur multi Principes cum suis subditis; Prælati cum suis inferioribus; copiarum Præfecti cum suis militibus; Doctores cum suis Discipulis; Prætores urbium cum suis civibus; patres cum filiis; heri cum servis; nimirum mali cum malis, & qui negligenter defuncti sunt officio, cum iis, quos suâ incuriâ in orci tenebris tam miserè sepelierunt. Quarto & ultimò, dabunt inter se querimonias omnes prædicti, & cæteri incolæ illius inamœnæ Regionis, quia non latebit eos æternitas suæ captivitatis. O quam tristi gemitu infrendebunt ibi dentibus obrectatores, & blasphemi, & qui malè; fænore & perjuriis rem partam habent, minusque religiosè tractant magnum nomen sanctissimi Numinis. Nam in Inferno sulfureis flammis perpetuò solvent suæ dementiæ supplicium, ut clarissimè docet Regius Propheta: *Placet super peccatores laqueos; ignis & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Sexta corporea pœna, quâ castigantur sensus in Inferno est aspectus dæmonum, qui terret tanto horrore stygium captivum, ut quamvis aliud supplicium non lueret, truculentum admodum videretur hoc. Nam *vident & venient super eum horribiles*, dicit Job: 20. ut manifestum sit haud impunè evasuros, qui vanis comediis, lacivisque spectaculis puritatis detrimento adsunt, aut locum occasionis invisunt. Septima pœna est crudelissima fames, quæ ventri ac visceribus dominabitur, de qua loquitur Isaias: *Isai cap. Propter hoc hæc dicit Dominus Deus: Ecce servi mei comedent, & vos esurietis: ecce servi mei bibent, & vos sitietis: ecce servi mei latrarent, & vos confundemini: ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis.* His stimulata inediis marcescent

cescent erudita palata, & cupediarum fer-
vi in obscenam abibunt esuritionem. Præ-
sedentem sequitur septimo loco pœna si-
tis, quam nunquam depellent ebrii & vi-
nolenti, ut obtigit infausto diviti, qui ele-
Luc. 16. vans oculos suos, cum esset in tormentis, vidit
24. Abraham à longè & Lazarum in sinu ejus; &
ipse clamans, dixit: Pater Abraham miserere
mei, & mitte Lazarum ut intingat extre-
mum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam
meam, quia crucior in hac flamma. Sed di-
xit illi Abraham: Fili, recordare quia rece-
pisti bona in vita tua, & Lazarus similiter
mala; nunc autem hic consolatur, tu verò cru-
ciaris. O quàm tristia nuntia hæc delitio-
sis epulonibus; qui dies, noctesque in-
tempestivè ducunt in suis conviviis; nam
epulis brevi succedet esuries, risui luctus;
splendori purpuræ perpetua flamma; divi-
tiis, & luxui egestas. Nondè, positâ ibi
verecundiâ & pudore, qui subditi erant,
dicacitate & ludibrio petent suos Princi-
pes; filii suos parentes, uxores maritos;
mancia dominos, ob ambitionem,
quam parum moderatè captabant inanis
auræ titulos, fugacesque umbras digni-
tatum, & honoris à suis popularibus. De-
cima pœna sensus, quâ infestantur Inferi,
tactum afficit penetrantibus flammis,
quando se attrectant manibus, in scele-
rum pœnam, quæ per hunc sensum ad-
miserunt.

CAPUT IV.

*Præter has decem corporeas pœnas, alia spiri-
tuales annectuntur.*

80. **I**N primis nunquam videre poterunt
reprobi formositatem Dei, è cuius spe-
ciei, & pulchritudinis conspectu jure op-
timum repelluntur, quia toties ipsi asper-
nati Deum, converterunt se ad creatu-
ras. Item nec Angelos videbunt, nec cæ-
teros Sanctos qui ditantur gloriâ, quia
prorsus intenti suæ vanitatis decori, eo-
rum deseruere imitationem & virtutes.
Deindè summo dolore ac strenuissimo
morsu lacerabit eos conscientia vermis,
cùm meminerint elapsæ opportunitatis,
quam nacti, meliùs ac prudentiùs pote-
rant, impenso fructuosius tempore,
sumptus ponere in virtute, coacervare si-
bi gratiam, promereri que amissam fœli-
citem, cujus devoluti spe æternum jam
lugebunt in consortio dæmonum. Ad hæc;
ultricibus diris devovebunt summum Nu-
men, ejusque sanctissimam Matrem: exe-
crabuntur divos & gloriam pariter, quam
obtinent; & virtutes, quibus ad eam in-

vesti sunt: nec sibi ipsis parcent maledicti
& blasphemi disperire cupientes ob cogi-
tationum tumultum, quæ in eos irruent.
Tum excandescunt odio in socios & comi-
tes, qui ipsis Authores fuere ad peccan-
dum; nihiloque secius in suos parentes,
ac magistros, qui eos pro officio non con-
tinuerunt. Quartò superbi dolebunt de
imperio ac potestate Dei, quâ constrictos
se videbunt iis æreis vinculis, quibus te-
nebuntur: ideoque quod incredibili con-
tumaciâ, ac veluti dimissis habenis curre-
rent per errores & culpas; molestè item
ferent Dei justitiam, seque premi eâ cap-
tivate, quâ altivis ac superbis nihil tri-
stius accidere potest.

Præterea qui alienæ laudi in hac vita li- 81.
vidè æmulati sunt, in illa altera summo
cordis dolore invidebunt majestati Dei
potentiam & magnitudinem; Angelis
elegantiam & splendorem; cæteris San-
ctis gloriam & pulchritudinem. Et qui hic
sublato omni metu infringere non dubita-
bant divinas leges & præcepta, ibi per-
culsi formidine divinæ justitiæ, trepida-
bunt horrore, perennitateque supplicii,
quod nullam unquam fortietur remissio-
nem aut finem. O æternitas, æternitas!
quis tui memoriam refricare potest sine
metu? quis sine viscerum tremore deor-
sum laxare habenas in prohibiti luxus val-
les, quo solo præcipitio feruntur, qui
ignorant tuos rigores? quis amplecti vi-
tia, cum certissima fide constet, apud In-
feros non fore merita, quibus obtenda-
tur libertas è tua stupenda captivitate?

Præter hanc perennitatem pœnæ, ni- 82.
hil ibi solatii ab amicis, nihil subsidii ab
amore, à benevolentia nihil, quinimo sa-
lutis interitu omnes hostilitatis tetrioni
felle mædebunt, qui ægros ac pauperes
pro miseratione & solatio, tristitiâ ac mæ-
rore persecuti sunt. Plurimum rerum,
quin unquam potiantur optione, urgebit
eos cupido. Sibi enim interitum furibun-
di cupient, libertatem è pœnis, ever-
sionem sanctorum, eorum gloriæ exitium:
at ne hinc quidem expectandum solatium:
etenim ut nulla relinquatur spes delendi
culpam, ita nec effugiendi pœnas, aut
earum obliterandi memoriam, à quibus
nos dignetur liberare Deus per sui sanctis-
simi filii merita. Amen.

CAPUT V.

De Judicio universali.

TRibus præcipuè de causis decrevit Dei 83.
Majestas perficere hoc judicium, pri-
mum ut coram ponantur bona opera &
præ-

præclare gesta Sanctorum, dilaudeturque Divina misericordia, quæ tam alto & glorioso donat præmio, quos novit illud meruisse: deinde ut pari modo manifesta fiant peccata & excessus improborum, eorumque supplicia ad summum encomium justitiæ divinæ enarrentur, quæ impunè abire malos non permittit. Tum denique ut in unum locum publicè conveniant omnium tum animæ, tum corpora, receptura pœnam aut coronam pro ratione aut meriti, aut culpæ. Æquum enim est, ut qui fuerunt socii in certamine, sint & in honoribus, si strenuè dimicaverint; vel in infamia, si infames in fugam se dediderint: proximè antecedentibus diebus ad generale judicium gravi obruentur malitia Regiones terræ. Quare mordacibus, rapidisque comprehenduntur flammis, earumque decus & splendor in pulverem & cinerem convertentur, ut sunt auri fulgores, numerosa vis argenti, ditissimæ vestes ac peristromata, holoserici cultus, scrinia, imagines, sylvarum ac fluminum amœna Tempe, pratorum ornatus, compositi horti, Palatia Principum, Urbes, Regna, Imperia. Quæ omnia in inanem favillam redigentur, ut videant homines quid amant, quid tanti faciunt, pro quare tot adeunt pericula; demissoque Deo & conscientia, toties Martis sævitiam, aleamque experiuntur. Hoc igne solvent temporales pœnas justis, qui nondum satisfecerant maculis, quarum debito, necesse est, purgentur ad ingressum gloriæ. Everso orbe, ministerio Angelorum, dataque potestate ac virtute à Deo, colligentur cadaverum cineres, sive è profundo maris, sive è visceribus terræ, sive devorati à piscibus, sive qui inescarunt rogos; & ex iis componentur eadem corpora cum suis venis & membris, quæ aluerat ac sustentaverat terra à mundo condito usque ad præsens instans illius temporis. Tum terribili sonitu citabit Archangelus mortuos ad judicium; cujus voci celeriter obedient omnium animæ, resumentque sua corpora adituræ Vallem Josaphat, ubi peragetur judicium. *Tunc judicabit*, inquit David, *Orbem terra in aequitate, & populos in veritate sua*: veniet per sydereas nubes Cœlorum Rex; non uti antea subdendus Herodi, aut Pilato, sed cinctus maiestate & gloria, stipatus Archangelis, comitatus Sanctis ac Principibus æternæ curiæ, coronatus diademate, validè dominaturus suis hostibus, ducente pompam super adamantum lucem ac splendorem regio Crucis vexillo, ut monuerat divus Matthæus: *Parabit signum filii hominis in*

Cælo, & tunc plangent omnes Tribus terra: Matth. 24. & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & maiestate. Plangent verò in conspectu Crucis inimici ipsius crucis; gloria enim ovantis depressio est victi. Cæterum ingenti gaudio exultabunt emeriti crucis milites, qui egregiè stipendia fecerant sub ejus glorioso signo. Sedebit pro tribunali judex, severus hædis, sed suavissimus Agnis. Constituentur boni ab ipsius dextris in eminentia; adhærebunt mali terræ pulveri. Proferentur libri, conferentur inter se accepta & expensa, & cuncta tam planè fient, ut nullus tergiversandi possit esse locus. Ipse enim, qui cuncta percipit & comprehendit Deus non modo judicabit de ea causa, verum etiam testimonio firmabit rectitudinem sui judicii. Sic Malachias: *Accedam ad vos in judicio, & ero testis velox maleficis, & adulteris, & perjuris, & qui calumniantur mercedem, & humiliant viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum.* O quanto pudore corripientur peccatores, qui ne uni quidem soli audent exprimere sua secreta! Conversus autem judex ad justos hilari vultu, suaviori ore & loquela pronuntiabit illam benedictionis sententiam, de qua Matthæus: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: Venite ad gaudia æterna; quoniam in pauperes benefici & liberales fuistis, quo officio non tam egenis, quam vobismetipsis consuluistis, ut probat jam vestra corona. Post verò respiciens malos, voce terribili fulminabit contra illos illam alteram sententiam tristem & acerbam: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus.* Discedite à me & à mea gloria, & à societate bonorum, discedite à vestro ultimo fine & centro in æternum. Quos secuti estis in vita, sint vestri socii in pœnis: vestra habitatio sit infernus, quoniam aliam non meruere vestra opera. Si meâ cælesti curiâ tantum donantur observantes, & misericordes; qui meis misellis crudeles atque immites fuere, quid expectare poterunt, præter rigorem justitiæ? Heu quam pœnitebit tunc infelices, licet nimium serò præteritæ vitæ! Perire & anihilarî cupient, quamvis ne id quidem ipsis detur solatii; sed properè se aperiente terrâ, omnes simul absorbentur profundis ac sulfureis ignibus; à quibus nos defendat noster potentissimus Servator & Judex per infinitam suam misericordiam. Amen.*

Psal. 95.

CAPUT VI.

De felici statu nostra Beatitudinis.

84. **E**X decem gradibus constituitur status nostræ Beatitudinis. Primum efficit clarissima Dei visio, quâ eum intuebimur, uti est in se, trinum in personis, quamvis indivisum in essentia, aliaque plurima & occulta in ipso Deo. Hac intuitione continebitur nostra essentialis gloria, quæ ed clarior, & intentior erit, quod puriores deducti fuerint nostri affectus in divinæ Legis obsequium. Secundus gradus ponitur à generoso illo amore, quo spontè, ac toto pectore, & viribus, & mente, & animo, divinum Numen diligemus & amabimus in patria propter se, ac cætera omnia ordinate ad ipsum. Tertius gradus exorture ineffabili gaudio, quod his de rebus concipiunt Beati, perfusi immenso quodam deliciarum Oceano, ut, quamvis obsidantur Tyrannis, aut cingantur incendiis, nullius doloris aut tristitiæ sensum obtinere possint. In quarto gradu summam inveniunt securitatem, quâ certi sunt nunquam fore, ut deficiat ea gloria, quâ semel sunt potiti in triumphante imperio, eod quod qui illam pollicitus fuerat, & conservat, sit ipse Deus summè verax & constans in suis promissis, prout suaviter pro more cecinerat Rex Propheta, *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis: & Sanctus in omnibus operibus suis.* Quintus gradus est omnium rerum quæ in desiderium cadere possunt, abundantia, quæ ex beatitudinis amore, visioneque resultant. Omnibus enim erit Deus omnium deliciarum summa per sua munera, requies sine tædio, sine fastidio satietas, felicitas sine dolore, sine invidia honos, sine fletu gaudium, sine felle voluptas. Summum enim bonum immortale est, nec scit deficere aut tenebrescere, nec satietatem habet, nec poenitentiam. Altum est, quo sensus mentemque demulcet, excelsum & regale. Nam cælorum pulchritudine recreat oculos, Beatorum fragrantia nares, auditum Angelorum Musicis, nectareo potu linguam, ambrosiâ palatum, tactum incredibili suavitate auræ, quæ superiores illas cæli amœnitates circumdat, centri possessione amorem, memoriam regnandi perennitate, mentemque gloriâ. *Non erit tibi amplius* (dicit Isaias) *Sol ad lucendum per diem, nec splendor Luna illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam: non occidet ultra Sol tuus, & Luna tua non minuetur, quia Dominus tuus erit*

Psalm.
141
14

Isai. 60.
19.

tibi in lucem sempiternam, & complebuntur dies luctus tui. Sextus gradus est dignitatis honos, quo efferuntur Beati, ut gloriæ coronati Principes, cohæredes Christi, Altissimi filii, strenuè dilecti; quorum cincta tempora æternitatis victrici lauro, uti signant triumphum splendores, ita laudes ac fortitudinem, quibus deportaverant victorias. Septimus comprehendit fulgorem quo in eorum mente & intellectu rutilat lumen gloriæ; gratiæ elegantiam, quâ nitent; virtutum decus, donorumque pulchritudinem. Octavus est pax & tranquillitas animi, quam promittit Deus per Isaiam: *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiducia, in requie opulenta.* Inæqualitas enim præmii aut conditionis varietas illic non pariet confusionem in affectu: nec minor invidet maiori, (quamvis ibi sint omnes grandes Principes, nullusque sine summo honore & nobilitate) neque maior despicit minorem, neque Angelus abnuat societatem hominis, nec homo abhorret ab Angelo; sed amabunt inter se ut ejusdem felicitatis, licet eos impari gradu beet, germani fratres, quorum Parens est Deus, & habitatio gloria. Nonus gradus est satietas, quâ placidè implebuntur in ovante patria: *Faciet Dominus exercituum in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemia, convivium pinguium medullatorum, vindemia defacata.* (affirmat Isaias 25. idemque 49. *Non esurient, neque sitient, & non percutiet eos aestus & Sol, quia Miserator eorum teget eos, & ad fontes aquarum potabit eos.* Nec delictum cogitare poterunt, quod absit. Etenim si nobilitatem optaverint, filii Dei constituentur; si divitias & honores, omnes erunt opulentissimi Reges, quotquot in empireo vivent; si sylvarum agrorumque pulchritudinem, nullus amœnior locus cælo, ubi flores & fructus miscentur simul in arbore, quin unquam ingruat marcescendi periculum; si imperii potentiam & amplitudinem, est Beatorum patria; si civium numerum, tamquam firmamenti stellæ multiplicabuntur; si nitorem urbis; æternæ civitatis *duodecim porta, duodecim margarita sunt per singulas, & singula porta ex singulis margaritis; & platea civitatis aurum mundum tamquam vitrum pellucidum.* Et sic pari modo exurgit cæterorum structura: si dapes & convivia, exquisitis prodigiis comparatæ sunt ejus loci delictiæ; si cultum & ornatum, infinito pretio sui sanguinis steterè Christo vestes, catenæ, & adamantes, quibus lucent ejus Beatitudinis cives; si veritatem amoris, qui ibi diligunt, sunt Angeli, aut intimi Angelorum amici; si comitatem & decorum,

Apoc.
21. 21.

CAPUT VII.

De Damnis culpa.

rem, sunt gloriosi Aulici; si denique sapientiam & intellectum, quæ constituunt decimum & ultimum gradum exhibendum hujus beatitudinis, nihil later ipsos quò penetrari possit totius naturæ scientia; imò altiùs ascendunt; quoniam non in ænigmate jam, & per Theologorum discursum, sed clarissimo intuitu vident summum illud bonum cum profundissimis suis mysteriis, quod incomprehensibile est. Præter animorum decus, corpora etiam habebunt suum, non tantum, quod antea diximus, sed etiam plura, quæ nullius mortali ingenio percipi, ne dum eloquentiâ explicari possunt. Nunquam enim senescet, aut decidet eorum pulchritudo & gloria, sicut nunquam patietur morbos aut dolores eorum immortalitas. Tantâ luce, tot fulgebunt splendorum radii, ut claritatem Solis, si propè composueris, obscurissimam potius dixeris umbram quàm nitorem; nec minor erit subtilitas, quàm multiplices muros cum lubuerit, quantumvis æreos aut munitos, ut liquidiores nubes penetrabunt; & id tantâ celeritate, ut ictu oculi citiùs de summo cælo ad extremum terræ descendere possint; & consequente puncto temporis, nullo defatigante cotratu eodem ascendere in hilaritatis præmium, quàm promptè obsequerantur in hac vita Deo. Quid autem jucundius optari potest, aut accidere hominum arbitrio, quàm hac salute & facultate discurre per ætherea Tempè inter tot prata, tot flores? Nusquam recreationibus plus voluptatis; aut pulchritudinis datum perceptumque. Aspectu enim humanitatis Christi Domini quid pulchrius? Pulchritudine Virginis quid amœnissimum? Angelorum cantu quid jucundius? Jucunditate aromatum, quibus perfunditur totum Empyreum; quid fragrantius? accumbere eidem mensæ cum Martyribus, quid gratius? Gratiâ & Consortio Virginum quid clarius? Exercere omnes sensus & facultates tum corporis; tum animæ in divinis laudibus quid felicius? æternâ frui felicitate; quæ gloria? sed quis est virorum fastissimus; qui beabitur hac felicitate, hac gloriâ? *Qui ambulat in Justitiis, (inquit Isaias) & loquitur veritatem: Qui projicit avaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere: Qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem; & claudit oculos suos, ne videat malum: Iste in excelsis habitabit, munimentum saxorum sublimitas ejus, pennis ei datus est: Aqua ejus fideles sunt.* Nunc opem ferat nobis Deus per suam gratiam, ut certemus pro amplitudine illius gloriæ. Amen.

Isai. 33.

Damna peccati sunt multa & gravia. 85. Dei gratiam pellunt, quo simul occumbit anima, ne vivat operibus condignis vitæ æternæ; quamvis adhuc per Dei misericordiam aliquantulum respiret, ut possit iterum ferire fœdera cum Deo, & restaurare quod amissum est. Id discriminis habent, quæ remotè visuntur, & quæ proximè; quod quæ propè sunt, licet minutula, magna videantur; illa verò alia parva. Revocati ab immenso Deo nostris culpis & peccatis, declinamus statim ad parvulas satisque miseras voluptates; quo fit, ut pro nihilò ducamus res æternas, æstimatis tanti his vilissimis creaturis. Nam lethalis culpa conturbat mentem nocentis sæculi amore, odioque salutis; & sui ipsius perindè impotem facit, quasi æger, quem præ gravedine morbi ciborum nausea, & fastidium capiunt. Molestè ferimus demortui canis fœtorem, dum in comitis occurrit; & nulla vis præsentendi peccati, quod coram Angelis non minùs fœtet, quàm sulfurei demones; ea propterea alia est maxima insipientia; uti est trem, nullam impendere curam in medendo animæ ulceribus, quæ ejusmodi peste laborat ne audiat aut percipiat sua damna. Quod si in monitores recidat culpa, multos eos efficit, & ad liberè loquendum penè vocem amittunt, eoque confusè audiuntur & à paucis: dicant ergo ipsi priùs sibi, & sublatis opes experti, resipiscant tandem, si aliquem fructum colligere velint. Alioquin ut frenetici rejiciuntur à Deo hi similes peccatores, de quibus inter alios præcipit in suo Evangelio Christus, ut impediantur vinculis tanquam sine ratione obmutescencia, atque indomita bruta; *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit Rex ministris, ligatis manibus & pedibus ejus, mitte eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium.*

Alia plura mala ingerit hominibus peccatum. Nam ut aleatores nunquam ferè faciunt lucrum; ita in peccatorum lusu non modò rerum amissio, sed etiam extrema quæritur pauperies. Deinde delent Dei imaginem, quàm animam obsignatur; peccata, & satanæ figuram in ejus locum sufficiunt. Cum tamen tanti ponderis sit mortalis culpæ debitum, ut sola satisfactio divina illud valeat solvere de condigno; mentem tali obducunt duritie, ut

D 2 instar

instar solidissimi lapidis, licet torrentibus inundetur; nullâ mollitie, nisi interveniat aliquod prodigium, aut miraculum divinæ gratiæ immutari possit. Compellunt Deum, ut prosequatur odio eos, pro quibus occubuit in patibulo crucis, tot laceratus vulneribus, tamque acerbè exceptus ab suis hostibus. Cui incommodo adjicies etiam illud, ut qui liberi erant per gratiam, in durissimam redigantur servitutem peccatorum mancipia, qui, ni obstaret culpa, essent liberrimi Dei filii. Atque inde evenit, ut claudatur ipsis Paradisus, amplissimè apertis infernorum valvis; ut eo deorsum, undè nunquam iterum remeare possent, præcipites ferantur. Hæc autem cum tantum contineant in se periculi; nondum tamen ea curant effugere peccatores, neque sapientum audire voces, & consilia, quæ frustra inculcantur ipsis. Veluti effuso melle in fellis amphoram, nec fel mitigatur ab amaritudine, & mel suam dulcedinem amittit.

CAPUT VIII.

Ex opposito sequuntur boni effectus virtutis.

97. **D**estruit peccata virtus, & restaurat eorum damna. Nam per eam charitas suâ iterum convestit pulchritudine animam; uti per bonos præfectos renovantur mores & elegantia urbium. Charitas reconciliat hominem Deo; uti, qui ea florent, amicos inter se. Charitas lucem fert animo; uti splendor solis his tenebrosis regionibus. Charitate elevantur nostra bona opera, ut Deo accepta sint; eaque iterum valent ad præmium vitæ æternæ, quæ ante peccatum bene patravimus in gratia. Efficit charitas, ut condonentur æternæ pœnæ, quæ erant subeundæ pro culpa; & partim, aut per totum temporalia debita pro mensura fervoris, quæ respicit voluntas. Charitas devotionem fovet, exhilarat Angelos, contundit demones, venustat animam, superumque consortio dignam facit. Charitas alit virtutes, dissipat vitia, confirmat mentem, totumque hominem consecrat divinis obsequiis. Per eam Dei templa sumus, Altissimi Filii, sanctorum amici, dilecti ab Angelis, & ab Angelorum Regina: per eam participamus de justorum meritis, tanquam ejusdem Parentis filii, cohæredesque ejusdem gloriæ, ad quam nos perducatur Deus. Amen.

TRACTATUS IV.

Spirituale Colloquium de rebus altissimis, pium perinde ac fructuosum, inter Discipulum, & sanctissimam Dei Matrem.

Paulò concinnius hic, quàm ab aliis traditum, hunc me laborem rogantibus Amicis.

PERSONÆ.

DOMINICUS. MARIA.

Dominicus. Razeri, die Veneris, 88.

R

quem sancta Ecclesia vocat feriam sextam majoris hebdomadæ:

Prophani autem Veneris diem, cum adesse Passionem tui unigeniti Filii, & sanctissima Virgo; unâ comitante D. Petro secutus fui ipsum, vidiq̄ eum sustinere tot tormenta, tam graves injurias, ut à miseratione & lacrymis haud continere me possim. Oro, suavissima Domina, quæ causa, ut immensus, atque Omnipotens Deus tantam ferret immanitatem; præcipue cum illi truces tyranni nullam culpam invenire potuissent, ut ita mereretur excipi, quinimò admirabilem vitæ sanctitatem, multa erga se beneficia, quibus, si aliquâ comitate culti essent, observantiùs respondere deberent. Quamvis id temporis summè desiderabam percipere mysterium hujus secreti, cum tamen te viderem tantâ consternatam tristitiâ, ut par erat, solutam omninò in lacrymas & luctum; non adduci potui, ut perquirerem de re: nunc autem cum videam gloriosè suscitatum è mortuis Filium; ne, quæso, gravatè feras, Dulcissima Mater, aperire Clienti & Amanti, quod hactenus percunctari non audebam.

Maria. Fili, durissimam rem petis; nam 89. mei filii Passionem sine plurimis lacrymis, atque effuso luctu, quâ viâ declarari potest? Nihilominus, cum ex hac historia uberimè semper fructus percipiantur, licet recrudescant iterum doloris mei vulnera, morem tibi geram, & ostendam, quod aded rogas.

Dominicus. Quibus verbis rependam, 90. grates pro tam grandi beneficio, non invenio; æternis encomiis eas persolvant superi. Incipiamus igitur, ni molestia suadeat aliud, à fine quem Deus sibi proposuit in ineundis iis tormentis.

Maria. Id breviter expediam, si auf- 91. cultes. Lapso Adamo, & cum ipso omnes
ejus

ejus posterum in miseram illam culpam & luem, quæ per singulos universim grassatura erat, latè vergit peccatum ad quatuor mundi plagas, adè ut ab ipsius potestate & tyrannide nemo eximi posset, neque iter condignè adoriri ad salutem, nisi unigenitus Dei Filius ac meus dignaretur hanc suscipere causam, suisque pœnis soluto debito hujus delicti, perditum hominem deportaret ad gloriam. Quamobrem ut lapsu Adami mors aperuit sibi aditum in hunc mundum: ita mei filii morte mundi vita restaurata est. Quòd ignoraret Adamus comprimere superbiam, suum genus evertit; sed mei filii humilitas & obedientia, etiam usque ad crucis mortem iisdem subsidium tulit. Adamus elatius aspirans ad indebitos honores, ad bruti ignominias rejectus est; sed meus filius abjectus & humilis, homines, qui forte sui parentis declinarunt in bruta, miraculo suæ gratiæ ex bestiis convertit in Angelos. Serpens Evæ causam sui exitii ex arbore propinavit, & hæc Adamo: sed Dei Filius ex Crucis ligno propinavit salutem & vitam. Hac igitur de re benignè decrevit meus Filius pati sua tormenta.

92. *Dominicus.* O admirabilem Dei bonitatem! O verè magnam misericordiam? Quis unquam nisi amantissimus Deus, egenorum & pauperum miseriam adèd sublevare posset? Cæterum, ne importunitati; quæso, ducas, ô Regia Virgo! quòd ampliorem hujus mysterii declarationem quæram.

93. *Maria.* Non importunus eris: libenter cedam, quidquid in petitionem venerit. Age dum, dic quid vis?

94. *Dominicus.* In ipso aditu Passionis, vidi, licet aliquantulo intervallo aberam; vidi tamen tuorum viscerum, tuum dilectum Filium, coopertum pallore, tremore concussum, cinctum variis angustiis unire suum vultum terræ, orareque Patrem, ut si fas esset, transferret à se Passionem. Hoc imprimis, cur ita fecerit, scire vellem.

95. *Maria.* Mi Dominice, jam accidit, ut ferires me dolore, de quo monueram antea: non enim mitigatâ turbatione de his institui sermonem. Cæterum in eo labore agnoscas Dei clementiam: eum tulit mœrorem, eas suscepit angustias, ut remitterentur tuæ, quas conflare cœperat culpæ. Nam sicuti suâ morte peperit tibi vitam, ita suis doloribus consecutus est, ut libereris à tuis, quòd hilariùs deinceps posses corde & animo nuncupari devotioni tui Conditoris.

96. *Dominicus.* Nunquam non ero gratus

tantæ liberalitati, quòd firmare placuisset meam imbecillitatem tali dispendio. Accedamus modò ad cætera, quæ passus est hic nobilissimus Deus. Eâ tempestate, quâ rogabat Patrem, purpurâ, ni fallor sanguinis undique madebant cuncta corporis membra; hoc proculdubidò magnum habet mysterium.

Maria. Probè dicis, Dominice; & cum mihi revelaverat Deus illas cruoris guttas, quas sudavit tunc meus Filius, contremui totis visceribus immersa undantibus lacrymis: Ergò ratio ea fuit. Nam dum consideraret Deus genus mortis, quòd obiturus erat, idque jam sibi imminere, cor ita obrutum fuit angustiis, ut earum fervore erumperet sanguis per poros corporis. Quo discimus miraculo vehementissimas fore afflictiones, quarum impressionem laturo sunt homines instante morte, ac timore judicii, quo deferendi sunt. Ne fideles igitur superet acerbitas ejus transitus, eo se allui sudore permisit Christus.

Dominicus. Agnosco causæ altitudinem, quam vix cœperas eâ, quâ affluis suavitate, proferre; cum liquefactum cor ardore mei amoris, dulcissimum deliquium passum sit.

Maria. Præterea, sudor ille sanguineus, quem fuderat meus Filius, significabat cruoris flumina, quibus riganda erat Ecclesia clade eorum, qui postea pro Fide futuri erant Martyres. Nam æquum est, ut qui profiteri velint Christi militiam, cum suo Duce adeant pericula. Ad hæc, eo sudore videtur non modò deslevisse Christum Dominum suis bellissimis oculis, verum cunctis etiam membris; ut Sponsa Ecclesia singulis suis lavaretur ac mundaretur membris. Sanguis hic decidit in ipsam terram, ut suo rore mitigaret duritiem terrenorum hominum, eoque sanctitate vitæ ac virtutibus florere possent.

Dominicus. Nunquam, ut recordor, quid audiveram dulcius aut jucundius, aut quòd indicium sit pulchrioris amoris. Sed hæc jam occurrit memoriæ; velim scire, cur accidit ut cum vix perfecerat preces meas Servator, obvius fuerit ex insidiis quidam, qui eum prodicione pacisque osculo tradidit hostibus.

Maria. Is fuit malevolus Judas, qui vilissimo pretio vendidit suum Magistrum, sub comitatis specie molitus unam ex gravioribus injuriis, quæ historiis committentur, aut publicam lucem videbunt. Verum suspendio meritas pœnas luit infamis Proditor, æternum torquendus in profundis Inferis. Illud osculum tam bar-

barè illatum ab ipso, sed tam mansuetè exceptum à mitissimo Jesu, te reconciliavit Deo, invehet in cœlum, cum Angelis collocabit.

102. *Dominicus.* Nunquam ego tam altè sentirem de illo osculo, nisi vestra Majestas, ô Cœlorum Regina, ejus demonstraret arcana. Hoc autem pacis osculo nonne cognitus fuit Dominus ab armatis tortoribus, qui statim obsidentes, catenis ac loris impedivère ipsum?

103. *Maria.* Heu dolor! iterùm contabescit animus icu tristissimi mœroris, quòd gloriæ Princeps præhendi se pateretur more latronis, mysterium continet. Adam latrocinio accepit malum vetitum in Paradiso, invito Domino. Cujus furti causa ipse cum omni suo genere vinculis & carcere Dæmonum tenebantur. Ut igitur hi in libertatem restituerentur, permisit se præhendi incomprehensibilis, in servitutem redigi, qui jure dominii præerat universis. Sed ex illis vinculis tanta demùm resultat gloria, ut deletis viribus hostium, peccatores scanderent cœlestes clivos, inter Angelos sua castra metaturi.

104. *Dominicus.* O dilecta vincula! ô sancti funiculi! quamvis enim Servatori meo duri, atque amari fuistis; nobis tamen omni saccharo ac melle dulciores estis. Precor Angelorum Regem, me vinciat vestris nodis, tum simul iisdem mea vestigia contineat, ne à vera unquam charitate Dei, aut proximi aberrem. Meditatus autem, ô purissima Mater! quantum passus sit JESUS in his loris coram Pontifice Anna, coram militibus, coram cæteris Judæis, præcipuè cum impegit ipsi alapam crudelissimus Malchus, haud inficiar me correptum fuisse tanto dolore, ut simulare non possem.

105. *Maria.* An tu fortasè tum temporis voraces flammæ expetebas, quibus absumi posset ille? An ut dehiscente terrâ dimitteretur in abyssum ob tam barbaram audaciam?

106. *Dominicus.* Haud dubiè id expetebam, in minutâque pulveres vellem converteretur icu & irâ alicujus fulminis.

107. *Maria.* O quam aliam indueras mansuetudinem, mi Dominice, ac est ea, quam semper tot laceffitus injuriis prætulit meus filius. Dic, amabo, dilecte, quæ tormenta, quot fulmina ad manum, atque in promptu is habere posset, qui format nubes, movetque suo nutu stellas; si descendere vellet in ultionem; verùm non hostili more egit cum suis inimicis, sed ut blandissimus Agnus subjici se passus est eorum feritati, ut tibi patientiæ, ac humilitatis exemplum esse posset.

Dominicus. Mirum sanè in omnibus foret exemplum; sed multò mirabilius cum datum sit à tam alto Principe. Cæterùm transeamus ulteriùs; vix transportarunt infames Dominum ab ædibus Annæ, ac Caiphæ, cum submiserunt, qui falsum testimonium dicerent in ipsum.

Maria. Hic considera, & diligenter te cum perpende pietatem tui benignissimi servatoris, qui liberandi causæ suos prædestinatos à calumniis, expeti se placuit ea falsitate. Quoniam justi plerùmque nonnullis fatent imperfectionibus, ita ut haud omninò gloriari possent immunes se continuisse ab omni defectu. Ne igitur fallax dæmon, mendacii Parens & Author, ex hac specie nactus occasionem deducendi graviora in tremendo Dei judicio, plus justo terreat; subornari in se priùs falsos ac fictos testes concessit Deus. Sed tibi, hac de re, quid videtur?

Dominicus. Divinum quid est, mi dulcissima Regina; tam suave, ut suis deliciis undique demulceat palatum mei animi. Sed dicendum restat; Dominus cur reticuit tam profundo silentio, ut ne uno quidem verbo conatum sit propellere cavillationem testium.

Maria. Ea est imbecillitas & natura falsitatis, ut vix concipiatur, cum in ipso suo ortu per se nota sit: ac per hoc nihil validius ad eam convellendam silentio & contemptu. Huic autem accedit, ut meus bellissimus filius jure, ac servata vi legum abnuat respondere tam indignis, qui tali ornarentur honore. Tum insuper siluit, ne eorum crudesceret malitia obstentiâ veritatis. Itaque incredibili patientiâ sustinuit eas persecutiones & calumnias. Sed nonne vidisti, mi Dominice, cum intulerit tuus Redemptor, quod scripsit divus Matthæus: *Amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus Cæli*; ut tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens; blasphemasse Christum?

Dominicus. Perspicuè notavi blasphemiam illius iniqui Pontificis, nesciebam tamen, quid indicare voluit divisione vestium.

Maria. Quid? ignorabas scissione paludamenti Sacerdotalis, voluisse quasi projici abs se insignia Sacerdotis? re autem vera indè colligere deberes, brevi tum futurum, ut everteretur Sacerdotium Judæorum ob malitiam Pontificum, decidentis eminentia perfectionis, quam antea eorum status occupabat.

Dominicus. Ergo jam, ni fallor, adimpletum est, quod cecinerat Propheta *Oscas*:

4. *Oseas* 3. *seas: Dies multos sedebunt filii Israël sine Rege, & sine Principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod.* Illud sine dubio erat hoc Caiphæ Ephod, quod nunquam reficietur, neque veterem dignitatem obtinebit. Præter dicta notavi, & maximo meo dolore, quoddam Cæli, terræque Principem, blasphemum nominaret Pontifex. Rogo, cur ita inultum præterière ipsum superi?

115. *Maria.* Ut avoceris tu ab omni blasphemia. Nam qui molitur feralem offensam, aut ore, aut corde contra Deum, quasi insigni blasphemiâ, ut Adæ filius aspernatur altissimum Dei Numen. Dixi, in hoc insistere eum vestigiis sui primi Parentis, quia Adam primus visus est, qui hac improbitate peteret divinum honorem: unde opus erat, ut eum restauraret Christus. Adam universali maledictione obduxerat suos filios: Christus verò eos benedixit sustinendo maledicta. En jam causam, quare superi permisere, ut impune tunc abiret maledictus Caiphæ.

116. *Dominicus.* Alia etiam causa mihi, quamvis obtuso sim ingenio in eandem rem se offert, nimirum blasphemias onerarii se permisisse Christum Dominum, ut nos ab eiusmodi tartareis maledictis vindicemur in æternum. Apud inferos enim mos est perpetuo dicitur inter se lacerari.

117. *Maria.* Id rectè, Dominice; verum enim verò, quoddam pateretur deinceps foedissima sputa, ideo fuit, ut abstergeret animas peccatorum spurcitie. Adam enim cum ausus fuerit contingere prohibitum fructum, perinde fecit, quasi conspuitaret Dei pulchritudinem; cuius rei causam dignus fuit, ut simul cum omnibus filiis conspueretur à dæmonibus. Huic ergò incommodo occurrit divina misericordia, accipiendo in se pro nostris delictis illa indignissima sputa, quæ emittebant in ipsum mali dæmones ac Pontificum Ministri. Hinc discas, oportet, non æmulari imposterum Judæos, conspuendo Christum foedioribus culpis, aut peccatis conspurcando venustatem tuæ animæ ad amissimam conditæ ad imaginem & formositatem Dei; sed potius elegantiam & pulchritudinem vitæ referendæ ipsi grates, quod eiusmodi creatione, aliisque haud absimilibus beneficiis, ita te cumulativè ornaverit.

118. *Dominicus.* Tam præcellente Ductrice, quid non discam? Dilaudem te semper magnificis encomiis, ô cælorum dignissima imperatrix, pro tam salutari doctrina; non minus autem fructuosam haurire spero ex velo illo, quo Divino Jesu ligati sunt oculi, & ex iis alapis & flagellis, cæterisque opprobriis, quæ diri Nerones in

ipsum librarunt, quam ex præcedentibus.

Maria. Quamvis suspiria, quæ harum rerum memor duco, me detineant, ne cuncta explicem; summam tamen dicam, ne deficiam tuo solatio. Adamus, communis parens generis humani, miserè captus fuit mentis oculis, dum Dei scientiam usurpare sibi vellet; postpositamque obedientiam, quæ colendus erat Deus creaturis, in profundas caligines secum duxit suam posteritatem. Quod evenit, ut tot arderet mundus vitiis & peccatis; eò usque, ut non dubitarent gentes exhibere falsis ac monstruosis Diis venerationem, quæ tantummodò viventi ac vero Numini debebatur. Ut igitur huic cæcitati animi ferretur remedium, velari sibi oculorum lumina permisit meus mitissimus filius; nam merito illius veli, quod obductum fuit luminibus Christi, cæterisque tormentis ipsius sanctissimæ passionis, multi, qui jam sub fidei velo vivunt, transformabuntur postea in claritatem gloriæ Dei, ita loquente de se ipso, & fratribus Divo Paulo: *Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.*

Dominicus. Favus distillans labia tua, ô potentissima Virgo, omni suavitate dulcius tuum eloquium. Haud injuria sanè innumbratur densissimo velo cor Judæorum, qui ita in derisum exposuere tuum Filium; nec cæcitatibus valent excusationem obtinere, qui fidei claritatem protervè abjurant. Petrus, quem habui socium usque ad ædes Pontificis; ibi, quod anxie dolebam, instantiam cujusdam vernulæ, ter negavit suum Magistrum. Ego meam imbecillitatem veritus, ne quid simile mihi accideret, confestim ex atrio abscessi: haud multò autem post vidi & Petrum effusum jam in lacrymas, amareque deplorantem suas perfidas culpas, foras etiam venire.

Maria. Ego etiam perspectam tristitiam Petri, miserebar ipsius; cæterum negationes Petri, divinam potestate eam obtinebunt vim, ut fideles plurimi, cum adducti fuerint ad vitæ extremum, earum virtute è manifesta perfidia eripiantur. Ne omittas, quæso, advertere ad locum, ubi Petrus negavit Christum. Longius enim abfuerat, ut patraret tales negationes in monte Tabor, aut in suis ædibus, aut in templo. Ubi ergò eas admitteret, nisi in occasione periculi, in Palatio Pontificis, ubi vendita iustitia, violatæ leges, infracta jura, damnata innocentia? Et quod admodum notandum est, prius deseruit sedem occasionis, quam poenitentiam egerit de peccato.

Quò

- Quo discas in gravi periculo versari eos, qui infami societate implicantur, nec studium ineunt ejusmodi rei tabem fugiendi.
122. *Dominicus.* Salutaria sunt cuncta hæc consilia, ô dulcissima Parens! Heu Mater mea quis ille, quem videbam procul, in umbra cujusdam subnigræ arboris laqueo atque in aëre suspensum?
123. *Maria.* Ille proditor erat Judas, quem in id præcipitium duxit avaritia. Elegit miser desperare prius, quam perdere suos nummos; sed eos tandem abjecerat in templo, & simul suam animam in potestatem dæmonum; invisus cælo, abominabilis terræ, pœnitentiæ loco ad sui paricidium accurrit. Hunc imitantur, qui inanis gloriæ, aurique splendoris venati fumos, in infernum præcipientes sese demergunt.
124. *Dominicus.* Hinc comprobari videtur Judæorum pertinacia, quam nec declaratio Judæ, nec prætii restitutio, nec desperatio ejus mortis vincere, aut emollire possent. Mysterium continet, ni me decipiat opinio, quod per Judæ nummos sit empta sepultura peregrinis.
125. *Maria.* Verè ita est. Nam sepultura illa significat hunc mundum, hanc lacrymarum vallem, & sepulchrum, redemptum pretio sanguinis Christi Domini. Qui in hac peregrinatione nuntium remittentes carnalibus deliciis, mortui mundo & vanitati, spontè sepeliri student in vita, vi passionis Christi, summæ pulchritudinis, æternæque felicitatis consequentur immortalitatem; ejus item valorem innumeri Martyres confusi tormentis, palmas reportabunt victoriæ, adituri gloriam.
126. *Dominicus.* Id unum à te supplici genu peto, Mater misericordiæ, ut mihi impetres gratiam à tuo filio, ut aspernatus quidquid in hoc humano splendore renidet, plausuque exultat, tantummodò ardeam lucidas ac veræ felicitatis inire sedes. Ulterius secutus meum servatorem JESUM: ut eum aspexeram in judicio Pilati, modestè sic compositum, serenâ fronte, demissis oculis; lacrymarum imbres, quin valerem comprimere, decidebant ex meis oculis; at iis. ipsis haud mediocre solatium meo dolori admotum est.
127. *Maria.* Si tum ita plorabas tu; quanto potius æquum est, ut ego desleam, cum filii mei patientis recordor. Quamvis id solatio esse possit, quod ejus opprobria deleverint hominum maculas & malitiam; expugnaverint hostes, reseratis cælis clauserint inferorum portas.
128. *Dominicus.* Ingens quidem beneficium retulimus omnes ex illis opprobriis. At obligat item illud aliud, quod scilicet se ut reum sisti passus sit coram Herode, cum Domini ac potestatis jure non modò terræ Principibus præcelleret; verum etiam ipsis superis imperaret.
- Maria.* Non dubium, quin obliget & strictissimo vinculo. Nam pro stulto tenuit ipsum ille Princeps, ut in Dei judicio eorum dilaudetur prudentia, qui Principi pompæ hujus mundi stultitiæ ducunt. Hi, excusso metu, obliquitæ timoris, sui judicis in conspectum venient, eò quod pro ipsis in tot judicia sit delatus innocentissimus Christus.
- Dominicus.* Faxit vestra benignitas, Alma Dei Mater, ut ego unus sim ex iis, in quorum causam, uti dicis, tot supremi judicis favores propendebunt. Jam admiror, cur respondere noluit Christus sciscitanti variis de rebus Herodi. Videtur nostri causa id fecisse, ne beneficio illius Principis vendicaretur à morte, quam obire decreverat pro humano genere.
- Maria.* Eò mirabili silentio docuit non vana curiositate tractanda divina. Verum non tantum coram Herode siluit Deus sua secreta; sed aliis etiam in locis, ubi ostentare posset altitudinem suæ divinæ sapientiæ, propterea quod Eva instituerit sermonem cum Serpente de rebus adeò sibi nocivis, ut decepta prius ipsa, suum virum pariter seduxerit.
- Dominicus.* Hujusce rei meminisse videbaris ipsa, ô magna Domina! cum profundè taceres salutata ab Gabriëli Archangelo, usque dum pro comperto haberes legatum fuisse à celsissimo Deo.
- Maria.* Ita faciendum jubet Deus, ut eò cautiùs evitent homines insidias, quas frequenter incautis tenebræ sub specie lucis sternunt. Sed de his aliàs; jam ad incepta redeamus.
- Dominicus.* Dum præstolaret ad januas Herodis, ecce (proh dolor) Prætorii satellites in alba veste in signum stultitiæ educunt foras sapientiam æternam. Sic deridente custodia, venit in mentem doloris, qui haud dubiè penetraret tua viscera, ô Deipara, cum ad aures tuas pervenerit ejus derisus fama.
- Maria.* Tunc certè, mi Dominice, jus rei pœna tristissimam me fecerat. Nec etiamnum ejus recordari possum sine lacrymis, licet suum fructum etiam haberet.
- Dominicus.* Ede, obsecro, Domina, fructus, qui indè nobis provenerunt.
- Maria.* An memineris forsan, ut prius ambiverat ineffabilem Dei scientiam?
- Dominicus.* Non tam citò excidet id mihi

memoriâ : & omnes etiam Adæ filii , nescio quâ re ordinariè commovemur , ut tam callidè scandamus arborem scientiæ , novitatis semper avidiores , quàm pietatis aut religionis.

138. *Maria.* Vos scientiarum amantes , cur non comprimitis superbiam atque elationem animi , sustinente vestro Conditore , scientiâ infinitâ atque æternâ , tot virorum , Principum atque Aulicorum irrisiones ? Quid stultius eâ vanitate ? Cùm is , de cuius doctrina gloriatur Angeli , ita depreferit altitudinem suæ divinæ scientiæ , ut abs sæculi politulis insipientiæ argueretur :
- Isai.* 5. *Va qui sapientes estis in oculis vestris , & coram vobis metipsis prudentes , dicit Isaias.*
139. *Dominicus.* Væ nobis , qui ita affectamus sapientiam , cùm tam stulti simus . Satiùs foret rependere grates Deo , pro exhibito exemplo , totaque cordis humilitate sequi illud . Reducto autem JESU ex ædibus Herodis ad Pilatum , hic cùm , concilio convocato , sederit iterùm Præses pro judicio , accepit ab uxore hunc nuntium : *Nihil tibi & justo illi : multa enim passa sum hodie per visum propter eum.*
- Math.* 27. 19.
140. *Maria.* Ecce , contendit rursùs ibi secunda Eva exitium hominibus parare . Prima culpæ originis initium adorta est ; hæc autem prohibere remedium contendebat ; illa ad vulnerandum acceperat fructum , sed hæc inflicto vulnere interdicebat medicinam .
141. *Dominicus.* Cogitabam tunc potiùs amore justitiæ hanc motam fuisse .
142. *Maria.* Quin immò mota fuit ab antiquo serpente , qui hâc viâ deterrere curabat Pilatum à ferenda mortis sententia in Redemptorem , veritus ne in libertatem assereretur humanum genus , quod per aliam Evam antea sibi subjecerat . Cæterùm Pilatus (ita permissum à Deo) uxori renuit obedire .
- Dominicus.* Id consecutus sum ego , sanctissima Virgo , vi ac merito tuæ intercessionis , ut ne morem quidem geram effræni meæ uxori libidini ; neve ejus suadelâ deterrear ab obedientia , quam tuo Filio pro obligatione debeo . Propitia etiam mihi , precor , sis in posterum , ut susceptæ devotioni insistam . Deus bone , exprimere vellem , quod occurrit , sed non valeo præ lacrymis .
143. *Maria.* Ne hæreas tantoperè , Dominice , properè declara , quod habes dicendum .
144. *Dominicus.* Pilatus educi jussit è carcere infamem homicidam , quem dicebant Barrabam , animo dimittendi Servatorem ; hunc populo simul cum JESU proposuit , ut eligerent , quem liberari vellent ex duobus

ob Paschatis solemnitatem ; nam ita ejus gentis mos tum obtinebat . Illi autem , optione factâ , invisum Barrabam anteposuerunt Christo .

Maria. Verè deplorandæ furisë stultorum . Attamen ibi delitescit dulcissimum mysterium . Primus Progenitor hominum , de quo sæpè meminimus suprâ , graviter offendit suum Conditorem præposito mendacio veritati . Haud dubitavit obsequi suo ferali inimico serpenti , divinæque legi præferre suam insipientiam . Undè manarunt ad ejus posteros tam spissæ caligines , ut vix invenias inter illos , qui possit discernere res pretiosas à vilibus , lucem à tenebris , à carne & mundo virtutes , ab humanis divina . Plurimè ergo in electione errant ; cùm tamen optio fiat de re summi ponderis , nimirùm de salute æterna , aut æternis tormentis . *Deus* , inquit *Ecclesiast.* *ab initio constituit hominem , & reliquit illum in manu consilii sui : adjecit mandata & præcepta sua . Si volueris mandata servare , conservabunt te , & in perpetuum fidem placitam facere . Apposuit tibi aquam & ignem : ad quod volueris , porrige manum tuam . Ante hominem vita & mors : bonum & malum , quod placuerit ei , dabitur illi .* Ne autem tu decipiaris in re tantâ , placuit Divinæ misericordiæ subire mortem , soluto latrone . Nam merito & gratiæ ejus submissionis poteris , posthabitâ mortali dulcedine , eligere tibi vitam sempiternam .

Dominicus. O summam Dei clementiam ! ô infelicitatem Judæorum , qui latronem Messias , Christo Anti-Christum prætulere .

Maria. Cave etiam tu , fili mi , ne aliquando imiteris Judæos , quos ita asperè reprehendis .

Dominicus. Quo modo , Augustissima Mater ?

Maria. Qui consentit in mortalem culpam , ad supplicium petit Christum , & solvit Barrabam . Sed qui detestatus vitia incumbit in virtutem , is Christi causam tuetur , omisso Barrabâ . Judæi autem quòd exclamarint pro impunitate Barrabæ JESU Christi occidendi animo , ipsi furore Martis ac Belli occisi & deleti sunt . Ita pariter , qui Cruci affigunt Christum suæ vitæ improbitate , dimisso Barrabâ , quòd perpetuis tormentis affligantur , sibi ipsis impudent . Verùm quid ampliùs notasti de successu Passionis mei Filii ?

Dominicus. Cùm vidisset Pilatus electum Barrabam præ Christo , aliam inivit viam satis atrocem , si fortè sic posset impunè dimittere innocentissimum JESUM . Ergò duci eum jussit in secretiora domûs ; ubi potentissime Deus ! haud impotentiùs , dila-

ceror hîc dolore) ubi, inquam, viduant eum vestibus crudelestyranni; marmoreæ columnæ ligant; verberibus excipiunt, tam ferè, ut cruoris rivuli undique diffluant per pavementum. Oro jam, mea dulcissima Mater, ne suspiriis cedens, aut vi lacrymarum, occultes mihi causam flagellorum.

152. *Maria.* Utrùm oblivisceris, fili, illius miserrimi viri, qui in Evangelica historia D. Lucæ. *Descendebat ab Hierusalem in Fericco, & incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impositis abierunt, semivivoreliçto.* Ille gerebat typum Adami, ejusque posteritatis, quorum misertus Deus, se exui vestibus, flagellisque cædi permisit, ut induerentur illi gratiæ sumptuosissimo ornatu, utque ab omni supplicio liberi, adirent inexplicabiles delicias æternitatis. Etenim in sanguinis sui fluminibus natabat Deus, ut homo ferè obrutus tempestatibus hujus vitæ, cum salute aliquandò posset appellere ad felices portus sempiternæ gloriæ. Ita fit, ut ex pretio verberum, cruorisque Christi pullulet pulchritudo vitæ. Nam potatus hoc divino ac dulcissimo nectare, egregiè indies domi, forisque pro victoriæ palmis decertat.

153. *Dominicus.* Jam accendi incipio amore mei Dulcissimi Jesu, qui tam diris funiculis luere voluit pœnas non sibi debitas, sed mihi, cæterisque hominibus. Utque ardeam magis, explices velim earum rerum mysteria, quæ postea obtigere ipsi.

154. *Maria.* Intensissimi doloris munera mihi imponis, fili mi; quoniam singulis verbis, quæ profers, interiora viscera penetras, veluti acutissimo telo. Quoniam oro, exordio valeam incipere declarationem vulnorum, quibus saucius fuit meus unigenitus Filius, nisi recrudescens meis vulneribus? Dicam tamen, ne minùs arridere videar. Quære? quid lubet?

155. *Dominicus.* Postquam laniaverant Jesum flagellis barbari Ministri, duxerunt eum ad Prætorium; ubi (heu Virgo sanctissima!) veteri purpurâ vestitum, qui natus fuerat ex purissimis tuis visceribus Filius, gerentem manu sceptrum ex inani scirpo, ut fictitium Regem, alapis atque immundis sputis excipiebant. Cur ita, mea gloriosissima Princeps?

156. *Maria.* Jam abstergam lacrymas, ut explanem citius, quod optas, atque ab origine exponam causam eorum omnium, quæ à te quæsitæ sunt. Nudatus fuit vestibus Deus, ut te pretiosissimis divinæ suæ gratiæ telis indueret: fuit confossus multis vulneribus, ut mederetur tuis: fudit suum sanguinem, ut posset te ablucere à tuis cul-

pis: fuit coronatus vepribus ac spinis ad obtundendas spinas tuæ superbiæ, quò velocius scandere posses per virtutis clivum, atque ingredi per angustum aditum, qui victoribus patet ad gloriam: Convestitus fuit antiquâ purpurâ, ut novam te donaret in suo Imperio: fictitii Regis personam gesserat, ut tu veri Principis dignitatem teneres: consputatus est, ut venustatem tibi induceret. Scirpum pro scepro acceperat, ut te condecoraret scepro honore pro scirpeis voluptatibus, quas hic calcas, & contemnis afflatu divini amoris. Bellissimi crines capitis penetrati sunt spinis, ut tuum integrâ ac sanâ prudentiâ sciret in rebus adversis firmum, & in temporibus duris fidele esse.

Dominicus. Tam suave est tuum eloquium, ut ignorem, quomodò mitigari possint 157. flammæ ardore, qui ejusmodi oratione excitantur in militibus, atque amatoribus tui sanctissimi Filii. Sed qui nihilominus in tepore suo manent, ob oculos positus his amoris prodigiis, indomitam suam agnoscant ambitionem, quâ apertis visceribus inhiant terrenis rebus. Quid enim abjectius aut vilius excogitari potest, quàm extra Patriam aspirare ad mitras & coronas, circumdato cælorum Rege vepribus? Auro & purpurâ volitare in hoc lacrymarum orbe, ferente Christo Domino rejectitias vestes? Superbire Sceptris & Imperiis, deriso Christo? Ambire celsos honores ac dignitates, consputato Christo? Affluere deliciis, conspectis doloribus Christi? Væ adhuc perseverantibus in præcipitiis vanitatis, & qui hinc humilitatis aut submissionis exemplum non ducunt, paraturi se ad curarum & laborum agmina, quorum expugnatione rectâ viâ contenditur ad coronam.

Maria. Optima sententia de rei veritate, fili; non congruit enim in gloria cum 158. Christo, qui non imitatur ipsius patientiam in Cruce: transeamus jam ad alia.

Dominicus. Ad aures tuas perlata est, sine dubio, fama, ò aurea Virgo, de tristi modo, 159. quo Pilatus ostenderit tuum sanctissimum Filium populo latè madentem suo sanguine, dilaniatum vulneribus, ferto spineo redimitum, derisum nugatorio scepro & purpurâ, quo tamen spectaculo magis ferocientia illa bruta, geminato tumultu repetebant sententiam mortis in ipsum.

Maria. Contremiscens toto corpore 160. novi de immanitate illius successus. Accipias jam spectaculi mysterium. Tanto laborabunt pudore improbi peccatores in Dei judicio; ut ne justicum subirent, prædictam

Etiam infamiam in conspectu totius Hierosolymæ perpeti voluerit tuus Servator ac Dominus.

161. *Dominicus.* O dulcissime JESV! ô mitissime Domine! ô Deus digne sanè ut explicemus tibi nostrum amorem; perenni gloriâ ô quidem digne!

162. *Maria.* Perpendas nunc oportet, quàm miserandum, quantâ calamitate affectum præsentaverit hîc JESVM Pilatus, & quâ majestate & gloriâ præsentabit ipse se in die judicii; apparet hîc coronatus spinis; ibi conspicietur in sua potestate vibrans gladium iræ suæ in Cæsares & Alexandros; hîc viliori chlamyde indutus; tum autem renitebit decore; hic aspicitur saucius & sine humana specie; ibi gloriosus & validus; hîc derisus, ibi stipatus potentissimis Aulicis.

163. *Dominicus.* Tunc, quid dicet Pilatus? Quid respondebit Herodes? quid Cayphas? quid cæteri hostes?

164. *Maria.* Uno ore clamabunt: Ecce quem aliquando irrifui habuimus, & morte pessimâ condemnavimus, cujus aspectum odimus, cujus vita credebatur insania, & ad Gal. mores sine honore. Ecce: *Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine JESV omne genu flectatur caelestium, terrestrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus JESVS Christus in gloria est Dei Patris.* De epistola Divi Pauli ad Galatas. Væ nobis! quàm insensati fuimus in effusione sanguinis hujus Justi, dicent.

165. *Dominicus.* Ad asylum tuæ misericordiæ accurro, Angelorum potens Regina, ne sim ego ex eorum numero, qui Dei judicio æternis addicentur pœnis.

166. *Maria.* Meum tibi patrocinium polliceor. Interim perge in quæsitis.

167. *Dominicus.* An forsan aderas, ô Deipara! ei sententiæ, quam devictus Judæorum precibus tulit in tuum dulcissimum Filium Pilatus, nimirum ut affixus cruci in conspectu totius populi infami morte multaretur?

168. *Maria.* Iterum, Dominice, refricas mea vulnera. Cæterum id solatii habet ea sententia, ut causa sit revocandæ alterius sententiæ optimo jure latæ contra homines. Quid magis notum eâ, quam fulminavit Deus contra Adam, eò quod violaverit divinam legem: *Quia audisti vocem uxoris tuæ & comediti de ligno, ex quo, præcepit tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vita tua: Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terra: in sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es; quia pulvis es, & in pulve-*

rem revertèris. Quid magistrum in Cathedralis illâ aliâ contra Evam, *Multiplicabo ibidem arumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* His sententiis non solum primi Parentes, sed etiam eorum filii cæsi sunt. Postquam autem acceptaverat in se Christus mortis sententiam, renunciata sunt Adæ, & ejus posteris signa vitæ & felicitatis. Quoniam si antea fuerat pronunciatum: *Pulvis es, & in pulverem revertèris.* Post auditum est: *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum.* Si antea maledicta terra in eorum opere, jam benedictur terra eorum cordium, quæ ligone patientiæ colitur; nam postea lætius germinabit fructus salutis. Si antea indictæ ærumnæ, partusque dolores Evæ; jam Mater Ecclesia gaudens & exultans peperit sibi multos filios.

Dominicus. Maximum mihi attulere solatium tua verba, ô flos Virginum; ac simul spem consequendi æternam salutem; utpotè cum benignitas mei Servatoris ferre constituisset mortis sententiam, mihi vitam restituendi animo; nihil restare video, nisi ut munitus virtutibus gratuler jam mihi metipsum de victoria. Sed jam vocamur ad reliqua, quæ deindè consecuta sunt. Altissimus Deus oneratus cruce, atque inter duos latrones, decantante præcone causam ac modum supplicii, conscendit ad Calvariæ montem, uti ferebat Judicis Pilati sententia.

Maria. Sistamus, precor; sustineas parumper hîc Dominice, dum temperem me à luctu, qui jam adhuc impotentius irruit ex hujus quæsitæ narratione. In eo itinere obviam ivi Filio, simulque ascendimus montem; hîc sub considerationem venit, quid fecerit cælestis ille Pastor, qui è sinu Patris descendit ad quærendam ovem, quæ suâ culpâ ad pastum inhibitum egressa perierat. Eam autem cum pluribus exantlatis laboribus reperisset, humeris suis impositam rapuit ad amœnitates æternas.

Dominicus. Omnia hæc fructus purissimi amoris sunt.

Maria. Hic verus Dux, atque Imperator humani generis, qui in extremum adductus vitæ discrimen validâ manu, crucisque armis, ita dimicaverat pro peccatoribus, ut fufis fugatisque hostibus, suos è dæmonum potestate in suam ditionem redactos insigni tandem atque antiquâ divinæ gratiæ donaverit libertatè. Incedere igitur cum cruce cœperat tanquam potentissimus Rex insignitus suo sceptro: ut expugnator fortis portare regium illud vexillum, quo deletæ fuerunt vires tenebra-

rum; humeris illud ferre, nimirum aut ut candelabrum, in quo positus, daturus erat splendores suæ lucis universo mundo, aut ut clavem, quâ brevi referaturus erat cælum, & domiturus infernum.

173. *Dominicus.* Alta & arcana mysteria sunt hæc de portatione Crucis ad Calvariam; nec minis meam illustrant mentem sua luce, quàm accendunt voluntatem flammis divini amoris. Ita similiter haud abs re videtur accidisse, ut Simon Cyrenæus, vir gentilis, opem ferret nostro Servatori in eodem munere.

174. *Maria.* Id significat, rejectâ Synagogâ, assumptas esse gentes ad Christi fidem & labores, ad finem mundi usque perseveraturas. Huc etiam accedit, ut Simonis nomen virum obedientem indicet. Quo manifestum sit perquam aptos esse ad portandam crucem, qui in ara obedientiæ seipfos immolant divinis obsequiis. Sed ad quid occidit Christus extra civitatis muros? Videamus, si incidisti in solutionem.

175. *Dominicus.* Credo, ut intelligatur non tantum obiisse pro solis Judæis, aut una solummodo civitate, sed etiam pro universis Nationibus. Non enim conveniebat tam infinitum meritum circumscribi eo puillo pretio; sed potius ut longè latèque versus quatuor mundi plagas tenderetur. Quod prædixerat Isaias, Ecclesiam invitans ad lætitiâ, quòd ex gentibus futura esset numerosior, quàm erat Synagoga, & per orbem propaganda perpetuâ Dei protectione, in securitate victura, veteris oblita calamitatis: *Dilata*, inquit, *locum tentorii tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas: longos fac funiculos, & clavos tuos consolida. Ad dextram enim & ad levam penetrabis; & semen tuum gentes hereditabit.* Subditque ibidem rationem: *Quia dominabitur tui, qui fecit te; Dominus exercituum nomen ejus: & Redemptor tuus sanctus Israël, Deus omnis terra vocabitur.*

176. *Maria.* Ad amissim rem attigisti. Exi ergò nunc foras extra breves muros voluptatis, quam propinant tibi creaturæ, si vis comitari Creatorem in cruce, oblatosque benedictionis fructus accipere.

177. *Dominicus.* Rectè mones, sanctissima Mater: verumtamen prius necesse est, firmitur à te mea imbecillitas, ut id peragam, deducamque jam tandem filium contemplationis ad extremos dolores, quos passus est meus Redemptor.

178. *Maria.* Quem existimas fuisse majorem?

179. *Dominicus.* Ni fallar opinione, nihil acerbius tulit in tota Passione, quàm de-

tractis vestibibus, tendi in lectulo crucis, clavisque affigi sacro ligno.

Maria. Quàm probè cogitas de re. Meum 180. etiam pectus tunc exaudito ictuum sonitu, intimè penetratum acutissimo dolore. Monitum te velim hic de adhibendo remedio veteri homini. Salutarem enim medicinam elargitur hîc maximus tui Servatoris dolor.

Dominicus. Ineptè mederi potero, ni 181. agnoscam ægrotum. Quid per veterem illum hominem intelligam?

Maria. Te ipsum Adami filium. Legi- 182. sti Isaiam, *Va genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis: dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israël, abalienati sunt retrorsum. Super quo percutiam vos ultra, addentes pravaricationem? Omne caput languidum, & omne cor mareps. A planta pedis, usque ad verticem, non est in eo sanitas: vulnus & livor, & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Quæ non intelliguntur de novo homine; sed de veteri, nimirum Adamo, & ejus filiis. Quamobrem causâ curandi hunc hominem passionis itinera emensus est meus dilectissimus Filius. Ejus tempora vepribus cincta sunt, ut te defenderet ab ingruentibus tentationibus: perforatæ manus, pedesque, ad componendos tuos gressus & mores: apertum lanceæ cuspide pectus, ut haberes perfugium, quo te reciperes: paluerat toto corpore, ut nos niteremus non tantum corpore, sed etiam animâ: ejus oculi lethi tenebris obducti sunt, ne diverterent tui ad aspectus vanos & illicitos: impletæ ejus aures nefandis opprobriis, ut tuæ clauderentur detractionibus, aperirenturque clamoribus pauperum: degustavit amaritudinem fellis ad moderandas tuas blanditias. Tulit speciem tuæ infirmitatis, ut indè melius confirmareris ad sustinendos labores in hujus vitæ peregrinatione, postea regnaturus in patria.

Dominicus. Hi sermones, quibus me 183. instruis, ô bellissima Deipara, clarissimis divini Spiritus radiis scintillant. Sanè enim haberi potest pro summo amore ille, quem Deus ostenderat mundo, tot tantosque dolores ejus causâ sustinendo. Cùm ergo talem habeamus Pontificem, qui condeat nobis, sedentem à dextris Dei in cælis, opus est observemus ipsum, moremque per omnia geramus ejus sanctissimæ voluntati. Cæterum jam tempus est, ut elevatis oculis suspiciemus nostrum JESUM altè pendentem è Cruce. Me tamen later, cur inter duos latrones mori voluerit hic divinus Princeps.

Ma-

184. *Maria.* Quid? adhuc ignoras de inita amicitia à primis Parentibus cum morte, de pacto fœdere cum Inferno? inimicus dæmon, utpotè in animarum latrocinia tam pronus, hoc perspecto properè convenit cum illis. Quod Isaiæ fecerat locum præter cætera ejus sermonis mysteria, ut
- Isai. 1. 21. *maximo cordis dolore exclamaret: Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena judicii? Justitia habitavit in ea, nunc autem homicida: argentum tuum versum est in scoriâ, vinum tuum mixtum est aquâ: Principes tui infideles, socii furum; omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Ut ergo everteretur hoc pactum, inirentque societatem cum Angelis, qui antea celebrarunt eam cum dæmonibus; inter latrones crucis mortem obivit Deus, addictus vinculis ut latro, postpositusque Barrabæ latroni.*
185. *Dominicus.* O humilitatem omni amore, atque observantiâ dignam, utpotè quâ summa altitudo vilissimi ac veteris inimici domuit superbiam! Elatus Lucifer ambivit sublimiores honores, sed Christus, cum esset Altissimi Filius, ad humiliorem sedem se dimisit. Ille aciem intendit in supremum dominium; sed hic cum esset omnium Dominus, ductus est ad Calvariæ Montem, comitatus latronibus. Ille Angelorum copiis præficiendum se putaverat; hic suis Provincialibus ac dilecto populo indignus visus est societate hominum, propterea tamen dignus, ut in nomine J E S U omne genu flectatur, & Cælestium, & terrestrium, & inferorum.
186. *Maria.* Nullis naturæ, aut proprii tui ingenii viribus harum rerum pondus ac momentum pensitasti, mi Dominice, sed gratia duce. At verò cum satis nota sit Filii mei humilitas; incipe jam meditari eam dulcissimam bonitatem, quâ hostibus pepercit.
187. *Dominicus.* Etiamnum videntur oboriri mihi lacrymæ præ jucunditate ejus considerationis. Quid enim suavius illâ precatione, quâ rogavit Patrem affixus cruci, dicendo: *Pater dimitte illis; non enim sciunt, quid faciunt.*
- Luc. 23. 34. *Maria.* Hinc dilucidè potest colligi Dei benignitas, cui, licet macerato doloribus, nihil aberat longius, quàm ommittere pietatis officia, etiam erga hostes. Hi punire contendunt; ille pro iis orare: hi gestu ac motu capitis irridere: salutare eos ille, inclinato capite: hi oblectari Christi pœnis ac supplicio: Christus dolere super eorum duritie: lætari & gaudere ferissimi tyranni: obtendere illis ignorantie excusationem apud Patrem æternum meus Filius. Tantâ erat suavitate Princeps

supernæ curiæ, beatioris vitæ delictum.

Dominicus. O aurea dulcedo breviusculi sermonis, quæ vel mulcere feras, aut asperitatem rupium emollire posset! Patientebatur & condonabat patiens Deus, quem præter obstinatum Judæum tali generositate non inflecteret? Proprius accessi, ô Virgo, dum penderet in cruce, & agnovi tristitiam in vultu, quam tu ipsa vidisti.

Maria. Externa illa tristitia emanabat ab interna, cujus haud mediocris causa fuerunt suspiria & lacrymæ, quas ego ad pedem crucis emittebam, altiores ducente curas meo Filio ex maternis afflictionibus, quàm ex propriis vulneribus. Quapropter introspectis meis angustiis, cognitâ paucitate eorum, qui percepturi erant fructus ex Passione, & perdendorum multitudine, ejus interiores dolores apparebant foris in vultu. Attamen tanto mœrore parta est hominibus lætitia in iis placidissimis locis, ubi perenni adamante fulgebunt æternæ gloriæ.

Dominicus. Summâ voluptate te hactenus audiebam. Jam restat enucleandum, cur in singulis membris ac sensibus passus sit Christus Dominus, videndo, audiendo, gustando, tangendo; irrisiones, blasphemias, amaritudines, tormenta?

Maria. Id jure rogas. Quoniam tam multiplicis doloris haud dubiè non prætereunda causa. In omnibus ergo sensibus passus est Deus, ut tu omnes contineres tuos ejus exemplo ab inepta libidine; visum, ne divagaretur per illicita: auditum, ne pateret obrectationibus & maledictis: gustum & olfactum, ne indulgerent transitoriis blanditiis: tactum, ne immodicè superbiret ornatu. Quas potentias ac facultates, si jam temperes eâ moderatione, quâ æquum est ut consulas earum salutem ac felicitati; castigationi succedet in cælis gloria; singulis singulare præmium; auditui musicæ; visui amœnissimæ venustatis ac pulchritudinis; odorati florum ac Rosarum; gustui ciborum dulcedinis; tactus suavitatis in cultu corporis.

Dominicus. Quàm pulchrè noveras, Virgo prudentissima, delinire meum pectus & animam tui oris & eloquii jucunditate. Illud præterea oro; cur laceratus noster Deus toto corpore? Vix enim speciem hominis præ se ferebat, ita densatè saucius erat vulneribus.

Maria. Jam tandem verte oculos, Dominice, & attentè considera hunc divinum Principem, in juventutis flore, undique irroratum, purpurantemque sanguine. Mos est apud aucupes, cum ad

manum non veniunt accipitres, proponere illis segmentum quoddam purpureum; quod cum videant offerri à magistris, autumantes esse cibum, statim advolant, ut in potestatem se dedant. Hoc eodem modo te vocat Deus, quamvis non inanem purpuram, sed summæ felicitatis epulas tibi proponat, alia in occasione, dicens:

Juan. 6. 54. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Ut fugitivus homo aliquando resipiscat, ac dulcedine hujus cibi captus & illectus suæ vitæ ac salutis consulat.

195. *Dominicus.* Quem alium potum, aut quos cibos propinaret nobis tam nobilis animarum Sponsus & Pastor, nisi vitales ac salutiferos, ô viventium Mater? nihil potius nostræ infirmitati convenire potest, quàm admittere tam eximios favores, foveri tot deliciis. Cæterùm quid, quæso, indicant illa cruoris flumina, quæ decurrunt ex Dei vulneribus?

196. *Maria.* Describens Leviticus, quomodo Sacerdos ingredi deberet Sanctuarium, ita dicit: *Lev. 16. 14. Tolle quoque de sanguine vituli, & asperget digito septies contra propitiatorium ad Orientem; cumque mactaverit hircum pro peccato populi, inferet sanguinem ejus intra velum, sicut præceptum est de sanguine vituli, ut aspergat è regione oraculi, & expiet Sanctuarium ab immunditiis filiorum Israël, & à pravaricationibus eorum, cunctisque peccatis.* Cuncta hæc mysticè percepta facile te ducent ad causam, cur vindex generis humani tot rivus sanguinis fuderit in cruce. Beneficio enim hujus sanguinis deposuit iræ suæ sagittas æternus Pater; inita sunt pacis fœdera inter cœlos & homines; aperti thesauri divitiarum Dei; Inferorum depressa potestas; redemptus mundus, triumphant Angeli.

197. *Dominicus.* Ergo ritè jam cantare possumus gratiarum actiones cum Isaiâ: *Isai. 12. 1. Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi; conversus est furor tuus, & consolatus es me. Ecce Deus Salvator meus fiducialiter agam, & non timebo: quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris; qui non alieno sanguine, sed proprio cruore abluit mundum ab suis immunditiis. Inter reliqua Mysteria Crucis, ô dulcissima Virgo, difficultatem mihi iniecit, cur tam extensa habuerit brachia in illa meus Redemptor.*

198. *Maria.* Olim, cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso post meridiem, abscondit se Adam & uxor ejus à facie Domini

Dei in medio ligni Paradisi. Sed è sublimi cruce extensis brachiis invitabat eos dulcissimus JESUS ad pacis atque amicitiae fœdera. Tu audi invitantis vocem, & amplexum, & Dei oscula admitte: obediens sis dictis ejus, qui eâ contentione sic te vocat per Matthæum: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: tollite jugum meum super vos; & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris: jugum enim meum suave est, & onus meum leve.*

Dominicus. Dulcissima sanè verba, ô magna Mater; omniq̃ue balsamo atque odore aromatum suavius perfundentia animam. Quid amplius sperari potest de Dei clementia, quam videbantur simul ostendere clavi, quibus firmiter inhærebant Cruci ejus pedes ac manus, utpotè quæ deinceps ligatæ ad vindictam futuræ erant; extensæ autem ac solutæ ad misericordiam?

Maria. Ita est. Tum etiam extendit manus suas Christus ad delendam culpam, quâ Adamus porrexerat suam ad mortiferum malum; hic ad ramos prohibitos; ille ad Crucis arborem, ablaturus suis pœnis violatoris delictum. In promptu fuerant Adamo gressus ad iniquitatem; fixos tenuit eos Christus ad legis obsequium: hic in cœlorum itinere; ille per latam viam Infernum versus: hic ad Paternam hæreditatem, ille ad sempiternum exilium. Sed hujus ductu revocatus est ille, ut seposito errore in ipsum cœlum penetrare posset.

Dominicus. Colligo hinc, veterem hominem crucifigendum esse cum Christo ad evertendam culpam, ne reliqua sit in posterum occasio succumbendi tam gravi jugo. Colligo pari modo, gratias agendas quàm maximas crucifixo Deo, ex mirabilibus quæ prænunciaverat de ipso Isaiâ: *Requiescet manus Domini in monte isto; & triturabitur Moab sub eo, sicuti teruntur palea in plastro: & extendet manus suas sub eo, sicut extendit natans ad natandum: & humiliabit gloriam ejus cum allisione manuum ejus.* Ut verè loquar, Dæmonis manus sub Christi Cruce allisæ sunt: Crucis enim victoriæ ejus suppressæ vires, contrita superbia, eversum Imperium.

Maria. Percalluisti Mysterium, quamvis alia etiam indidem erui possent. Nam Christus Dominus totâ corporis dimensione extendebatur in Cruce, ut tu cum cæteris meis Alumnis totius amoris latitudine virtutem amplecti disceres, prout scripserat D. Paulus ad Ephesios: *Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo & longitudo, & sublimitas & profundum; scire etiam supereminentem scientia charitatem*

sem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei, animum à mundanis curis ad summum timorem traduentes; cum nesciat homo utrùm amore, an odio dignus sit.

203. *Dominicus.* Percepi jam hæc: percipere autem non possum cur permiserit benignissimus Dominus tendi omnium membrorum venas, quasi fibræ essent alicujus liræ aut cytharæ.

204. *Maria.* Arrisit exemplum, quoniam cum sit cythara instrumentum musices, quo David expellebat Dæmonem è corpore Saülis, ritè explicat formam ac munera Crucifixi. Nam uti cytharæ contenduntur chordæ clavorum versione, ut sonet, ac suavissimam edat musicam: ita Dominicæ venæ ferreis clavis per Crucis arborem protensæ dulcissimè effecerunt, ut personaret JESVS eorum septem verborum carmine ac musicâ, quibus cecinerat jam jam obiturus in Cruce.

205. *Dominicus.* Quid hoc, quod audiveram de verborum musica? id explices clarius, mea maxima lux & delictum.

206. *Maria.* Septies tantummodò locutus est in Cruce meus sanctissimus Filius. Primo verbo me commisit dilecto Discipulo ac purissimo Virgini Divo Joanni Evangelistæ, dicens mihi prius: *Mulier ecce filius tuus;*

deinde Discipulo: *Ecce Mater tua.* Secundò oravit pro inimicis haud remisè sanè, sed suscitato incendio maximæ charitatis, ita deprecatus æternum Patrem: *Pater dimitte illis; non enim sciunt, quid faciunt.* Tertium satis erat plenum misericordiæ, quo felicissimo latroni obtulit gloriam: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Quartò misertus imbecillitatis primorum Parentum, ac miseræ quæ indè exorta fuerat, prorruptit in hanc tristissimam exclamationem: *Eli, Eli, lama sabachthani?* hoc est: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* quasi deplorans eorum conditionem, quorum naturam sumperat. Quinto verbo declaravit inextinguibilem sitim, quâ languebat, animarum salutis, dicens: *Sitio.* Sextò humiliter, sed excelso tamen & firmissimo animo Patri se commisit voce magnâ, dicens: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Quâ oratione deferens Patri honorem, non potestatis in semetipso defectum, sed perfectissimam fiduciam ostendit. Septimo denique & ultimo verbo eò perseverantiæ devenisse suam magnanimitatem & constantiam apertum voluit, ut nihil reliquum faciendum esset ex iis, quæ præceperat Pater. Quapropter eâ, quâ erat oris majestate, dixit: *Consummatum est.* Statimque inclinato capite tradidit spiritum; ut nos perseverantes usque ad

finem in imitatione hujus nostri Ducis, per ipsius mortem ac merita recipiamus immarcessibilem coronam in cælis. Quæ cum ita sint Dominicæ fili, cum ingruerit aliqua diabolica tentatio, aut intempestivæ consternationes animi, nullâ interpositâ morâ, pulsés velim meditationis digitis hanc cælestem lyram, & experieris quidem, quàm citò dissipatæ propellentur.

Dominicus. Rectè de his mones, celsissima Deipara; quod idem ipsum videtur promississe Isaias, dum dixisset: *Canticum erit vobis, sicut nox sanctificata solemnitatis, & latitia cordis sicut qui pergit cum tibia, ut intret in montem Domini ad fortem Israël. Et auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ, & terrorem brachii sui ostendet in comminatione furoris, & flamma ignis devorantis: allidet in turbine, & in lapide grandinis. A voce enim Domini pavebit Assur virga percussus; & erit transitus virga fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum in timpanis & cytharis: & in bellis præcipuis expugnabit eos. Cæterùm cur tam altâ voce personarat hæc crucifixi Dei cythara?*

Maria. Alio tempore territus Adamus Dei voce, dum à meridie deambularet per Paradisum, cooperuit se frondibus fici arboris; delituitque, ne videretur à Deo. Extulit ergo vocem in cruce mitissimus JESVS, ne utique deficeret animo miserrimus Adam, sed suspiriis & lacrymis spem absolutionis ac salutis conciperet, utpotè qui tantâ misericordiâ ad veniam invitabatur. Hæc fuit causâ illius elatioris vocis, quam edidit Filius meorum viscerum in cruce, dicens: *Eli, Eli, lama sabachthani?* Quo edito clamore consternatus transfuga cæpit resumere animos; comparere, egressus ex conscientiæ suæ latebris, ac spem veniæ concipere. Huc etiam accedit, ut tumultu ac strepitu hujus vocis præsentirent ejus surdescentes aures suavitatem musicæ, quæ deferebatur ad eas, ac rebus tandem divinis mulcerentur, quæ antea tartareis sibilis erant apertæ.

Dominicus. Nihilominus quamplurimos video, (heu dolor!) vehi secundo flumine suæ voluptatis, nec obsistit aut retardat eos vehementia hujus vocis. Ut, ut res fuerit; mihi constitutum, (te annuente, magna Domina) in procinctu semper esse ad perficiendum, ut meditati mihi insonet semper illa vox. Sed obruor jam luctu, haud immemor earum lacrymarum, quas vidisti promanare è luminibus Redemptoris, tanquam è duobus bellissimis fontibus.

Maria. Illæ lacrymæ, fili, sæpè sæpius moverunt quoque meas. Eas fuderat Deus, redemi-

redemi-

redimitus vepribus, ac perfossus clavis ob cæcitatem Judæorum, miseriaque filiorum Adæ, qui lati suis erroribus, divertunt procul à recto tramite, ruituri in profunditatem abyssi. Misertus ergò horum meus sanctissimus Filius descendit ex altissimo throno suæ gloriæ in hanc lacrymarum vallem, effusus eas ad abstergendam nebulam, qua densè caligabant prædictorum oculi. His enim divinis lacrymis mitigatur incendium libidinis, infringitur superbia, emolliuntur corda, extinguntur inferni flammæ, recreantur animæ superiori delicio.

211. *Dominicus.* Verè magnus Dominus, & magnum nomen ejus, qui calcans torcular solus, *Formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis sue*, nos lavit ab omnibus iniquitatibus nostris. Væ autem oriundis ab Adamo, qui tam vili faciunt lacrymas Christi; hic amarissimè deflet eorum infirmitatem; sed illi mentis inopes nihil cogitant minus, quàm de quærenda ope suæ imbecillitati.

212. *Maria.* Parce jam ampliori zelo; agendum; dic, si quid videris ulterioris doloris.

213. *Dominicus.* Haud inficiari possum me summoperè commotum aspectu mei Conditoris, quem vidi tristem, macilentum, exanguem, & trepidabam velut præ pudore meæ præteritæ vitæ, attonitus, perculsus, consternatus, obstupefactus.

214. *Maria.* Nec inveniustè quidem fecisti, Dominice, ego etiam, ut par erat altissimi filii matri, commovebar maximo dolore, quamvis ne minimâ quidem unquam infectam me vidissem culpâ, cujus poenitentiam deflerem. Ille autem pallor nostri Conditoris clarè demonstrabat ipsius amorem. Pallidos vocaverat amantes quidam profanus Poëta, eò quòd, qui bene amat, amore langueat. Quoniam ipsorum, nihil ei æquè proprium videbatur, ac pallefcere. Quare quanto ardebat amore sanctæ suæ sponsæ Ecclesiæ Christus, eo externo vultus, corporisque pallore indicavit.

215. *Dominicus.* Non me fugit, omnem oris maciem ac pallorem, quæ nascuntur ex disciplina & castigatione corporis, in singulis Christi alumnis maximam venustatem dicere. Amplius tamen quid habemus imitandum in Christo: nam dicto pallori addidit insuper magnos gemitus & suspiria. Scire modò velim, sapientissima Virgo, ni molestum sit, cur laxè ita soluit habenas luctui noster bellissimus Deus.

216. *Maria.* Supressis lacrymis satisfacere nequeo petitioni. Indidem fanè Dei suspiriis subministrata materies, undè luctui & la-

crymis. Tam citò excidit tibi memoria, quod habet Isaias: *Verè languores nostros ipse Isai. 53. tulit, & dolores nostros ipse portavit: & nos 4. putavimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, atritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostra super eum, & livore ejus sanati sumus.* At non tantum corporeis vulneribus, sed animi etiam poenis ac doloribus voluit expiare hominum scelera, & excessus, meus Filius: unde abundè videor jam reddidisse rationem ejus gemituum.

Dominicus. O incredibilem Dei misericordiam! O suaviter omni encomio dignam! quid enim benignius aut dulcius, quàm immensum Deum, infinitam majestatem subjici suppliciis ac tormentis, gemere, ac dolere pro iis ipsis, à quibus offensus fuerat. Qua de re etiam factum videtur, ut clariori voce suam sitim declararet, nisi alia suggeratur à te ratio.

Maria. Eademmet fuit causa illius sitis, nimirum insatiabile desiderium salutis animarum; quamvis sitiebat præterea, ut mitigares tu sitim tuæ tristissimæ avaritiæ. Nam restinctâ hâc, sities bibere è cristallinis undis vitæ æternæ. Quid? nonne meministi, quanto posteriorum exitio flagrabat Adamus ingrâtâ illâ siti, quam admiserat aspirans ad vetita? Ex cujus avaritia tantæ libidinis incendium excitatum postea in filiis. Igitur Christus Dominus, ut remedium ferret tam periculosis flammis, fatigante siti, amaritudinem fellis, & acciti degustaverat.

Dominicus. Jam intelligo hâc siti correctam Hevæ libidinem, quâ indulserat dulcedini prohibiti fructus.

Maria. Nihil verius: ac proinde meus unigenitus Filius vix delibavit acerbitatem fellis, cum subdidit: *Consummatum est*, innuens jam eâ solutione pro gula primæ matris abundè satisfactum esse.

Dominicus. Cùm hæc omnia gesta fuissent; JESVS, inclinato capite tradidit in manus paternas spiritum. Illa inclinatio capitis, quid quæso significat, mea dulcissima Mater? cur voluit expirare Deus?

Maria. Illa inclinatio deprimit elationem, quâ ultra modum se attollit superbum genus hominum. Adæ filii, erecto capite, duraque cervice, ausi fuerunt Dei leges infringere: sed mitissimus JESVS, daturus medicinam superbiæ tam ingrâtæ, seque ac suam cervicem obedienter submisit voluntati Patris. Ad hæc; studiosius olim desiderabat ab ipso oscula ejus dilectissima sponsa, dum diceret in Canticis: *Quis mihi det te fratrem meum, su-*

gentem

gentem ubera matris meae, ut inveniam te foris, & deosculer te, & jam me nemo despiciat: Apprehendam te, & ducam in domum matris meae, ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum. Tunc quidem inventus fuit ejus frater, quando captus ac prehensus foris extra civitatis muros, sustinuit postea in urbe injustam contra se sententiam, ac denique ipsam mortem in Calvariae monte, ubi temporis locique inclinante Christo Domino sua odorifera labia, obtinuit desideratum osculum sponsa; unaque didicit quam sint gravia mundi scelera, quorum pondera ita demisere Christi caput; ut inclineris tu ad paupertatem spiritus. Inclinauit illud ad rependendas grates Patri pro sua Passione; & ad aptandas aures singulis, qui suis precibus accurrunt ad ipsius misericordiam. Cur autem voluerit mori, non est quod recenseam, cum nihil certius ipsius morte recuperatam esse vitam, devictos inferos, restauratam tuam gratiam, conferendam gloriam.

223. *Dominicus.* Te Ductrice ac Magistrâ, quid ignorare possum, ô Virgo sapientissima? Jam probe teneo, sapuisse amorem, humilitatem, clementiam, omnia, quæ passus est pro nobis Deus. Et ni fallor, quod lanceæ cuspide apertum sit ipsius latus post mortem, ideo accidit, ut clarior fieret inde ipsius dulcedinis affluentia & efficaciam, ut etiam efflatâ animâ, quasi adhuc pati videretur.

224. *Maria.* Jam clarissimè vides, haud jure queri posse Adami filios sibi clausam Paradisi portam, ad cujus aditum tanta dulcedine, comitate, fructu invitantur. Etenim divisum est pectus Salvatoris, ut inde sumerent vires, haurirentque salutem, cujus pretium inexplicabile, cujus pulchritudo æterna, cujus fructus sine rugis, cujus flores nunquam marcescent, nec latrones timent, aut feritatem mortis. Huc semper accurre si te videris laceffitum tentationibus, dum ejus jucundissimo favorio leniatur tempestas.

225. *Dominicus.* Haud mediocriter oblectant me hæc tua verba, ô pulcherrima Virginum. Nunc certè video in posterum abs re fore, ut Parens Adamus segmentis suis indutus, ac territus delitescat, cum securius jam ad vulnera Christi, quam ad umbras arborum fugâ se recipiat. Cæterum priusquam Domini funera meditemur, audire velim, quid indicant illæ tres cruces, quibus Christus, & latrones mortem subierunt.

226. *Maria.* In ejusmodi triplici cruce, triplex genus martyrii, licet perquam diver-

sum, tria hominum genera, nimirum malorum, poenitentium, & perfectorum subeunt.

Dominicus. Non dubium, crucifixos esse cum Christo poenitentes & perfectos: At percipere nequeo, quando malis aliqua crux evenit, præcipue cum una voluptate metiantur felicitatem vitæ, deliniti rebus turpissimis.

Maria. Ergo jam deposuisti ex memoria ea tristissima suspiria, quibus deflebunt miseriam suam impii in die judicii, admirati gloriam justorum, quos in hoc mundo contemptui habuerant. *Lassati sumus (di- Sap. 5. cent) in via iniquitatis, & perditionis, & 7. ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus; quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis? Transierunt omnia illa, tanquam umbra, & tanquam nuntius percurrrens. Ira enim (inquit D. Paul.) & indignatio, tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum.* Eò quod effundat Deus indignationem suam super gentes non cognoscetes se, quoniam *de ore ejus, (ut affirmat S. Joan.) procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipso percussiat gentes, & ipse reget eas in virga ferrea, & calcet torcular vini furoris ira Dei omnipotentis, & habet in vestimento, & in femore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus dominantium.*

Dominicus. Hæc testimonia dilucidè probant rem, cujus autem conditionis sit illa malorum crux, aut quas in se continet partes, haud invitus audirem.

Maria. Pars superior est superbia, quæ hujus mundi Principes tumescunt. Infima pars luxuria, in quam proni declinant, veluti foedissima Bruta ad vilitatem stercoreis, prout notat Joël: *Computruerunt iumenta in stercore suo.* Dextrum brachium est improba avaritia coacerandi sibi divitias. Sinistrum autem est invidia, quam de alienis bonis concipiunt.

Dominicus. Pessima sanè crux, ô sanctissima Mater! quid? an hæc ducuntur mali ad gloriam?

Maria. Quin imo properè & recto itinere ad infernum: ab alia cruce transeunt ad aliam tristiore: decedentes ex temporalibus miseriis, absorbentur in æternis. Jam vocari videmur ad explicationem alterius utriusque crucis. Poenitentium crux, cordis contritionem, confusionem propriam, fugam à peccatis, satisfactionemque pro admisis, ut quatuor nitidissima brachia habet, quibus animæ cum bono latrone deportantur ad Paradisum. Perfectorum verò crucis, quæ est Christi Domini, quatuor levioribus alis, atque

omni decore distinctis volitamus ad sublimem delicias. Illæ suo ordine numerantur, timor Domini, mortificatio passionum, res adversæ, & divinorum contemplatio. Quis tandem animus filii mi crucifigendi te in aliqua ex his crucibus?

233. *Dominicus.* Non deficit ejus rei desiderium dulcissima Mater.

234. *Maria.* Tria in te ipso habes, Domini-
ce, quæ necesse est crucifigas cum suis imperfectionibus, nempe spiritum, carnem, & mundum. Crux spiritus est fervor devotionis, cujus angulos conficiunt amor, spes, timor, & dolor. Crux autem carnis est rigor disciplinæ, quæ extendit sua brachia ad vigiliis, abstinentias, verberum ac vestium asperitatem. Sed crux, qua torquetur mundus non alia videtur esse, quam paupertas spiritus. Hujus brachia complectuntur despicientiam opum & honorum, Patriæ, generisque contemptum. Jam enucleatum habes, quidquid exponendum erat in hac doctrina. Interrogo modò, mi Dominice, cum afferas te vidisse meum filium pendentem è cruce, nonne simul me ipsam conspexeras ad ipsius sacrosanctos pedes?

235. *Dominicus.* Ita sanè te vidi, ô maxima Regina, & præ dolore non poteram comprimere luctum. Vidi te ad pedem crucis, decolorem, afflictam, pallidam, exanguem, diruptam variis doloribus, qui maximè tum pungebant, quando ex crucis arbore avulsum ac defunctum filium in gremio recepisti.

236. *Maria.* Opportuno tempore præmium dabitur tuæ pietati. Interfui quidem Passionis mei sacratissimi filii, & adumbrabam personam totius Ecclesiæ, quæ ut ejus sponsa redempta tanto pretio, nunquam abesse debet à mysteriis crucis, sed in sinu semper habere suum crucifixum, devovère se illi, eum fovere pectore & animo, abluere lacrymis, ungere devotionis unguentis, charitatisque sindone involvere. Purissimo cordis sepulchro condere debet ipsum, & invigilare diligentiori curâ monumenti ostio, ne introducatur latrocinium culpæ, quo tantum perdere potest sponsum.

237. *Dominicus.* Haud oscitanter hæc audio. At ardente feror desiderio accipiendi de funeris Domini mysteriis. Miror enim admodum de mortua majestate, de sepulchro Deo, de silente eo corpore, quod venerabundè colebatur ab Angelis.

238. *Maria.* Lege illud Exodi: *Ego sum Dominus Deus fortis, zelotes, visitans iniquitatem*
Exod. patrum in filiis, usque in tertiam, & quartam
20. 5. generationem eorum, qui oderunt me: & fa-

ciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Fortiter visitatum est Adami peccatum; cum ipsi renunciatum, pulvis es, & in pulverem reverteris. Sed summam ostenderat Deus misericordiam in abolendo ejus delicto, cum acerbissimis pœnis occisus in visceribus terræ reciperetur. Quid amplius, aut pulchrius desiderari potest? Quæ grandior misericordia, quam pro salute creaturarum ad horrorem usque sepulchri, quamvis corruptionem nunquam admiserat, demitti majestatem corporis tam divini?

Dominicus. Undique flagrat meus spiritus his scintillis. 239.

Maria. Gloriosissimum fuit illud sepulchrum, in quo mortuus Deus conciliabat peccatoribus vitam. Altè indormiebant homines suis vitiis & peccatis; ibi suscitati sunt ad elegantiam gratiæ: ibi aperti mortalium mentis oculi, ut cernere possent viventis Dei gloriam. Non autem caret mysterio, quòd jaceret in sepulchro divinum mei filii corpus confossum vulneribus, funebre, decolor; ut tuum bectur corpus in communi omnium resurrectione supernis illis, & gloriosis muneribus impassibilitatis, subtilitatis, celeris penetrabilitatis, summæque claritatis, ut perinde quasi tremula sidera, aut fulgurantes soles niteat. Attamen tibi persuasum velim, tum temporis nemini concedenda ea dona, nisi sepeliverit se jam in humilitate suæ terræ ac cineris ad latus Christi, ut impuræ voluptati mortuus, vivat Deo. Quoniam ut resurrexit Christus in gloria; ita tum gloriosi resurgent per Christi merita, qui nunc curant surgere in novitate spiritus. 240.

Dominicus. Optimum quidem inter turbines & procellas hujus vitæ consilium, creberrimè cum Deo his de rebus colloqui ad opem è cælo impetrandam. 241.

Maria. Accepisti jam ea mei filii patientis mysteria, quæ ad interrogatiunculas deduxisti. Et licet non diffusius, sunt tamen pro occasionis opportunitate satis explicata. Cæterum ut experientiâ discas, quam in oculis ac medullis tuam salutem semper geram hujus passionis insigni atque admirabili luce illustrandum te duxi. Insiste meis vestigiis. 242.

Dominicus. Jam te sequor: duc quocumque vis, ô gloriosissima Mater. 243.

Maria. Pulsa has portas, & ingredere. 244.

Dominicus. Jam aperui. Invexi me intrò. 245.

Maria. Quid notas? 246.

Dominicus. Video, (proh meus maximus dolor!) Video meum bellissimum Servatorem pendentem è cruce. 247.

Maria.

248. *Maria.* Et nihil amplius vides?
249. *Dominicus.* Video pariter effundi ex ipsius sanctissimis vulneribus clarissimos splendores, qui incredibili suavitate meam converberatam animam demulcent. Enixè rogo, ô sanctissima virgo, temperentur hi radii, ut meliùs percipere possim, quod exponitur in hoc divino spectaculo.
250. *Maria.* Ex crucifixo exit lux? quo vergit?
251. *Dominicus.* Judico divisam esse in septem partes; quod proculdubio mysterium continet.
252. *Maria.* Aliquid perceptum est. Sed ne superetur tuus captus, auscultes paulisper. Septem genera rerum ostendunt ii radii.
253. *Dominicus.* Quænam sunt illæ tam pretiosæ divitiæ, quæ ad sui explicationem indigent tanta superioritate lucis?
254. *Maria.* Tot tantisque latebat ignorantia tenebris genus humanum, ut vix reperiretur, qui cognosceret res maximè ediscendas, nempe perfectionem spiritus, mundi illecebras, Paradisi gloriam, pœnas inferni, gravitatem culpæ, splendoremque virtutis, donec unigenitus meus filius totidem ex se claritatis radios emitteret, quibus palam fierent. Quid vis amplius tibi dicam de his radiis, mi fili? Placeatne scire de Dei magnitudine?
255. *Dominicus.* Id summoperè peto ac rogo, mea sanctissima Domina.
256. *Maria.* Eleva ergo oculos, & suspice pendentem in ligno: nam ibi illicò ostendetur infinita sapientia, quâ Deus illudit dæmoni; infinita justitia, quâ condignè solum est pro tuis culpis; & infinita misericordia, quâ pro ingratis animis non dubitavit subire mortem vitæ ac necis altissimus Dominator.
257. *Dominicus.* Te summâ veneratione adoro, mi dulcissime JESU, qui tanto sumptu perfecisti, ut te ipso duce, in cognitionem venirem tuæ incomprehensibilis Deitatis. Jam te video dignissimum omni admiratione ob infinitam tuam sapientiam; omni cultu & honore ob tuam justitiam; nostro ac totius universi amore ob tuam misericordiam.
258. *Jesus.* Tua devotio mihi accepta est, fili mi Dominice. Tum etiam id percipias ex mea passione, summam comparari nobilitatem generositate & fervore spiritus, ut insinuaverat mea sanctissima Mater. Spiritus, qui hujus claritudinis honore fulget, omninò bonus ac cælestis est, in tres tamen classes omnes generatim dividendi spiritus. In primam merantur castra Angelici, in secundam densatis agminibus congeruntur mundani; tertiam au-

tem classem sua confusione ac tumultu conflant diabolici. Perpende benè bonitatem Angelici spiritus, qui persuasit mihi universorum Principi, ut pro hominum salute hos clavos ac spinas sustinerem. Considera animarum dignitatem, & quantità me æstimantur, quippe qui non minori pretio, quam meæ vitæ & sanguinis eas redemeram. Verte deinde lumina ad horrendum aspectum & feritatem Diabolici spiritus, quo instigante, à Judæis actus fui in hanc crucem.

Dominicus. Hac prælucente claritate lucis, mi potentissime Deus percepi obligationem amoris, quâ obstringimur spiritibus Angelicis. Intellexi satis ex æquo corrigendosque esse humanos spiritus, fugiendosque diabolicos.

Jesus. Bene est, mi fili: tum etiam ostendam tibi hoc alio radio pompam ac vanitatem hujus mundi. Quàm longè aberrant qui ejus breviusculas voluptates secuti, me deserunt fontem beatitudinis æternæ! quàm cæcis delitefcunt tenebris, qui fugiunt meas luces? Quàm stulti sunt, qui steriles nugas anteponunt felicissimis meis deliciis! Quàm impii, qui in hunc modum me suum Conditorem & gloriæ Principem offendunt?

Dominicus. Amplius video, mi sanctissime me Domine, (quod vix possum præ vi lacrymarum dicere) profanos video, etiamnum inhærere suæ impietati, atque à tua misericordia deficientes, sacrosanctæ Crucis abnuere uberrimos fructus.

Jesus. Perbellè dicis, Dominice; & inde orti meorum viscerum dolores, quòd tam malè rependant meis beneficiis ingrata capita. Sed esto: sibi ipsis ruunt in præcipitium. Jam accedamus ad quartum, quod ostendunt cæteri radii meorum vulnerum. Ut palmæ præmium victoribus; ita patientiæ meæ pretium, Paradisi gloriam tuli; eoque tam grande, quod tanti meriti. Quamobrem respice (inquit Isaias) *Sion Civitatem solemnitatis nostræ: oculi tui videbunt Jerusalem, habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit.*

Dominicus. Ducente tuâ gratiâ, jam intellexi, sapientissime Domine, te idcirco eò humilitatis descendisse, ut fieret nobis copia conscendendi in altitudinem gloriæ. Contemptum te voluisti, & habitum, captumque pro latrone, ut nos indueres novâ ac nuptiali, summæque hilaritatis veste: paupertate ac laboribus enectum, ut ditissimi lætaremur cum Angelis. Quis hanc misericordiam, quis hujus amabilissimæ charitatis gratiam dignis meritisque laudibus efferre potest?

264. *Iesus.* Aliud adhuc ignorant mundani, quod explicant hi radii, qui ex me exeunt, scilicet Infernum, pessimum sanè ac tremendum carcerem, plenum dedecoris & & confutionis, horroris & miseriae.
265. *Dominicus.* Ita equidem semper cogitabam, ò animarum Dulcissime Custos; utque inde liberemur tui famuli, haud inficius eram, idèd in ea te suspensum fuisse Cruce, ò maximum Numen; tot tibi infamiae notas iniustas, illatam tantam crudelitatem mortis. Væ autem illis, qui suis culpis aperiunt sibi ditem, quam tu clauderas meritis tuæ sanctissimæ Passionis.
266. *Iesus.* Haud mediocriter me oblectat, ita te explicasse vela tuæ devotionis, mi Dominice. Eoque moveor ad declarationem alterius utriusque rei generis, cujus haud nondum conscii sunt mundani. Nondum enim perceperant satis dignitatem, aut pretium virtutis. Ex maiestate igitur patientis pro illa, ejus pulchritudo ac venustas colligenda. Etenim quid pretiosius eâ re, pro qua constitueram ego, cælorum Conditor ac Deus, acerbiter hujus Crucis subire? Quid eadem formosius, quâ munitus sic nitescebam in meis tormentis, deportaveramque inde palmas tam gloriosæ victoriæ? Quid clarius aut utilius Inferorum terrore, cælorum aureâ clave, decore orbium, peccati remedio, deliciis æternitatis?
267. *Dominicus.* Tam speciosum quidem censui semper, ò sanctissime Domine, quidquid virtute tingitur, ut jure optimo omnium animos conciliet, ad se alliciat, rapiat, incendat.
268. *Iesus.* Ultimo loco exponendam se offert maledictio peccati, cujus gravitatem haud ægrè metiri poteris magnitudine pretii, quod pro eo solveram, saucius his vulneribus, utpotè qui venarum sanguine ipsius eluvie & maculâ absterfi meos alumnos.
269. *Dominicus.* Magna tua misericordia, suavissime Deus; Væ autem miseris hominibus, qui cum tanti constitisset tibi debellatio culpæ, sub ipsius nihilominus signis etiamnum militare non desistunt, in cæterum peccatorum cumulum congerentes simul hanc quoque malitiam ingratitude. Jam satis constat, Domine, ex tua Passione, quàm gravia sint lethalia delicta perditorum, nihiloque seciùs quàm timenda sit pœnarum æternitas, quas laturi sunt, ni citiùs ac maturiori consilio resipiscant. Nam qui non permoventur eâ magnitudine tuæ misericordiae, quodnam aliud expectare possunt remedium? Absit tamen, quòd his velim dicere clausas esse

cui quam dum degerit hanc mortalem vitam, januas salutis; quamvis qui ultrò aspènantur tam abundantem gratiam, difficiliorem sibi reddant aditum ad pœnitentiam. Ego sanè quòd ad me attinet devolutus hic ad tuos sanctissimos pedes, ò mundi Servator, infinitas tibi rependo grates pro beneficiis ac donis, quibus me indignum tuum famulum, atque inutilem servum dignatus es cumulare; & adducere, ut perpetua tibi officia nuncupem. Tibi etiam ò Deipara Virgo, tantum me debere fateor, quantum persolvere nunquam potero, quòd enucleatius exposita tui sanctissimi filii passione, me tam dulci favore introduxisti in claritatem tot radiorum mei sanctissimi servatoris. Id unum summis precibus liceat modo à te contendere, ò magna Mater, ut hic fiat mihi potestas me tibi assiduam comitem & clientem adhibendi; qui enim tuis obsequiis se mancipant, sua probitate ac deliciis valent, & sua gloria bene contenti esse possunt.

Maria. Fili mi, multa atque altissima præmia eos omnes manent, qui splendore virtutum, atque honestate vitæ commendantur. Jam hinc tibi abeundum ad fratres, ut publicè referas, quæ clam his audiveras, dispensèque acceptam lucem errantibus, ne te aliquando culpa cum infausito tuo silentio perdat: recedas ergo, & quæ in aurem tibi suggereram, enuncia per plateas.

Dominicus. Obsequor deosculatus priùs tuas sanctissimas manus, ò inclyta Regina, ac submissiùs orans in meam causam propendeant semper apud Deum tui favores.

Maria. Id mei muneris erit. Valebis. 272.

Hanc sequentem Precationem, si vera est fama, Hispanicè composuit Regina Catholica, quamvis alii contextam velint à Principe Joanne. Ut ut res fuerit, eam ritè ac devotè recitantibus, Indulgentia plenaria ab summo Pontifice concessa fuit.

Ave Virgen graciosa,
 Estrella mas clara que el Sol:
 Madre de Dios gloriosa;
 Panal mas dulce que la miel:
 Colorada mas, que la Rosa;
 Mas blanca que la azuzena;
 Toda virtud te hermosa,
 Todo santo te honra:
 JESU CHRISTO te corona,
 Encima de todos los Cielos.
 Amen.

273.

SIC VERTITUR LATINE

*Ave Virgo gratiosa,
Stella Sole clarior:
Dei Mater gloriosa,
Favus melle dulcior.
Purpurea magis quam Rosa;
Magis quam Lilia nitens:
Cunctis virtutibus formosa,
Predicata Sanctorum linguis:
JESVS CHRISTVS te coronat,
In Altissimo empyreo.
Amen.*

TRACTATUS V.

Reliquiæ spirituales.

CAPUT PRIMUM.

*Orationes quadam pro impetranda peccatorum
venia.*

ORATIO.

274. **S**anctissime atque æterne Deus, JESV CHRISTE, fili Dei vivi, mundi Redemptor, Creator cæli & terræ; impensè oro ac rogo summam tuam Majestatem pro infinita tua bonitate ac misericordia, meritisque tuæ sacratissimæ Passionis; ac simul propter gloriosissimam Resurrectionem, & Ascensionem tuam, tremendumque illud Judicium, quo judicaturus es vivos & mortuos, ut miserearis mei indignissimi peccatoris; simulque me dones veræ pœnitentiæ lacrymis, ut expiare possim præteritæ vitæ culpas & offensas, quas contra tuam Divinam Majestatem adedò imprudenter admisi. Concede mihi quæso, benignissime Domine, sanctimoniam vitæ, patientiam in rebus adversis, in prosperis humilitatem, cupiditatum moderationem, fortitudinem in tentationibus, in operibus prudentiam, misericordiam & benevolentiam erga proximos, firmissimum propositum observandi semper tuas divinas leges & præcepta, devotionis fervorem & gratiam, opemque ad ita vivendum & perseverandum in tuis sanctissimis obsequiis, & merear felicissimam mortem. Qui vivis & regnas per æternitatem. Amen.

Oratio ad Spiritum sanctum ante Communionem.

275. **V**eni Amor Divine, veni sancte Spiritus; veni, quæsumus; properè descende ad corda nostra, ad parandum dignum

habitaculum Unigenito Dei Filio. O amabilis ac dulcissime Domine, jam probè teneo, te veniente, nullam passurum me confusionem, aut pudorem, quæ ortum non ducant ex vera sanctitate ac lætitia. Quoniam ubi tu composueris hospitium, ritè excipietur tanta Majestas. O sanctissime Spiritus, ne renuas audire has meas preces, sed propitius respice merita Passionis ac dolorum, quos pro me tulit mundi Servator & Conditor. Ita enim me amavit dulcissimus JESUS, ut se obtulerit in sacrificium pro mea salute. Ditissimus ad summam paupertatem se redegerat, ut ego pauperrimus ditescerem. Ecælo dignatus est descendere ad terras, ut ego terrenus è terrenis sedibus possem conscendere ad cælestes. In Crucis ligno suspensus ac mortuus fuit, ut obtinerem ego beatitatis æternæ vitam. Abundè fuderat suum pretiosissimum sanguinem, ut abluerer ego à meis culpis & delictis, ab omniq̃ue morborum genere convalescerem propter honorem tanti nominis. Adedò etiam me dilexit æternus Pater, ut ne suo quidem unigenito Filio pepercerit, ut ego salvus fierem. Quamobrem ne me deserat tu, ô dulcissime Spiritus, sed fer opem, obsecro, deprecanti jam rorem tuæ cælestis gratiæ ad delendas omnes meas noxas & maculas; cum, ut coeperam dicere meus Servator ac Dominus JESUS CHRISTUS non corruptibilis vi auri & argenti me redemerit, sed pretioso suo sanguine, quem abundè effuderat pro peccatoribus, illuminans cæcos, reducens errantes, reconcilians reos, justificans impios; triginta tribus annis super terram visus; cum hominibus conversatus, pro hominibus mortuus, qui de Cherubin & Seraphin dixit, & creati sunt; nec tamen aliud modò à me quærit, qui tantâ sollicitudine me quæsit, nisi ut sollicitus ambulem cum Deo meo trino in personis, & uno in essentia. Hæc autem sollicitudo à te venit, ô amator animarum sanctarum, suavissime Spiritus, qui scrutaris profundum pectorum nostrorum, discretor cogitationum, & intentionum cordis, ubi nec minimam paleam sustines residere, quin eam statim subtilissimis flammis exuras. Eia ergo, dulcissime Paraclyte, qui ita regis & adornas nostram voluntatem; perface jam tam mirabili favore, ut tuam verè intelligere, ferventer amare, & efficaciter implere possimus. Amen.

S. FRANCISCI BORGIAE
CAPUT II.

Pia quadam Meditationes ante Communionem.

276. **O** Altissime Deus, atque omni veneratione dignissime! quis sum ego, ut tam divinam mensam contingere audeam, aut tam caelestem panem sumere, cordisque mei hospitio excipere Principem gloriae, caeli conditorem, dominatorem gentium? Verum tu ipse me invitas, benignissime Domine; dum ea, qua fragras eloquii atque oris suavitate, dicis:

Math. 26. Accipite & comedite; hoc est corpus meum. Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Atque alio etiam in

Joan. 6. loco, addito terrore ac minis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Ejusmodi autem firmatus hortatu, licet vilissimus peccator, verebundus accedam ad Angelorum dapes, ad splendidissimam mensam tui corporis & sanguinis, o Christe Domine! totis enim viribus desiderat jam anima mea participare de fructibus & generositate hujus tui admirabilis Sacramenti. Ad te aspirant affectus cordis mei: In te propendet voluntas mea: tui dulcedine ac devotione permovetur spiritus meus: per se fertur ad tuas delicias; dulcissima patitur deliquia tantae liberalitatis consideratione. Quoniam si morbo laborat, tu adhibere poteris medicinam: si pauper & inops est, ineffabiles atque infinitae sunt tuae divitiae: si obruitur vitiis aut imperfectionibus, tu deles mundi crimina: si virtutes spectat; est tuis thesauris speranda earum elegantia & nitor.

277. Nihilominus timeo, & contremisco toto corpore, Domine, ne indignus accedam, & aggravem conscientiam novo onere. Nam tepidum me reperio in obsequendo tuis legibus, voluptate confectum & exhaustum, sine colore, sine viribus, ut ne vix quidem cogitare possim, qua clade me diruerint mea peccata. Quid praeterea referam innumerabiles morbos tum animi, tum corporis, supplicia meae perditae vitae? a quibus forem jam immunis, si non ita me deliciis solverem, aut si prudentius mihi imperarem. Sed proh dolor! te deserto decore infinito, nociturae manus delectaverant mea ulcera. Inde marmor, marcorque, & mille fluctus mentis incertae; quam inchoata habent suspensam, deplorata tristem. Inde tremor ille, qui me repellit a sumenda medicina, veritum, ne contingat mihi idem, atque alteri infeli-

ci, quem ed quod ausus sit accumbere sine nuptiali veste, detrudi jufferas, ligatis pedibus ac manibus, in perpetuas tenebras, ubi luctuosus clamor, & stridor dentium.

Quid ergo faciam? aut quo me vertam? 278. hinc invitor dulcedine tuae bonitatis ac misericordiae; illinc deterreor conscientiae gravedine, ac multitudine meorum defectuum. Huc quoque accedit memoria tremendi illius judicii, sententiaeque mortis, quam sibi imponit, qui indigne audet te recipere. Sed hem? jam in mentem venit consilium, quod initurus sum. Illic hinc surgam e lectulo, ubi decumbo inter meas culpas & scelera, te ipsum adiuturus fontem totius misericordiae, dicturusque tibi ipsi obortis lacrymis, & contrito corde; in te peccavi, mi Pater, aeternique parentis filii. In te peccavi; tuum caelum laceffi innumeris meis noxis & delictis. Haud jam inficior indignissimum me esse, qui compeller filii tui clarissimo titulo; ad te tamen accedo impetraturus veniam; si me tuis, vel mercenariis, ea lege, ut tuus sim. Jam oraturus venio, amantissime Domine, ut reficiar saltem frustulis ac micis, quae est meis fratribus convivis decidunt. Deinceps submissius me geram in Provinciis mihi impositis, palam detestatus veterem superbiam. Quare hac humilitate nixus, omni vano sublato timore, resumam animos delibandi de tua sanctissima mensa, ut renoventur denuo juventutis meae bellissimi flores, quos antea tam stulte amiseram.

CAPUT III.

Oratio ad Sanctissimam Trinitatem, ante Communionem.

279. **O** Sanctissima Trinitas! infinita Majestas! o summa Deitas! o si donarer ego jam per tuam gratiam illa nuptiali veste, quam necesse est, habeam, accessurus ad hanc sacratissimam mensam corporis & sanguinis Christi! o omnipotens atque aeternae Pater, supplices ad te manus hic tendo, id humiliter exorans per merita tui unigeniti filii, qui praesens est in hoc dulcissimo ac venerabili Sacramento, ut animam meam digneris abstergere ab omni peccato aut culpa, quae impedimento esse possit, quod minus digne reficiar hoc caelesti cibo, ejusque suavissimis fructibus. O mundi servator ac Domine, o mitissime JESU, qui passus ac mortuus fuisti pro peccatoribus! perface, quaeso, ut ego mihi comparem, duce tuo favore, munditiam ac nitorem mentis & corporis,

ris, ut te ipsum, ac simul cælestem tuum Patrem, apto, atque elegante hospicio excipiam. Hanc animæ meæ domumculam ultrò vobis offero, foreque polliceor ut perquam mihi gratus, ac jucundus sit adventus vester. Video autem deesse ibi ornatum opulentaque peristromata, quibus decenter excipiatur tam alta majestas; nihilominus tamen futurum spero, ut præmittatur à vobis ipsis Paraclytus Spiritus ad eam componendam in dignam habitationem vestram. Propriis enim viribus nunquam fieri potest, ut dignum sit hospitium sancto Deo; nam quis affirmare auserit se mundo esse corde, aut nullâ infectum maculâ? Quis integrè gloriari de sua sanctitate, ubi scrutatur interiora cordis tam sublime Numen? Tui ergo muneris erit, ô dulcissime Jesu, tibi ipsi concinnare hanc mentis meæ paupertatem, ut more suo faciunt etiam terreni Principes, (quamvis comparati tecum, ne crepitu quidem digiti digni sunt vilissimi vermiculi) qui cum aliquod adornant iter, præmittunt necessaria vasa, & supellectilem, id est regiam sinthesim, ut ipsi pro dignitate diversari possent apud suos subditos. Id idem faciendum tibi, benignissime Domine, ut quod humana mea imbecillitas non possit, perficiat opulentiæ tuæ gratiæ. Quoniam si potentum gaza haud ægrè convestiantur pauperes; quid mihi deesse poterit, licet ex me ipso sim tam vilis & inops, ubi ditescam præsidii tuorum munerum?

280. Eia ergo clementissime Deus, vel solo nutu annuas, rogo precibus, ut sic exclamem cum humili Centurione: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea. Et quamvis tu ipse Author sis, ut continuè & nullâ interpositâ morâ, aut intermissione ad te orem. Attamen aliæ aliis sunt convenientiores horæ huic officio: nullam autem aptiorem invenio eo tempore, quo recreamur dulcedine tui sanctissimi ac venerabilis Sacramenti. Tum enim qui illud dignè ac perbellè continet sui pectoris facello, fit speciosissima habitatio, fit, (inquam) in terris cæleste quoddam diversorium, quo gaudet hospicio excipi summum Numen, assistentibus Angelis, ac perofficiose exhibentibus ipsi, ut par est, debitam venerationem. Inurbanè ergo ac parum liberales se gererent ii, qui statim è mensa Domini ad profanos lusus, aut sæculi negotia se conferrent. Quæ pestis, ut eò facilius à nobis avertatur, atque inimici technas eludamus, devotè suscitandus ani-

mus, novique ardores accersendi consideratione majestatis illius Principis, qui diversatum venit apud suos subditos & creaturas. Aperiendi ipsi nostra imbecillitas; aptè declarandæ animi maculæ & imperfectiones; petendum subsidium, quò occurratur ingruentibus inde periculis & incommodis. Cujus rei causâ ob oculos ponenda hic duxi breviuscula quædam soliloquia, non quo iis velim constringere provectiores, in re spirituali; sed ut magis exercentur tyrones milites, qui nisi videant submitti sibi ab veteranis aliquod parabile subsidium, vel ad solum nomen contemplationis animis consternuntur.

In primis observetur, quòd si altiùs se præsentiat moveri voluntas aliquo singulari affectu ex tam variis, qui componunt hoc soliloquium, non indè tam citò transiliendum ad alios, quin imo potius utendum cælesti aura & favore, quibus Deus sine verborum tumultu ad se ipsum nos allicit & rapit. Nam in hac unione cum Christo Domino sita est perfectionis summa, quam nostri soliloquii normâ & loquelâ prætendimus.

CAPUT IV.

*Preparatio cordis ante Communionem.
Ad Lectorem.*

PRO coronide subnectendas duxi has devotissimas Orationes; in primis, quòd superioribus congruant. Tum deinde, quia in illis manifestè ostenditur veræ charitatis spiritus, quo profèqui debemus nostrum Servatorem Christum, quacumque oblata occasione aut tempore, præcipuè cum reficiendi accedimus ad sacram synaxim. Singuli sibi applicent, quod magis facere sibi ad rem, ac devotionem videant.

PARS PRIMA.

Qui frui desiderat Christi dulcedine in sanctissimo Sacramento, ita se preparare potest.

OMnipotens, gloriose Deus, Christe JESU, sancte sanctorum, splendor substantiæ Dei, summa Majestas, Divine Pontifex! ego vilissimus peccator, atque hominum indignissimus, quamvis libenter vellem reformare meam vitam, restaurareque meos mores participatione hujus cælestis refectionis tui sanctissimi Sacramenti: non audeo tamen accedere territus meis culpis. Nam licet tuâ magnifi-

gnificentia, & liberalitate invitari me sentiam; nihilominus retrahor peccatricis meae conscientiae timiditate, qua me coram tanta majestate sistere reformido. Quare supplici prece, atque humili corde à te modò peto, mi Deus, ut tali gratia me disponas jam ad sumendum divinum hunc cibum, ut ne mihi sit ad mortem, quod meae vitæ ac salutis institutum fuit remedium. Te mihi jam conciliet, ô Potentissime Rex, verecundia, quæ me totum occupat meae miseræ, & summa necessitas, quâ, oportet, ut omnis creatura, quantumvis pura ac integra, requirat tuam misericordiam. Sic enim etsi omninò non approbes meam innocentiam, non me tamen utique damnabis audaciæ. Quo-

Job. 17.
14.

niam, quid est homo, dicit patientia Job, ut immaculatus sit, & ut justus appareat natus de muliere? Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis, & Celi non sunt mundi in conspectu ejus. Lava me ergo, ô fons misericordiarum à peccatis meis in sanguine tuo. Si enim, ut scribit gloriosus Apostolus: Sanguis Hircorum, & Taurorum, & cinis vitulae aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi?

Ad Heb.
9.

284.

Ad id autem te moveat, ô clementissime Domine, ejus charitatis immensitas, quâ nos allicis ad medendum nostris vulneribus sumptione hujus augustissimi panis; atque ut veluti lenocinio gulæ incidimus in infidias mortis, sic dulcedine ac beneficio hujus sanctissimi Sacramenti inveniamus æternam vitam. Nam eò quòd sumus creaturæ tuæ, nostroque genere fragiles atque imbecilles, suavissimè disposuisti, ut ad conservationem nostræ salutis valeret gratia Sacramenti, uti ad nostram redemptionem tuæ Passionis merita. Accipias, obsecro, in satisfactionem meorum scelerum, fervorem, virtutes, lacrymas, quas jam impendo in tui obsequium; firmaque fides, quâ munire me fuisti dignatus, ut omni sublato errore Catholicè tenere, atque ad Martyrium usque divini hujus Sacramenti mysteria fateri possem. Credo enim Sacrificii tempore per vocem Sacerdotis confici hoc mysterium, & per realem tuam præsentiam in sanctissimo Sacramento, haud minori gratiarum diluvio parari tuam misericordiam ad sanandas resipiscentes animas, quam per minas inclinat tua justitia ad castiganda obstinatorum delicta. Cæli Proceres te adorant, ô sanctissimum Numen; syderei juvenes spectandi gloriâ, decorique fronte, tibi

assistunt, & profundâ flexione poplitis, ut suo Conditori ac Principi divinam tibi venerationem & cultum deferunt. Substantia autem, quæ antea erat panis, desinit esse sub adoreis speciebus, candoreque Sacramenti, verè conversâ in tuum corpus vivum & perfectum: & substantia vini verè convertitur in tuum vivum & generosum sanguinem, quin necesse sit, separetur ab suis venis, aut ab unione Deitatis. Breves sunt limites, quibus conscribitur mysterium: verum æterna est salus, quam nobis germinant. Parvulus est circulus, quo cingitur; sed infinita est majestatis gloria, quam occultat. Sic jam movent mihi admirationem amoris causæ, cur te ô mi bellissime Deus, ita contegas, uti facerent tui corporis splendor, si eos viderem. Quare summâ veneratione adoro infinitam tuam sapientiam, quâ ita velas extrariis accidentibus tuum corpus & sanguinem, ut eo major fiat nostra corona, eoque familiaritè possimus sumere medicinam nostræ salutis, altiori que mentis ac animi suspensione celebrare memoriam tuorum mirabilium. Te submissè colo, atque adoro, ô viva Hostia, fons clarissime æternæ vitæ, inestimabile pretium nostræ salutis, veterum figurarum summa, excellentissimum mysterium nostræ fidei, cælestium donorum corona, mirabile ostentum omnipotentis Dei, solatium nostræ peregrinationis, defunctis fidelibus subsidium, viventibus voluptas, Angelis delicia, indefectibile lumen sanctarum revelationum, perennis concordie sacrificium, Sacramentorum maximum, terror Dæmonum, nostræ infirmitatis medela, dulcissima memoria passionis Christi, thesaurus gratiæ, gloriæ pignora, sol ardentissimæ charitatis, perfectionis culmen; undè amor divinus vibratis radiis incendit nostros animos ad operandum virtuti; inexpugnabile scutum virtutis Dei; summæ liberalitatis munus simul ac munerator, clause umbrosi limitibus. O sacratissima accidentia! ô nivei candores panis, pellucidique rubores vini, dulcissima objecta meorum sensuum! contemplor ac veneror grande istuc miraculum, quo per solam Dei virtutem, ac sine panis aut vini substantia sub vestro nitore continetis Christum Dominum. Præstatis meo ori panis, vini que saporem: sed mulcetis meam animam superno delicio. Vester odor, odor quidem convivii: sed circumdat tamen florem, qui germinat virgines, fragrantioris rosis, suavioris balsamo, qui oblectat Angelos, utpotè qui ortus ex radice Jesse ætherea aspirat cinnama. O admirandum

dum miraculum, atque omni laude dignissimum, quo incarnatum verbum, quantum quantum est, sub vestris speciebus semetipsum vescendum pauperulis hominibus cælitus elargitur! Solebatis antea, ó bellissima accidentia, exornare naturalem substantiam vini, & panis: nunc autem velatis gloriam majestatis Dei. Tum etiam venerabundè adoro, ó altissime Deus, immensitatem tui amoris, qui adèd splendet in hoc sanctissimo Sacramento, & constantissimè credo, quamvis pluribus in locis simul celebretur Missæ Sacrificium, non multiplicem tamen numero fieri tuam gloriosissimam substantiam, licet variæ sint præsentia, quibus in omnibus ac singulis Hostiis, totusque in qualibet & cujusbet parte & particula sub speciebus sacramentalibus constitueris; nec eò, quòd recipiamus te homines, tuam deficere in se naturam, licet ejusmodi sumptione roboretur nostræ imperfectionis fragilitas; nec in minori Hostia te minorem suscipi; nec majorem in grandiori. Quando ad te accedo, ó Angelorum gloria, qui antea eram sylvestre spinetum, convertor in amœnissimum Paradisum; meaque pectora ex ferarum lustris fiunt devotissimum Sacrarium mei supremi Judicis. Per hæc igitur tot miracula ac mysteria imploro tuam divinam misericordiam, ne indignè audeam sumere, quod institutum est ad meum remedium: sed munitus tuo favore tam eleganter me concinnet ad cælestem mensam, ut mea dispositio cedat tibi in gloriam; Angelis in gaudium; mihi in incrementum gratiæ; cæteris meis fratribus, cunctisque, qui meis precibus se commendant, in subsidium; in suffragium defunctis; afflictionibus meæ vitæ in solatium; ut mihi post mortem sit in sempiternam gloriam. Amen.

P A R S S E C U N D A.

Alia preparatio ante Communionem.

285. **O** Summe atque æterne Deus, qui tuâ infinitâ sapientiâ illuminas Catholicam Ecclesiam, tuâ incarnatione decorasti hominum genus, redemisti que mundum tuâ pretiosissimâ morte; & etiam num per motus incendiis tui amoris eum sustentas & conservas cælesti convivio tui ipsius corporis & sanguinis, ut liberatus à tot periculis, æternitatis coronam consequi possit. A tua immensâ bonitate deprecor amabilissime J E S U, per ineffabile mysterium, quo tuam sanctissimam hu-

manitatem, divinitatemque cum cælesti tuâ gloria ac pulchritudine realiter præsentem sistere constituisti in hoc venerabili Sacramento sub visibilibus speciebus panis & vini; ne me dimittas hinc propter mea scelera sine muneribus tuæ misericordiæ; nec respicias meæ conscientiaevilitatem, sed submissionem fervoremque, quo te recipio. Tam alta est tua Majestas, ó gloriosissime Princeps, ut quamvis arderem ego amore Seraphico, tum demum tamen indignissimus forem participatione tui sanctissimi corporis & sanguinis; nihilominus te ipsum video esse mihi Authorem, ut piè atque humiliter ausim ad sacrum tuum convivium accedere, ne viduer tam necessario præsidio meæ salutis. Si enim modò tam citò torpesco, ubi frequenter me reficio tam salutari medicina, quid fieret de me, si omnino abstinere ab illa. Conforta ergo, ó potentissime Deus, cordis mei imbecillitatem; excita omnes meas potentias, ut viva fide te diligam, ac puro corde & mente divinum hoc Eucharistiæ Sacramentum sumam. Concede mihi propitius, ut solutus à mortalitate hujus vitæ, perveniam per intercessionem tuæ sanctissimæ Matris ad sempiternam gloriam; ubi vivis & regnas cum æterno Patre, & Spiritu sancto per omnia sæcula. Amen,

C A P U T V.

Devotissimum Soliloquium post Communionem.

Benedic, ó anima mea, Domino: & 286. omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. Benedic, anima mea, Deo tuo; & nunquam obliviscaris magnæ misericordiæ ejus. Venite, cogitationes meæ, quæ foris discurritis; venite, omnia desideria mea, grates & honorem simul rependamus Domino; quoniam summa est liberalitas, quâ mecum jam utitur. Hinc jam abite profanæ tricæ; estote procul sæculi negotia, & occupationes, quibus implicitæ dissipari solent virtutes meæ animæ; etenim hodie agendum cum solo Deo de rebus summi momenti ac ponderis. En, domi teneo Regem Regum, & Dominum dominantium: jam tempus non est subducendi me ex præsentia Principis Gloriæ pro colligendis paleis Ægypti. Suscitamini ergo omnes sensus mei; esto te præstò meæ potentia, ut cognoscatis, quam beati sint oculi, qui vident ea, quæ vos videtis. Etenim multi Reges ac Prophetæ tota voluntate desiderarunt aspicere, quem ego jam verè sub candore ac specie-

bus panis vidi, ac meo pectore suscepi. O dulcissime JESU! ô mi Rex! ô mi Medice & medicina! ô meum æternum solatium, ambrosiumque convivium! Jam devolutus ad tuos sanctissimos pedes, venerabundè peto ac deprecor, discam ego illustratus hodie claritate cælestis tuæ lucis, atque inflammatus tuæ charitatis incendiis, nullo unquam tempore, aut die, memoriam hujus tam grandis misericordiæ finire. Aperi, Domine, labia mea, ut extollam laudes tuas, gloriamque tibi cantem omnibus diebus vitæ meæ. Nam quamvis meritas tibi grates persolvere, vel minima ex parte, nullo modo possim: semper tamen pro concessis mihi viribus me tibi semper gratum, memoremque præstabo pro tam insigni beneficio, quo dignatus es ad hanc sacrosanctam divinitatemque tuam mensam me vocare & admittere. O bonitatem inexplicabilem, summamque Majestatem mei Conditoris! O bellissimum decorem mei suavissimi JESU, cujus altissima species & perfectiones non modò humanum captum superant, verùm suspendunt etiam excellentissimos Seraphines admiratione suæ gloriæ ac pulchritudinis! Quid ego, Domine, cinis & pulvis, vereque indignissimus, qui obtineam numerum inter cæteras tuas creaturas, prædicare possim de tot tantisque encomiis, quibus haud ipsi Angeli sufficiant? Hucusque ardentissimo desiderio flagrabat ac sitiēbat anima mea in universum mundum ferendi tuam magnitudinem pro omnibus beneficiis, quæ detulisti peccatoribus. Nuncautem dulcissime prorsus destitutor animo, dum meâ cogitatione verso; quis es tu ô potentissimum Numen, à quo habeo hæc beneficia? Et quis sum ego, à quo tam malè satisfactum tuo amori? Terreor formidine delictorum meorum; sed nihilominus corroborat me magnitudo tuæ misericordiæ:

Sapient. 15. Quoniam tu Deus noster suavis & verus es, & patiens, & in misericordia disponens omnia. Etenim si peccaverimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam: & si non peccaverimus, scimus, quoniam apud te sumus computati. Cum autem nemo tibi inservire possit, nisi à te ipso veniat subsidium; & quo arctioribus vinculis se tibi quis profiteri velit obligatum, eò comulatiùs respondeat suo muneri; ego, qui deinceps devoveor tuis obsequiis, quid aliud hic spectem, nisi tuæ divinæ gratiæ stipem à te ipso cogere, ut strenuè defungar meo officio, perpetuasque tibi cantem laudes coram tuis cælestibus Aulicis, dum vita viresque mihi suppetant? Hic me sisto, Do-

mine, abjectissimum mendicum coram te potentissimo Rege; laborantem innumeris morbis coram suo divino medico; ut reum coram suo Judice, pro me ac fratribus meis deprecantem; ut nos tibi semper tuearis ac serves, mitigatis flammis nostræ iræ, gubernatâ mente, custoditâ pace, tumoris violentiâ compressâ; incendio simultatis extincto, fracto impetu libidinis, in meliusque emendatis cæteris moribus. Nam tuæ gratiæ nectareo rore perturbatio & dissidium totius hujus orbis componitur; coërcetur superbia Principum, sublevantur egeni, conservantur jura matrimonii, castimonia virginum defenditur. Hoc cæleste refrigerium facit humiles in rebus prosperis, in adversis magnanimos; amat parcere inimicitiis, multum orare pro calamitatibus fratrum; in tentationibus victoriam defert; in persecutionibus tollerantiam; in Martyriis triumphos. Iterùm obsecro, ut mihi jam concedas, ô clementissime Deus, hæc tua munera, cum hoc nactus sim peropportuno tempus id orandi sine præjudicio tuæ divinæ justitiæ. Non enim me latet te, quamvis immensæ Majestatis sis Judex, negotiis tamen pauperum patrocinari; & quantumvis mea causâ vacillaret, perdendaque foret in meis manibus; securè tamen ac firmissimam procedere in tuis. Nam quid aliud te impulit ad sustinenda tot tormenta, nisi ut possis remittere offensas, tuerique indignos? Si ergò ita respondeas pro nobis, quis poterit contra nos? Ad te confugio, ô animæ meæ dulcissimum solatium, oraturus portionem quotidianam, favoremque, quo semper obsequar tuis legibus ac præceptis. Fame jam premor hujus Angelici cibi, qui mihi necessarius est ad vitam; ut prodigus filius, paternam domum repeto; sive ut emendata sponsa, quæ licet, antea miserè deliquerat, nixa tamen tuis promissis, ad te ultrò tam divinum Amantem se recipit. Ne projicias me, Domine, à tua præsentia, neque auferas mihi sanctum tuum Spiritum; neve tuâ benedictione orbes hunc pauperulum, quem visitatum veneras; nam ubicumque pedem posueras, ritè se disponentibus, tuos thesauros reliquisti. Jam autem non est abstinendi tempus absolutâ liberalitate.

Deiparæ Matris purissimis visceribus ^{287.} receptus, atque altissimis privilegiis ejus ditioni Angelorum hominumque imperium adjecisti. Ædes Zachariæ vix ingressus es, cum statim sanctificationis gemma decorasti Baptistam. Bethlemiticum præsepe, sedem scilicet belluis accommo-

datam nascenti tibi elegisti cunabula ; statimque omnis locus ex brutorum stabulo in cæli regiam, gloriæque Paradisum, conversus est. Antequam intrares Hierosolymitanum templum, multis retrò sæculis, quod futurum esset, ut ibi te præsentem sisteres, celeberrimum fuit. Adivisti Ægyptum, totaque illa regio, collapsis Idolis, benedictionis pacem obtinuit ; atque immensa hujus Regni deserta (ubi camporum in infinitum patentium fusa planities, hinc tumulorum summis jugis nutantia nemora ; inde dejectus fluminum ; illinc varii Incolarum situs, & seclusæ nationes suis finibus ac limitibus ; hinc arbuta sine cultore germinantia ; illinc rivorum lenis inter prata discursus, & litora in portum recidentia, quæ regionem interventu suo distingunt) immensa, inquam, hujus regni deserta ita benedictionis tuæ fructu impleveras, ut postea tot eremitarum clarissimorumque virorum ac mulierum, de quorum virtutibus ac vitæ contemplativæ sanctitate nunquam tacebit Ecclesia, densissima fuerit habitatio. Tetigisti fluentia Jordanis, ipsiusque argenteas undas in nostram regenerationem sanctificasti. Socrum Petri febricitantem invisisti, & statim convaluit infirma. Canæ Galilææ invitatus ad nuptias, convertisti aquas in optimum vinum ; in convivio, quod initio suæ conversionis D. Matthæus tibi paraverat, Publicanis ac peccatoribus partum est remedium salutis. In Pharisei ædibus justificasti peccatricem. In ædibus Jairi ejus filiam resuscitasti. Ingressus es domum Zachæi, eodemque ipso die ad statum salutis reducta est. O mitissime JESU, nec in ædibus quoque Principis Phariseorum, ubi tendebant tibi insidias tui hostes, abstinuisti à beneficiis ; ibi enim sanatus est hydropicus, humiliatique superbi, ut facile suos tumores contunderent. Dum cœnares apud Simonem Leprosam defenstasti sanctam Magdalenam à detractionibus Judæ, pollicitus immortale nomen rebus tam præclare ab ipsa gestis. Intraisti cœnaculum, ibique statuisti numquam futurum, ut deficeret tua Ecclesia usque ad consumationem sæculi ; ibidemque cælesti convivio tui corporis & sanguinis pavisti Discipulos. Quid dicam de sacratissimis reliquiis tuæ vitæ ac passionis ? De osculamur terram, quam plantis pedum calcasti : veneramur Crucem, quam subiisti : marmor tui sanctissimi sepulchri honorem ac reverentiam deferimus. Post mortem, tua sacratissima anima ad limbum Patrum descendit, totoque illo tempore, quo ibi immorata est, cæli

potius simulacrum videbatur, quam subterraneum ergastulum. Tertiâ autem die resurrexisti ad mundum, simulque illuxerat fidelibus festivitas novæ hilaritatis ac lætitiæ. Ad superos denique propriâ virtute evolans per altissimas illas regiones partos triumphos duxisti, ut nos roborati tuis victoriis, strenuè dimicemus pro virtute, tum denique potituri præmio, frui turique pro perditis Angelis Dei conspectu & gloriâ. Hos exhiberi à te favores, hæc patrari mirabilia per tuam præsentiam legeram in Evangelio, ô mi amatissime Deus. Quid ? egone adeo infelix, ut viduer ordinariâ liberalitate hujus visitandi regulæ ? Itane actum de me ? absit, gloriosissime Princeps ; sed potius vincet tua pietas meæ conscientiæ nebulas, ut affulgente tuâ gratiâ in Beatorum patriam perferatur mea anima, aspernata jam omnes nugas hujus fallacis sæculi, nec ad vanos titulos respiciens, nec aurum argentumve hoc æstimans splendore, quo Imperitorum verberant oculos, suosque assecclas in præcipitium ducunt.

Ad tuæ majestatis jam pedes supplicem 288. me abjicio, ô clementissime Deus, ut prospicias meæ valetudini, recrees meas tristitias, dissipes meos languores, fanes meam infirmitatem, foveas mea vulnera, ignoscas omnibus meis delictis, hanc meam imbecillitatem tuearis ac sustentas, ut ego ne sumptui quidem aut labori parcam ulla in re, quâ possim tibi servire. Ne obliviscaris mei, Domine, quamvis vilissimi peccatoris, invitati tamen à te ipso ad hoc augustissimum convivium. *Ve. Math. nite ad me omnes, qui laboratis, & onerati 11. estis, & ego reficiam vos ; Et Joan. Paris, Cap. 6. quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita ; qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Verba, quæ ego loquutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Et iterum Luc. Accipite, & comedite : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur : hoc facite in meam commemorationem. Cap. 22.* Non convenit autem summæ tuæ benignitati, ita invitatum dimittere sine fructibus Sacramenti. Ubi cumque enim celebraveras convivia, extitère ibi quamplurima merita ac beneficia à tua benevolentia & liberalitate profecta. Sic quinque panibus saturasti quinquies mille homines, quatuorque virorum millia, extra parvulos & mulieres, septem panibus, paucisque pisciculis in deserto, sublatis inde post septem sportarum reliquiis. Quæ prodigia quandam videntur umbram ac speciem præ se tulisse eorum, quæ gesseras in cœnaculo. Mihi ergo non convenit, ne

fame peream, hinc jejunos recedere; nec tuæ potestatis magnitudini, ne gratuletur sibi infernus de exitio tuæ creaturæ. Ne obliviscaris, mi Deus, à te pulsatas fores mei cordis, ut mutuo inter nos cænaremus, amaremusque; & cum non suppetet, undè apparem, nisi quod tu ipse dederis, elargire, quæso, quod exhibeam; doce me ut tibi serviam. Quoniam tuo arbitrio me totum jam permitto, ut pro tuo jure statuas, quid de me velis.

289. Permovisti, Domine, tuam sanctissimam Matrem, ut tibi excepto suis purissimis visceribus rependeret laudes dulcissimo eo concentu de tuæ magnitudinis potentia. Perfecisti, ut exultaret puellulus Joannes tuo adventu, simulque miraretur S. Elisabeth de Reginæ suæ, atque Angelorum Imperatricis salutatione. Pastoribus indidisti spiritum annunciandi aliis suis Provincialibus tui nascentis mirabilia. Tua erant munera, quæ tibi obtulerant Orientales Reges, à te ipso moniti de exhibendo cultu. Simeonis labia movisti ad modulandum eum tam canorum hymnum, quo, cum teneret te ulnis, amorosissime dixit, se dimitti jam tum velle servum tuum in pace, eò quod vidisset suis oculis salutare Dei sui, quod paratum erat ante faciem omnium populorum; lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis Israël. Gloriosum Baptistam imbuiisti eo dono humilitatis, quo te ipsum veneratus est. Inter creaturas omnes quidquid sanctum in cælis est; quidquid bonum, speciosumve in terris, licet ad te ipsum tanquam ad suum ultimum finem redeant; à te etiam tanquam à primo fonte totiusque factibilium pulchritudinis principio & conditore provenerunt. Nemo usque eò tardus, & hebes aut demissus in terram est, ut ad divina se non erigat, ac tota mente confurgat, utique ubi audierit de his mirabilibus. Ne sim igitur ego cæteris deterior; sed quidquid facere proponam, velim, pertentem, ad te meum finem ultimum iter faciam. Ostendam in omne peccus cadere virtutem: Nihil opinionis causa, omnia tui amoris peragem. Amicis jucundus, inimicis mitis & facilis, pauperum precibus occurrens, passionibus meis major, paratus ire in manifesta capitis pericula ad ferendam tuam gloriam per universum orbem. Subsidium tamen ad exantlandos tam præclaros labores, necesse est, à te ipso veniat, qui tam paternum habes adversus bonos viros animum, ut frui eorum consortio gaudas, horraturus ad spinas & dolores, ut verum colligant robur. Ad suspicionem

enim vulneris tyrones pallefcunt, cum audacter veteranus miles cruorem suum spectet, qui scit se sæpè vicisse post sanguinem. Quid ergo vis faciam, mi sanctissime Domine? quas imperas mihi cruces in tui honorem? quod genus obsequii? quem amorem pro tam repetitis beneficiis? Solicitabor cum Martha: initabor devotionem Magdalenæ, quæ in ædibus Simonis Leprosi tanto ardore spiritus alabastrum unguenti pretiosi effuderat super caput tuum, ut per universum corpus deflueret, repletetque totam domum fragrantia odoris. Manibus feram palmarum ramos inter pueros Hæbreorum, & composito plausu, lætisque vocibus millies tibi acclamabo victorias. Non cedam pietate viro illi Consulari & inclyto Arimathienfi, qui nihil veritus Judæorum invidiam tuum sanctissimum corpus depositum de cruce, magnâ reverentiâ excepit, delinivit aromatibus, mundâ sindone involvit, novoque monumento, quod sibi in petra exciderat, summo honore posuit, neque sumptibus parcens, neque verecundiæ. Magdalenæ affectus induam, quibus in tecto Pharisæi perofficiosè tibi suum obsequium præstitit. Nunquam enim legeram æquè distinctè te monuisse de exhibendis tibi officiis inter convivium, atque hic; ubi charitatem Magdalenæ extollens, hac correctione castigasti Pharisæum: *Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: 44. hac autem lacrymis rigavi pedes meos, & capillis suis terxit: Osculum mihi non dedisti: hac autem, ex quo intravi non cessavit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti: hac autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi: remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.*

O dulcissime JESU! ô animarum Pastor & Magister, à quo discamus, oportet, veram & salutarem doctrinam, ac summo studio exequamur, quod tam divine suades! Ex hac lectione nunc didici, quam incuriam debeam effugere, ne corripiar cum Pharisæo, & quod peragere obsequium, ut dilauder cum Magdalena. Quamobrem porrigantur mihi, quæso, tuæ manus ac pedes, ut eos continuo irrigem meis lacrymis, tergam meis capillis, donem oris mei osculis, amorisque pretioso aromate perungam. Concede, Domine, ut celfo animo sustineam Provinciam quam mihi imponis, strenuèque perficiam susceptum munus, quod te ipso jam doctore, didiceram. Par est, ut deducam rorem meorum luminum, rivosque lacrymarum per tuos sanctissimos pedes;

ut-

utpotè mei toties transilierant verecundiae terminos, quin compesci paterentur vulneribus tuæ mortis ac passionis, aut exemplis tuæ sacratissimæ vitæ, quasi compede cohiberi ab suis erroribus. Tu magne Domine, paupertatem amplexus es; ego mundi illecebras: Hanc vitam ingressus es, ut fatigareris; ut plurima incommoda ferres pro nostra salute; ego in meam voluptatem proclivis, non tantum sensus meos emollio, verum etiam deliciis cibo ad luxum. Tu mitis atque humilis corde, ego superbiæ mancipium & servus. Tu tibi elegisti clavos, flagella, vepres, sudores: ego inanes glorias, in cibis lautitiam, splendores sine vita & succo, avaritiæ pignora, vanitates. Lugegete igitur mei mœrentes oculi, sine fine deplorētis infamia vestigia vestrorum pedum. Nunquam temperetur vobis à rigandis pedibus Christi, quem adedò stultè offendistis.

291. O anima mea, totum inspicere mentis tuæ habitum, noli dura aut ingrata esse. Etiam si modum lugendi faciant corporei oculi, possunt interiores tui non facere. Potes suscipere pœnas pro tuis sceleribus, & pati verberantia mala ad imitationem ejus, qui pro te mortuus fuit. Adverte, hoc Sacramentum, quod jam recepisti institutum fuisse in memoriam Passionis tui dilectissimi Sponsi, qui quamvis jam impassibilis sit, atque immortalis; expedit tamen ut à te consideretur tuas intrasse portas, unde quaque faucibus, atque irroratus suo sanguine obferitatem hostium, quorum ictus & injurias tui causa sustinuerat. Quanto commiserationis dolore disrumperetur quævis paupercula fœmina, si ita confossum vulneribus videret ad se venire Principem atque hæredem Imperii? Quisnam autem tanto jure, tantive Imperii hæres ac tuus Servator Christus JESU, qui ad te venit, abundè imbutus suo cruore inter probra, dolores, verbera, ærumnas, quæ sponte suâ fortiter ac toleranter tui causa, totiusque humani generis excruciatu subiverat? Quâ ergo devotione à te recipiendus? quo amore, quibus osculis amplectendus? quâ fovendus miseratione? quo stupore venerandus? Huc ergo cogitationes tuæ tendant; hoc cura; hoc opta, vanitates vanis remissura, ut contenta sis amplexibus dilecti, & ex ipso nascentibus bonis. Quæ potest esse felicitas prior? redigam me in posterum, ô dulcissime Domine, ad hos amores, quibus perire non possum. Rorabit non solum tuum corpus, verum etiam tua gloriosissima anima meis lacrymis. Stipabo eam floribus; coronabo

rosis: ex intimo pectore pœnitentiæ suspiria traham. Nam non tantum externis membris, sed multò potius internis affectibus tuæ Crucis acerbitates tulisti. Quis charitatis tuæ incendia enumerare potest? Quis amoris tui præstantiam ac suavitatem exprimere? Cum eo enim si conferrentur flagrantiores ex Seraphicis flammis, tepores potius, quam ardores dicerentur. Sed heu mihi! quoties imperitè offendi aureos tuos affectus? licet jam tantum mihi peperint doloris mea delicta, ut non tantum erubescam de factis, sed ab eorum quoque cogitatione meus animus abhorere velit. Quoties agitabam fugam à tua sanctissima lege, cum tu sitienter appeteres meam salutem, cujus sitis vehementiam ostenderas, quando dixisti: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, 15. antequam patiar.* O desideria mea, quò divertistis! ô quàm contrario itinere incessistis ab eo, quod adornarant desideria Dei! haud minori jure desendi admissi errores contra hos secundos pedes animæ mei dulcissimi JESU, quàm contra primos ejus corporis, de quibus initio diximus.

Sed nedum quidem in his tantummodò sistendum. Rigandum aliud genus pedum mei Servatoris. Effusioribus lacrymis agenda pœnitentia de culpis, quas patravimus contra ipsius incomprehensibilem divinitatem, cujus infiniti erga nos amores quodammodo pedes fuerunt, quibus giganteo passu æternus ille, & incommutabilis Deus, ad sumendam nostræ mortalitatis carnem venit. Hos ergo probè irrigabimus pedes si nostræ incuriæ nos pœniteat, cum ipsi tantam curam posuerint in nostri amore. O anima, ô mea dilecta soror, quàm felix esses, si obtineres exundantia flumina harum lacrymarum! O suavissime JESU! ô amœnissima voluptas meorum viscerum! ô floridissime juvenum! duc per meas genas has lacrymas; inunda mea ora his fluminibus, ne postea detur locus his tuis querimoniis: *Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti.* Quoniam ni tu ipse perpluarem tuæ gratiæ, deficiam citra dubium à meo officio. Postquam autem laveris tuos pedes, concede quoque, ut eos tergam meis capillis. Quòd tum efficiam, cum egregiè deleteris meis culpis lugendi vi, omnes mei labores, ac studia in te amando, tuisque obtemperando imperiis ita defudabunt, ut eam consequar animi serenitatem ac pacem, quibus donantur jam ii, qui castigatis conscientiæ noxis supra humana se erigunt, aptosque effecerunt, ut in dulcissimum Dei consortium veni-

rent. O pulchritudo infinita! & si ego hanc felicitatem nactus unice tibi ac tuis rebus vacarem, suaviter deosculando tuos sanctissimos pedes! O si penitus tibi adhærem strictissimo amore! O si meæ preces tanti essent apud te ponderis, ut me totum in tui contemplationem raptum beares his deliciis! Memento, Domine in pignus amoris, quo teneris hominum, à te institutum hoc dulcissimum Sacramentum, quod jam sub accidentibus cibi in meum pectus transmisi. O si ego exutus meis maculis ac dissonis accidentibus suffectâ in eorum locum concinnitate virtutum, me totum tibi devoverem, manciparem! O si insignis virtutibus instructus atque ornatus Spiritus sancti muneribus ac donis, ad tam excelsum honoris culmen pervenirem, ut imbui me paterer octupla illa beatitudine, quam eleganter habita concione apud Discipulos explicuisti. Tum certè mutuo inter nos amaremus, reciprocè suaviaremur amplexibus, ungerem te pretiosissimo aromate mei cordis, inornarem te floribus, tua redimirem tempora, mei amoris, atque omnium ejus virtutum corollis.

293. Aliam quoque unctiorem suo splendore ac fragrantia proderè vellem, scilicet pauperum, quorum unctiōne proculdubio tui pedes suavissime inungerentur. Indigentibus opem ferre vellem, cibo, veste, bonâ famâ, & exemplo cæterisque misericordiarum operibus. Nam quæ erogantur his divitiarum, certæ sunt in quacumque sortis humanæ levitate, uno cælo permanfuræ; quæ quo majores essent, eo minorem haberent invidiam. O mi dilecte JESU, quando te, & mea maxima voluptas, tenebo perfectissimo complexu & unione? quando incensus tam dulci flammâ ac pabulo, tradam per meam animam tui amorem? O præsidium meum! & spes mea! & meum solatium & jucundissimum decus! quando illucescet roscum illud tempus, perenni flore pubescens dies, quo sine fine deosculabor tuas manus ac pedes? Quando dissipabunt meas nubes tui soles, meam tristitiam tua gaudia; meos tepores tua felicitas? O amantissime sponse! & meæ animæ dulcissima vita! & cordis lumina! & mihi charior meis visceribus! & mea gloria! Sancta nunc marites mihi, quæso, oscula; junge mihi tuas rosas; substernam brachia tuo divino collo, sponteque excipiam pectore tam cælestes delicias. O mi Deus! quamvis haud tantâ facultate aut viribus potens sim ad referendas tuas laudes, summo tamen desiderio teneor deferendi tibi honores; & quoad in

id contendere non valeam, suppleat tua immensa misericordia, æternumque sanctorum melos de tuis encomiis. Accepti sint tibi, & suavissime Domine, animi mei atque humilitatis affectus; quibus si possem amplius toto corde & opere me tuo cultui deditum ac devotum esse vellem, atque æternum tibi laudes dicere, qui vivis & regnas in perpetuâ gloriâ, & majestate, & imperio, cum Patre & Spiritu sancto per infinita sæcula. Amen.

CAPUT VI.

Oratio ad sanctum lateris Dominici vulnus.

SALVE sanctissimum vulnus lateris Domini nostri JESU CHRISTI, injustè illatum, à Deipara Virgine deploratum, in cælo ab Angelis adornatum, in terris semper ac perenni laude à nobis prædicandum. Salve, & purpureum ostium, undè sanguis & aqua ad totius Ecclesiæ lavacrum promanarunt. Salve & limpidissime fons æternæ salutis quem in dextro suo latere aperiri sibi permisit meus dulcissimus JESUS, quod videlicet sequestrato mihi ab hædis à manu dextera parare vellet locum in judicii die. Salvete & formosissimi rivi cruoris & aquæ, qui ita declaratis divini amoris vulnera. Etenim quid splendidius vestris fluentis? Quid suavius vestro vulnere! salve & pretiosissimum vulnus, æternæ vitæ aditus, paradisi porta, efficacissimum medium, quo consequamur nostram gloriam! Adoro te, & aurea clavis divinæ misericordiarum, quâ derivantur copiosæ gratiæ ad universam Ecclesiam, ut cælesti irrigentur rore ejus filii, & germinare possint suavissimos flores ad suam sempiternam coronam. Adoro te, Ecclesiæ divinum lumen & fundamentum, grande miraculum, quo constituimur agni ac salvationis filii, quos antea in tartareum præcipitium agebat, ut perditos hædos prævaricatio Adami. Adoro te, & augustissimum vulnus, ex quo exilière plenissimæ omnium favorum, gratiarumque indulgentiarum mundo, cælo honores, decor & pulchritudo Ecclesiæ, inferis terror; suæ libertatis nuntium afflictis & captivis; peccatoribus remedium; tolerantia Martyribus; Virginibus castimonia; pax & concordia Nuptis; Religiosis perfectionis amor; peregrinantibus salus; triumphantibus gloria. Militis lancea te aperuit; sed Dei potestas te fovet. Manabas sanguine; sed flores divinitate. Impressum fuisti in mortuo corpore; sed æternum porennabit tuum

tuum delictum, ô summæ majestatis gemma. Rigasti terram coccineis & crySTALLINIS tuis undis; sed cælis præsidet ea, quâ inornaris Deitas. Tui bellissimi liquores, ô cordis mei beatitas inexplicabili suavitate decorabant crucem, dum eam tingerent; consecrabant terram, in quam defuebant, venustabant cælos, Dei Matrem inter suos dolores roborabant; dilectumque discipulum incendebant novis amoribus. O vulnus! ô cælum, cujus certè pulcherrimum lumen splendidissimo mihi candore jam emicat! ô lancea, quæ tam glorioso vulnere conditoris mei pectus aperuisti! si cognovisses numen illius lateris, quod penetraisti, mitius sanè incederes; imò potius cum ipsius elementis sine dubio ostenderes etiam tuum luctum; cum lapidibus dolorem, cum sole tristitiam; & cum mortuorum sepulchris adèd sensum miserationis haberes, ut neque tua cuspide penetrares filium, neque vulnerares tot lachrymarum telis Matrem. Cæterum quando mei dulcissimi JESU faucisti pectus, mihi sempiternæ mortis causam abstulisti. Quando reserasti aditum ad tantam pulchritudinem, mihi salutis asyllum aperuisti. Quando intraisti per Christi candores, mihi eduxisti thesauros magnificentiæ Dei. Salvebis iterum, æternumque te adorabo, ô pretiosum vulnus, nostræ felicitatis origo, cujus remedia superant totius mundi pericula, cunctisque nostris culpis & imperfectionibus medicinam adferunt. Allectus tuâ dulcedine, ecce nunc totus in te hæreo; me totum, atque omnia, quæ obtineo, speroque habere, in te colloco, tanquam in securissimo portu; submissius orans benignitatem mei Domini JESU CHRISTI, ut per te me sustentet, qui per te me sanare dignatus est. Amen.

C A P U T V I I.

Bene vivendi speculum.

295. **Q**UOD ad corpus attinet; necesse est ita modeste incedas, & tam honestè compositâ veste, ut nemo jure offendi possit eorum, qui te aspexerint. Procul absit omnis vana curiositas; nec in hujusmodi ornatum magis intendas, quàm si alienus esset cultus tui corporis. Diligentissime curabis, ne quovis divertant tui sensus, præcipuè oculi, quorum incuriâ marcescit plerumque flos, & castimonia juventutis. Quare tum in plateis, tum in Ecclesia, atque ubicumque incedis, modeste demittes oculos; insoncinna enim horum divagatio

indiciu est levitatis animi. Impensè studeas silentio; & quàm maximè caveas inprimis, ne parùm pudicè loquaris; nam incredibile est, quàm corrumpant mores hi sermones. De auditu id moneo, ut numquam; quoad fieri possit, auscultes vanas novitates aut mundanas historias; neque quæ circumferuntur in Aulis Principum, neque quæ videntur detrudere de fama proximi, neque eorum quidquam, quæ alios in circulis rodere aut vellicare solent, tuive animi tranquillitatem interturbare possent. Quoniam licet parvi videatur ponderis ejuscemodi oblectatio; haud modicè tamen exsiccat & arefacit animam, ne adèd oblectetur divinis, aut in eorum contemplationem intendat, à quibus omnibus damnis te sartum tectumque habebis, si ocius fugias occasionem.

Deindè statim te convertes ad temperandam gulam, cui nisi operosè obustas, frustra cæteris in rebus infumetur labor. Parco ac simplici utaris cibo, necesse est, quamvis unum eundemque omnibus modum in hoc exhibere non possim; eò quòd singulis non sit eadem temperies aut constitutio corporis: quidam enim eam robustam obtinent, alii autem imbecillam & tenuem: quod aliis vix satis est, alios ingurgitat: è re nata consilium; integrâ salute, ne mane aut vesperi pro more habeas sumere refectiunculas: nam plus æquò temperantiæ officiant. Opus etiam est ob eandem rem abstinere ab immodica aut intempestiva potatione, præcipuè vini. Quod ad somnum attinet, ut jam dixi de cibo, nec fixam regulam constituere possum. Cæterum convenit ut singuli dum firma sit habitudo corporis moderationem adhibeant hac in re, reservatâ orationi aliquâ parte noctis, ut una aut dimidia hora pro cujuslibet devotione, quam mirè conciliat quies & silentium noctis. Sin autem hoc minus observare valeas; die saltem eo constituto tempore, quod videbis tibi magis expedire, debes avocare te ipsum à cæteris curis, solius Dei, ac novissimorum meditationi vacaturus. Hic plurima alia omitto, quæ possem dicere, futurum sperans, ut divina Majestas abundè tibi provideat, si tu providè te disponas ad ipsius misericordias. Cæterum ne, quæ videntur necessaria, taceam.

Ne solutiùs rideas; quòd si aliquando ridendum sit, serenitatem potius frontis, orisque lætitiâ, quam risum indicare debes. Solitudinis sis amantior, quàm in publicum prodire aut conversari cum hominibus, præcipuè cum fæminis aut garrulis, & flagitiosæ vitæ viris. O si defigeres atque

atque intenderes animum in mortificationem tuorum sensuum, citius sanè perciperes suavitatem ejus fructus.

298. Ut jam tandem dicam de interiori homine; opus est in primis, ut altissimis nitaris radicibus humilitatis; & de te ipso haud aliter sentias, quam de mortuo cadavere, quod undique scatet putredine & vermibus, nec alia in re hominibus usui sit, quàm fugare eos suo fæctore, & aspectu. Quare correptus ac suffusus pudore tuæ propriæ conscientiæ, omnes ejus maculas ac sordes debitâ pœnitentiâ elues.

299. Quoties alicui rei aut muneri navanda opera; cogitare debes de præsentia Dei, qui melius videt secreta tui cordis, quàm tu ipse. Reputes tibi soli ita præesse aut providere Deum, perindè ac si numquam condidisset aut gubernasset alias creaturas. Curabis expiare omnia tua peccata & crimina per Confessionem sacramentalem principalioribus festis, quæ in decursu totius anni occurrunt: saltem decies, aut undecies per annum confitendum de ipsis, aut sæpius, si id patiatur devotio. Nemo miretur quòd tam accuratè moneam hac de re: dico enim, quod ipse experienciâ didici quantum expediat proficientibus in divinis obsequiis, styloque perfectionis, hoc sanctum exercitium. Et hoc idem intelligendum de sacra Communionem; quoniam Dei liberalitatem ac misericordiam maximè decet cumulare suis gratiis eos, qui dignè se comparant ad recipienda illa, atque ardentissimâ siti perquirunt divinum consortium.

300. Si in aliquod peccatum mortale, quòd

Deus avertat, incideris; accurre ocius ad asylum contritionis; id statim, cum prima se obtulerit occasio purgaturus pœnitentiæ Sacramento.

Noctu quando accumbis lecto, dum ir- 301.
repat somnus, in pia aliqua meditatione sistendum, maximè Passionis Domini; quæ aded utilis ac fructuosa est, ut noverim, qui ejus ope ac subsidio brevi perfectionis culmen obtinuerit. Sed antequam eas cubitum, strictè discutias tuam conscientiam, necesse est, & in qua re insumpisti diem. Quòd si inveneris bene ac sanctè impletum fuisse tempus; referas Deo grates pro tam singulari beneficio: sin autem malè, percusso pectore doleas de delictis, firmiterque proponas emendationem in sequentem diem.

Quos notaveris defectus in aliis, corri- 302.
ge in te ipso. Si autem aliquid dignè eos gessisse videris, eadem preme & tu vestigia, ut ad eorum vitam conformeris, quos judicas mirabiles in operibus. Ubi aliquod tibi vitium, aut inordinatus animi motus ferocius dominatur; non solum eorum ramos amputare debes, sed etiam radicum fibras evellere. Absit omnis contentio & altercatio cum sociis, ut pacatè & quietè vivere possis, & ne alii excipiant offensio- nem ex tua pertinacia.

Cætera prætermitto de observatione 303.
divinæ legis ac mandatorum: quoniam ex levioribus malis & insidiis, aut omni re, quæ suspicionem, vel nomen culpæ habere possit, summâ curâ proripere nos debemus, quantum magis è discrimine alicujus gravioris peccati?



S A N C T I
 F R A N C I S C I
 B O R G I Æ
 O P E R U M
 L I B E R S E C U N D U S.

Super Threnis aut Lamentationibus JEREMIAE
 Prophetæ.

T R A C T A T U S P R I M U S.

P R O Æ M I U M.



*Q*uibus, quotquot vivunt in hac lacrymarum valle, certissimum esse debet, oportere ut singulos mortalium, qui lethali aliqua culpa Dei gratiam post Baptismum amiserint, sui peccati poeniteat, aut in hac, aut in alterâ vitâ: cum res ita se habeat, idque divinâ fide constet, summa foret dementia rejicere eam poenitentiam ad futura sæcula, ubi eterni dolores, ac lacrymæ manent miseros, qui hic abnuunt brevissimo fletu delere sua scelera. Penitus hujusce rei sensum introspecterat Rex David, quando singulis diebus, ut dapes, ac potus, appetebat lacrymas præ voluptate, quam percipiebat ex illis, ampliusque earum perpendens utilitatem, haud insicias ivit, sæpius se oculorum imbres profudisse pro offenso Numine. Quod si huic sanctissimo Principi, qui ita pietate, ac religione hærebat origini suæ Deo, ut nullum aliud videretur habere in terris commercium, tam suaviter arridebant poenitentiae fletus; par est, ut qui nondum humanas glorias tam forti calcavimus animo, oblectemur his exercitiis, ut deplorent oculi nostri nostrarum manuum delicta, & maculas. Qua re moveor mei amantissimi filii, ut explicem vobis, quam brevissimè Threnos Prophetæ Jeremiae, utpotè qui maxime alliciunt ad ploratum & lacrymas. Ideoque non hic agam de litterali sensu, sed contentus eum tantummodo aptare spirituali exitio animarum, quin ulterius adnectem de temporalibus rebus lamentationes, (eas enim abundè peregerant Israëlita) Sermonem instituum de jacturâ nostræ eternæ salutis, quam prius desleperat Christus Dominus. O quoties per flagitia, ac scelera demoliti fuimus nostros muros, virtutumque præsidia, erecta tot nostri servatoris impensis, & laboribus? O quoties ingrati dissipavimus regias, atque amplissimas opes, quas nobis ad comparandam eternam vitam elargitus est Deus! ô quoties demissis habenis decurrimus per Inferni præcipitium, cum gravissimum sit imperium prave consuetudinis! Opus est redeamus jam ad novam melioremque vitam, retroque adornemus iter ad Patriam: quod, ut ed suavius faciliusque ineamus, considerandus ille ingressus, quo exceptus est mundi Redemptor Hierosolymæ, quam ut aspexerat de via, collacrymatus est, dicens: Quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem

H

abscou-


abscondita sunt ab oculis tuis: quia venient dies in te; & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undique; & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt. O *qui sensus misericordiae! qui amoris gemitus! quæ cordis suspiria! quàm dulces lacrymarum rivuli defluentes per vultum, & genas mei mitissimi JESU, dum amanter ita præsentiret populi sui excidium! ô quæ suspiria etiam, & gemitus ducebat hic bellissimus Deus ob Christianorum perditos mores, quorum præviderat duritiam, & ingratitude in studio perfectionis! Hoc idem & nos, imitati tantum Principem ac Ducem, perficiamus, necesse est; de nostrisque inveteratis vitiis condoleamus cum eo, qui cum propriam non potuisset habere vitæ maculam, alienas suo sanguine abluerat; ut oblectemur compunctione, non vanâ ostentatione; ut fateamur divinam bonitatem erga nostras ærumnas, ut mores componamus; non laxemur voluptate; ut devictâ morte consequamur æternam vitam.*

DECLARANTUR VERSICULORUM LITTERÆ.

2. **T**ot abundat Mysteriis Sacra Scriptura, ut singulæ ipsius litteræ ditentur opulentissimis thesauris. Quod ad eò verum est, ut in iis depromendis explicandisque multi, atque utilissimi libri prodire possent in lucem. Cæterùm divi Hieronymi nixus interpretatione, attingam breviter, quod fufius velim, si per angustias temporis id liceret.

3. **ALEPH**, Latine, *Doctrina*, **BETH**, *Domus*, **GIMEL**, *Impletio*, **DALETH**, *Tabularum*: è quibus quatuor litteris simul sumptis elicitur hæc Ecclesiæ quasi paræmia. *In Dei Ecclesia, ac domicilio vigent doctrina, ac littera cum saturitate.* **HE**, Latine vertitur *ista*: **VAU**, & **ZAIN**, *hæc*; **HETH**, *vita*; quæ manifestant per Scripturas innotescere Christum Dominum, qui omnibus vivâ fide credentibus vita est. **TETH**, *bonum*; **JOD**, *principium*; significant felicissimum bonorum initium esse in hac Scripturarum scientia; quæ hic incipit, & in cælis perficitur, ubi cessabit librorum doctrina, succedente clarâ Dei visione. **CAPH**, *Manus*; **LAMED**, *declaratio & disciplina*; per manus fiunt bona opera, ad quæ dirigit veri cognitio & disciplina. **MEM**, *illarum*; **NUN**, *ille, qui æternus est*; **SAMECH**, *favor & auxilium*, quia sine Dei auxilio & favore, nec Scripturarum notitiam, nec æternam vitam consequi possumus. **AIN**, *fons*; **PHE**, *os*; **SADIX**, *justitia*; quia divina Scriptura est veluti fons erumpens ex ore justitiæ, quod est æterni Patris Verbum. **COPH**, *convocatio*; **SIN**, *dentium*; **THAU**, *signa*; formata enim vox ex dentibus egreditur, quasi amoris signum, quo aliis amanter significamus Divinas laudes, & elogias.

CAPUT PRIMUM.

4. **ALEPH.**
I.  *Uomodo sedet sola civitas plena populo? facta est quasi vidua Domina gentium? Princeps Provinciarum facta est sub tributo? Si ita ad plangendum impulit Prophetam Jeremiam unius populi depopulatio; quantum ponderis ac momenti situm judicas in sceleratâ ruinâ totius orbis ad conficiendum ejus Servatorem amarissimo dolore ac lacrymis? Quò enim vehementiùs quis amat, eò fert acerbiùs amati calamitates, & ærumnas; eò faciliùs suscipit de iis miserationem ac dolorem; eò tenaciùs ea servat; eò difficiliùs deponit; eò pronior est in luctum. In Christo autem Domino, qui infinitè nos amaverat, quàm fulmineus fuit hic affectus! quàm blandè intimam ejus mentem, ac sensus pervasit? quàm ægrè tulit nostram ingratitude; quoniam ipsi pro amore solvimus gravissimas injurias? cum tamen pretium amoris semper fuerit amor; nullumque visum ad eò rigidum est, & ferox ingenium, quòd amoris illecebrâ non pelliceretur ad redamandum. Sed proh dolor! non deficit,*

qui etiamnum solus sedeat, & sine animi virtute, ac decore, qui aliquando civitas erat, & elegantissimum spiritualium mercium emporium, opulentum, nitidum, jucundum, pervenustum. Nam si homo etiam quoad naturam *microcosmos* videatur, orbisve brevis; cui cætera, quæ sub sole amœniora lucent, deserviunt; quid foret, exornatus venustate gratiæ? *Quantus pulchritudinis honos ipsi effloresceret? quantum hauriret de ipso cælo luminis, ac majestatis, ut nihil esset in hoc mundo inter Cæsarum gazas aut delicias, splendore tam magnificum, aut suavitate tam dulce? O perdilecte amice, si te probè considerares in utroque statu, Dei amicum, & postea inimicum; quot oculorum imbribus tui ipsius infelicitatem ac miseras deplorares, intuitus præsentem pauperiem tuæ animæ? Nam quæ antea erat gentium Domina per gratiam, suarumque passionum; & cupiditatum generosissima expugnatrix; nunc facta est vidua, ac desertissima per culpam; ex Principe provinciarum facta sub tributo, quod rependit dæmonibus.*

O augustissima Civitas! ô provinciarum Caput! quàm abjecto Regi vectigalia solvis!

vis! ô vidua! quid ages sine tuo sponso!
 ô speciosissima Regina! quonam abiit ni-
 tor tuæ purpuræ? cur locorum angustias,
 quo devenisti, non respicis, ut tam apertum
 vitæ, ac salutis periculum effugias? Quare
 non exoptas libertatem? nam subdita pec-
 cato, vives non solum sub ejus durissimo
 jugo; sed submittendum etiam erit col-
 lum humani generis infensissimo hosti, al-
 ligatis manibus ad omne bonum, & ad ini-
 quitatem solutis. Quam accepisti mercedem,
 ut te deprimeres conditione tam ser-
 vili? Audi, quæso, quid tibi dicat tuus Con-
 ditor, qui pro te tormenta Crucis subive-
 rat: O depopulata Civitas! sola, atque
 inermis sedens! quis tibi author fuit, ut
 ita inclinareris in terram, prona in tuam
 libidinem, verè luteam, me tam altè subla-
 to in hanc Crucem, qui dulcissimus sum
 animarum sponsus, centrumque divini
 amoris? Cujus viscera, quantumvis ærea,
 aut lapidea, non moverentur hoc oris
 mei pallore; hac illità sputorum foeditate;
 hoc concreto sanguine; his spinarum ve-
 stigiis ac vulneribus; his viventibus hume-
 ris; his penetratis palmis plantisque; his
 concisis artubus per tot verbera, & fla-
 gella; hac amarescente lingua felle, & ace-
 to; hac cruce; his doloribus; hac mor-
 te? Has omnes poenas perpeffus sum, ut
 tibi ad gratiam rubesceret spiritus, flori-
 dissimamque virtutum messe te ipsum plenis
 manibus venustares; & adhuc tamen in
 peccati fæce confides. Quid in me vidisti,
 ut ita deficeres ad meos, tuosque hostes,
 qui ad crudelissimam, atque æternam ne-
 cem tam sollicitè te quærunt? Redi, ob-
 secro, redi ad puriores amicitias; nè tibi
 idem accidat, quod Hierosolymorum Ur-
 bi; *Qua plorans ploravit in nocte, & lacryma
 ejus in maxillis ejus: non est, qui consoletur eam
 ex omnibus charis ejus: omnes amici ejus spre-
 verunt eam, & facti sunt ei inimici.*

BEETH.
 11.

6. Inter peritura vivis; in hujus vitæ tristis-
 sima nocte plorandum est, iis præcipuè,
 qui placidissimi affluunt mundanis deliciis:
 ex ipsis enim voluptatibus causæ doloris
 oriuntur, & ex risu lacrymarum initia:
 in hac calamitatum valle, ferale sæpius
 bellum in media pace consurgit, & auxi-
 lia securitatis in metum transeunt. Ex ami-
 co fit inimicus, hostis ex socio: in sub-
 itas tempestates, hibernisque majores agi-
 tur æstiva tranquillitas: si adversitatis de-
 ficiant clades, eas sibi invenit nimia feli-
 citas: invadit temperatissimos morbus,
 validissimos febris, innocentissimos pœ-
 na, secretissimos tumultus. Quid autem vi-
 tiosis accidet, qui velocissimè ad suam
 ruinam congerunt materiem? quoties

gaudebas de filiorum salute, ac flore, de
 impetrato honore, de prosperitate for-
 tunæ, brevi deploraturus eorum omnium
 interitum, & jacturam? Ut peccatrix
 Hierosolyma plorans plorabas in nocte,
 decurrentibus lacrymis per maxillas; nec
 sufficebant deliciae, aut lusus, aut con-
 continentium chori, aut ciborum lautitiæ,
 aut elegantiae vestium, aut opulentia re-
 rum, aut amicorum nobilissimi greges,
 aut altitudo muneris ad minuendam tui
 cordis acerbitatem, & tristitiam; quia
 sprete inspirationibus divinis, solatium
 petiveras à creaturis. A quibus videbaris
 diligi, facti sunt hostes; ut quondam pro-
 phetaverat Ezechiel de Hierusalem, ob ejus
 contumaciam: *Ecce ego extendam manum
 meam super te, & auferam justificationem
 tuam, & dabo te in animas odientium te filia-
 rum Palaestinarum, quæ erubescunt in via tua
 scelerata.*

Ezech.
 16.27.

7. Uti ergo convenit non deficere in
 adversis; ita & in prosperis non nimium
 confidere, ne exultes in malitia; ista
 enim, à quibus expectas subsidium; nes-
 cis ubi te relictura sint: Nonne vides, quid
 accidit Israëlitis? *Migravit Judas propter
 afflictionem, & multitudinem servitatis: ha-
 bitavit inter gentes, nec invenit requiem: om-
 nes persecutores ejus apprehenderunt eum inter
 angustias.* Itaque licet sæpius domicilium
 mutet, totiusque orbis fias incola; quam-
 vis domineris Persis, & Indis; adjicias re-
 motissimas Insulas tuo Imperio; belli glo-
 riâ, & viribus præstes; contractisque in
 unum copiis novi veterisque mundi sum-
 mam obtineas; nisi tamen ad invadendum
 te ipsum promptissimus sis, & ad propul-
 sandas tuas passiones à divinis præliis
 instructissimus, nunquam quietè aut in o-
 tio vives, reliqua, fraudulenta pax est.
 Nunquam ad summum evehit voluptas;
 nec tam feliciter per multas discurrenti
 blanditias dies transit, ut non ex re offen-
 sa, aut ex ipsis convictoribus, & amicis
 nascatur, quæ animum in tristitiam pa-
 ret. Quemadmodum per frequentiora ur-
 bis loca properanti in multos incursum
 est; & alicubi labi necesse est; alicubi re-
 tineri, alicubi respersi: ita in volupta-
 tum cursu dissipato, & vago, multi ter-
 rores, multæ querelæ incident. Alius
 spem vestram fallat, alius differet, alius in-
 tercipiet: non ex optatis proposita fluent.
 Nulli mundus tam deditus, ac facilis est, ut
 semper quærenti sua commoda, ubique
 respondeat. Sequitur ergo, ut is, cui, con-
 tra quàm speraverat, aliqua eveniunt; im-
 patiens hominum rerumque sit; & levissi-
 mis causis irascatur; nunc personæ, nunc

Genes.
 11.

H 2

con-

convivio, nunc loco, nunc sermoni, nunc sibi. Itaque ut pacatus possit esse animus, non est fatigandus vilioribus deliciis, ad summum bonum properè currendum, in quo sine fine dulcedo, ac decus, sine felle æternitas. O quàm magnis homines erroribus tenentur, qui jus dominandi trans maria cupiunt præmittere; felicissimosque se judicant, si multas per milites provincias obtinent, & novas veteribus adjungunt, ignari, quòd imperare sibi maximum sit imperium.

8. Impera tibi ipsi, ni incidere velis in cœcitatem Judæorum, de quibus legitur didicisse eorum, inter quos morabantur, opera; ac Barbarorum more veri Dei cultum exuisse. Pœniteat te fili mi, antiqui erroris; quo aspernatus tui Conditoris monita, peccati indueras servitute. Pudeat, cum esses de familia Juda per nitorem gratiæ; commigrasse ad gentes, castraque peccatorum; quorum insistens vestigiis, & exemplo, totles tuæ cupiditati immolaveras, eligente pro Deo tuo ventrem tuâ intemperantiâ, aurumque tuâ avaritiâ. Luge igitur, dum lugendi, pœnitendi que se offerat tempus; ne invitus postea lugeas sublato omni remedio. Velis enim nolis, lugendum est pro admissa culpa: *Via Sion lugent, eo quòd non sint, qui veniant ad solemnitatem: omnes porta ejus destructa: Sacerdotes ejus gementes; virgines ejus squallida, & ipsa oppressa amaritudine.* Satiùs est ultrò, & proficue lugere, quàm serò, & sine fructu.

DALETH.
IV.

9. *Lugent via Sion:* Quoniam multi non norunt contemplationis itinera; alii eâ contemnunt; alii non amant; plures non investigant; aliqui cum proficisci proficereque cœperint, inertes aliò divertunt. Nihil lacrymosius, quàm pro spiritualibus Magistris teneri, qui suorum sensuum portas custodire nesciunt. Quomodo enim diriges ad ea, quibus nullam attentionem ipse præbes? Qui semetipsum finit apertis incustoditisque portis ac fenestris; nudari suis bonis, quomodo invigilabit alienis? Qui concidit animo in ipso aditu perfectionis, quas habere potest vires ad promovendos alios? Cujus gemunt Sacerdotes, id est, cogitationes, per quas elevandus animus ad Deum: quomodo placabit cæterorum querelas, ac tumultus? Qui per suas ancillas litare audeat Domino abominatones Ægypti, oculorum, sensuumque distractiones, ac licentiam, quomodo sustinebit impositam provinciam? Qui tam squallidas habet suas virgines, quo decore eas coram divina Majestate sistet, proponetve suis discipulis ad virtutis exemplum? Qui undique amarescit tantâ

acerbitate, corruptioneque morum, quomodo perfundet alios aliquâ suavitate, aut dulcedine? Cæterum redeamus jam ad consequentem textum.

Facti sunt hostes ejus in capite, inimici ejus locupletati sunt; quia Dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum ejus: parvuli ejus ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis. Quod imprimis aggreditur tuus hostis, est caput tuum rationis sedem, ut inde dolosè insinuet suum venenum in voluntatem. Ex quoniam vis non valet contra hanc absolutissimam Reginam, si ipsa nollet, ex insidiis parat eam adoriri, negotium dat suis dæmonibus, ut quam plurimas malas, ac perulantes cogitationes conquirant summæ & sæpiùs repetitæ ac molestissimæ pernicitatis. Hortatur, ut his illusionibus rem strenuè agant, & adversus omnes difficultates luctentur; dum in sua retia pelliciant agitatam, lassatamque cervulam. Væ ignavo, & negligenti, qui curam deponit æternæ salutis! præmium erit debellatus vigor, ac valetudo, effæminante animum libidinis amœnitate, ita, ut verè dicere possit ex Propheta: *Non est pax ossibus meis, à facie peccatorum meorum. Quoniam iniquitates mea supergressa sunt caput meum; & sicut onus grave gravata sunt super me. Putruerunt & corrupta sunt cicatrices mea à facie insipientia mea. Miser factus sum, & curvatus sum usque in finem. Totâ die contristatus ingrediebar: quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea.*

IO.
HL.
V.

Psalm.
37.

Id jure merito permittit rectissimus JUDEX, ut tuæ distractiones sint animæ tuæ ferociore carnifices, quando aliò te avocas ab eorum consideratione & curâ, quibus duci posses ad ultimum finem. Tibi plurimâ gratiâ opus est, ut eum tuæ mentis turpissimum partum dispellas. formosorem concepturus ad Sanctorum exemplum, qui præcipientes agunt, quotquot in lucem eduntur ejusmodi iniquitatis filii, ac parvuli, eosque comminuunt per petram Christum, atque optima à se gesta facinora judicant, si hos feriant hostes, si præsidia agitent; si nihil metuant, nisi animæ dedecus; si hyemem, & æstatem juxta patiantur Dei causâ; si humi requiescant, eodem tempore inopiam & laborem tollerent pro virtute.

Ut autem videas, quanti interfit agnoscere, victricibus armis, non suis moribus contineri spirituales illos, quos memoravimus hostes; nec aliâ viâ, aut ratione, nisi iis domitis, optatos præmiorum fructus ostendi posse; repete præterita excidia, & comperies proculdubio, hos tartari

tari

tari filiolos neglectos, ut parvulas spretas scintillas, maximum sapius in te excitasse incendium. A quam enim re alia originem duxit tuæ animæ detrimentum, nisi à tepore, & incuria, quibus neglexeras extinguere has scintillas, reputans, quia aded videntur parvulæ, nullum illaturas tibi damnum: cum tamen nihil tutò despiciatur in hoste, quantumvis minimo; & quem spreveris, valentior negligentiâ facias? Nam hinc dimanant virtutis excidia, vitæ feritas, morum licentia, luxus, & ambitio, & vanitas.

13. *Et egressus est à filia Sion omnis decor ejus: facti sunt Principes ejus velut arietes non invementes pascuâ; & abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentiis.* Alia damna aliis sternunt viam: paulatim exeduntur vestes tineâ: principiis obsta, ne nimium serò paretur medicina. Si filia Sion initio recideret ea pauxilla, & parvula, quæ obstabant, non tam funestum sustineret postea vulnus. Sed cum tam oscitanter egisset; omnis, omnis omninò ejus decor interiit. Fili mi, si pereat tibi venustas divinæ gratiæ, quo nitebis decore? Vilesces ut cæcum ac mutum simulacrum sine virtute, ac vita, ut ait Propheta Rex de gentium Idolis: *Simulacra gentium, argentum, & aurum, opera manuum hominum. Os habent & non loquentur; aures habent, & non audient; manus habent, & non palpabunt; pedes habent & non ambulabunt.*

Psal. I 12.

14. Violantibus enim Dei præcepta hæc poena constituitur, ut nihili fiant, quia pluris fecerunt culpam; ut imperiosi sibi ipsis, molestique sint, assiduis usi in vitiorum contubernio rixis. Quia initam cum suo Conditore pacem ruperunt, superbia, & ambitio furiarum scenam desiderant. O te infelicem, qui anhelas ad luxum, & opes, quæ auctoramenta sunt servitutis! Aurum enim & argentum, & quidquid aliud vanitatem onerat, præ Dei amore spernendum est: non potest gratis constare libertas: hanc si magno æstimas, mundana parvipendenda sunt. O miselle, qui tibi tam insanâ servilique manu aperuisti jugulum! quo te vertes sine perfectissima illa vita, quâ dudum in divinos amplexus festinabas? Quid actum est de antiqua illa pietate in Deum, observantiâ in majores, festivitatemque morum, quibus olim florebas? Quoniam abiit virgineus illius temporis pudor, innocentia, integritas, castimonia? Atque ut prolixioribus verbis abstineam, tum deliciarum nullas illecebras, nulla ad licentiam ludibria, nullam ex impunitate audaciam, nullum arrogantiam impressum habebas vestigium; cum jam

totus ex fastu, atque arrogantia, & iniquissimo genere superbiæ conflatus sis. Quid respondebis Dei Filio, si te interrogaverit de sui similitudine, & imagine, quam tibi pro sua clementia, & misericordia impresserat? cum esses imago æterni Patris, inquiet; cur speciem, ac honorem tibi partum hæc imagine per flagitium perdidisti? Si affixus fui pro te cruci, unde tibi animi tam ingrati obortum vitium? si nudus ac pauper tot injurias, ac vulnera passus sum pro tua salute; quare contempsisti tam divina munera? Cur enecti fame tui Principes, nempe sensus, ac potentiæ, Regiæ voluntatis ministri, abierunt in lenocinium suum, me deserto, summo Regum, totiusque universi Imperatore? Cur ita à meis deliciis aberrarunt, perindè ac arietes sine pastu, cum semper meis alumnis fuerim panis vivus, vinum germians virgines, manna absconditum, flos gloriæ, pellucidum, nectareumque flumen suavitatis æternæ? Timendum ne nimium serò deploratis tuis ærumnis, risui te habeant hostes, ut accidit Hierosolymæ: *Recordata est Hierusalem dierum afflictionis suæ, & pravaricationis; omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat à diebus antiquis, cum caderet populus ejus in manu hostili, & non esset auxiliator: viderunt eam hostes, & deriserunt Sabbatha ejus.*

Z. A. I. VII.

Satiùs ergo est, oblato poenitendi tempore, respiscere. Quod ut èd melius perficias, refricanda est memoria deperditæ gratiæ, suffectæque in ejus locum turpitudinis. Considerandum, quàm strenuè tum conferebas manus cum hoste, dum aspirabat cælestis ille favor: modo autem, quàm abjectus sis, ac demissus, sub ejus potestate, ac dominio: ut tunc nitebas Dei Filius, & nunc torpescis Inferni famulus: ut tunc pascebaris cælestibus, & nunc confectus macie inter arietes aberras à pascuis: tum dilectus, nunc invisus; ut æternam hæreditatem aspiciebas tum; ut jam velociori passu descendis ad supplicium: ut tum agebas gloriosissimos triumphos; ut nunc saucium, & captivum te vident hostes, tuaque Sabbatha derident. Ludibrio enim sunt dæmonibus hypocritæ viri, qui externâ potiùs specie Deum sequuntur, quàm animo & spiritu; uti egregiè explicat Evangelista: *Va vobis Scriba & Pharisei hypocritæ; quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitiâ. Sic & vos à foris quidem paretis hominibus justis, intus autem pleni estis hypocrisis, & iniquitate.* Quid refert Rei divinæ interesse corpore, si quàm longi-

15.

gissimè absis corde & miserrimum est sub pietatis velo perdere innocentiam : scias cum multis vitiis abundare , qui fictam amat virtutem. Quid proderit perfunctorio pede Deum adire, si reverà eum deseris? Notabant veteres Philosophi Socrates, & Diogenes, superbum animum non semper in splendido, & ornatissimo vestitu, sed in fordibus etiam esse; dum homines opulentissimi sæpenuerò vilissimo vestitu incedentes, hominum ex eo laudem superbientes venarentur. *Sed non inveniet fraudulentus lucrum*, ut ait sapientissimus Salomon; nec ubique impunis abibit hypocrita, eo quòd pœna sit peccati dolor, & interitus; & bonitatis opera simulare, major sit malitia: Nam *si lumen, quod in te est, (inquit æterna Veritas) tenebrae sunt; ipsa tenebra quanta erunt? nemo potest duobus Dominis servire: aut enim unum odio habebit, & alterum diligit; aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo servire, & Mammona. Quamobrem va (dicit Ecclesiasticus) duplici corde, & labiis sceleratis, & manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis.*

16. *Peccatum peccavit Hierusalem; propterea instabilis facta est: omnes qui glorificabant eam, spreverunt illam, quia viderunt ignominiam ejus: ipsa autem gemens, & conversa est retrorsum.* Fluit ætas, fluunt deliciae, præterit hujus mundi vanitas, & avidissimos sui deserit: in puncto fugientis temporis pendet vita, voluptasque peccatoris, eoque plerumque levis, & inconstans, quia nixa instabilitate culpæ. Sic nec diu perseveravit Adam in Paradiso; nec Saul in suo regno, nec in cælo Lucifer; quia tam parum constantes in Dei timore, citò repudiarent pulchritudinem gratiæ. Cave, fili mi, ab ictu voluptatis; nec te virum existimes, si frangaris tantâ mollietate: muliebris enim ac pusillus est animus, quem incurvat tam inconstans levitas. Nullum est argumentum fortitudinis certius, quàm nihil posse, quo turberis vitiis, aut avelaris à tuo Servatore, accidere. Pars superior mundi, & ordinatior, ac propinqua sideribus, nec in nubem cogitur, nec impellitur in tempestatem, nec versatur in turbinem; omni tumultu caret; inferiora fulminantur. Eodem modo sublimis animus, quietus semper in divinis obsequiis, & in statione tranquilla collocatus, intra se habens, quibus constantissimè oblectetur; modestus, ac venerabilis est, & dispositus: quorum nihil invenies in vanis peccatoribus, quippè qui res inanes non despiciunt, quod proprium est magni animi. Vis erectis oculis fortunæ micantes gla-

dios videre, scireque tuâ nihil interesse, utrum vitam paupertas, an divitiæ obsideant? time Deum, ipsique soli inservias, cujus divitiæ non terrena sunt pondera, quæ nobiscum dividit somnus; sed solida, atque æterna illa felicitas, de quo Prophetata: *Cali peribunt, sed tu Domine permanebis; omnia veterascent sicut indumenta; tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient; De cuius gloriæ circumstantiis ita Isaias: Respi-* *Isai. 33: ce Sion Civitatem solemnitatis nostræ, oculi tui 20. videbunt Hierusalem, habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit.* Et differens de beatitudinis Principibus & Aulicis: *Non esurient, neque sitient, & non percutient eos astus & sol; quia miserator eorum, tegit eos, & ad fontes aquarum potabit eos.*

Hæc; hæc, inquam, quærenda tibi 17. bona, si aliquam firmitatem desideras. In cætera enim rerum fluctuatione nemo non quotidie, & consilium mutat, & votum: modò jocatur, & ridet, modò laborat tristitiâ ac mærore, modò uxorem vult habere, modò amicam, modò regnare vult, modò id agit, nè quis sit officiosior servus; modò dilatat se usque ad invidiam; modò subsidet, & infrâ ipsam submissionem contrahitur: jam odit, quod paulò ante prosequabatur amore: jam tumet, jam concidit animo: singulis ferè horis mutat personam, & contrariam ei sumit, quam exiit. Eiusmodi pœnam subeunt ambitiones, honores, voluptates, divitiæ. Quisquis tutam vitam agere velit, & constanter diligi à Deo & hominibus; ista viscata munera devitet. Ingens habent malum superbi viri, & suo luxu impliciti, nempe inter amicos numerare eos, à quibus ore quidem se dilaudari vident; corde autem, & aliquando opere pro ignominia, contemni; prodigalitatem putare efficax beneficium ad conciliandos animos; cum quidam adulescentes quo plus debent, eo magis oderint: Leve enim æs alienum debitorem facit; grave inimicum. Undè Dominus per Isaiam: *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te de-* *Isai. 3: cipiunt.* Et præsentilamentatione Textus: *12. Omnes qui glorificabant eam, spreverunt illam; quia viderunt ignominiam ejus.*

Si æquo esses ubique animo, indueresque humilitatem Christi, placidiori sanè 18. quiete temetipsum, & res tuas componeres. Si desleres tuas culpas; non ità tibi redeunti ad veteres miseras extorqueret gemitus infortunium. *Ipsa autem gemens, (narratur de Hierosolyma,) conversa est retrorsum.* Si pro admitta culpa, & non pro inflicta pœna ederes tua suspiria; citius te salutis præsidia, quàm adversarii frau-

fraudes exciperent. Sed heu lacrymæ! quæ ad remedium tibi per Servatoris tui passionem comparata sunt, ea in perniciem tibi ipsi convertis. O infaustissimum virum, & quodammodo ipso Israëlitico populo funestiorum! ille enim deplorabat suorum Regum ac sacrificiorum excidium; tu autem quod tuæ infames blanditiæ transeant; nec quod amplius eruditori linguâ, aut palato lingi possint: ille everfam suam urbem; tu hebescere tuas vires ad ulteriores offensas. Tu nec de præsentem quidem damno cogitas, & futura contemnis; At ille orabat tandem, ut opem sibi ferret Deus; ut inferius ostenditur in Textu: *Vide Domine, & considera, quoniam facta sum vilis*: Tu continuo velles iterare tua vitia; ille autem sui sceleris impunitatem postulabat.

19. *Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata est finis sui: deposita est vehementer, non habens consolatorem: vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus.* Sordes tuorum operum à tui cordis mentisque immunditiâ procedunt, ignoratione mortis ingravescent. Cogita, quantum boni memoria nostræ fragilitatis habeat, quam multis ejus obliuio nocuerit. Etenim hæc laxat libidinem; illa eam domat, & comprimit: hæc principium est proprio consulendi amoris, & accomodandi ad luxum nostras sedes, & habitationes; illa exulibus in patriam semper animum oculosque tendentibus, ostendit, nihil interesse, in qua terra quis jaceat; dummodò copia detur vacandi Deo: hæc superbos facit, & tumidos; illa Religiosos, & Martyres; hæc virginitatem dissolvit, illa conservat. O quot sibi remedia hauserant ex eâ communissimâ lege, quæ res mortales jubet nasci & mori, sive felicitatem includat; sive calamitatem repellat; sive lassitudinem senis terminet; sive juvenile ævum, dum meliora sperantur, in ipso flore dissipet, sive pueritiam ante duriores gradus ad se vocet! eoque de judicii sui terrore, ad quod aperitur aditus per mortem, monuit Deus per Ezechielem, dicens suo populo: *Nunc finis super te, & immittam furorem meum in te, & judicabo te juxta vias tuas.* Undè disertè Ecclesiasticus; *in omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* O si quis ita singulis horis, quasi in alteram desperata esset vita, viveret; venustiori procul dubio specie ederentur opera; nec tanti fierent divitiarum acervi, inanis avaritiæ somnia, in quibus nihil est, quod diu subjici oculis, quod teneri manu possit! sed positâ hac saluberrimâ ter-

mini nostri, ac mortis memoriâ, in lucrum ruinæ hostiumque venimus, quin habeamus consolatorem. Nec æternæ quidem damnationis periculum impedimentum est ruentium in prædam. Ergo opus est, emergamus tandem ex hoc generis humani errore, ac supplice prece contendamus ab æterno Deo, ut respiciat afflictionem nostram; *quoniam erectus est inimicus.* Singuli dicant cum augustissimo Psalm. Prophetâ: *Quemadmodum desiderat Cervus ad Fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus: sivit anima mea ad Deum fontem vivum;* sed invitante ipso Domino, qui in suo Evangelio dicit: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat: qui credit in me, sicut dicit Scriptura; flumina de ventre ejus fluent aqua viva.*

Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus; quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum de quibus praeceperas ne intrarent in Ecclesiam tuam. O quam alligatus auro, tuisque pretiosis gemmis tenebaris! cum rerum ditissimus amplius corrogare nummos velles de cunctorum bonis! sed jam extremâ te laborare inopiâ, atque ipso Codro pauperiorem vides, eoque angustiarum devenisse, ut cum filio prodigò porcorum siliquis victites. O pipare lauteque agere tuam vitam cupiebas; sed peccatum ita decoxerat fortunas, ut eodem penè momento, quo in deliciis, in egestate esses: munera, opes istas, luxuriæ putabas; insidiæ sunt, quibus irretitur anima, ut spolietur, mutiletur, laceretur à prædonibus. Hujusque rei causa est, quam subdiderat divus Hieronymus, maxima incuria in custodiendis sensuum portis; eamque mirificè creant divitiarum opulentia, & copia, ni omni studio, vigilantiaque in id quis incumbat, ne inopinantem impetat hostis. Cum videris amplissimas gazas, & familias, cave, ne quid inideas: ista brevi, vitæque damno possidentur. Nam plurimos, cum ad summum ambitionis eniterentur, inter prima luctantes, ætas reliquit. Alii, cum in consummationem dignitatis per mille indignitates irrepsissent, miserè venerunt ad sepulchrum; & faxit Deus, ne eorum animæ ad inferos. O quam ignorant homines cupidi deliciarum, & gloriæ; quid illa sint, aut quemadmodum petenda! Deo servire, gaudere, & regnare est: flammæ, scintillæ, nisi in suo centro, alibi quiescere non possunt; ita ne tu quidem, nisi tendas ad Creatorem; ut testis est Sapientissimus Salomon capite primo Ecclesiastæ: *Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur.* Quoniam omnia, 1. 8.

Execlb.

7. 3.

Ecclef.

7. 40.

Joan. 7. 37.

20.

Joan. X.

1. 8.

(sc-

(sequenti capite inquit,) *qua desideraverunt oculi mei, non negavi eis; nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his, qua praparaveram: & hanc ratus sum partem meam, si uter laboro meo. Cumque me convertissem ad universa opera, qua fecerant manus mea; & ad labores in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole.* Quod ergo appellendum

pro felicitate & quiete? *Convertere anima mea, (inferre poteris cum devotissimo David Psalmo decimoquarto super centesimum,) in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Qui eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu. Placebo Domino in regione vivorum.* Et Psalmo centesimo quadragesimo nono: *Exultabunt Sancti in gloria tua: letabuntur in cubilibus suis.* Jam ad Textum.

21. *Omnis populus ejus gemens, & quarens panem; dederunt pretiosa quaque pro cibo ad refocillandam animam; vide Domine, & considera, quoniam facta sum vilis: ni Angelorum panem devota humilique mente degustes, licet Principum mensis, in quas terra, marique collectam lautitiam, nempe deliciarum omnium purissimum florem studiosa luxuria congerit, indies excipiaris, etiamnum conficieris fame. Eam autem depelles eo cibo, qui sustentat virgines, & tam ambrosius est fructibus, ut nihil infra Divinum æquè lautum: per eum enim utimur ipso Deo, quid dulcius? pectore recipimus æternum verbum; quid amantius? gratiarum fonte ditescimus; quid felicius? Dei corpore vescimur, potamurque sanguine; quid jucundius? eo fusis, fugatisque hostibus clarissimas deportamus victorias; domitisque passionibus, efflorescunt nostræ virtutes; quid splendidius? Cæterum spreto hoc amplissimo honore, (ô incredibilem demeritiam!) contabuisti sæpè fili mi summo dedecore: amisso cælo tibi met ipsi comparasti terram; ô infelicissimas nundinas! quare non respuisti exemplo primorum Parentum, quibus magno steterat prohibitus fructus? Nam contra Evam pronuntiavit Deus hanc sententiam: *Multiplicabo arumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Adæ verò dixit: *quia audivisti vocem uxoris tue, & comediisti de ligno ex quo praceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex cunctis diebus vita tua: spinas, & tribulos germinabit tibi:* atque utrumque emisit ex Paradiso voluptatis. Quod etiam facit Osee Prophetia in populum Israël, propter ip-*

sius culpas ac peccata. *Noli latari Israël, noli exultare sicut populi; quia fornicatus es à Deo tuo, dilexisti mercedem super omnes areas tritici. Area & torcular non pascet eos, & vinum mentietur eis: non habitabunt in terra Domini.* Strenuè igitur elevandus clamor ad celsissimum Angelorum Principem, ut respiciat tuas angustias, ac miseras; ut tuorum scelerum catenas dissolvat, ut inferorum vestes, & repagula diffingat; ut veterem draconem cruoris humani siti rabidum conterat; ut tuarum passionum æstus, ac flammam extinguat; ut cæli apertis foribus te ad suæ Divinæ Majestatis contubernium, amicitiamque introducat. Clama: ne temperes tibi à luctu: nam clamat etiam per suum Prophetam tuus Conditor, ac Reparator Christus, declaraturus, quàm ardentem in suâ Cruce, ac passione flagraverit tui amore: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus: quoniam vindemiavit me, & locutus est Dominus in die ira furoris sui.* Singuli enim proprios plangunt dolores; ego pro universis hominibus passus sum; meis humeris omnium tuli labores & ærumnas. Quibusdam dolet caput; aliis pedes; nonnullis venter aut stomachus: ego à planta pedis usque ad verticem capitis dilaceratus fui vulneribus; manavi meo sanguine. Cæteros plerumque homines præsentium sensus divexat: ego præterita, præsentia, futuraque omnium mala præsentiebam. Nemo unquam hominum aut Angelorum de Dei offensâ, quam adeo facile admittit cæcitas mortalium, tanto arserat dolore; quia nemo unquam æquè poterat ejus criminis malitiam penetrare. Si viderent homines gloriæ pondera, quæ disperdit culpa; remissius forsan eam suâ conscientiam susciperent: ego autem, qui clarissimè expenderam eorum momenta, haud minori pretio, quàm mei divini sanguinis ea universo mundo comparaveram. Attendat omnes transeuntes per hujus exilii vias, si viderint amorem, uti est amor meus; aut alium dolorem, uti fuit hic, quem pro eorum salute sustinueram. Etenim per Hierosolimorum vias, ac plateas discurrebant mei cruoris purpurea flumina; haud secus quàm uvarum nobilissimus liquor, qui vindemiæ tempore è torculari exprimitur. Sed tu Christiane, quas mihi persolvisti gratias pro tanto tamque admirabili beneficio; cum tamen ipsæ feræ sentiant officia; nec ullum tam inmansuetum sit animal, quod non pelliciat nutrientium cura in sui amorem? Disce ab Elephantibus, & Leonibus amorem aman-

Osee. 9. 1.

LAMEO. XII

Genes.

3. 16.

amantissimo Deo rependere : ea enim bruta quamvis extrâ intellectum atque æstimationem beneficii sint posita ; assiduitate tamen meriti in obsequium deducuntur.

22. *De excelsis misit ignem in ossibus meis, & erudit me: expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum: posuit me desolatam, tota die mærore confectam.* Descendendum jam ad statum peccatoris, ut applicemus ipsi hunc textum. Quoties suæ animadversionis quodam fulmine, laborumque ense cædit clementissimus Deus efferatos, ac rebelles peccatores, ut eo tandem rigore conterriti, ad se redeant, divinasque leges observent? Sed quoties ipsi satis ignominiosè indè ansam accipiunt reluctandi tam divinis monitis? At verò misselli intelligere possent ad graviora parare se tormenta, qui his levioribus non respiscunt. Quemadmodum facinorosi ultimo affligendi supplicio, secum ferunt carnificem, à quo plectendi sunt: ità improbitas supplicium struit sibi ipsi cincta innumeris pœnis ac laboribus, passionibus molestissimis, animi tristitiis ac perturbationibus; dum ultimo tandem æternoque apud inferos conficiatur mærore: *Posuit me desolatam tota die mærore confectam.* Puerorum est, cum nefarios viros in theatris nonnunquam amictu aureo circumdatos, chlamydevè purpureâ indutos, coronatos, ac tripudiantes conspiciunt, admirari, beatosque existimare eos; antequam agitados stimulis, cæcosvè flagris videant; ignemque ex floridâ illâ variaque veste emittere: sic nihil à puerili genio distant, qui felices vocitare non desinunt mundi illicitas voluptates, dum jacere eas perspiciant in tormentis. His autem addicti jure optimo deplorare semetipsos possunt hac Prophetæ lamentatione: *Vigilavit jugum iniquitatum mearum, in manu ejus convoluta sunt, & imposita collo meo: infirmata est virtus mea: dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere.*

NUM. XIV.

23. Quantum omnibus membris contremisceret præ horrore periculi, si quis adornatâ navigatione inciperet pro malacia soporem, aut quietem ducere; mox verò excitari à somno in profundumque ferri subita tempestate? iste vehementissimè proculdubio formidaret. Quid autem habet hoc periculum cum eorum infania, qui præcipites in sua vitia, ac voluptates, velocissimè rapiuntur ad inferos; quid habet rerum temporalium jactura cum damnatione æterna? illo enim damno, quamvis pereant hæc momentanea

vita ac fortunæ, quibus ditamur hic; etiamnum tamen aditus patere potest ad obtinendam gloriam; quinimò sapissimè nemini facilius, quàm miseris & calamitosus: verum post mortem obfessi damno salutis æternæ, nullius ope, aut auxilio in veterem libertatem vendicari possunt; quoniam nunquam non prævalet Dei maxima potentia, quâ illis pœnis continentur. Lugeant igitur; qui eò iniquitatis, ac proterviæ jam venerunt, ut omni religione ac virtute destituti, Dei vindicta digni sint. Clament; altiùs vocem, mentemque elevent, dicentes cum Propheta Daniele: *Deus magne, & terribilis; Dan. 9. custodiens pactum, & misericordiam diligentibus te, & custodientibus mandata tua. Peccavimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, & recessimus: & declinavimus à mandatis tuis, ac iudicis.* Obsecramus te Domine, ut antequam adjudicemur ad ultimas pœnas, tradamurque in eorum manus, quorum jugum, omni desperatâ libertate, est æternum; pœnitentiæ contritione, ac lacrymis fiat nobis à te copia redeundi inquam gratiam: parce, quæsumus, quod delictum est; aufer à terrâ nostrâ tot spinas, ac tribulos, qui bonum semen suffocant. Concede; ut soluti tot voluptatum rerumque temporalium vinculis impensius perquiramus æterna.

Abtulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei: vocavit adversum me tempus, ut contereret electos meos: torcular calcavit Dominus Virgini filia Juda. O quoties id accidit, in pœnam culpæ, adimi nobis ea præsidia, quibus piè, & honestè traducamus tempus, hortante Apostolo. *Videte fratres, quomodo cautè ambuletis; non quasi insipientes, sed ut sapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt: nam vocabit Dominus contra insensatos ea, quæ inutiliter contriverant, tempora ipsis erogata ad consequendam salutem; ita ut in eos proferri possit, quod aliâ occasione dixerat Jeremias, nempe: Milvus in celo cognovit tempus suum; turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognovit iudicium Domini: quomodo dicitis sapientes nos sumus, & lex Domini nobiscum est? Verè mendacium operatus est stylus mendax Scribarum.*

SAMUEL XV.

Ad Epes. 5. 15.

Hierem. 8. 7.

Plora igitur, amantissime Frater; sapientior jam esto, si minus fortè hætenus cogitaveras de tempore, quò visitandus es. Hujus enim rei ignorantia initium est tristissimi excidii. Nam cum contenderet Hierosolymam Christus Dominus: *Videns Civitatem flevit super illam, dicens: Quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab*

25.

Luca 19. 41.

oculis tuis. *Quia venient dies in te : & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te : & coangustabunt te undique : & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt : & non relinquent lapidem super lapidem, eò quòd non cognoveris tempus visitationis tuae.* Quamobrem seriò cogitandum, dum suppetat tempus, de hoc tempore. Cùm hujus vitæ celeritate, bene vivendi velocitate certandum est, ne imparatos nos occupet dies visitationis cum consequente æternitate. Quid securus, & in tanta temporalium fuga lentus, menses tibi, & annos, & longam seriem, (utcumque aviditati tuæ visum est) exporrigis ; cùm in virtute & animi nitore, nullius penè temporis fiat impensa ? Hucusque terrenis, non cælo laboraveras. Noluiisti vivere sine vana leviori que gloria, sine scandalo, ferali que luxu ; morieris sanè, ni admissi sceleris te pœniteat, cum maxima infamia. Quid respondebis Domino, cùm visitationis tempore à te quæsierit ? cur me Angelorum gloria deserto, tam lentè tuæ voluptatis comites habueris creaturas ? ipsius libidinis quasi pullus, tuæ cupiditatis molliori itinere excipi potiùs, quàm meæ sanctissimæ Crucis maluisti ? Sed idèd jam tot tibi deliciarum epilogus est infernus. Ego non in terrena aliqua voluptate delitescere meos, sed è Cruce, Crucis que molestiis ad cælestes voluptates transire statueram : tibi autem oblata sunt mea subsidia ad eam militiam ; cur cecidisti animo ? cùm toties te invitavissim ; quare aspernatus es meas voces, & inspirationes ? cùm te tanto tempore sustinuissem, donassem que amplissimis muneribus, ac beneficiis ; quare non cognovisti me ? Quid proderunt tibi in posterum lautissimæ mensæ, quæ in elapsa vita tibi apponebantur ? Quid paropsides, quas habebas onerantibus cupediis coronatas ! Quid plaudentium risu rotata confractaque vitra ? Quid nitidi amicorum exercitus, parasiti, & adulatores, in intempestam noctem ludentes ? Quid canentium saltantium que Chori ? Quid tanto in pretio scorta & pellices, ex quibus si mensus fueris multum, tibi dedecoris fructum attulerunt ? Puduisse te oportet, qui, me esuriente, laborante que pro tua salute, ita indulgebas deliciis ; imò verò dementiæ. Cæterum quòd tum profaniores fuerunt tui mores, eò nunc lacrymosior erit tua calamitas, sævior flamma, acerbior tuus dolor, tempestas tua atrocior, tui fluctus vehementiores, tuus infernus ardentior. Undè nunquam te eruere poteris, neque opibus, aut blanditiis, utpotè quæ in mundo transferunt ; nec amicitia aut familia-

ritate, utpotè reus, & captivus inter densissimos hostes ; nec potentiâ aut viribus, utpotè mancipium dæmonum ; nec multitudine, utpotè solus, ac destitutus à Deo, Angelis, & hominibus. O feralis infelicitatis status ! ô æternitas damnationis dirissimis execrationibus devotæ ! ô Christiane, antequam obruaris tot miseriis, Divinum etiam atque etiam implorato auxilium, & misericordiam. Suspiriis, & lacrymis elue tuas culpas, diligentius attende, quàm copiosè luget Propheta : *Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas : quia longè factus est à me consolator, convertens animam meam : facti sunt filii mei perditii, quoniam invaluit inimicus.*

AN.
XVI.

Nunquam desunt in hac vita, quæ solatii speciem habeant, quamvis nunquam ab animi ægritudine tristes, mœrentesve liberent. Sic mundus ubi maximè offert oblectamenta, & gaudia, minus constans est in suis promissis : nulla enim pars vitæ nostræ tam tenera est, quàm quæ maximè placet. Caro & sanguis quando recreare videntur, feralis bellum inducunt. Quid in arma cogimus populos ? quid exercitus scribimus explicaturos agmina per medios fluctus ? quid maria inquietamus ? parum videlicet ad nostram mortem patent blanditiæ terræ. Nimis delicatè tractamur à voluptate ; sed nimis tyrannicè quærimur ad necem : adeamus pro nostro solatio clementissimum Deum, cujus consilio Sanctorum laboribus providetur, ut invicti eant, & actus suos explicent. Summo debet esse dolori, quòd tam serò ad eum accedimus, qui placidissimè regit omnia, cælestes que thesauros admirabili providentiâ dispensat ; ex quo si nihil haurirent pulchritudinis, altiores Principes terræ, continuo turpes, dissoluti que contabescerent. *Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas ; quia longè factus est à me Consolator, convertens animam meam : facti sunt filii mei perditii, quoniam invaluit inimicus.*

Aliam præterea populi calamitatem deploraverat hinc Jeremias, nempè filiorum ruinam, profligatam juventutem, eorum parentum more, qui ægrè ferunt, quidquid hunc sui generis florem violet. O quo alio vultu, ac specie te videras filia Sion. sub ductu illius Inclyti Ducis, & post hominum memoriam ex dignioribus viris, qui famâ ac nomine ubique gentium noti sunt, Moyses ! quàm strenuè ejus pro te ad cælum elevatis manibus dimicaveras ? quâ clade cecideras hostem ? quas victoriæ palmas deportaveras ? quos egeras triumphos ? sed postea invalescente tuo scelere, restauravit vires hostis. De-

vi.

vicit tuos Duces, occupavit castra, exhaust tuos juvenes; nec pepercit virginibus, depopulatus est agros, coepit tuas urbes, speciosissima ædificia demolitus est, ipsam denique Hierosolymam, Oppidorum Reginam, actotius Imperii caput expugnavit, oppressit, exstinxit. Idem tibi ipsi accidit, mi dilectissimi fili, qui olim favente tuo Imperatore Christo Jesu gloriosissime superabas vires hostium; sed jam belluarum ritu ruens in voluptates, ac perniciem, funestissima clade prostratus es. Idcirco præmonuerat Dominus per Isaiam: *Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis; & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestra sanguine plena sunt.*

28. *Expandit Sion manus suas, non est, qui consolatur eam: mandavit Dominus adversum Jacob in circuitu ejus hostes ejus: facta est Jerusalem quasi polluta menstruis inter eos. Velisne rem maximi ponderis tibi dicam?*

PHIL. XVII.

Cur cum tam suppliciter divinum Numen adivisses pro muneribus, ac beneficiis, toties re infecta indè abieras ab Oratione? elevabas manus & vocem ad Deum, sed poluto corde, & operibus; cum tamen affirmet Sapientia Salomonis: *Longè est Dominus ab impiis, & orationem justorum exaudit; & iterum: Qui declinat aures, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.*

Proverb.

15.

20.

29. Non solum non exaudiuntur à Deo contumaces peccatores; verumetiam in manu ac potestate hostium relinquuntur sordidi, polluti, immundi, abominabiles. Nam victi, captique tantum poenarum fuerunt ob impietatem Hierosolymi, ut terrarum orbi documento esse possent, qui olim obsecuti Deo, solebant in suos hostes vertere terrorem, & fugam. Aded solent prosperè evenire omnia observantibus Dei voluntatem, ac leges, adversa autem spernentibus: homines omnium ordinum corruptissimi, flagrantes nequitià, & cupiditatibus, divinis beneficiis indignissimi, prædæ loco æstimandi sunt. Quam enim gratiam, aut favorem expectare poterunt ab amatore puritatis, ii qui veloces sunt ad effundendum sanguinem; qui cervicosæ cujusdam sunt audaciæ, & nullius ferè amoris remedio sanari possunt? Undè justus est Dominus, quia os ejus ad iracundiam provocavi: *audite obsecro universi populi, & videte dolorem meum: Virgines mea, & juvenes mei abierunt in captivitatem.*

SAD.

XVIII.

30. Expugnata deletaque exponitur Hierosolyma: quid mirum? in superbiam ac tyrannidem proclivis fuit, ardens flagitiis, satis garrulatis, sapientiæ parum:

quid mirum, quòd fuisset deserta, quæ prius deseruerat dulcedinem Creatoris? Quòd sprete atque oppressa ab hostibus, quæ prius Dei gratiam & amicitiam contempserat? hic enim amantissimus sponsus non nisi diligentes virtutem diligit. Quòd si instabilis, atque inconstans facta sit, eam inconstantiam compararunt ipsi ejus pudenda scelera. Quamobrem haud injurià pronuntiat: *Justus est Dominus, quia os ejus ad iracundiam provocavi: mea stultitia digna fuit hoc gravissimo supplicio.* Id quoque dicere poteris, & tu dilecte amice, si fortè spirituales afflictiones, aut tristitiæ aliquando ingruerint; *Justus est Dominus: recreari non merui suaviori spiritu, cum omnem meam voluptatem collocassem in creaturis.* Si à cæteris in me quæsitam est invidia; eorum etiam laudi, & gloriæ invidebam ego. Si adversam expertus sim valetudinem; gulæ commisi salutem: undè mea mala malum me rapuerunt. Si hactenus per dolores, ac ærumnas exacta fit vita; queri non possum de Authore nostro Deo; cum ejus beneficia aspernatus sim, meis gravissimis culpæ ac sceleribus, inconstans in factis, in dictis rarissime verax, adulatoribus benignus, adversus pauperes, & inopes asper, ad Dei obsequium rigidus, ad dissimulationem aptissimus, ad cætera exagitanda vitia, ore & vultu dissolutus. O quoties pro maximis habebam deliciis officio amorem proprium anteponere; ac turpissime vivendi desiderio divinum amorem, propter quem ipsa vita esset, si foret opus amittenda! Gravissimas sanè mihi metipsum plagas feceram, in corporis voluptate tam assiduus, in vigiliis tam parcus, in occasionibus tam creber, in re divina tam distractus, & ut uno dicam verbo, in promovenda Dei gloria, & cultu remississimus. Justus igitur est Dominus, qui severius hujuscemodi poenis & calamitatibus in tam barbarum vesanumque peccatorem animadvertit. *Audite, obsecro, universi populi, & videte dolorem meum: Virgines mea, & juvenes mei, (propter mea peccata ac scelera) abierunt in captivitatem.* Vocavi amicam meam ambitionem dilectam meam voluptatem, amatam meam libidinem, quæ tempus ac fortunas mihi ademerunt. *Vocavi amicos meos, & ipsi deceperunt me: Sacerdotes mei, & senes mei in urbe consumpti sunt; quia quaesiverunt cibum sibi, ut refocillarent animam suam.*

In deliciis habebam quæsitam voluptatem, sed ipsa fragilis ac brevis fuit mihi, & quò avidius hausta, eò citius in contrarium

rium recidens; cujus proinde necesse fuit, jam tandem me poeniteret, puderetque. Miserrima quidem, non tantum brevissima vita; quæ magno parat dolore, quod majore possideat; operosè assequitur, quod desiderat; sed anxia tenet, quod assecuta est. Otiosus ludebam divitiis, nec provideram illarum periculum; sicut barbari plerumque inclusi, & ignari machinarum, segnes laborem obsidentium spectant, nec quod illa pertineant, quæ ex longinquo struuntur, intelligunt. Idem mihi evenit, marcescebam in meis rebus, nec cogitabam, quot casus undique imminerent, jamjam pretiosa spolia daturi. O quàm satiùs foret amicam coluisse paupertatem, quæ me tutiore loco poneret? Maximæ enim divitiæ, non desiderare divitias: plurimum habet, qui minimum cupit. Universo Orbi sine expensis, & copiis dominatur libera paupertas: quoniam necessariis rebus, & exilia sufficiunt; supervacuis autem nec regna. Patientia comite resisteres illicò vanitati, cæterisque hujus mundi blanditiis & corruptelis. Si contineres tuam libidinem, floresceres virtute; nec Cæsari unquam gloriosior fuit ascensus ad Capitolium, quàm esset tibi ea parta victoria de tuis vitiis.

32. *Sacerdotes mei, & senes mei in urbe consumpti sunt, quia quasi verunt cibum sibi, ut refocillarent animam suam.* Ad internecionem omnes perierunt, qui non erant signo *Thau* notati, ut demonstratum fuerat Ezechieli capite nono: *Et ecce sex viri veniebant de via porta superioris, quæ respicit ad Aquilonem, & uniuscujusque vas interitus in manu ejus: vir quoque unus in medio eorum vestitus erat lineis, & atramentarium scriptoris ad renes ejus: & ingressi sunt & steterunt juxta altare arcum. Et gloria Domini Israël assumpta est de Cherub, quæ erat super eum ad limen domus: & vocavit virum, qui indutus erat lineis, & atramentarium scriptoris habebat in lumbis suis. Et dixit Dominus ad eum: transi per mediam Civitatem in medio Jerusalem: & signa *THAU* super frontes virorum gementium, & dolentium super cunctis abominationibus, quæ sunt in medio ejus. Et illis dixit, audiente me, transite per Civitatem sequentes eum, & percutite: non parcat oculus vester, neque misereamini. Senem, adolescentulum, & virginem, parvulum, & mulieres, interficite usque ad internecionem: omnem autem, super quem videritis *THAU* ne occidatis; & à Sanctuario meo incipite. Væ inimicis Dominicæ Crucis, quod trophæum est fortitudinis; sedes amplissimi beneficii, theatrum amoris,*

altissimæ Majestatis insigne: nam ubi Dei filium suo gremio receperat, omnibus Nationibus deinceps promptissimæ salutis fuit. Si destitueris, amice mi, fructibus hujus salutaris signi, uti amissi sunt tuâ culpâ, ita eos recuperabis verâ poenitentia. Hæc alacriter suscipienda est, si vis effugere Dei vindictam, quæ impoentibus certò imminet. *Si poenitentiam Eccles. non egerimus, (inquit Ecclesiasticus.) in- 2. 22. cidemus in manus Dei, & non in manus hominum.* Horrendum quid ita incidere in manus Dei viventis.

Vide Domine, quoniam tribulor; conturbatus est venter meus: subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum: foris interficit gladius, & domi mors similis est. Scelerum tuorum memoria sit tibi stimulus, quo tuam pigritiam excites ad poenitendum. Orato Creatorem, ut miseras respiciat suæ creaturæ, agitatae tot passionum discordiâ, ac tumultu. Ita enim subversum est cor tuum, atque amaritudinè plenum, ut vix sit foedior tempestas, quantumvis glomeretur imbribus, ac tonitruis. Quoniam si elatiùs jam extolleris, statim te deprimunt injuriæ, & ambitiones æmulorum. Si irasceris, ut facile commovearis, & ob rem quamlibet levem indoleas, vix recreari appetis, cum lacrymaris, ac moeres, quoties mali vapores animi circuitus præpediunt, occupantque. Nusquam magis concidis animo, quàm ubi improbè tolleris: vano vana terrori sunt; sæpiusque opinione, quàm re laboras. Quædam magis te oblectant, quàm debeant; quædam oblectant, cum torque-re debeant; quamvis quædam etiam torqueant, cum omninò non debeant. Ego nihil magis suaferim, quàm fumere ingentem animum, deletis per poenitentiam culpis; & hæc propter quæ aded litigamus, discurremus, anhelamus, mundana irritamenta, voluptates, & honores nemini, qui altum quiddam, ac magnificum cogitat, respicienda: quinimò imis pedibus conculcanda ea omnia, quæ ita defatigant floridissimas familias; miscent venena; gladios tam percussoribus, quàm propinquis tradunt; propter quæ uxorum, maritorumque noctes strepunt litibus, & Tribunalia Magistratum premit turba; Reges sæviunt, rapiuntque, & Civitates longo sæculorum labore constructas funditus evertunt; *foris interficit gladius, & domi mors similis est.* Quisquis igitur multum fortuitis dedit, ingentem sibi materiam perturbationis, & inexplicabilem fecit; & qui propter pecuniæ, aut libidinis amorem moritur, ostendit se nunquam sui cau-
sa

sa vixisse; cum in nostro statu nihil magnum, aut salutare sit, nisi quæ per brevissimos hujus vitæ labores ad æternas ferias, ac delicias nos ducant.

34. *Audierunt, quia ingemisco ego, & non est qui consoletur me: omnes inimici mei audierunt malum meum, læsati sunt, quoniam tu fecisti.* Ne fidas, fili mi, falsis fictisque amicis, qui tuam vicem non dolent; imò illacrymantem te tuis malis tam protervè irrident. Ardebis perpetuo bello, dum mundi carnisque illecebras non fugias: nihil enim est horum amicitia funestius, quæ animum suâ immoderatâ voluptate rumpunt. Servies, (ni quod tibi jam dederam, utaris consilio) servies utique his fraudulentis amicis, non frueris; & mala tua, (quod malorum ultimum est,) amabis. Tum autem consummata erit tua infelicitas, ubi turpia non solum delectabunt, sed etiam placebunt; & desinet esse remediò locus, ubi, quæ sunt vitia, mores erunt.

35. *Adduxisti diem consolationis, & fient similes mei: id est, futurum spero, mi Sanctissime Deus, ut jam tandem mihi illucescat dies, quo comescam turbidos, effrænes animi motus, qui ita rationis imperium nunc detrectant. Quare dicam cum*

Propheta Rege: Miserere mei Domine: vide humilitatem meam de inimicis meis. Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filia Sion. Et iterum:

Dilatasti gressus meos subtus me, & non sunt infirmata vestigia mea. Persequar inimicos meos, & comprehendam illos: & non convertar donec desiciant. Confringam illos, nec poterunt stare: cadent subtus pedes meos. Et præcinxisti me virtute ad bellum: & supplantasti insurgentes in me subtus me.

36. O Domine, quando ad eò strenuè te diligam, ut vel invitis hostibus res fluxas cum æternis commutem! Et cum virtus quâ cælestia diademata porriguntur, laboribus crescat, virescat vulneribus; inter injurias obfirmetur; inter miseras floreat; quando tanti lucri studiosus discam patienter ferre meas ærumnas? quando dominabor præpedientibus inimicis?

37. *Ingradiatur omne malum eorum coram te: & vindemia eos, sicut vindemiasti me propter omnes iniquitates meas.* Velim ô dulcissime Jesu, ut mecum ipso macerentur, ac poenitentiam agant pro tot offensis, quibus violavimus tuas sanctissimas leges, & tam ingratè satisfecimus nostro erga te officio, ac muneri. Ne luxui adjiciatur, sed cupiditatibus detrahatur. Contingat temnere vanitatem: contingat omnibus compressis vitiis, & sub arbitrium adductis, hanc vocem posse emittere: Dei gratiâ vici,

Quid? non Persas, non Medorum remotissima imperia, nec si quid ultra Dacas bellicosum jacet; sed avaritiam, sed ambitionem, sed libidinem, quæ superbos gentium Victores sæpissimè vicerant. O quàm bene cum quibusdam ageretur, si probè scirent à semetipsis aberrare, & suas passiones Divinæ voluntati subdere! Miserere mei Deus maximi peccatoris: *multum enim gemitus mei; & cor meum marens.* Recordare propitius te venisse in hunc mundum, nostramque induisse naturam, ut cæcis restitueres visum, tristibus gaudium, afflictis solatium, ægris, atque infirmis salutem, miseris suæ paupertatis, atque inopiæ remedium, mortuis vitam, peccatoribus gratiam cum felicitate æterna. Me autem quid infirmius? sana me. Quid imbecillius? confirma me. Quid pauperius? dita me. Innumeris sordescò culpis, & miseriis: Concede obsecro mihi tuam gratiam, & hâc absolutâ tristissimâ vitâ, tuam gloriam. Amen.

C A P U T I I

Quæ hucusque tradiderat Propheta 38. Jeremias de everfione suæ Urbis, satis quidem longam mœroris ac tristitiæ telam contexuerant. At verò quæ deinceps restant ex eo legenda, amplissimam habent malorum segetem, & nusquam aliis Oppidis quàm Hierosolymis fecundiorum. Olim allocutus fuit Deus Moysen inter caligines, eo fine, ut populus Israël, cunctis ad arbitrium compositis, secundissimos cursus teneret. Sed quid (putes) deinde factum? Tum statim peccavit populus: aureum vitulum adoravit, postpositâ Idoli tenebris sui Conditoris atque Opificis splendissimâ Nube. Iterum quoque defecit. procedente tempore, ad Baalim ingrata gens: nam postquam mortuus fuerat Gedeon (ut legitur in historia Judæorum,) *Aversi sunt filii Israël, & fornicati dicuntur sunt in Baalim.* Quid igitur mirum, quod obortis lacrymis sic iterum lamentari exorsus sit sanctissimus Propheta? *Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion: projecit de calo in terram inclytam Israël, & non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui?*

O popule stulte & insipiens! quàm speciosa nebula à te deserta est! & quàm obscura & caliginosa electa! O quàm jucundam amisisti, & quàm acerbam invenisti! quoniam si hæc te velaverit horrore culpæ; per illam poteras eleganter indui pulchritudine gratiæ. O filia Sion! quâ nebulâ te exornatam antea videras! Jam verò

quot, & quàm nigris umbris obduceris ! Dic amabo ; quid potest esse suavitatis in tenebris, quæ te viduent tam cælesti luce, ac nitesceres obsecutus Deo ? Quomodo potest oblectare culpa, cujus officium est expellere jucunditatem gratiæ ? Quæ cum ita sint, quomodo abstinendum à lacrymis ? quâ ope continendi fletus ?

40. Cæterum enimverò Jeremias, si tam amarè lamentatus fuerit exitium miseræ Hierosolymæ ; non est, quòd tu ità effusè rideas, ó mi dilectissime amice, cum undique te videas scátère tot vitiis, & imperfectionibus : nam quo gravior tua culpa, eò acriorem debes suscipere pœnitentiam pro illa. Ut autem videas tibi potiori jure dolendum de tui ipsius pernicie, quàm Jeremiæ super depopulata sua Urbe ; attende quid scribit Apostolus ad Hebræos : *Non*

Ad Hebr. 12. *accessistis (inquit) ad tractabilem montem, &*

18. *accensibilem ignem ; & turbinem, & caliginem,*

& procellam, & tuba sonum, & vocem ver-

borum, quam qui audierunt, excusaverunt se, ne

eis fieret verbum. Et paulò inferiùs : Sed ac-

cessistis ad Sion, montem, & Civitatem Dei vi-

ventis, Jerusalem caelestem, & multorum

millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam

primitivorum, qui conscripti sunt in calis, &

Judicem omnium Deum, & Spiritus justorum

perfectorum, & Testamenti novi mediatorem

JESUM, & sanguinis asperionem melius lo-

quentem, quàm Abel. Si autem luctui ità se-

se dedisset Propheta Jeremias ob calami-

tates Civitatis Sanctæ, cui antea ità fa-

vebat Dominus ; tu, mi Amice, quem

non minori beneficio donaverat antea hic

amantissimus Deus, quàm nitore suæ di-

vinæ gratiæ ; nec ad alium montem te vo-

caverat, quàm ad seipsum perfectionis

culmen, animarumque centrum ; quàm

promptè obsequaris ipsi necesse est, si-

mulque præsentias toties te declinasse à

claritate ejus lucis, ad obscuritatem cul-

pæ. Deplora igitur tuas miseras, sump-

tâ atque adhibitâ tibi lamentatione Pro-

phetæ : Quomodo obtexti caligine in furore suo

Dominus filiam Sion, projecit de calo in terram

inclytam Israël ? Nam ob tua peccata factus

es similis bestiis terræ, qui antea numera-

baris inter inclytos militiæ Dei. Ecce, un-

dè cecidisti, qui lucebas inter stellas firma-

menti, & inter Sanctos obtinebas tuum

locum : qui ex tam alto culmine decidisti,

quâ ratione sine detrimento potes sustine-

re ruïnâ ? O miserandos homines, qui

adèò prospiciunt sui corporis saluti, suo

honori, dignitati, famæ ; cum animæ

verò decorem, ac vitam ne tantillum

41. O quàm mendacès filii hominum in re-

bus mundanis ! cum tanti æstiment vanitatem, aspernati formositatem Creatoris, qui ità rectus est in suis judiciis, ut sicut de pœnitentibus affirmet, haud amplius se fore memorem eorum malitiæ ; ità similiter de peccatoribus, qui converti renuunt, immemorem futurum se eorum justitiæ, ut ex texto sacro colligitur ; *Et non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui.* O sanctissime Domine, re-cta sanè sunt judicia tua, & justissimus rigor iræ tuæ, tremendus quidem dies ille tui furoris, quando oblitus dilecti populi scabelli pedum tuorum, ejus quæstus, & ejulatus rejicies, eò quòd te antea spreverit ille fontem aquarum viventium ; quando nec exaudietur justus, qui cecidit de altitudine suæ justitiæ, noluitque, tuam Regiam misericordiam expertus, resipiscere, aut ad saniora consilia redire.

Fuerunt digni reprehensione Hebræi, 42. eò quòd gloriati de genere, ac sanctitate Abrahamæ, neglexerint ejus inhærere vestigiis : quâ de causâ non est recordatus Deus scabelli pedum suorum. Quid autem expectas tu, ó mi dilectissime, nisi ocyus alieno periculo sapias ? ne tutum, quæso, te æstimes, quòd Christiani insignis nobilissimo titulo, aut quòd in Baptismate redimitus fueris diademate gratiæ, aut quòd aliis temporibus te admiserit misericordia Domini ad suas delicias & favores. Nam cum non recordatus fuerit scabelli pedum suorum in die furoris sui ; quid mirum si obliviscatur tui vilissimi vermiculi, nisi respices ab infami onere scelerum tuorum ?

Oblitus est etiam Deus scabelli pedum 43. suorum, nimirum humanitatis sanctissimæ Christi Domini in die furoris sui, qui erat Passionis Incarnati Dei. Nam cum imposuisset Christus suis humeris nostra delicta, ingentes tristitias, ac dolores sustinuit in parte inferiori, adèò, ut clamaret ad Patrem. Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti ? Ideò quoque in Psalterio queritur, quòd desertus fuerit ut homo sine auxilio inter mortuos liber : cujus rei causâ fuerunt nostra gravissima peccata, uti alibi fatetur : *Suprà dorsum meum fabricaverunt peccatores.* Quapropter obtexta fuit mœrore ac tenebris illa sanctissima humanitas, quam antea ut scabellum pedum Domini memoravimus ex sacris litteris. Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est. Quòd si tam sanctum scabellum pedum suorum tam purum, ac mirabile omnium virtutum exemplar, hoc rigore exceperit æternus Pater ob peccata aliena ; quid sperandum tibi

tibi homuncule, nisi divinam legem observes? Ergò tibi ipsi consule, nè te occupent illæ minæ, de quibus facer Textus: *Præcipitavit Dominus, nec pepercit, omnia speciosa Jacob.*

44. Quis est jam qui mente & animo non respuat culpas? cùm tam severè puniantur à Deo? Quot lacrymis dignum spectaculum illud, quo cernitur everfa domus Jacob, deleta ejus magnificentia, & pulchritudo conversa in amaritudinem ejus lætitia? coque gravius lamentandæ ejus calamitates, quod is ipse Deus, qui immerferat Pharaonem pro defendendo suo populo, egerit in præcipitium domum Jacob, undique dirutâ ipsius elegantia, & pulchritudine. Et enim *destruxit in furore suo munitiones Virginis Juda, dejecit in terram, polluit Regnum & Principes ejus.* O altissime Deus! Si tu destruis, quis ædificare poterit? quis plantare poterit quod tu evellis? Quomodo restaurari poterit sanitas, quam tu infirmas? Quid
- 15 *Isai. 38.* nunc restat mihi faciendum, nisi *recogitare omnes annos meos in amaritudine anima mea?* Desebo meas miseras effusioribus lacrymis. Ità enim solebas mihi ostendere dulcedinem tuæ misericordiæ, ut à te sperare possem levamen in periculis, & solatium in meis tristitiis: nunc autem ità me invisum tibi reddidere mea delicta, ut ubi antea sperabam salutem, jam si prosequar cum hac sceleratâ vitâ, inveniam meum præcipitium.
45. Sæpè implicitus sæculo respirare vix poteram, dum tu recreares meas angustias benignitate tuæ gratiæ. Jam autem væ mihi! quò me vertam, si is, in quo sita est mea salus, mihi contradicat, aut mihi clauserit viscera suæ misericordiæ æterna veritas? si tu ò immense Deus, pugnas contra me, quis à me stare poterit? quis mihi restituet meam pulchritudinem, si tu adimis illam?
46. Væ mihi, si mei cognitionem perdam meis flagitiis, & sceleribus! ejus enim jacturâ communiter pereunt speciosissima munera; præcipuè fortitudinis, quâ solebam obsistere impressioni hostis: nam cùm obruerer rerum inopiâ, ac paupertate, statim occurrebat propria cognitio, innuens, cùm nudus egressus fuero in hunc mundum, nihilque auri, aut argenti ad eum adduxerim, non movendas esse tot querelas. Quod si aliquando confingerentur in me crimina, haud minus oportuè subveniebat eadem ipsa cognitio, adhibitâ silentii causâ, quod nimirum graviora possent dici de meâ turpitudine; atque adeo non putabam queren-

dum, quod detraheretur meo honori; sed mirandum potius, quod tam remissè ac blandè venirem in vituperationem. Quando molestabant me æstate calores, aut hyeme frigora, ad manum erat solatium meditati benignitatem creaturarum in fumendâ vindictâ de tam perdito peccatore. Dum cogitarem commigrare in alias partes, haud contentus meæ habitationis forte, haud morâ, comperiebam indignum me esse hac mortali vitâ, quippe qui ob meas culpas deberem ardere in inferno. Si viderer subirasci meis famulis, dum debitum morem mihi non gererent, continuò suppressâ irâ reticebam, memor, quoties violaveram ipse divina præcepta, atque obedientiæ legem, quam promiseram in Baptismate. Itaque in omnibus adversis remedium mihi afferebat propria cognitio, quâ deficiente orbatum me invenio unâ ex pretiosioribus gemmis, quas per divinam gratiam obtinebat mea anima; nec minus imbecillum me video ad debellandos meos inimicos, quàm fuit Sampson ad tuendum se à suis, quando Philistæi eruerunt ipsi oculos. Sic enim cæcus & sine viribus venio in potestatem hostium, cùm considerare, & agnoscere omitto meas miseras.

Nec hic quidem sistunt mea mala; sed 47. ulterius eò calamitatis deveniunt, quo venerunt Israëlitiæ, quando *confregit (Dominus) in irâ furoris sui omne cornu Israël.* Hinc bene colligitur insipientia hominum, qui gloriantur de suis viribus, cùm satis nunitos se ipsos judicent copiis, & armis. O miserandos, & cæcos illos, qui aded fidunt suæ fortitudini! cùm haud firmior persistat quam stupa, quæ absumitur flammis, dicente Isaia: *Erit fortitudo vestra, ut favilla stipula, & opus vestrum quasi scintilla; & succendetur utrumque simul, & non erit qui extinguat.* Hujus generis sunt peccatores omnes, taliaque eorum robur, & virtus, ut vanitatis aurâ, levioribus concupiscentiæ ventis quasi inermis fumus dissipentur. Quare dulcissimè modulatus est David: *Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es: Deus meus, misericordia ejus præveniet me.* Probè tenuit Propheta Rex ità decumbere ac tabescere suis vitiis peccatorem, ut destitui soleat viribus, quas audet sumere contra Creatorem. Quamobrem *confregit (Dominus) in irâ furoris sui omne cornu Israël.* Atque ut eò clariùs appareret ejus infirmitas; *avertit retrorsum dexteram suam à facie inimici.*

O Israël, quid putem de te faciendum 48. sine auxilio, & favore Domini? Si ille avertit

avertit retrorsum suam dexteram, quomodo tu valebis progredi in occursum hostium? quis te defendet ab Amorrhæis, nisi ducat te ipsius dextra? quæ spes relinquatur victoriæ? quis eos dilapidabit grandine? reductâ ipsius dextrâ quis detinere potest Solem contra Gabaon, aut Lunam contra vallem Aialon, ut ulciscaris te de inimicis? nisi ab altissimò descendat subsidium, quomodo cum paucis militibus expugnare poteris tam numerosum hostem? quiescente Dei dextrâ, quis ingenti tumultu ac fonitu in fugam posset olim compellere inimicorum agmina relictis vasis, ac impedimentis in potestate Samariæ? Intuitus hanc virtutem Dei dextræ todo cordis affectu exclamat Regius Vates: *Tu es ipse Rex meus, & Deus meus, qui mandas salutes Jacob: in te inimicos nostros ventis labimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis: Non enim in arcu meo sperabo, in quo ergo? in dextra tua, & brachio tuo.*

49. Deplora Hierusalem desertam te ab hac dextra; nihil enim æquè miserum obtinere tibi potuit: & tu etiam deplora, mi amantissime frater; nam si desit tibi præsidium hujus dextræ; quis pugnabit pro te contra vim hostium? quorum immanitatem retulit Apostolus eâ epistolâ, quam *Ad Eph. scripsit ad Epheseos, dicens: Induite vos 6. 11. armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli; quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem: sed adversus Principes & potestates, adversus mundi Rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitia.* In tentationibus autem, quæ contra fidem ingruunt, cujus ope deportabis victoriam nisi divinæ dextræ; de qua fatetur David, per eam sibi illuxisse spem salutis? quis te docebit discretionem spiritus, nisi qui virtute suæ dextræ distinguit lucem à tenebris, aurum à luto, à vitiorum macie virtutis speciem, ac pulchritudinem? Jam pridem interirent sine dubio tuæ mentis decores, nisi conservare teos Dei dextra. Nam sicuti qui proteguntur hujus alis, tam præclaro tegumento multum sibi honoris ac dignitatis in Angelorum conspectu adjungunt, ita qui umbrâ tam salutari carent, nullibi satis muniti, aut tuti esse possunt à periculo. Unde, *Benedictus*, (dicit David,) *Domine die quotidie, prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum. Deus noster, Deus salvos faciendi: & Domini Domini exitus mortis. Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum: Verticem capilli per ambulantium in delictis suis.* Psalm. 66. 20. Et paulò superius Psalm. 62. 8. *Et in velamento*

alarum tuarum exultabo; adhaesit anima mea post te: me suscepit dextera tua: quid potuit dici aut optari amplius?

Defleant ergo singuli quorum inopiâ non sublevatur dextra Domini: nam quod rejecta sit ab ea domus Jacob, idè æternum Numen succendit in ea, quasi ignem flammæ devorantis in gyro: & nisi te quoque despexissent ejus favores, non adèd corrueres adversis communi luce indignus, ut ab opposito, atque illativè, liceat ita dicere, affirmat ipse Dominus per Isaiam: *Noli timere, quia redemite, & vocavi te nomine tuo: meus es tu: cum transieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te: cum ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te: quia ego Dominus Deus tuus Sanctus Israël, Salvator tuus.* *Isai. 43. 1.*

Sed væ tibi ô domus Jacob, domus plena calamitatis & miseriæ: nam cum non servasses fidem Deo tuo æquum fuit, ut devorarent te flammæ sine resistantia, cum adèd obstitisses Creatori. Si obedires huic suavissimo Deo, utique te infinita ejus misericordia servaret. Cæterum quia sprevisi incendia ipsius amoris miserè te corripuere flammæ ejus rigoris. Quàm malè retulisti ipsi grates pro aurea illa voluntate, quâ decrevit in hunc mundum venire tibi paraturus salutem tanto pretio, ut affirmaret tanquam cera liquefieri officinam sui cordis. Quâ dulcedine, quo affectu amplecteretur suas creaturas, cum liquaretur in amores tota fabrica ipsius cordis æmulata ceram, quæ calefacta ad ignem paulatim liquefcit ac fluit?

Hinc fit, ut debeas & tu lugere, amice mi, perspectâ tuâ ingratitude, tantaque Dei erga te misericordia: ipse liquefactus est, ut tuam contumaciam emollire posset; passionis sanguineis flammis, ac flagris concisus est, ut te inflammaret charitate. Sed proh dolor! eò dementiæ tu venisti, ut pro charitatis ardore libidinis atque iræ furiis conflagrares. *Omnes adulterantes*, (inquit Osee,) *quasi libanus succensus à coquente.* Satiùs foret ardere Servatoris incendio: Nam incensâ tuæ mentis oculi hoc igne, veritatis radios perciperent; eo inflammata tela cordis, recreata à vitiorum tabe, maximam puritatem recuperaret: quoniam hoc igne comprimitur superbia, obtinetur humilitas; dispellitur odium, accenduntur veri amores, judiciorum temeritas vincitur, fama proximi conservatur; domantur passionis, triumphat castitas: Ubi accenditur ignis hic, sola regnat virtus, obfirmato animo ad superanda omnia impedimen-

dimenta, quæ in scandendo gloriæ clivo offerri possunt. Cur perdidisti hunc ignem, qui effectus obtinet tam contrarios iis, quos producit illa tartarea flamma, quam subiisti? nam si hæc flamma obtenebrat, ignis ille clarificat; si hæc inducit errores, ille veritatem aperit; lætificat ille, si hæc obnubilat tristitiis, si hæc pascit vitia, ille omnium peccatorum veneno efficacissima medela est? uti enim ille cælestis ignis est via ad gloriam; ita hæc flamma ducit ad infernum.

53. Quapropter dimissis lacrymarum habenis, percurrere tuæ conscientiæ damna & pericula; quod enim has non laxaret pro suo scelere domus Jacob, succendit in ea Deus *Quasi ignem flamma devorantis in gyro; tetendit arcum suum quasi inimicus, firmavit dextram suam quasi hostis.* Hujus rei causa fuit, quod prius laceffitus fuerit ad iram: nunquam enim hostilitatem ostendit Deus redactis in deditioem; si quidem ita amavit homines, etiam peccatores & hostes, ut pretio sui sanguinis eos restituere vellet in gratiam æterni Patris: promptissimè tecum iniret amicitiae fœdera, si ipsum rogares de pace. Quid amplius pro te faciendum erat? quod amoris signum erga te omisit? an quod expectarit, ut decorares te uvis, tulisti labrufcas? nonne audis uti movens de tuis majoribus querelas, petit; quid mali in me invenerunt tui majores, aut Patres, ut ita mea mandata spernerent; secuti vanitatem, gloriati de superbia? Nonne ego eduxi eos ex Ægypto, aluique per desertam ac solitudines? ita sane, & te quoque liberavi, fili mi, ab Ægypto, ubi peribas; id est à statu culpæ, ubi ad æternam damnationem remo, & velo fluebas, cibavi te per desertam tentationum, atque impulsi ad poenitentiam; superavi Pharaonem, nempe dæmonem, qui te insequabatur; duxi te in Terram Promissionis, quam incolunt qui vivunt per meam gratiam. Quid malè in te gessi, ut haberes me pro hoste? quibus armis aut viribus, quâ manu militum, quibus belli insidiis, quo Marte mecum dimicare cogitas? Si descendis in arenas, iis nixus creaturis, quibus deficit usus rationis; hæc omnes reguntur instinctu dato à Creatore. Si in Principe tenebrarum confidis; is experientia didicit jugum submittere Principi gloriæ: si in hominibus collocasti spem, quæ comparatio humanæ imbecillitatis cum fortitudine Dei? Quinimò maledictus homo qui fidit in homine, cujus vita ut umbra meridiana præterit; cujus gloria somnus, & vanitatis imago. Quid?

proprio Marti credis? in te ipso tantam fiduciam habes, cum nec unius quidem cogitationis molestiam solis tuis viribus superare possis; si una tantummodo te musca privat somno, si morsu unius araneæ interire possis, si unius fulminis strepitu inermis, ac perstrictis luminibus concidis; quid facies, cum contra te contendat arcum omnipotentia Domini validissimè firmans dexteram suam quasi hostis?

Quid respondebis ei voci, quâ considerari possis te invitari à Deo? etenim certissimum est, nisi te convertas ad ipsum oraturus misericordiam, fore, ut in te expediat, quod minitatus est per Prophetam David, *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & paravit illum, & in eo paravit vasa mortis; sagittas suas ardentibus effecit.* Undè intelliges fore tibi salutem, si te insinues in ipsius amicitiam: alieno malo sapias; nam eò quod Hierosolymis fuerit hostis, *Occidit omne quod pulchrum erat visui in tabernaculo Filia Sion: effudit quasi ignem indignationem suam.*

Itaque miseratione dignum est, quod tot animas naturæ donis munitas, præstantissimâ memoriâ atque ingenio præditas, insignique pulchritudine conspicuas malitia peccati crudeli tabe peredat. Hoc si ab ipsis conspiceretur, clariùs viderent, deficientibus Dei gratiâ, ac fidei lumine, & perfectione humilitatis, atque in eorum locum influente & suffecta hæc sanie, elanguescere omnem virorem quæ speciem pulchritudinis habebat; seque similes esse *sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa; intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitiâ.*

Quid enim profuere Ciceroni aurea flumina tantæ eloquentiæ? quid Aristoteli Philosophorum Principi mentis acies & subtilitas in penetrandis secretis, & arcanis naturæ? Quid Julio Cæsari? quid Alexandris, & Pompeis devicti hostes; suæ palmæ, & victoriæ? nam perdita luce diviniæ gratiæ cætera omnia in densissimis jacent tenebris, quibus, ne arrideant cælis, conteguntur. Cur igitur tam incurii sunt homines in evitandis culpis, ne deperdant tam pretiosam gemmam, cujus nisi accesserit splendor, & decus, reliqua formositas, ne elegantiae quidem nomen merebitur?

Væ omnibus, qui tam immani monstro, uti est peccatum, mancipantur: nam super hos effundet Deus suam indignationem, quasi flammam ignis, quâ ad internecionem usque devorabuntur. Dic sodes: dic Adæ fili: dic tandem cinis & pulvis, cum non valeas sustinere Dei

K supli-

supplicia ; quamvis blandiori manu , & veluti guttatim immittantur ; an fortè putes te perferre posse ejus indignationis incendium , cum instar velocissimi diluvii irruerit ? si , cum in tui beneficium pluit , pati non possis madere cæli clementiâ ; quid facies cum non pluviae guttis , sed sulphureis flammis inundaberis ? si patientissimus Job , cum cæperit præsentire Dei supplicia , & ea , ut ita dicam , cum circa montis radices tantùm versarentur , quin ad animæ culmen pervenirent ; aded defatigaretur dolore , ut in hanc tristissimam prorumperet exclamationem : *Pe-reat dies in qua natus sum , & nox in qua dictum est : conceptus est homo. Dies illa vertatur in tenebras , non requirat eum Deus desuper , & non illustretur lumine : obscurent eum tenebra , & umbra mortis , occupet eum caligo , & involvatur amaritudine : & ad calcem capituli : Nonne dissimulavi ? nonne silui ? nonne quievi ? & venit super me indignatio.* Quid agetur de te miserrimo peccatore , quando cumulativè te cinget ira Dei , non tantum in corpore , sed simul etiam in anima , nec in modum ulceris , aut morbi , qui non interficit ; sed quasi ardentissima fornax , quâ cremaberis vivus , appetens potiùs interire millies , quam expectare judicium æterni Dei ? ô calamitosum finem tuarum voluptatum ! infausta atque æterna erit tua pœna , nisi saniori consilio tibi ipsi prospicias. Sedulo meditare repetitionem Prophetæ : *Factus est Dominus , velut inimicus ; præcipit avit Israël , præcipit avit omnia mœnia ejus , dissipavit munitiones ejus.* Iterum enim , ac novo dolore idem repetit , tanquam graviori lamentatione dignum.

57. Perfice tu similiter lugubrem lamentationem , mœrentemque fletum , atque ipsius vocis ejulatu novum dolorem ostende. *Charitas enim Christi urget nos* , (inquit Apostolus) *quoniam si unus pro omnibus mortuus est , ergo omnes mortui sunt , & pro omnibus mortuus est Christus , ut & hi qui vivunt , jam non sibi vivant , sed ei qui pro ipsis mortuus est , & resurrexit.* Haud immemor fuit Jeremias querimoniam , quam movit Deus contra suum populum , dicens Jeremias : *Facta est hereditas mea , quasi Leo in Sylva : dedit contra me vocem ; idè odivi eam.* Quod tum obtigit , ubi elevavit vocem universa multitudo , ut in crucem ageretur Christus. Quid si de te quoque quereretur Dominus , cum haud submissiori voce ipsum offenderis , in dirissimum leonem conversus ad violandas ejus leges & præcepta vanis juramentis , falsis testimoniis , libidine , latrocinis , injuriis ?

Quid mirum , si permittat te Dominus venire in potestatem hostium , & in manus tartaræ legionis , si pati non possis suave onus ipsius legum , aut displiceant ipsius præcepta ? Quid inquam , super hoc mirandum est , si jure optimo Deus ob ejusmodi fragilitatem Israël , præcipit avit omnia mœnia ejus , dissipavit munitiones ejus.

Asserit eximie , atque egregie divus Hieronymus , uti pinnæ , & turriculæ inornant mœnia urbium , & civitatum , ita eorum munitiones eis esse præsidio , ne expugnentur aliqua impressione hostium. Inde à pari exemplo deduci potest ; uti linguarum , & Prophetiæ dona venustant eorum animas , à quibus obtinentur ; ita fidem , spem , & charitatem fortissimas esse munitiones , quæ nos protegent à totius inferni impetu , quem in singulos dies sustinemus. Quo clarissime constat summa infelicitas Israël ; cujus inprimis ornatus , & munitiones everse sunt , nimirum Prophetarum signa , & miracula , quibus perbellè decorabatur ; deinde collapsa ejus fide , & charitate inermis relicta est sine viribus & fortitudine. Quo fulmine concutimur omnes , qui in spirituali via languemus otio ac desidiâ ; nam inprimis corruunt interioris dulcedinis mœnia , fervoris elegantia , devotionisque nitor & pulchritudo ; post verò haud gravatæ quantur solo Theologalium virtutum arces , & præsidia. Unde fit , ut consternatis viribus , se perculsum , atque abjectum sentiat animus. Quapropter sic nos hortatur Apostolus : *Stare ergo succin- Ad Eph. 6. 14. Et lumbos vestros in veritate , & indui loriceam justitiam , & calceati pedes in preparatione Evangelii pacis ; in omnibus sumentes scutum fidei ; in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere , & galeam salutis assumite ; & gladium spiritus.* Idem nobis suadet beatus Petrus : *Sobrii estote , quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens , circuit quarens , quem devoret , cui resistite fortes in fide.* I. Epist. 5. 8.

Væ autem illis , qui tanquam leones invehuntur in ovilia Domini , se atque alios dilacerantes suis scandalis ; quoniam devorabuntur ab hoc alio leone æternum perituri. Si tu ejus fauces & ungues evitare velis , opus est , ne te reddas inermem exutus Religione ac virtute. Opus est , instantius ores , majorique humilitate frequentes corpus Domini , quod est panis de Calo descendens , ut si quis ex ipso manducaverit non moriatur. Opus est , in melius emendentur errores tuæ depravatæ vitæ. Quoniam ob insipientiam Israël factus est Dominus velut inimicus : præcipita- vit

Job. 3.
3.

2. Ad
Corint.
5. v.
14.

Jerem.
8. cap.
12.

Ad Eph.
6. 14.

I. Epist.
5. 8.

59.

Jam.
6. 50.

Jerem.
30. vit eam, præcipitavit omnia mœnia ejus, dissipavit munitiones ejus; *Et replevit in filia Juda humiliatum, & humiliatam.* Jure quidem juxta ea, quæ cap. 30. Jerem. antea affirmaverat; *Omnes amatores tui obliti sunt tui, teque non quarent: plaga enim inimici percussit te castigatione crudeli: propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta sunt peccata tua. Quid clamas super contritione tua? Insannabilis est dolor tuus propter multitudinem iniquitatis tuæ, & propter dura peccata tua feci hæc tibi.*

60. Si patientissimus Job non plagâ inimici percussus aut castigatus, propterea quod neque linguâ, neque labiis suis deliquerit; aded tamen sentiebat suos dolores, ut compelleretur dicere: *Clamo ad te, & non exaudis me: sto, & non respicis me: mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ adversaris mihi:* Quo dolore lamentandum esset Jeremiæ, datam esse Deo causam exercendi tam justas inimicitias cum populo Israëlitico: Data nihilominus est hæc causa: fuit eorum hostis Deus, & ided, *dissipavit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum.* Id ipsum minitatus est Dominus, ubi ait: *Si non audieritis me, ut ambuletis in lege mea, quam dedi vobis, ut audiat sermone servorum meorum Prophetarum, quos ego misi ad vos de nocte consurgens, & dirigens, & non audistis. Dabo domum istam sicut Silo; & urbem dabo in maledictionem cunctis gentibus terræ.*

Jerem.
26. 4. O potentissime, atque æterne Deus! ô animæ meæ dulcissima vita, bellissime sponsæ! quis levare meum tristissimum pectus curis, & afflictione poterit? quis lenire meum dolorem, aut mitigare aliqua in parte luctum? nullum enim solatium extra te invenio, quod me vindicet ab hoc animi mœrore, & ægitudine. Sed cur non doleam tam infelicem meam vicem? Etenim me ipsum vidi, ut amœna Tempe, ut deliciarum hortum florere rosea suavitate gratiarum, quas recepi sacra illa ac cælesti irrigatione Baptismatis. Jam autem alio induor habitu: decidit flos, palluit purpura, contabuit suavitas, omnis venustas contracta est, aruit amœnitas, peresus est fructus, ambusta folia, haud irrigua terra, quia cessarunt pœnitentiæ lacrymæ: unde evenit, ut cuncta, quæ antea nitebant decore, aut oblectabant pulchritudine, in asperissimas arenarias, incultaque spineta conversa sint. Cohibeas jam, ô clementissime Deus, has meorum vitiorum furias; hanc Boream, qui ita dissipat tuæ gratiæ pluvias cælique rores. Aspiret, aspiret, modo tuus Favonius, ut iterum favente aura, atque argenteos rores lam-

mentibus germinibus, meus hortulus reparet tibi sua lilia, permutet suos colores, diffundat lumina, rubeat suis pomis & rosis, croceisque halans spiritibus rursum te invitet ad suam dulcedinem, ut verè possit dicere cum Sunamite in Canticum 7. 10. *Ego dilecto meo; & ad me conversio ejus. Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis: manè surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica; & paulò inferiùs. In portis nostris omnia, nova & vetera servavi tibi: Quoniam nisi dilectus meus descendat in hortum suum ad areolas aromatum, ut pacatur & lilia colligat, nulla res in meis morbis, ac doloribus mihi medicinam facere poterit, aut salutem afferre. Sed proh sancte Deus! quid nunc video? Oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem, & Sabbathum.* Probescio, Domine, futurum, ut nunquam meï oblivisceris, nisi prius tui oblitus essem; unde exortus tui questus, quod oblivioni traditus sis ab hominibus, tanquam ab eorum cordibus dimissus: nam ubi deficit amor, languescit amicorum memoria: ideoque deficit in me jam tui memoria, quia languet meus in te amor. Et quia spreverat Sion tui voluntatis festivitates, & Sabbathum, idcirco & tu sprevisisti in opprobrio, & indignatione furoris tui eorum Regem & Sacerdotem. Si Hierosolymi hoc promeriti sunt supplicium, quia te verum Principem Sion, suum Regem non agnoverant, clamantes, se non alium habere nisi Cæsarem: quid de me agetur, qui ferè in eandem incidi culpam, parùm obsecutus tuo imperio, cum ad me venires mansuetus Princeps, ditissimus Rex, meæ animæ sponsus & hospes: quod nisi tam barbarè degenerassem ab inclyto sanguine ac profapia Filiæ Sion, nisi ita obstitissem meo Regi, deficiens ad Babiloniæ Tyrannos, non ita concidissem superatus his angustiis. Quis dare jam posset lacrymarum fontes oculis meis, ut defleam super flumina Babilonis, recordatus tui Sion, memor horum Regum quos elegeram, ac pariter ejus, quem amiseram! Amisi eum, cui servire regnare erat, deflebens ut transfuga ad eam tristissimam Civitatem, de qua legitur; *Cecidit, cecidit Babylon, & omnia sculptilia Deorum ejus* *Isai. 21. 9. cap* *contrita sunt in terram; & alia in parte; Ecce dies Domini veniet, crudelis, & indignationis plenus, & ira, furorisque, ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores ejus contendendos de ea: & paulò inferiùs: Et erit Babylon, illa gloriosa in Regnis, inclyta superbia* *13. 9. 19.*

Chaldaorum; sicut subvertit Dominus Sodomam & Gomorrhā: non habitabitur usque in finem, & non fundabitur usque ad generationem & generationem: nec ponet ibi tentoria Arabs, neque pastores requiescent ibi: quare, filia Babylonis misera; inquit David. Hujusmodi ergo urbis electo Rege, amisi eum, qui pro me natus & passus est. Cujus laborum fructus, utpotè mei Regis ac Principis, mei erant. Cæterorum autem Regum pompa & vanitas, nihil proderunt; nec minus stultum erit ætatis atque annorum florem in aucupanda eorum fragilitate contere.

62. *Inspienter fecerat populus Israëliticus, quando repetitis vocibus petivit Regem à Samuèle dicens; Constitue nobis Regem, ut judicet nos, sicut & universa habent Nationes; cum tamen sic moneret eos Propheta de jure Regio: hoc erit jus Regis, qui imperaturus est vobis; filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi Equites, & praecursores quadrigarum suarum, & constituet sibi Tribunos, & Centuriones, & aratores agrorum suorum, & messorum segetum, & fabros armorum, & currum suorum. Filias quoque vestras faciet sibi unguentarias, & focarias, & panificas: agros quoque vestros & vineas & oliveta optima tollet, & dabit servis suis; sed & segetes vestras, & vinearum redditus addecimabit, ut det Eunuchis & famulis suis. Servos etiam vestros & ancillas, & juvenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo: greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei servi. Et clamabitis in die illa à facie Regis vestri quem elegistis vobis, & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis Regem. His monitis noluit obedire populus. Sed Regem petiit: audivit quidem Samuël vocem populi abjicientis Dominum, & dedit ei in Regem, Saülem filium Cis. Væ autem mihi, cui idem accidisse videtur ac populo Israëlitico: nam relicto Domino, transfugi ad castra peccati; elegi mihi Saulem, qui interpretatur infernus, in meum Regem; inspienter fatis me gessi erga cælorum Principem, Regem Regum, & Dominum dominantium. Quod si Deus movens suas querelas contra barbariem illius ingratiſſimæ nationis in hunc modum loquutus fuerit Samuëli: *Audi vocem populi in omnibus qua loquuntur tibi: non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos: pari modo de me conqueri potest, qui, defectione factâ, declinaveram ad vexilla peccati. O Rex gentium, quis te non timeat? Nam tuum est dominium, tua sapientia; nemo Principum tui similis in cælo, aut in terrâ. Quis audeat te derelinquere immensam Majestatem, nisi stultus sit corde, ut ego sum,**

qui te summum Regem ac Principem Israël, dum me invitares ad tuam militiam, coronavi spinis; potaviq̄ue amaritudine per tam infamem prodicionem? Unde ritè jam, uti experti sunt Hyerosolymi, viduor meo Rege ac Sacerdote.

Repulit Dominus Altare suum. Qui enim 63. deseruerat suum Regem, atque offenderat Sacerdotem, non meritus est habere altare, aut sacrificia, quorum suavitatis odore placaretur Deus. Quando deficit in te summus tuus Sacerdos Christus, ejusque oblationis memoria desinis percipere ejus altaris suavissimos fructus. Præceptum erat in Levitico, ut continuus focus haberetur in altari. Quo significatum est, te semper flagrare debere ardore charitatis: nam cum defecerit hic ignis in ara tuæ voluntatis, repellet Deus tuum Sacrificium ob tam immanem culpam. Item nisi ardeat tua fides radiante flammâ ejus amoris, sine qua, quamvis transferas de loco in locum montes, atque eroges omnes tuas divitias in eleëmofynam, ipsamq̄ue mortem subeas, auferet à te Deus simul sacrificium, & altare, atque in faucibus mortis te derelinquet.

Deplora igitur, fili mi, tuam perniciem, ne cesses deslere tuam solitudinem; dum splenderes gratiâ, ornatissimum videbaris altare, in quo offerebatur Deo, non capræ aut vituli; sed quod obtulerunt Magi, gentium primitiæ, porrigentes filio Virginis incensum ut Deo, aurum ut Regi, myrrham ut homini in celebritatem sepulchri: quoniam tua solebat Oratio, dum florebas Dei amore, ac benevolentia, ejusque nitebas gratiâ; penetrare nubes, directa quasi incensum in conspectu Domini: lacrymarum fluminibus natate oculi, atque interiora tui cordis suspiriis, quæ sunt mortificationis ac poenitentia myrrha; tuæ eleëmofynæ veluti aurum misericordiæ, levare pauperes suâ inopiâ: omnia tua cum corpore & animo oblata Deo in bellissimum holocaustum ejus virtute, qui ut te sanctificaret per suum sanguinem, extra civitatem mortuus est, antea flagellatus in civitate. Cæterum patratâ culpâ, more Judæorum sacrificantium dæmoniis, tui Regis ac Sacerdotis perdidisti amicitiam. Eò quòd secutus duritiam illius populi, immolaveris lucifero Principi dæmoniorum, dicatis tuis opibus vanitatis pompæ, & honori, tuis manibus pronis in vindictam, clausis tuis visceribus indigentia proximi, aperto corde tuis passionibus ac libidini; ademit; ademit tibi Dominus Altare suum; atque omisere cæli fulcire te floribus, onerare

rare te gemmis cum amore non langueres, aut omnia non reputares, quasi stercore, ut Christi dilectio lucriferet.

65. Nisi hujus rei tangaris dolore, quas ærumnas præsenties? quid extorquebit tibi lacrymas, nisi commovearis discrimine, in quod te impellit tua superbia, litando dæmoniis tuam gazam, & ostentationem, & vanæ gloriæ tua opera, indies congerendo lignum sulphuri, quo æternum torquendus sis in inferno? Ergo optimo jurè à te repulit *Deus altare suum*, cum tu immerfus tuis peccatis denegares ipsi tuæ mortificationis sacrificia: nec minus dolendum de laboribus Christi, qui quamvis Dei filius atque æterno Patri gratissimus, bibere tamen voluit calicem suæ passionis, propinaturus tibi nectareos liquores in cælesti gloria. Si nihilominus renuis hic perpeti ejus exemplo, ut ibi excipiaris ut conviva, quid aliud expectare potes, nisi quod obtigit Israëlitis, nempe, *repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ.*

66. *Christus nos redemit de maledicto legis,* (dicit Apostolus) *factus pro nobis maledictum:* (quia scriptum est;) *maledictus omnis qui pendet ad det in ligno, ut in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo JESU.* Quis licet excisus è lapidibus, aut enutritus à Tygride, quem non emollirent, ac mitigarent tam ampla beneficia sui Servatoris? Quid enim pulchrius, aut jucundius, quam unigenitum Dei filium dilaudatum ab Angelis, onera atque opprobria crucis in seipso suscepisse, ut nos ab ultima maledictione ac sententia, quæ addicentur maledicti igni æterno, pro maxima sua misericordia liberaret? Quas meretur pœnas, qui remissus est in persolvendo pro his favoribus grates divino Numini, nisi quastulit Jerusalem ob suam ingratitude, & significaverat sic Propheta Jeremias; *Tradidit in manu inimici muros turrium ejus:* & Isaias sic: *Civitas Sancti tui facta est deserta; Sion deserta facta, Jerusalem desolata est; domus sanctificationis nostra & gloria nostra ubi laudaverunt te Patres nostri, facta est in exustionem ignis, & omnia desiderabilia versa sunt in ruinas.* His annectit Jeremias in eodem Texto, hostes vocem dedisse in domo domini, *sicut in die solemnium.* Quid tristius, quam in templo Dei, ubi Sacerdotes ac Levitæ instrumentis Musicis, & varietate ac dulcedine cantionum solebant intendere laudes cælorum Altissimo Regi, ibidem irrississe; jactasseque suas blasphemias Dei hostes, polluto Sacratio, ac rebus dedicatis Divino cultui: ac plausu, aliisque inconditis lætitiæ signis exce-

plisse eos suam barbariem, sicut in die sibi admodum solemnium?

Risui parce, fili mi, & tandem aliquando abstine solutus in lacrymas, si forte voluptatis infamiam tuâ libidine duce consequi aliquando studueris. Digna enim scias laturos factis, qui ita se gerunt, qui gloriantur de culpis, tanquam ovantes victoriis; de suo exitio sibi plausus excitant; cæsi ac devicti sibi promittunt triumphos, cum mortales, ac breviores hujus vitæ deliciae, neque ad gustum, neque ad animum ipsis fatis esse possint. Hæc deploranda cæcitas mortalium, ac diligentius considerandum non bene cohære mundi gaudia & sanctorum felicitas. Quamobrem, *Cogitavit Dominus dissipare murum filia Sion,* permittens ipsius ruinam, quæ Dominum non admittebat defensionem.

Quid faciemus Sorori nostra in die, quando alloquenda est? (inquit Sponsus in suis Canticis:) *Si murus est, adificemus super eum propugnacula argentea: Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis. Ego murus (repetit Sponsa,) & ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens.* Murus fuisti, fili, dum serviebas Deo; fortissimus murus, inexpugnabilis turris; tuaque ædificatio super lapidem, qui est Christus. Quare, *Urbs fortitudinis nostre Sion,* (cecinerat Isaias in gratiarum actione, quas celebraverat ob justorum exaltationem,) *Salvator ponetur in ea murus, & antemurale.* Tu autem quomodo conservasti tuum murum? Quomodo propugnasti tuam turrim? Cur deseruisti ejus fortitudinem, & antemurale? Cur tam citò ruisi in præcipitium? Nonne vides, uti *Deus tetendit funiculum suum* ad afficiendum te supplicio juxta mensuram delicti, nec avertit manum suam à perditione? Advertas, amabo, quamvis Dominus nolit mortem aut exitium peccatoris, sed potius velit, ut convertatur & vivat; nihilominus tamen prius futurum, quam ut tibi parcat, ut tu parcas insatiabili siti, quæ anhelas culpis & flagitiis.

Cæterum si toto corde convertaris ad ipsum, repetere vindictam ipse omittet; nam licet initio videatur severè in nos animadvertere, eâ nihilominus viâ haud raro mitiori manu contendit tantum depurgare nostra crimina, ut virgæ quasi umbra conterriti ad meliorem vitæ normam redeamus. Sic punire cæperat Mariam Sororem Moysis candente lepra: statim tamen ipsi restituit salutem. Sic Rex David ejusque focii incepere graves pœnas sustinere amissis fortunis, & uxore

ribus, quæ nihilominus omnia statim cum insigni victoria recuperarunt. Sic Deus minitatus est Ninivitis; verum non processit ad supplicium: sic variis temporibus constituit excipere Israëlites calamitatum acriori flagello, cum tamen post contineret manum à verberibus: hic autem audaciæ suæ pœnas dedit Jerusalem, quia tam mordicè tenuit ipsa suas blanditias, ut intemperantiùs earum sensu duceretur. Nam ubi peccatores ultra modum adhærent suæ pertinaciæ, latè sibi aperiunt aditum ad sui perditionem. Quamobrem quia Jerusalem ab initio recusabat deflectere à cursu, non avertit Dominus manum suam ab ejus excidio, & perditione; *Luxitque antemurale, & murus pariter dissipatus est.*

70. Haud abs re intelligi potest per hoc antemurale, quo retardatur impetus hostium, ne accedant proprius ad muros, fides viva atque informata charitate; quo veluti clypeo tutissimè excipiuntur pugnantium tela. Dum persistit hoc præsidium, mœniis nullum imminet periculum. Cæterum eo corruente, in lubrico sunt hæc, (id est animi omnes reliquæ virtutes,) & prona in ultimum casum. Væ tibi peccatrix anima, quam cum ita consternatam viderit sponsus, non dicet; *Si murus est adificemus super eum propugnacula*

Zachar. argentea: nec quod tradiderat Zacharias.

2. 5. *Ego ero ei murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio ejus, nec tu affirmare poteris, ego murus, & ubera mea sicut turris.* Quid ergo dices, nisi quod dixerat Job se deridentibus? *Quasi rupto muro, & aperta januâ, irruerunt super me, & ad meas misérias devoluti sunt: redactus sum in nihilum: abstulit quasi ventus desiderium meum, & velut nubes pertransiit salus mea.* Potuitne tibi proponi clarius exemplum in hanc rem, quam Jerusalem, quæ cum perpulchrè non valeret dicere cum sponsa; *ego murus & ubera mea sicut turris, defixa sunt in terra porta ejus?*

Job. 30. 14.

71. Nusquam plus occasionis datum haustumque, quam per nostros sensus, utpotè qui sunt nostri animi portæ ac fenestræ. Ut quid de nostris adversis querimur, cum defigimus has portas assulatim in terra, nimirum in fluxis ac mundanis rebus; quasi semper essemus victuri in illis, habentes procul consilium & sapientiam. Urgentia circumstant vitia in hac terra ac mortuorum regione, superbia, mendacia, homicidia, furta, adulteria; nec resurgere, aut in aspectum veri attolli sensus permittunt; sed immerfos cupiditatibus premunt. Eo autem quod infixæ

fuisse portæ Jerusalem in hac terra, infixit eas Dominus in terra oblivionis, & exitii, utique depopulatus eam Civitatem, quæ aliquando, dum bene lacertos exerceret pro Dei honore, bellissimè ostendebat suam venustatem ac pulchritudinem. *Perdidit, & contrivit veſtes ejus;* quoniam ipsa obfirmabat se veſtibus, muniēbatque se ingratissimè feris adversus mundi conditorem, atque ejus sanctissimas inspirationes, inanis laudis umbris ambitiosè capta; cum tamen toties confregisset Dominus veſtes, ac repagula, quibus ipsa detinebatur à cursu suæ fœlicitatis, ac salutis.

Recordare fili, quoties obstruxisti fores geminatis repagulis, pia ac summè tibi salutaria inspiranti Numini: quoties tuæ custodiæ Angelum, dum de necessario vitæ ordine te moneret, repulisti: quoties oblivione passus es esse in te sepultam mortis memoriam: quoties rejectâ cogitatione cælestium, voluptatibus paluisti: quoties clausisti bursam pauperibus, profusissimus in eo, cujus unius ostentatione fulsit superbia: quoties non pudebat te ad reliquias vitæ te tibi reservare, ac destinare bonæ menti id solum tempus, quod ferè in nullam rem conferri possit, cum deberes agnoscere serum esse tunc vivere incipere, quando desinendum est: tam stulta mortalitatis hujus vitæ, alteriusque æternitatis oblivio jure optimo meruit, ut auferrentur tibi tuæ virtutis veſtes ac repagula, nempe Spiritûs sancti dona, præcipuè fortitudinis, quâ infringere solebas vires hostium, cominus de summa rerum singulari edita pugna.

Non hujuscemodi laboraret angustiis Hierusalem, nisi gauderet mendacio, ac certaret ingenti quodam nequitiae certamine, majori quotidie peccandi cupiditate, minori verò verecundia. Nam expulso melioris æquiorisque respectu, quocumque visum est, ejus se impingebat libido, nec furtiva jam scelera erant, præter oculos ibant; proptereaque Dei Justitia perdidit, & contrivit veſtes ejus, Regem ejus, & Principes in gentibus: non est lex (inquit Sacratuſ Textus) & Propheta ejus non invenerunt visionem à Domino. Violatores enim legis eam audire à Prophetis non merentur; nec habere visiones Prophetarum ii, qui abnuunt per illos videre. *Filii mendaces* vocantur hi omnes ab Isaia, *Filii nolentes audire legem Dei, qui dicunt videntibus, nolite videre: & aspicientibus, nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt: loquimini nobis placentia; videte nobis errores: auferte à me viam, declinate à me semitam, cesset*

Isai. 30. 9.

cesset à facie nostra sanctus Israël. Ad quid ergo essent tribuendæ visiones nolentibus videre aut audire?

74. Hoc utaris monitu, Amice mi; scias ex violatione divinæ legis dimanare hominibus hujusmodi impietates ac blasphemias. Alterum enim alteri sternit viam: doleas ergo toto pectore tuis sceleribus esse commissum, ut excuteres tibi jugum Domini, peccati dulcedine, tanquam illecebris, inescatus. Hujus rei impendente capiti dolosâ strage, ludis, cantillas, otiaris vanâ seductus gloriâ, seu mundanis captus insidiis, rebus sordidissimis atque illiberalibus, pulcherrima, maximaque inter homines bona, fas, justitiam, pietatem pervertis; vitamque turpitudine, infamia, ac perturbationibus fœdas. Prophetas contemnis, nec absterreris malis, quæ ex eorum vaticinio acciderant; nec iis, quæ ventura prænuntiant, tantâ objectâ formidine, ut nisi justorum causâ contraheretur tempus, quo ingruent, nemo, nisi Dei miraculo perpeti ea posset. Quid autem indè fiet? te interim vivente sine timore, sine lumine, sine visione, sine spiritali pabulo festinabit vita, mors de improvviso aderit, cui, velis nolis, vacandum erit. Maxima porro vitæ jactura dilatio est: illa primum quemque extrahit diem, illa eripit præsentia, dum ulteriora promittit. Maximum vitæ impedimentum est expectatio, quæ pendet ex crastino. Perdis hodiernum; quod in temporis manu positum est, disponis; quod in tua, dimittis. Quo spectas? quo te extendis? omnia quæ ventura sunt, in incerto jacent, protinus vive; pete illustrari à Deo, ut ejus mediteris favores eo saltem modo, quo eos vidit Minister Elisei in Dothan, quo præmiserat Rex Syriæ, qui Prophetam caperent, ut constat ex quarto Regum, cujus hæc sunt verba:

4. Reg. 6. *Conspurgens autem diluculo Minister viri Dei, egressus est; viditque exercitum in circuitu civitatis, & equos, & currus; nuntiavitque ei dicens: heu heu heu Domine mi, quid faciemus? At ille respondit noli timere, plures enim nobiscum sunt, quam cum illis: cumque orasset Eliseus, ait: Domine aperi oculos ejus, ut videat; & aperuit Dominus oculos pueri: & vidit, & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisei.* Quo argumento declaratur, quàm præsens sit Dei subsidium iis, qui submissione ac pietate obediunt illi. Nam quamvis visus corporeus molliculis, ac mundo deditis inferat terrorem, ne asperitatem Crucis, pœnitentiæque labores suscipiant; liberantur tamen hoc metu per illumina-

tionem Spiritûs Dei famuli, qui sui Domini sanctissimo timore roborantur ad sustinenda ea, quæ horrendâ specie inexperitis objiciunt minas, siquidem fraudem potius, quàm periculum creent.

Si intueri possemus consolationes ac subsidia, quibus Deus sustentat suos, minoris certè duceremus hostis impetus, & velitationes. Cæterum tam infelix fuerat Hierosolymorum Civitas, ut quoniam in terra suorum appetituum defixerat sensus, non meruerit cælestem hanc illustrationem. Nam utique, qui adornat navigationem in exteris nationes, optatum portum non obtinet, nisi prius relicta Patriâ, ita sanè nec potiri quis valebit dulcedine invisibilium, nisi deserat visibile, ejusque lenocinium ac voluptatem. Opus est, obliviscamur temporalium, ut consequamur æterna. In hujus rei confirmationem; *Sederunt*, teste Jeremiâ, *in terra, conticuerunt senes filia Sion.* Conticuerunt, quia sederunt in terra: nescit enim de cælestibus miscere sermones, qui in terrenis morosè confidet. Quare consperserunt cinere capita sua in pœnam vanitatis: etenim quid aliud fas erat, iis accidere, qui momentanea, ac cinerea sectati sunt, nisi ut operiant sua capita terra ac cinere pro admissa culpa?

Miseranda res ac nimis calamitosa, quod ita defudent homines in onerando se cinere, degustando terræ pulveres ac præproperâ quadam quasi aviditate eos devorando, cum minori dispendio per Dei gratiam ad conquistissimas epulas, ac delicias recipi possint. Non est, quod invidias istis, quos magnos, felicesque populus vocat; non est, quod tibi compositæ mentis habitum, & sanitatem plausus excutiat; non est, quod tibi tranquillitatis suæ fastidium faciat ille sub eo decore, & purpura cultus. Despice hæc omnia, & redi ad veram animi libertatem, quam non alia res tribuit, quàm mundani pulveris negligentia. Tum inde oritur illud inæstimabile bonum, quies mentis in tuto collocatæ, & sublimitas, expulsiisque terroribus gaudium grande & immotum, comitatusque & diffusio animi quibus delectabatur spiritus, ut ex bono suo ortis.

Cætera verò bona, quæ nos speciosa, sed fallaci voluptate delectant, pecunia, dignitas, potentia, aliaque complura, ad quæ generis humani cœca cupiditas obstupescit, cum labore possidentur, cum invidia conspiciuntur, ut testes sunt Hierosolymi, quorum senes consperserunt se cinere, accincti sunt ciliciis, quorum etiam virginibus id partim obtigit: nam

illa

illæ, quæ antea tenui indutæ erant amictu, ac pretiosis telis, quæ fulgentes adamantibus, moniliumque radiis, perinde Comitum, ac suæ pompæ decus, incedebant; jam tandem meritam cælo repetente vindictam, pro gemmarum splendore, pro elegantia, ac nitore vestium, asperis, ac festosis cinctæ fuerunt ciliciis: qui habitus est proprius eorum qui lugent, eò quòd gratiæ aspernati sint cultum. Ita enim de illis prædixerat Isaias. *Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit: in die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas & mitras, & discriminalia, & persicelidas, & murenu- las, & olfactoriola, & innaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & specu- la, & sindones, & vittas, & theristra; & erit pro suavi odore fator, & pro Zona funi- culus, & pro crispanti crine calvitium, & pro fascia pectorali cilicium.*

Isai. 3.
17.

78. Ad hæc, abjecerunt in terram capita sua Virgines Hierusalem: quâ demonstratione ingens doloris signum edidère. Id exemplum te, etiamnum mancipatum tuæ libidini, aliquo suffundere posset rubore, ni ipsius urbanitatis, ac pudoris fines transiisses. Tu superbus & arrogans, non erubescis ita duci inani ostentatione, cum abituram eam in tenues favillas ostenderint Virgines Hierusalem. Plus nimio te habes in voluptate & luxu, cum ita oneraverint se ciliciis eadem Virgines cum senioribus filiarum Sion. Illi defleverunt tuos risus; tu rides, tandem dissolvendus in lacrymas, & faxit Deus, ne æternum iis contabescas. Illi didicere deponere cultum corporis, augere fletus, ambitionem temperare, sui squallorem, & cinerem æquis oculis aspicere; tu autem studes, quomodo te cultu à cæteris distinguas, quomodo lautitia cænarum, quomodo munitiis vehiculorum comitatusque luce.

79.

CAPH.
II.

Sed notandum hîc putavi renovatio- nem doloris, quam denuò orsus est Pro- pheta, quasi antea parum lamentatus fuisset; *Defecerunt (inquit) præ lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea, effusum est in terra jecur meum super contritionem filia populi mei, cum deficeret parvulus, & lactens in plateis Oppidi.* Itane se tradiderit lacry- mis Jeremias, quoniam deficiebant par- vuli in Civitate? quid? Scire velim; an defecerit alia aliqua causa gravioris doloris? Si conticuere senes; si abjecere se Virgines; si luxerit antemurale; & urbis pariter murus dissipatus sit, si demolitus sit Dominus tabernaculum suum, & obli-

vioni tradiderit in Sion festivitatem & Sabbathum; si destruxerit munitiones Vir- ginis Juda, & dejecerit Regnum, & Prin- cipes ejus, nec speciosis Jacob pepercit; si projecerit de cælo in terram inclytam Israël, nec recordatus sit scabelli pedum suorum in die furoris sui, quid opus erat ita laxare habenas luctui, eo quòd non videret parvulos in Civitatis plateis? Si palàm fieret, quanti solet Deus æstimare hos parvulos, non aded vinceremur hu- jus rei admiratione. Avaris oboritur lu- ctus ex divitiarum inopia: tristitiam pariunt mundanis labores, & ærumnæ: ve- rum qui ducuntur cælesti lumine, non de his dolent; sed super paucitate parvulo- rum; de quibus mentionem fecerat æter- na veritas, dicens suis discipulis: *Nisi con- versi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cælorum.* Eò enim non introducuntur lascivi, aut superbi, aut alienæ famæ obtrectatores, aut ava- ri; sed puri, sinceri, innocentes, humi- les. De horum pusillitate, vel potius sum- mæ gloriæ, & amplitudine, iterum lo- quutus fuit Dominus; ubi dixit: *Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me veni- re: talium est enim Regnum Cælorum.* Requi- rebat ergo Jeremias in Jerosolymorum urbe justitiam, religionem, æquitatem, innocentiam: lacrymarumque imbres ipsi eliciebant fraudes, injuriæ, dolosæ circumventiones, calumniæ, quæ ibi necebantur. Quoniam cum Deus sit infi- nitè purus, ac Sanctus, nisi vitæ integri- tate ac sanctimoniâ floreas, cum ipso re- gnare non poteris. Quod enim commer- cium potest esse lucis cum tenebris, aut sanctitatis cum malitia, aut gloriæ cum miseriis? Itaque si quæris, cur mundus aded implicetur dolis, ac litibus? cur ita ferveat bellis, ac dissidiis? haud ægrè possum dicere; quia abhorrent mundani ab humilitate parvulorum. Cur ita scateat dolis, ac vitiis, nisi quia deficiunt par- vuli, *Prudentes sicut Serpentes, & simplices sicut Columba?* In hanc rem optimè qua- drat illa sententia Domini: *Lucerna cor- poris tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex: totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam; totum cor- pus tuum tenebrosus erit. Si ergo lumen quod in te est tenebra sunt; ipsa tenebra quantæ erunt?* Sed quod funestum est, cum deberent esse homines parvuli puritate; vanitate parvu- li sunt; voluptate sensuum pueri efficiun- tur, quod reprehendit Apostolus scribens ad Corinthios: *Fratres nolite pueri effici sen- sibus; sed malitia parvuli estote;* (in adver- so nempè sensu, id est, puri estote ab omni mali-

Matth.
18. 3.

Matth.
19. 14.

Matth.
10. 16.

ibidem.
6. 22.

Paul. I.
ad Co-
rinth.

mali- 14. 20.

malitia; non autem ut pueriliter se sine-
rent duci, ac mulceri peccati illecebris;
quo sensu protulimus vanitate parvulos;)
Sensibus autem perfecti estote. Cæterum quàm
pueriliter se gerat jam nostrum sæculum
in suis petulantis, planè ostendunt ejus
ignominiosi mores. Pauci pietatem su-
gunt, cum toties admoveat pectora san-
cta Mater Ecclesia. Cujus rei causa quæ-
rebatur de suo quoque sæculo Jeremias,
*Cum deficeret parvulus, & lactens in plateis
Oppidi.*

80. Infœlicissimum quid, orbari parvulis.
Sed haud scio, an adhuc infœlicius sit; de-
ficere qui sugant? Etenim hi, quos no-
tavimus pueriliter se gerere in improbita-
te sensuum, nè tantillum quidem roris
eliciunt ex sponsæ uberibus: quod si ex-
fugere vellent, brevi resumptis viribus,
perfectionis culmen occuparent. Væ au-
tem fatuis, ac planè dementibus pecca-
toribus, qui, non modo sensibus pueri
sunt, verum averfantur etiam suæ almæ
matris mammas, de quibus testatur ea-
dem ipsa Salomonis eloquio: *Ego murus,
& ubera mea sicut turris,* & ea quidem alti-
tudine, ut cæli verticem attingant ad re-
cipiendos dulcissimos liquores, quos in-
fundit Christus: nam bellissimus hic Spon-
sus, sustinuit aperiri sibi pectus in Cruce,
ut perciperemus charitatem, quâ splen-
det ipse, & desiderium, quo ardet nu-
trienti suos filios ac parvulos divino ne-
ctare sui pretiosissimi sanguinis, ut non
abs re sic ipsum oraverit Sponsa: *Trabe
me; post te curremus in odorem unguentorum
tuorum: introduxit me Rex in cellaria sua:
exultabimus, & latabimur in te memores ube-
rum tuorum super vinum: recti diligunt te.*

81. Condoleamus vicem mortalium. Sin-
gulos enim accurrere videmus ad res mo-
mentaneas, & fragiles, quando aliqua spes
illucescit consequendi eas sine ulteriori cer-
tamine, & vix invenitur, qui velit susci-
pere tanti pretii delicias ultrò oblatas ex
latere Christi: quinimò nec sufficiunt pre-
ces aut minæ ad persuadendum ipsis, ut
potiantur tanta fœlicitate, & munere.
Quodam enim in loco affirmat Dominus;

*Joann. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, &
6. 33. biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam
in vobis.* In alio autem invitat: *Venite ad me*

*Matth. omnes, qui laboratis, & onerati estis & ego
11. 28. reficiam vos.* Et iterum per Evangelistam

*Joann. Joannem. Si quis sitit veniat ad me & bibat:
7. 37. qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flu-
mina de ventre ejus fluent aqua viva.* Et an-
teà ad id ipsum convocaverat ad suas deli-
cias per Isaiam, dicens: *Omnes sitientes ve-
nite ad aquas; & qui non habetis argentum,*

Isai 55. 1. nite ad aquas; & qui non habetis argentum,

*properate, emite, & comedite: Venite emite
absque argento, & absque ulla commutatione
vinum & lac.* Nondum tamen responde-
re decernunt cœci homines tantamanti in-
vitationi, cum ipsis sanè promittat Pro-
pheta Rex veritatem, misericordiam, ju-
stitiam, salutem, saturitatem, præsi-
dium, purissimæ voluptatis delicias, ac
vitam cum æterna gloria. *Domine, (inquit)
in calo misericordia tua; & veritas tua usque
ad nubes. Justitia tua sicut montes Dei: judi-
cia tua abyssus multa: homines, & jumenta
salvabis Domine: (quemadmodum multi-
plicasti misericordiam tuam Deus,) filii au-
tem hominum in tegmine alarum tuarum spe-
rabunt; inebriabuntur ab ubertate domus tua;
& torrente voluptatis tue potabis eos: quoniam
apud te est fons vita: & in lumine tuo vide-
bimus lumen.* Attamen ita profundè egerunt
radices in suis vitiis peccatores, ut non-
dum iniverint consilium fruendi tot bene-
ficiis.

Psal. 35. 6.

Caveant, ne sibi accidat miseria filio-
rum Israël; qui *Matribus suis dixerunt, ubi
est triticum, & vinum? cum deficerent quasi
vulnerati in plateis Civitatis.* Quæ alimenta,

Lamed. 12.

nimirum spiritualis scientiæ, ac doctrinæ
cum exhiberi non possent à senioribus,
& Sacerdotibus, utpote qui obmutescen-
tes sedebant in terra; lugubres ejulatio-
nes ciebant questi de sua inopia: *Cum defi-
cerent quasi vulnerati in plateis Civitatis; cum
exhalarent animas suas in sinu matrum sua-
rum.* Hoc idem certè hæreticis accidit:
nam cum horum Magistri vero ac salutari
indigeant pabulo, quo nutriant suos alum-
nos, eos pestifero veneno inficiunt. Quid
si tibi ipsi, ô Christiane, idem suo modo
accidat? licet enim verum, ac sanum
habeas pabulum; eo tamen non uteris ad
vitam, sicuti oportet; cum tam altè in-
dormias lethali culpæ; ac tuo potius de
exitio libidinem, quàm Ecclesiæ Docto-
res de remedio consulas. Rectè te ipsum
nominare potes filium corruptionis juxtà
illud patientissimi Job. *Putredini dixi, Pa-
ter meus es, mater mea & soror mea vermibus.*
Nam si Job, cum ad eò vigeret gratiâ, pro
suâ humilitate ità se vocaverat; quid
æquum est tibi dicamus, tam deformi pec-
catori? Si justus, & amicus, matrem ap-
pellaverat vermes; quanam erit tuâ ma-
ter, ô Dei hostis, & inimice? Quid un-
quam boni expectandum ab eo, qui pen-
det ex uberibus tam perditæ Nutricis?
haud injuriâ ergo ad pendentem à Cruce
JESUM, sublatis oculis, ciebis hanc ex-
clamationem: *Nunquid non paucitas dierum
meorum finiatur brevi? Dimitte ergo me, ut
plangam paululum dolorem meum, antequam
vadam.*

Job. 17.

Job. 10. 20.

vadam, & non revertar, ad terram tenebro-
sam, & opertam mortis caligine; terram mi-
seria & tenebrarum, ubi umbra mortis, &
nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

Quoniam si in hunc modum oraveris
tuum Conditorem, ac dulcissimum JE-
SUM, & non manserit in tabernaculo tuo in-
justitia; tunc levare poteris faciem tuam abs-
que macula, & eris stabilis, & non timebis,
misericordiae quoque oblivisceris, & quasi aquarum,
quae praeerierunt recordaberis, & quasi meri-
dianus fulgor consurget tibi ad vesperam; &
cum te consumptum putaveris, orieris ut Luci-
fer. Si pro dilectissimo sponso suspiraverit
tua anima, praesentiet ejus suavitatem,
& dulcedinem, unaque amanter dicet
cum sponsa: *Sub umbra illius, quem deside-
raveram, sedi: & fructus ejus dulces gutturi
meo; introduxit me in cellam vinariam, ordi-
navit in me charitatem. Fulcite me floribus,
stipate me malis, quia amore langueo.* Si au-
dires à dilecto discipulo, quam mirificè o-
blectatus fuerit pectore Domini in ultima
cæna; intelligeres quam imprudenter huc-
usque suxeris ex aliis uberibus: etenim
quæ unquam mater ita indulserat filiis, ut
tibi Christus Dominus, qui pretio sui
sanguinis tot tibi felicitates, ac delicias
paraverat?

Cant.

2. 3.

83. *Mente quæso, & animo agites, saltem
hanc lamentationem Domini super Hieru-
salem; Quoties volui congregare filios tuos,
quemadmodum gallina congregat pullos suos sub
alas, & noluisti? ô qualem deseruisti ma-
trem, Charissime Amice! quem asylum,
cujus praesidii umbras, quas alas amisisti?
si iis te protegeres, in ipsam gloriam te
inferrent, uti asseverat Moyses in Deute-
ronomio referens Dei beneficia erga popu-
lum: Sicut Aquila provocans ad volandum
pillos suos, & super eos volitans, expandit
alas suas, & assumpsit eum, atque portavit
in humeris suis. Hoc perfecerat humani ge-
neris assertor, quando in Cruce extendit
brachia sua, satisfactorus æterno Genitori
pro nostris delictis. Si oraturus tibi cibum
ad eum accederes, non ita perires fame.
Illud enim frumenti granum est, quod ca-
dens in terram copiosos fructus tulerat,
panis ille est de cælo descendens, ut qui
ex eo manducet non moriatur, sed vivat
in æternum. Illud vinum est, quod ger-
minat virgines: ille, ille dilectus est can-
didus & rubicundus, electus ex millibus;
cujus caput aurum optimum, cujus guttur
suavissimum; & ipse totus desiderabilis: qui
tale delictum suum incuriam perdiderit; nes-
cio, quo verborum pondere eum corripiam:
nescio, cui comparari possit.*

Math.

23-37.

Deut.

32.11.

84. Itaque conversus Jeremias ad prodito-

rem populum, Cui, (inquit,) comparabo
te, vel cui assumulabo te, filia Jerusalem? XIII.
cui exaquabo te, & consolabor te Virgo Filia
Sion? Magna est enim velut mare contritio tua:
quis medebitur tui? Num medicinam tibi fa-
cient, tua idola, de quibus antea quæsit
Dominus, ubi essent? aut Gentes quæ te
persequuntur? Num Reges tui, aut Prin-
cipes? At hi ipsi percussi sunt. An mun-
dus, qui tuus capitalis hostis est? An tui
corporis venustas, quæ jam emarcuit? An
languescens animus? an cæteræ creatu-
ræ, quæ instrumenta sunt doloris? O Fi-
lia Sion! quis tibi medebitur? magna qui-
dem, ut mare, contritio tua: nam cum
videret Propheta se nusquam invenire pos-
se aptiorem comparisonem tempestate
maris, ei te comparaverat; uti fecerat
quoque sanctus Judas Apostolus in sua Ca-
nonica epistola, ubi de peccatoribus ita
scribit: *Hi sunt in epulis suis macula, convivantes
sive timore, semetipsos pascentes, nubes sine
aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores
autumnales, infructuosa, bis mortua, eradi-
cata, fluctus feri maris, despumantes suas con-
fusiones, sidera errantia, quibus procella te-
nebrarum servata est in æternum.* Hi sunt
peccatores, quorum superbia intumesce-
re videtur, tanquam undæ maris, quæ vi
tempestatum obsessæ illiduntur in littora.
donec inter leves candidasque spumas suam
iram deponant. Sic enim isti agitati ambi-
tionis tumultu, appellent tandem aliquan-
do ad mortem, in cujus luculentis finibus
honorum fasces ac decus purpuræ depo-
nent; missum facient mundum, cum om-
ni suo luxu & blanditiis; contrahent libi-
dini vela, quasi navis, quæ nunquam ite-
rum vanitatum fluctibus committenda sit.
*Quia dies Domini exercituum, (inquit Isaias.)
Super omnem superbum & excelsum. Et paulò
inferius: Et super omnes naves Tharsis, &
super omne quod visu pulchrum est. Et incur-
vabitur sublimitas hominum, & humiliabitur
altitudo virorum; & elevabitur Dominus so-
lus in die illa, & idola penitus conterentur.*

Isai. 20.

12.

Hos imitatus, quam malè, fili mi, per-
solvisti grates tuo sanctissimo Servatori pro
tam immenso amore, quo te vindicavit à
fluctibus, & amaritudine illius tempestatis,
quæ demergebaris in infernum? Nec verò
tantum liberavit te ab his angustiis, ve-
rum etiam ad æternæ salutis portum dedu-
xit, sustinendo ipse tui causa amaritudi-
nem Crucis, ubi tanquam ovis ad victi-
mam ductus est, & non aperuit os suum. Quid
miserrimè facies, aut quid respondebis
ipsi, cum te rogaverit de tua ingratitude?
*Ecce in pace (fuit) amaritudo mea ama-
rissima: dicet: nam dum conciliarem tibi*

Isai.

38.17.

æter-

87. *Psalm.* *tuos induxisti super me.* Partim enim doloris fluctus mihi oboriebantur ex impietate hominum, qui positâ verecundiâ ac rubore, tam barbarè se dedebant erroribus; partim ob dolores maternos; illius enim immaculatæ, ac purissimæ columbæ, atque altissimæ Reginæ viscera penetrabat acutissimus tristitiæ gladius; quod me saucium cerneret clavis, & vepribus. Haud levis erat fluctus, qui ingruerat ex afflictione discipuli; ac sanctarum mulierum; meorum comitum in Passione. Alius obruebat meam animam dolorum spississima nube; alius sudore ac pallore mortis impetebat. Conversus ad meipsum videbam mea vulnera: obtutu fixo in populum, considerabam gaudium, quod concipiebat ex meis injuriis, intuenti creaturas, funestæ ac lugubres offerebantur pro mea morte: Dum redirem ad paternam justitiam, rigurosissimam eam inveniebam: dimisso aspectu ad limbi Patres, suspirabant pro sua libertate: Quamobrem non modò fel, quod mihi propinabatur in Cruce amarissimum erat; verumetiam reliqua passionis flumina, procellosi fluctus, quorum vehementia demoliebantur pulchritudinem mei corporis; Divinum meum convellebant spiritum, quem ibi edidi in cruce pro comparanda tibi sempiterna vita. Cur igitur vitio tam ingrati animi potiùs tibi eligis submergi tuis passionibus, quam porrectâ mihi dextrâ, ex earum furiis proripi? Si eam mihi non extendis, à quo speras subsidium? Quis alius tibi potest ferre salutem? Si sanari renuis meo sanguine, quis tibi parabit medicinam? quis te movebit ad pœnitentiam, aut ad fundendas lachrymas pro tuis culpis? Ecce, quid indicatur dilecto populo, desertæ filix Sion, quia opem tempestivè me rogare neglexerat: *Propheta tui viderunt tibi falsa & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent: viderunt autem tibi assumptiones falsas, & ejectiones.*

86. In hunc maximè modum prædicabunt tibi tui Prophetæ, qui non sunt mei: quoniam si ex meis essent, me utique prædicarent, meam exponerent legem ac voluntatem; quæ sublato omni humano respectu, ac timore sui violatores corripit jubet. Cæterùm qui in hoc officio plausus sibi tantummodo excitare, aut ampliorem famam, aliudve simile temporale commodum aucupantur; nihil cogitant minus quàm de tuo proventu, aut pœnitentiæ

suaviori fructu, qui uberrimè percipitur ex hac cælesti arbore, aut secunda tabula, ad quam confugiamus, oportet, post naufragium.

87. Citiùs mitigaretur cordis tui durities, si auscultares vocem mei Præcursoris clamantis in deserto, atque invitantis ad pœnitentiam, quæ erat princeps argumentum ejus doctrinæ, rectaque ducebat ad gloriam; aut si mihi ipsi præberes attentionem, cum mirificè quoque hac de re dissererem. Sed ô deplorandam miseriam! ô dolorem incredibilem! non me sed tuos Prophetas indagasti, vanos Oratores, ad tuum potiùs palatum formatos, quàm ad meum; secutus es. Hi sunt qui spernunt modica, nec de gravioribus offensis operosius curant, polliciti tibi vitam in tam manifestis periculis. Hi sunt, qui contactâ malitiâ, ac perpulchrâ verborum specie, malum ut bonum prædicant; confunduntque lucem cum tenebris, cum voluptate virtutes, cælique dulcedinem cum tristitia culpæ. Væ tibi, si tales eligas tibi Duces; nam unâ cum illis incidet haud dubiè in manus hostium, qui habebunt te ludibrio, ut obtigit Jerusalem, cui ita loquutus est Propheta Jeremias: *Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam; sibi laverunt ac moverunt caput suum super filiam Jerusalem; hæcine urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universa terra?* Ita pari modo subdole te irridebunt tui contrarii, cum diligentius eorum jugum sustinueris: quo enim die gravius deprimet onus, eo ipso tempore inconcinnius, & majore tui despectu per jocum dicent; hæcine illa anima, Sponsa Christi bellissima in deliciis, dilaudata ab Angelis, admodum elegans venustate, & gratiâ? quomodo exhausta jacet tam calamitoso interitu? Et quanto ampliori pompâ incedent miseri, qui in eorum potestatem rediguntur; tanto solutiori risu illudent illi dicentes: ecce mundioli, quàm cultè nitent indumentis, qui tam sordidè delitescunt in flagitiis? hosne comitetur tot famulorum splendor, & Majestas, cum nostris mancipentur obsequiis? Ecce ut gloriantur de se inermes, ac destituti veteri præsidio? ecce ut securè rident quibus potiùs effundendæ lachrymæ, atque amarissimè deflendæ suæ miserix? Ecce incurii sunt, qui, mirum est, cur tam pacatâ conscientia somnum sibi conciliare possint in lethali scelere? infelices ignorant, quemadmodum excepti nostris insidiis, crudelissimâ morte, & supplicio mastrandi deducuntur.

Hoc maximè modo rem tecum gerent sui hostes, atque eadem immanitate, quâ

exagitarunt sui Hierosolymorum urbem. Sacer enim textus ita differit: *Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilaverunt & fremuerunt dentibus, & dixerunt, devorabimus eum: en ista est dies, quam expectabamus: invenimus, vidimus.* Hæc est dies, pro cuius consecutione tot impendimus sudores, & opera; pro cuius rigore æquè tot dies, ac noctes traduximus infomnes, necendo dolos, quæsitis occasionibus, & insidiis. Jam eum invenimus: tarditas vindictæ gravitate poenæ compensabitur, & ad ultimum assem satisfaciunt vesani peccatores. Hactenus ipsi devorabant pauperes, eorumque fortunas absumebant; nunc par pari referendi tempus est, atque ut idem nobis reponant, quod ipsi sacrilegè exegerunt. Si voluptatum illecebris ac lenociniis hucusque deliniti sunt, jam sumptus pensitent, & æs alienum reddant.

89. Quid de te fieret, ô Peccator! si improvisè tibi irrepsisset hic dies? quanto potius tum te instituisse velles semitis Divinæ legis, cælique clivo, quàm decurrisse molliori itinere perditionis. Si autem Creatoris tui ductum tenueris, tunc promereberis, ut iisdem pro te viribus pugnet Deus contra tuos hostes, ac fore dixerat, ut ipse uteretur contra Hierosolymos: *Exacuere, vade ad dextram, sive ad sinistram, quocumque faciei tua est appetitus: quin & ego plaudam manu ad manum, & implebo indignationem meam.* Hoc modo consternabit Dominus vires tui contrarii, teque victoriæ palmâ decorabit: eo enim Duce in arenam descendes sine timore, ac formidine, atque egregios triumphos ages de hostibus fufis, fugatisque eorum agminibus; haud secus, quàm aliò repelluntur volucres conterritæ prætereuntium strepitu, aut tumultu.

90. Cæterùm juremeritò aperuerunt super Hierusalem os suum omnes ejus inimici sibilantes ac frementes: nam ipsa barbarè fatis, ac sacrilegè sibilavit Christum Dominum conviciis, ac risu, dicens ipsi, dum pro ejus Oppidanorum salute pateretur in Cruce: *Vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud readificas, salva te meptipsum: si filius Dei es, descende de Cruce. Similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis & Senioribus, dicebant: alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere; Si Rex Israël est, descendat nunc de Cruce, & credemus ei.* Qui ita sanè, ac ludibrio habuère Christum; digni quoque fuerunt, ne id illis impunè cederet.

91. Jam, amice, cum ne interfuisses quidem Calvariæ opprobriis; deplores tamen, necesse est spirituales injurias, quas

amissâ ejus gratiâ toties intulisti Deo. Do-leas de impenso tempore, laborè, & curâ, in restam vanas; cum leviori sumptu per Crucifixi Servatoris tui merita posses invenire, quomodo deinceps flores sempiternâ gloriâ. Pœniteat te admittæ culpæ, ac sprevisse justos, qui amplectebantur Crucem Christi, nè proleindas in posterum proximi famam; nec aliorum obtrectantium rumusculos aucuperis: hinc enim serpit sæculenta lues, quæ per totum Republicæ corpus diffusa latè inficit ejus membra, Dei que charitati maximè adversatur. Attendas sæpè usu venire, privatis, & parvis neglectis rebus, initio, nullâ curâ, nullis medicamentis adhibitis, inde extitisse postea gravissimas calamitates. Quare ne despicias paupertatem, quâcum cui benè convenit, dives est. A Philosopho quodam dictum est; si ad naturam vives, nunquam eris pauper: si ad opiniones, nunquam eris dives. Exiguum natura desiderat, opinio immensum. Noli postea congregi cum imperitis; qui humilitatem Christi oderunt; & cum sublatum iis è conspectu lumen sit, licet non ore, opere tamen dicunt; Si filius Dei est, descendat de Cruce; Sic innuentes nihil minus persuasum sibi, quam imitari ipsum in Cruce, aut frui velle ipsius gloria per labores, & ærumnas. Hi quodammodo potant dulcissimum JESUM amaritudine fellis in ejus passione; Dilacerant eum verberibus suorum scelerum, quorum quamvis portaverat onus Christus ad satisfactionem; nunquam tamen eorum maculâ infectus fuit.

Horum evita contagium, fili, nè eorum contaminato peste tibi obveniat idem quod Hierosolymis; nempè hostium lusus, & irrisiones, quibus te vellicent probris, heu seriò tum flentem, hæccine urbs, (dicentium) perfecti decoris, Angelorum gaudium. Ecce jam erit lumen Israël in igne, & Sanctus ejus in flamma: & succendetur, & devorabitur spina ejus & vepres in die una. Mundum ergo mundanis dimitte; tu vaca bonæ menti, Dei timore, qui initium est sapientiæ. Nemo ad virtutem pervenit mancipatus sæculo, quod si minus huc te converteris; pro comperto habeas perituum prius cælum, & terram, quam Dei minæ & verba: *Fecit Dominus quæ cogitavit, complevit sermonem suum, quem præceperat à diebus antiquis: destruxit, & non pepersit, & latificavit super te inimicum, & exaltavit cornu hostium tuorum.*

Hoc solum sufficeret, ut tibi ipsi metueres; cum nihil certius æternâ nocte & flammis damnandos miseros, qui tabescerent feralibus vitis, ita negligunt, se ad

ad frugem aliquam restituere, ut impo-
nitentes concedant nece, ob tam infa-
mem incuriam. Fideliùs ergo incedamus
cum timore, actremore coram Domino,
qui stabit sanè promissis, satisfaciètque illi

Luc. 12. 8. *veritati: Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & filius hominis consistebitur illum coram Angelis Dei: qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei.* Semper enim pro summâ perfectio-
ne, ac decore, tuetur, ac servat suam fi-
dem Deus. Nam monuerat Noë de futu-
ro diluvio, ut fabricandam sibi, atque
uxori ac liberis curaret Arcam, quâ vin-
dicari possent à periculo; & res successit,
ut prædixerat. Præmissi sunt, qui eripe-
rent Loth ex incendio Sodomitico, sta-
tuente Domino evertere eam Civitatem,
cum omni sua majestate, & pulchritudi-
ne: & ita casus tulit: nam ut aiunt Sacræ

Genes. 19. 24. *litteræ: Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrhæam sulphur & ignem à Domino de cælo, & subvertit civitates has, & omnem circa Regionem universos habitatores urbium, & cuncta terra virentia: cum accessissent discipuli ad Christum, ut ostenderent ipsi ædificationes templi, sic respondit: Vide-
tis hæc omnia? amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruat.* Sic quoque eventus cecidit, eademque re
obsidebunt certitudine ærumnarum co-
hortes; nisi tempore convertaris ad ip-
sum. Quoniam veniet dies, cum surget gens
contra gentem, & regnum adversus regnum; &
terramotus erunt magni per loca, & pestilen-
tia & fames, terroresque de cælo, & signa
magna erunt. Nunquam extingui potest
Dei oraculum; sed tandem aperietur cun-
ctis nationibus ejus infallibilis veritas.

Marth. 24. 2. *Multifariam autem, (inquit Apostolus scribens ad Hebræos,) multisque modis Deus loquens Patribus in Prophetis; novissimè diebus istis locutus est nobis in filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit & sæcula; & verum est testimonium ejus. Cur ergo tam securè vivunt peccatores, quasi Deus non adimpletur esset minas aut promissa? O insensati homines, quis vos fascinavit, ne obediatis veritati, cum is qui via, veritas, & vita est, ad hoc venerit in mundum, ut testimonium perhiberet de veritate? ecce quid affirmat in Apocal.*

Apocal. 22. 12. *Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. Respondeas igitur illicitæ suadæ, cum te pellicit ad suas blanditias, & voluptates: veritas Domini manet in æternum: ecce Judex ante januam assistit: Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor ejus, & gravis ad portandum; labia ejus repleta sunt indignatio-*

Luc. 21. 10. *ne, & lingua ejus quasi ignis devorans; Spiritus ejus velut torrens mundans usque ad medium colli, ad perdendas gentes. Quis non coerceat linguam, & moderetur libidini, certò sciens latus audaciæ suæ pœnam mi-
feros peccatores in die vindictæ, cum Do-
minus judicaturus venerit vivos, & mor-
tuos? Hujus considerationis defectus mun-
danos subtrahit à necessaria cura, quam
suis animabus deberent ocyùs impendere:
Timeo, nè lateat ipsos Dei dominium,
& potestas, ut Hierosolymos, qui mitte-
bant res cœlestes traducti ad barbariem
cupidinis. Undè quanquam clamavit cor
eorum ad Dominum super muros filia Sion; sibi
tamen & non Dei providentiæ frequenter
attribuerunt suas palmas & victorias. Quod
cum vidisset Propheta tenerâ mentè com-
motus, eorumque veluti liquefactus com-
miseratione, hortabatur universam urbem
ad continuos fletus, & pœnitentiam, di-
cens: Deduc quasi torrentem lacrymas per diem,
ac noctem: non des requiem tibi, neque taceat pu-
pilla oculi tui. Nihil enim efficacius ad recu-
perandam salutem, ac pulchritudinem ani-
mæ, quam percusso pectore, obortisque la-
crymis, peccatorum veniam à Deo petere.*

Hæc medicina opem tulit Magdalensæ
adstrictæ tot vinculis suorum scelerum, 94;
dum devoluta ad pedes Christi eorum
remissionem deprecaretur. Hæc eadem
mederi potuit divo Petro quando negavit
suum Conditorem & Magistrum;
ut item virtutem hujus medicinæ clarius
perciperemus, cum audivisset Dominus
excessisse è vita Lazarum, suscitavit eum,
priùs deploratâ ejus morte, tamquam eo
luctu comprobans vim & efficaciam pœ-
nitentiæ ad delendas culpas. Tam singu-
lare remedium videbatur Jeremiæ appli-
catio hujus medicinæ ad mitigandos do-
lores, ut non tantùm vellet, uterentur
eâ singulis diebus Cives Hierosolymitani;
verumetiam singulis noctibus. Etenim
non desunt, qui nocte vertunt lacrymas, &
quando adversæ sunt res, calamitatumque
gravioribus tenebris obruuntur; & nihilo-
minus his discussis, iterùm voluptuarii re-
deunt ad suas blanditias, immemores
transmissæ tempestatis. His non prode-
runt suscepti labores nubilis temporibus,
nisi ali sciant eorum fructibus, cum sudum
apparet cælum. Quare necesse est, ut
neque die, neque nocte sistant lacrymas,
aut sui castigationi parcant; sed quasi suo-
rum cupiditatum egregii moderatores,
effrænes animi motus, atque à ratione
aversos contineant, & repriment, nec ni-
mis abjecto, ac demisso sint animo, cum
ingruant morbi, aut ærumnæ; nec arro-

gan-

L 3

ganter elato, si florentem, & amicam ostenderit se fortuna. Quoniam sub certissimæ mortis ambigua securi omnium cervices jacent; sed uti malos pœnæ, ac supplicia, ita bonos felicissima regna manent, ubi non tremunt terræ, nec inter se venti cum magno nubium fragore concurrunt, nec incendia regiones, urbesque vastant; non naufragiorum totas classes sorbentium metus est; non arma contraria disposita vexillis, & in mutuam perniciem par furor, non pestilentia & ardentes promiscuè communes populis cadentibus rogi; sed ver ibi perpetuum, ac perenni rosâ decorus blanditur ager, nutriturque summæ voluptatis rore, deaurata ac dulcissima poma, simul cum varietate florum arborum rami excipiunt; ibi gloriosissima Dei Civitas, & placidissima Aulicorum species, qui cervicis nive, genarum purpurâ, suavitate morum, eloqui comitate, nitore capillorum, & vestium, totius habitûs & oris majestate, ac pulchritudine, singuli singulorum, qui ibi regnant amorem mirè conciliant. Ut hanc igitur consequamur gloriam, die ac nocte, tam in rebus secundis, & prosperis, quàm in adversis animi sordes pœnitentiæ rivis eluendæ. Quod opinor docuerunt ii, quibus comitatus Christus Dominus Hierosolymam intraverat: Tum enim ii, qui præcedebant, tum qui sequebantur, eum dilaudabant, ut discamus, utcumque se res habeant, laudare Deum gementes, ut turtures, dum sine, & optatis potiamur.

95. Qua de re submissè orabat Dominum sanctissimus Job, ut sibi tantisper explicaret vitam, dum seipsum congruenter defleret; nec optabat eam ad ludos aut convivias, aut fastum, aut mundanas voluptates; sed ad dolores, & lacrymas; hoc enim unicum ipsi perfugium & solatium erat, quâcunque rotâ decurrerent tempora. Eandem ob causam stratum suum rigabat Augustissimus Rex David, & lectum suum implebat lacrymis, sedem quietis locum esse idoneum huic pietatis officio ratus: & ad ipsum passim invitamur in Sacris litteris, ut inprimis patet ex

10el. 1. Propheta Joël: *Expergiscimini, & slete, & ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine; quoniam periit ab ore vestro.* Hortatus est omnes potissimum Sacerdotes ad planctum, jejunium, & orationem, plangens

ibid. v. & ipse vastitatem terræ suæ: *Accingite vos, inquit, & plangite Sacerdotes, ululate Ministri altaris, ingredimini, cubate in sacco Ministri Dei mei: quoniam interiit de domo Dei vestri, sacrificium, & libatio.* Quid

Isai 32. clarius hortatione Isaiæ? *Obstupefcite opu-*

lenta, conturbamini confidentes: exiite vos; & confundimini, accingite lumbos vestros; super ubera plangite, super regione desiderabili, super vinea fertili. Super humum populi mei spina & vepres ascendent, quanto magis super omnes domos gaudii Civitatis exultantis. Quo tempore prophetabat Michæas idolatris comminatis est exitium & captivitatem; eosque plangit, & ad planctum eisdem provocat, dicens: *Super hoc plangam, & Mich. x. ululabo, vadam spoliatus, & nudus, faciam 8. planctum velut draconum, & luctum quasi struthionum.* Sic docent Dei Concionatores, & Ministri haud ignari futurum, ut qui seminaverint in lacrymis, in exultatione metant. Opus autem suum probet unusquisque, (inquit Apostolus) & statim infra: *Quo-* D. Paul.
niam qui seminat in carne sua, de carne & ad Galat.
metet corruptionem: qui autem seminat in spi- 6. 4.
ritu, de spiritu metet vitam aeternam.

Perspecta horum fructuum messe, qui 96. leguntur ex pœnitentiæ lacrymis, haud contentus Jeremias uno hac de re monitu, eundem denuò repetit: *Consurge, lauda in Coph. nocte, in principio vigiliarum: effunde sicut* 19.
aquam cor tuum ante conspectum Domini. Quid aliud, obsecro, hæc effusio cordis, quasi aquæ significat, nisi oculorum fluctibus ejus muros alluendos esse? Cæterum ad hoc necesse est, ut inprimis excitentur, qui indormiunt culpis, & imperfectionibus. Horum enim unumquemque alloquitur Apostolus, dum pronuntiat, quod scripserat ad Ephesios: *Surge qui dormis, exurge Ad E-*
à mortuis, & illuminabit te Christus. Quod 1. 5.
sanè proponit facere bellissima sponsa, quæ- 14-
situra dilectum, atque ita affirmans: *Sur-* Cant.
gam, & circuibo Civitatem, per vicus, & pla- 3. 2.
teas quaram, quem diligit anima mea.

Vigilantes, & erecti debent esse, qui Dei 97. nomen debitis encomiis nuncupare velint; ita monet Psalmus trigessimus quartus super centesimum, in ipsa fronte ac principio: *Laudate nomen Domini; laudate servi Psalm. Dominum, qui statis in domo Domini, in atris* 134. 1.
domus Dei nostri. Quoniam minimè sunt acceptæ laudes, qui ab inquinato peccatoris ore procedunt. Quare *exaudi Domine justitiam meam,* (orat idem Propheta Psalmo Psalm. decimo sexto,) *Intende deprecationem meam,* 16. 1.
auribus percipe orationem meam, non in labiis dolosis. De vultu tuo iudicium meum prodeat, oculi tui videant aquitates, probasti cor meum, & visitasti nocte. Non utcumque optat exaudiri, sed ut justus, ut sanctus, ut impollutus labiis, & opere: quo impetrato per dies & noctes proponebat laudare Dominum. Idipsum persuaserat Jeremias oppidanis sui populi, ut confurgerent nocte, atque initio vigiliarum benedicerent Deo:

tribulationis enim adversis, ac nubilis temporibus, quæ afflictis solent esse viris obscurissimæ noctes, & tenebræ, mirificè arident Deo hæc obsequia. Quoniam tam manifesto indicio constat haud renuente passu sequi cursum divinæ dispositionis patientis animum tanquam veri amici, ut potè qui suam fidem adversitatis incude probat. Ideoque id ibidem subdit Regius Vates: *Probasti cor meum, & visitasti nocte, igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas.*

98. Dolor imminet; si exiguus est, feramus: nam ejus etiam levioris patientiæ non exiguus erit fructus. Si gravis est, reddamus grates Deo, & non levem feremus indè gloriam. Cogitemus præmium victoriæ atque infamiam fugæ, si sustinere contendimus furias certaminis. *Cogita-*

Psalm. 76. 6. vi, (inquit David) dies antiquos; & annos æternos in mente habui: & meditatatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum. Pauci dolorem ferre ex æquo potuerunt; simus ex illis paucis. Imbecilles naturâ sumus; naturâ non nitimur; firmabit nos Divina gratia, malorumque omnium impetus molliet. Itaque haud

cunctanter sponfa: *in lectulo meo, (dicebat,) per noctes quasi vi, quem diligit anima mea:* fortitudine enim gratiæ ducebatur; ut constat inibi Canticorum capite sexto.

Cant. 7. 1. Quod sic incipit: quid videbis in Sunamite, nisi choros Castrorum? Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis?

99. Hoc tibi peragendum, filia Sion, nisi deditioe facta, subjicias te hostibus: atque adèd inprimis emergendum ex fæce peccati; deinde cœlis rependendæ grates, pro impenso ad eam rem subsidio: tum verò dilaudandus Deus, ingruente tribulationum nocte, & bello: nam primo loco quæras oportet, regnum Dei, & justitiam ejus, quâ sub vigilas noctis, Orationis, & pœnitentiæ, impetratâ, haud gravatè effundes postea per suavitatem gratiæ cor tuum coram Domino, atque eâ ratione, quâ debet effundi, nimirum ut argentea flumina, aut pellucas aquarum undas, quas sanctitatis radii suâ puritate ac lumine venustant. Nocentes autem ne exaudientur quidem, teste Augultissimo Propheta: *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.*

100. Nec mirum est, quod velit Deus sibi propines cor & animam tuam instar aquarum effusam. Ipse enim ut aqua effusus est pro tua salute inter tormenta Passionis. Ita testatur Psalmo vigesimo primo: *Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea:* jure igitur vel solo hoc nomine, præter

Psalm. 21. 15. jure igitur vel solo hoc nomine, præter

alios multos titulos te perpetuum ejus cultorem, & clientem fateberis: nunquam enim adèd facilem te præstabis ad ejus sanctissimam voluntatem, ut ipse non amplius tui causa laboraverit. Ut autem ulterius scias de obsequiis, quæ exhibeas huic bellissimo amanti: nota, quod dicit Jeremias suo populo; *effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini: leva ad eum manus tuas pro anima parvulorum tuorum, qui defecerunt in fame, in capite omnium compitorum.*

O quam ingentem dolorem hauserat Jeremias ex morte parvulorum; ut alia occasione fecerat Judas Machabæus, deprecatus Deum, ne oblivisceretur ruinæ puerorum innocentium? Pari modo tibi etiam dolendum, mi Amice, de tuis fratribus, & parvulis; nimirum peccatoribus, qui pestilentia ac fame pereunt, haud secus, quam rabiosi canes circumeuntes Civitatem pro cibo, devorantesque proprios filios, & catulos, ita contendentes depellere suam inædiam; ut accidit Hierosolymis: nam ita pergit Textus. *Vide Domine & considera, quem vindemiaveris ita: ergone comedent mulieres fructum suum, parvulos ad mensuram palma.*

Hujus miseriæ recordatio, cujuscumque viscera, quantumvis lapidea fauciare possent. Attamen non tantum Hierosolymiam subiverat; verumetiam Samaria; ubi grassata fame per universam urbem, oravit Regem quædam mulier, ne permitteret violari justitiam, nam pacto nito cum alia de manducandis inter se filiis, & cocto atque absumpto proprio, suum abscondit altera deficiens à promissis. Item in ultima illa captivitate Romanorum, imperantibus Tito, & Vespasiano, Maria quædam Leazani filia, Princeps fœmina, lactantem filium interfecit; partemque illius torreri curavit, atque indè comedit, servata altera parte in sequentem diem. Quid atrocius patrare possent indomitæ feræ? quod si olim sanctiebatur lege, nè simul caro cum sanguine fumeretur, quantò gravius delinquebant Matres vescendo suis filiis?

Cæterum ne tu garriens cum Phariseo nimum glorieris de tua sanctimonia; Quod scilicet non sis, *Sicut cateri hominum:* in considerationem maturè voca omnia tua facta, & cogitationes; expende etiam atque etiam cuncta, & tecum ipse diligentius examina; & haud dubiè ejusdem rei umbram in te ipso spiritualiter ductum invenies. Scelus enim quod concepisti corde, in lucemque edidisti tanquam animæ tuæ partum, etiam si probè à te vi contritio-

tionis, & Sacramenti destructum sit; iterum tamen rediisti ad vomitum; devoratoque eo maledictionis filio, ipsis bestiis truculentior, in gravissimum tibi malum incidisti. Quod si impia, ac stupenda tibi videantur, quæ ferocius patravérant illæ fæminæ; de te ipso horrere debes: nam illæ licet occiderint filios, se ipsas tamen iis aluerunt, partimque corporali vitæ providerunt: tu autem indies iterando lethalem culpam, non tantum interficis animam; sed vitam quoque corporis paulatim ad exitium quæris: indè enim pallor & frequentes totius corporis dolores: indè in cruorem admissus humor; indè suffusio luxidæ bilis, & decolor vultus; indè innumerabilium febrium genera, aliarum impetu subeuntium, aliarum tenui repentium peste; aliarum cum horrore, & multâ membrorum quassatione venientium; ut cæteros reticeam morbos, supplicia luxuriæ: ergo planissimè errant peccatores, qui se nutriendos putant tam nocentibus culpis. Quænam enim alendi virtus potest esse in ipsius alimenti defectu? Aut quod nihil est, quid proventus habet? Quæ ignorantia ipsam famem esurire; aut appetere eam pestem, quâ nullâ unquam lues in hominum genus ferocius debacchata est? Quare si haud impotentius deplorabat Jeremias, sævitiam suarum popularium matrum, quæ sibi in corporalem cibum parabant suos pusillos filios; quo fletu aut mærore lamentanda ætas, quâ ferè tot matres, quot tuorum Provincialium capita, spiritualiter libant de suis natis horrendis, & pessimis.

104.

Cæterum redit iterum Propheta, ad lugubres plangores, quos superius movit super Sacerdotibus, & pueris, & senibus, & virginibus. *Si occiditur, (inquit,) in san-ctuario Domini Sacerdos & Propheta? Facuerunt in terra foris puer & senex. Virgines mea, & juvenes mei ceciderunt in gladio: interfecisti in die furoris tui; percussisti, nec misertus es. Quæ tristiora funera? Nam rebus benè perpensis frequenter mos obtinuit apud Deum, ut quos amaret, affligeret, propensus in misericordiam, quò iidem postea secundiori aurâ recrearentur. At hic obsolevisse jam dicitur ista consuetudo: percussisti nec misertus es: cum tamen contrarius usus haud rarò invaluerit, ut disertè testatur ipse Deus introductus à Moyse in suo Cantico: Videte quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me: ego occidam, & ego vivere faciam: percutiam, & ego sanabo; & non est, qui de manu mea possit eruere. Simile quid protulit Senior Tobias cum ita sui oris suavitatem aperuisset studio divi-*

Deuter.
32. 39.

næ laudis: *Magnus es, Domine, in æternum; Tob. 13. & in omnia secula regnum tuum: quoniam tu flagellas, & salvas, deducis ad inferos, & reducis: & non est, qui effugiat manum tuam: 2. Sic pari modo sapiens Dei Majestatem alloquitur de filiis Israël: Cum illis supervenit Sapiens. secula bestiarum ira, moribus perverforum colu- 16. 5. brorum exterminabantur. Sed non in perpetuum irata permanfit, sed ad correptionem in brevi turbati sunt, signum habentes salutis ad commemorationem mandati legis tuae; & haud multò post ejusdem capitis intervallo: Tu es enim, Domine, qui vita, & mortis habes potestatem; & deducis ad portas mortis, & reducis; more prudentissimi medici, qui venarum scissione defæcat, & repurgat morbidum cruorem, ne vitalem vim, & facultatem sua malitia inficiat; profusque ejus, ac proinde totius corporis salutem extinguat. Propterea graviore calamitatum fulmine cecidit suum dilectum populum sæpenumero Deus, quamvis eum reducendi ad se amore id fecerit. Insigne fuit illud vulnus, quo pluribus desideratis ex filiis Israël, capta fuit Arca fœderis Domini à Philistæis; sed diverberati Philistæi atrocissimâ plagâ, remiserunt arcam cum aureis donis, ac muneribus, utpotè gloriose triumphantem de hostibus. Eoque si grave & magnum fuerit illud vulnus, quod Israëlitis inflictum fuit amissione arcæ; tum tamen postea cum eam recuperassent, haud minus recreati sunt ejus victoriis.*

Jure autem lamentatur Jeremias, quòd 105. cum Deus sit more suo pronus in misericordiam, quando videtur severius exequi supplicia; eâ non usus hic dicatur erga Hierosolyimam; *percussisti, nec misertus es: Undè prosequitur inceptum luctum Propheta, ita potissimum gemente ipsa civitate: Vocasti quasi ad diem solemnem, qui ter- Tban. rerent me de circuitu, & non fuit in die furoris Domini, qui effugeret, & relinqueretur: 22. quos educavi & enutrovi, inimicus meus consumpsit eos. O afflictam Hierosolyimam! ð verè infelicem urbem! Haud sanè incivis sum convocatos esse à Domino, qui te perturbarent terroribus & summo plausu despicerent tuam speciem & pulchritudinem. Sed video simul te festive, ac frequente populo celebrasse tormenta, & opprobria Christi Domini in Calvaria: ne mireris ergo, quod ita te consumpserint inimici: nam tu porrò tanquam in latronem, & hostem grassata in hunc bellissimum Deum, rem nefariam, atque indignissimum facinus perpetrasti. Quòd si perierint tui filii, & alumni, tuæ culpæ gladius, quo saucii fuerunt, in earum viscera con-*

conversus est. *Audite caeli, (dicit Isaias,)*
Isai. 1. 2. & auribus percipe terra, quoniam Dominus
locutus est; filios enutrivit, & exaltavit: ipsi
autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem
suum, & asinus praesepe Domini sui: Israël
autem me non cognovit, & populus meus non
intellexit. Va genti peccatrici, populo gravi ini-
quitate, semini nequam, filio sceleratis, dereli-
querunt Dominum; blasphemaverunt sanctum
Israël, ab alienati sunt retrorsum. Super quo per-
cutiam vos ultra, addentes pravariationem.

106. Ubi manifestè probat eos ipsos accer-
 sisse sibi Divinam ultionem, & vindictam.
 Ultrò jam in luctu & squallore jacentem,
 fili mi, te ipsum desleas necesse est, cum
 tuo vitio perieris per voluptatum illicita
 Tempe spatiatum, repudiando Dei gratiam,
 & delicias. Nam convivia, theatra, in-
 gentes currum & famulorum sumptus,
 mundani ludi, & vanitates, quid aliud
 sæpissimè spectant præter hoc animarum
 divortium cum Deo? Quid ergo mirum,
 quod, nisi nactus jam pœnitendi tempus,
 doleas de tuis peccatis, vocetur extrema
 illa dies, & horrenda, quâ exactissimum
 Dei judicium subiturus es, dies Domini,
 dies solemnis ad ferendam in te ultimi sup-
 plicii ac damnationis sententiam. Quo-
 niam cum Dei creatura sis, Angelorum ci-
 bo pascus, ac cœlesti delicio enutritus; &
 nihilominus declinaveris ad tam infames
 prodiones, haud injuriâ celebrabitur tua
 perniciēs, te miserum irridente ipso Deo,
 ut stolidissimum mortalem. Quamobrem
 metuas tibi, (obsecro,) timeas rigoro-
 sam Dei justitiam: pœniteat te admissi sce-
 leris, quin modum ullum facias lugendi
 die ac nocte, donec prodeas è periculo.
 Hæc enim unica via est recuperandi amis-
 sam gratiam, & impetrandi gloriam ex
 divino Oraculo: *Beati qui lugent, quoniam*
Math. 5. 5. ipsi consolabuntur.

C A P U T I I I .

107. **H** Aud levem sustinuit dolorem sanctus
 Propheta Jeremias inter squallorem
 carcerum, & ob excidium populi Israëli-
 tici. Sed haud minorem, sine dubio æ-
 quum est, ut percipiamus nos ex luctuosissi-
 mis Dei hominis querimoniis, quas my-
 sticè ciet consequente capite per personam
 ejusdem Prophetæ ab ipso initio. *Ego vir,*
(inquit,) videns paupertatem meam. Quid
ALPH. hoc, mi dulcissime Deus, quod à celsissi-
L ma tua Majestate audio? Ego vir videns pau-
peratam meam. Tu es altissimus ille cœlorum
fabricator, & conditor, cujus nutu ac
Numine totius universi Imperia reguntur,
& conservantur. Tu es, qui es, cujus no-

men admirabile, cujus potestas infinita.
 Quod si tam immensus Deus, quomodo
 tam oppressus paupertate vir? aut si pau-
 per, & humilis; quomodo ditissimus
 Deus? Grande sanè ac mirabile mysterium,
 quo gloriæ Princeps summus & æternus,
 factus fuit homo, atque obediens usque ad
 mortem pro nostrâ salute.

Hæc de re prophetaverat Isaias: *Non est*
species ei, neque decor: & vidimus eum, & 108.
non erat aspectus, & desideravimus eum despe-
ctum, & novissimum virorum, virum dolorum, & Isai 53.
scientem infirmitatem; Et sic loquitur ipse Do- 3.
 minus de suis doloribus per David Regem.
Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium Psalm.
hominum, & abjectio plebis. Quis imposte- 21. 7.
 rum, quantumvis generis decore, aut
 splendoribus illustris, quantumvis dotibus
 naturæ, aut rerum exornatus luce audeat
 sibi plaudere, aut gloriolæ causâ de se ista
 prædicari, videns mundi Conditorem, ac
 Dominum, ut Regia stirpe, ac nobilissi-
 ma oriundum, ita in præsepe tam paupe-
 rem, in Eremito, in peregrinatione paupe-
 rem, pauperem in juventute, nudum &
 pauperem in Cruce, sine specie ac decore,
 virorum novissimum, & scientem infir-
 mitatem, vermem, & non hominem;
 opprobrium hominum, & abjectionem
 plebis? Nisi hujus miraculi recordatione,
 ac pietate tenerescat noster animus; nescio,
 quo amore; aut affectu emolliri possit?
 Etenim quid mirabilius, quàm labo-
 rare pauperie Angelorum Regem, in quo
 thesauri Sapientiæ, ac scientiæ Dei? Quid
 suavius, aut dulcius, quàm præ amore
 hominum edevenire egestatis, ut ubi re-
 clinaret caput, non haberet, qui funda-
 verat orbem terræ, & omnem plenitudi-
 nem ejus; Dominus in Sion magnus, &
 excelsus super omnes populos; quo aver-
 tente faciem mundi speciosa turbarentur,
 & suspendente concursum pulcherrima re-
 rum dificerent, & in pulverem suum re-
 verterentur? Quid gloriosius, quàm hoc
 summum Numen per suas angustias tuam
 locupletare tenuitatem, & suis pœnis sa-
 tisfacere pro nostris delictis, videns pau-
 pertatem suam, in virga indignationis?

O quis fatigari posset amarissimo dolo- 109.
 re, meditatus tuæ paupertatis ærumnas,
 ô mitissime J E S U ? O quis rigari lacryma-
 rum imbribus, hæc perceptâ tristissimâ vo-
 ce, quâ explicasti per tuum Prophetam
 magnitudinem passionis in quam adduxe-
 rat te æternus Pater pro mundi vita ac sa-
 lute? *Me minavit & adduxit in tenebras,* ALPH.
& non in lucem. Quomodo potuisti versa- III. 2.
ri sine luce in tenebris, cum verè de te af- Joann.
firmaverit tuus Evangelista Joannes 1 & 1. 5.
 lux

M

lux in tenebris lucet, & tenebra eam non comprehenderunt? Quoniam tu ex lux mundi, sine qua nemo vivere, aut illustrari valet eorum, qui suo decori student, aut curant clarescere honore alicujus venustatis. Si te confidero in sinu Patris; te lucem invenio inaccessibilem. Si autem in gremio Matris te aspicio, vix ex ejus purissimis visceribus natus fueras, cum notis tenebras in nitidissimos, ac roseos alboreos convertisti; utpotè tibi ridebat simul omnis olympi purpura eo novo atque insolito nitore, ut suæ lucis repertori, & opifici. Cur autem jam te adductum dicis in tenebras, & non in lucem? Hem facilem leget sibi solutionem, qui noverit infirmitatem Divini amoris; *Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam: non enim misit Deus Filium suum ut judicet mundum; sed ut salvetur mundus per ipsum.* Ut nobis pararet æternas luces, ultrò se obtulit iis tenebris, quibus circumdatus fuit Passionis suæ nocte, ac tenebrarum tempore, quando barbaro impetu irruerunt in eum Ministri Judæorum, quasi rapaces lupi in innocentissimum Agnum, tanquam grassatores in prædam. Quod si tam calamitosas tenebras sustinuerit Christus. Dominus in passionis ipso aditu, quas pateretur in discursu ipsius inter squaliores carcerum, Judicum blasphemias & opprobria, inter spinas, flagella, alapas, ludibria, in nuditate, & cruce? At si bene inspicias hujus Crucis suavissimos fructus, invenies in nuditate pulchritudinem, claritatem in tenebris, in verberibus splendorem, in acerbitate dulcedinem, in morte vitam, in ignominia gloriam. O mei Servatoris tenebras, sed claritatis plenas! ô dolores, sed ab amore emissas sagittas ad saucianda nostra pectora supernis deliciis! ô mortem! ô vulnera! sed suscepta admirabili misericordia, ne pessum irent homines infernum versus, depressi gravitate culpæ! ô quam densis tenebris operiuntur ii, qui ad hos radios caligant, nec præsentire cupiunt hunc divinum amantem se permisisse jactari tam altis advertitatis fluctibus, ut ipsis aura afflaret aliqua secunda, ac placidissima prosperitatis?

110.

Quid velis tibi jam reponam, ô suavissime Deus, pro tam opulentis muneribus? Ut respondeam melius, precor cælestes Cives, ac ipsos tuos nobilissimos Aulicos, ut unâ mecum tibi solvant grates; mihiq̄ impetrent, ut strenuè semper obeam per sanctimoniam vitæ, operumq̄, id officii. Cæterùm quis sum ego, ut tam

acerba sustineret Deus mei causâ? Quis ignorare potest quin in meum caput debuissent ingruere omnia ea probra, dolores, cruciatus, ærumnæ, quæ fortiter juxta ac toleranter pro me sustinuit Christus? Quoniam ego is sum, qui deflexeram ab insigni illa generositate, quam in baptisate acceperam, Christus autem est ipsius innocentiae integritas, ex cujus ore nunquam legi potuerunt fraudes aut perfidiæ. Et nihilominus, ut impunis abirem ego, qui tam grave feci debitum, per totam vitam laboravit Christus, frigore, inediis, persecutionibus, angustiis, ut jure merito asseruerit ipsemet hic per Jeremiam: *Tantum in me vertit, & convertit manum suam tota die*, nimirum æternus Pater; quoniam meis humeris, suscepi Crucis pondera, ut ab Alumnorum cervicibus peccati tam intolerabile jugum excuterem.

ALEPH. III.

O Dulcissime JESU! quam graves forent mihi divinæ tui Patris manus, nisi tu mihi eas placares, cum in te pro delictis alienis, ita desævissent? Si te tam asperè exceperunt splendorem sui luminis, quas pœnas à me repeterent, nisi tu me protegeres merito tui pretiosissimi Sanguinis? ô me infelicissimum sane, nisi ad ipsum me convertam, qui prius in se convertit æternam Dei justitiam, ut conciliaret mihi Divinam misericordiam! ô si per singulas horas ac momenta totius meæ vitæ ipsi perofficiosè solverem obsequia; cui tota triginta annorum longissima die, mea salus, ac libertas tam laboriosam provinciam imposuerat! ô si satis me pœniteret jam perpetratæ culpæ, quâ tam ingratè recesseram ab ipso conversus ad creaturas! ô utinam summa ejus tenerer saltem miseratione, dum tristissimè movet has querelas: *Vetustam fecit pellem meam, & carnem, contrivit ossa mea.*

III.

BETH. IV.

Corporea ossa haud hic intelligenda sunt; sed metaphorico sensu, oportet, percipias ea verba, quatenus ejus humanæ vires prostratæ fuerunt magnitudine passionis, atque in altioribus deliquis constitutæ; ipsius quidem bellissimæ carnis pulchritudo, virginei que flores minutim concisi sunt spinis, ac verberibus; ut scias, fili mi, quot & quam ingentibus meritis te obligavit Deus, qui marcescente specie, ac purpurâ totius corporis, tibi peperit æternos decores ea lege, ut tu dignè disponaris ad illos. Sustinens ipse vim atque impetum furiosæ hostis, ita effudit pro te sanguinem, ut vetustus, ac marcidus videretur sine succo & colore: tu autem longo usu, atque inveteratâ consuetudine, sic ogisti radices in tuis vitiis,

III.

tiis, ut sub inferorum hostium tyrannide penè extremâ jaceas. Respiciat te, precor, Dei clementia, ut amice tandem respicias, sciasque honestiorem vivendi modum inire.

113. Ecce quid responderit Sathan interrogatus olim à Divinâ Majestate, super innocentia Job: *Pelle pro pelle, & cuncta qua habet homo dabit pro anima sua.* Tu verò ad concinnandam pellem tuam despicias animam, nec quid minus studes, quàm subterfugere periculum, ut te sospitet Deus. Cur obsecro, non attentiori mente consideras, quibus impensis redemit te filius Virginis? Cave, cave inquam, ne ob tantam incuriam simul cum anima peccet etiam & pellis. Etenim fas est, ut obstinatis impœnitentibus auferatur non modo decus animæ; sed etiam splendor corporis utique extingatur, & pereat. Aspice, quid pro te sustinuit altissimus mundi Conditor, & Servator: *Circumdederunt me, (dicit,) vituli multi, tauri pingues obfederunt me, aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, & rugiens.* Et in præsentè texto: *adificavit (meus Pater) in gyro meo, & circumdedit me felle, & labore.*

114. Cinctus quidem fuit doloribus, obrutus, ac defatigatus, cum adduxerunt Simonem quendam Cyrenensem infensissimi Judæi non sensu pietatis, sed crucifigendi lassati Dei desiderio, ut portaret deinceps ejus Crucem, quò citius possent devenire ad locum supplicii. Ibi circumdatus fuit felle & labore, cum crudeles milites spongiam ei intinctam, atque impletam aceto porrexerunt, ita studentes immaniores ipsis feris suum dulcissimum Servatorem affligere, & suavissima illa labia distillantia salutem mordaci acedine illinire.

115. His peractis, demortui jam JESU corpus in excisa petrâ sepultum est, ejusque sanctissima anima ad Limbum, ubi operiebantur antiqui Patres, descendit; ut dilucidè quæ sequitur Lamentatio asserit: *In tenebrosis collocavit me quasi mortuos sempiternos.* Attamen inter mortuos libera fuit anima Christi, bellissima in tenebris.

116. Hic mediteris, velim, quemadmodum vita deducta sit ad mortuos, & lux ad tenebras, ut tibi à peccati morte, ac tenebris ad vitæ lucem & gratiam fieret resurgendi potestas. Quid æquum est ipsi exhibeas pro tam regio favore? Quod si in Dominica Resurrectione terræ motus factus fuerit magnus; quantò potiùs tremendum tibi præ veneratione, cum triumphans haud rarè forsan ad te veniat, excipiendus pectoris tui hospitio dirissimus

animarum sponus, & amator. Et sanè si multum te amaverit, quando insignivit sepulchrum, quo positum est ejus sanctissimum corpus, honore, ac dignitate, non minus vacat tui amoribus, quando Divinâ suâ præsentia te recreat in sanctissimo Sacramento. Pœniteat ergo te tuæ duritiæ, cum eâ excedas ipsos lapides, Calvariaque scrupos. Defleas eam barbariem, quâ toties ejecisti tuis ædibus tantum hospitem, & Principem, in ejus locum Barrabam suffedurus: eoque tenebræ atque obscurissimæ umbræ, quæ te obruunt, manant haud dubiè ab expulsionè lucis, quàm aspernatus es. Quoniam qui cœlestes delicias, pro decore non excipit, & laboribus, & ærumnis, & tyrannide, & hostibus, & tormentis dignus est.

Cæterum ô summæ, atque ineffabilem misericordiam mei dulcissimi JESU, qui eâ quæ ego promerebar, sustinuit probra, ac tormenta, dicens per suum Prophetam: *Circumadificavit adversum me, ut non egrediar: aggravavit compedem meum!* Hoc adamussim obtigit in horto Getsemani, ubi proditor Judas armato milite comitatus, pacis osculo tradidit Dominum: quo dato signo, homicidæ manus injectæ sunt illis manibus, quæ attulerunt cæcis lumen, leprosis salutem, mortuis vitam. Verumenimverò ipse vinculis ligatus est, & deductus ut reus ad Tribunalia Judicum, ut nos erueret è captivitate dæmonum; *Cum plangent omnes Tribus terra; & Matth. videbunt filium hominis in nubibus Cæli, cum virtute multâ ac Majestate.* Ad hæc: *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostra super eum, & livore ejus sanati sumus.*

O augustissime Princeps, Dux inclyte copiarum cœlestium, divine JESU! cur non ocyùs ad te confugiunt homines sub tuis vexillis stipendium facturi, cum aded flagraveris eorum amore? Quis unquam tam amanter prospexit suis amicis, ac tu protexisti tuos, ferocienti cohorti dicens: dum in vincula te vellent tradere, *dixi vobis, quia ego sum: si ergò me queritis, sinite hos abire.* Nihil enim tibi optatius, aut magis in votis fuit quàm in manus hostium venire, ut nos vitiorum miserâ servitute exueres.

Si hæc meliùs cogitares vir Christiane, haud aded remisè amplectereris Crucem Christi. Si adverteres funibus vinctum Creatorem, ut in perennem libertatem assereret Creaturam, mitiùs proculdubiò te gereres, libentiusque, ejus legibus, ac præceptis obedires. Sed quoniam aliò divertis, multiplicatus sæculi nugis, ac le-

nociniis; indè tibi tam laxa conscientia, & tam corrupti mores, parati de se funes ad comprehendendum JESUM. Quare haud probè satisfacies tuo muneri, cujus imposterum meminisse debes, nisi quam amarissimè doleas de summâ incuria, quàm in hac re admiseras, ac sublatis omnibus impedimentis obedientem animum subdas tuo moderatori numini, ejusque nutum in omnibus promptissimè exequaris. Quid enim viro ingenuo, ne dicam Christiano militi indignius, quàm defectionem facere à tam sublimi, & benevolo Principe, qui ultrò voluit bibere passionis calicem, ut servus & creatura æternum frueretur Beatorum nectare, & ambrosiâ; eoque haud invitus tulit suam excludi orationem, quâ rogavit Patrem, ut transferretur, si fieri posset, iste calix. Sic enim dicit ipse nomine ac personâ Jeremias: *Sed & cum clamavero, & rogavero, exclusit orationem meam.* Id etiam expressit David Psalmo vigesimo primo sub initium: *Deus meus, clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad insipientiam mihi.*

119. Quod tum obtigit, quando in horto, *progressus pusillum procidit in faciem suam orans, & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: verùm amen non sicut ego volo, sed sicut tu:* tam amarus enim est, ut vellem secundum humanam naturam meam cum præterire, nisi aliud præordinaret tua Divina voluntas, quæ utrique communis est; hæc semper impleatur, sufferente & non exaudita illa portionis inferioris velleitate. Hæc perpendas, amabo te, fili mi. Passionis tormenta effugere petit Sanctissima Christi humanitas, cum ipsis cælis immunior sit ab omni culpa; & non exaudita est, ut audiri possent culpatores homines ipsis inferis immaniores: inde lege tibi hunc fructum; quod si aliquando contingat repulsam te ferre in precibus, & oratione, ne propterea destituaris animo, sed persuadeas tibi ipsi, tuo commodo id fieri, & retineri mercedem ad futuram gloriam; Sed pro dolor! nisi statim impetres quod petis, aut omninò omittis orationem, aut debita fiducia concidis, aut conturbaris animo, aut refrigerat devotio. Quænam autem hujus rei causa, nisi summa incititia, quæ illepidè tuæ menti insidet, æternæ veritatis? Si frequentius pensitares exclusam fuisse orationem Christi in re tanti ponderis ac momenti, uti est toleratio acerrimæ tyrannidis, ac mortis, non aded mirum tibi videretur, quod tam serò annuat Dei misericordia tuæ petitioni.

120. Cæterum quoniam ad tantam clarita-

tem hebescere cæpisti, optimè meruit tua pervicacia, quamobrem distringeret in te suum gladium Divina vindicta. At verò tam suavis est ille mitissimus Agnus, qui Calvariæ pœnis se obtulit pro tuo remedio, ut ne id mali eveniret, neve ad gloriam tibi præcluderetur aditus, sibi voluit tanquam quadratis lapidibus concludi viam leniendi suos dolores, uti in Sacro Texto affirmat de seipso: *Conclusit, (nempe cælestis meus Pater,) Vias meas lapidibus quadratis; semitas meas subvertit.*

Permissum sanè nefandis hostibus ab æterno tuo Patre, ô mea dulcissima salus JESU, ut perfectissimos sensus tui corporis subverterent vulneribus, ejusque flores ac venustatem decuterent crepitantium flagellorum grandine. O quibus tristitiæ lapidibus, quo dolorum pondere obruerunt tuam Sanctissimam animam, cum vincula injecere collo ac manibus? Quando per plateas, per cætus, per Principum atria, per Solymæ vias, ut victima traheris? Ad harum tempestatum gravitatem, addo alios calamitatum admodum quadratos, ac peracutos lapides: huc addo nudatam, lorisque cæsam cælestem illam pulchritudinem; addo sanguineo rore tua purpurantia membra; sentibus redimitum caput; huc addo illudentes Tyrannos, pro quibus passus es: addo letitiam populi, quia sustinebas; addo tuam Crucem & mortem, quæ habuerunt tam lapideos ferreosque labores, ut homo haberet molliores, plurimaque spe, ac suavitate permistos. O quàm impiè subvertere tuas semitas invidi Judæi, qui aspernati tuam doctrinam, quàm lentissimè confidebant in sua fæce, & caligine! O Adami cæca proles, perfida generatio! quare non percepistis, quod de filio virginis eleganter cecinit Rex David: *Exultavit ut Gigas psalm. ad currendam viam, à summo cælo egresso ejus, 18. 6. & occursum ejus usque ad summum ejus, nec est qui se abscondat à calore ejus.* Quare non adhibuistis fidem ejus operibus ac miraculis? At cur etiam tu, Christiane, tam lentè adornas iter, quod ducit ad Patriam? cur non securitatem amas inter tempestates hujus vitæ insécutus Christum? Nonne hic est, qui ambulabat super undas maris, quin mergeretur? & qui extendens manum apprehendit Petrum cum submergi cæpisset? & cujus cœlesti præsentia, cum ascendissent *in naviculam, cessavit ventus, & procella?* Quicumque tenuerit hunc Ducem nunquam impinget in scopulos suam naviculam: ipse enim est via, veritas, & vita, sine qua nemo valet appellere ad felicitatis portum.

Indè

GIMEL.
VIII.

Psal.
21. 2.

119.

Matth.
26. 39.

GIMEL.
IX.

121.

psalm.
18. 6.

Matth.
14. 32.

122. Indè fit , ut haud injuriâ queratur Dei
 Majestas de suo populo ; *quadraginta annis,*
(dicens) offensus fui generationi illi & dixi:
94. 10. semper hi errant corde : & isti non cognove-
runt vias meas. Ut juravi in ira mea, si in-
troibunt in requiem meam. O ingratiſſima
 generatio, quàm rectum iter amiſiſti pre-
 mendo erronea tua veſtigia ! Declares mi-
 hi velim, quantum diſtat cælorum capa-
 citas, & pulchritudo, ab opacitate terræ ;
 & indè referam tibi multò longiùs fuiſſe
 diſcrimen viæ, quam iniveras à celeſti
 itinere, quod tibi oſtendebant divinæ le-
 ges & præcepta. O Hieruſalem, Hieruſa-
 lem ! ſi probè videres pacem viæ illius, quâ
 gradiebatur Chriſtus, quàmque tibi tam di-
 ſertè, ut erat divino eloquio, prædicabat ;
 non tam perditè aberrares à veritate eo
 cæcitatatis adducta ; ſed corrigeres tuos aver-
 ſos, ac palantes grefſus, & delendo cul-
 pam evitares ſupplicium.

123. Quid autem aliud evenite tibi poterat
 præter everſiones & ruinas, cùm adhuc
 perſiſtiſſes in tuâ contumacia, id audiendo,
 quod lachrymoſè dixerat Propheta
 pro Meſſiâ : *Urfus inſidians factus eſt mihi*
Leo in abſconditis. Quamvis enim ſuſtineat
 Deus Peccatores pro tempore, etiam eo-
 rum impietatem diverberat, quando vi-
 det eos ſibi, ultramodum obſiſtere. Quid
 putem ? permiſſum tibi, ut inſultares Do-
 mino tanquam Urfus inſidians, aut quaſi
 Leo in abſconditis auſcultando ; ſi fortè per
 fas aut nefas invenire poſſes, quod ipſi ob-
 jiceret ; identidem præmiſſis exploratori-
 bus, qui cum traderent in cuſtodiam, &
 aliis inſuper, ut viderent, ſi curabat in
 Sabbatis, dum tandem pactum inires cum
 Proditore Juda de tradendo ſuo Magiſtro :
 putemne, inquam, permiſſum tibi hoc, &
 nunquam depluendam fore pœnam im-
 prohibitatis ? abſit, quòd ita exiſtimem. Non
 id in more poſitum eſt apud Deum : nam
 licet amanter exſpectet pœnitentiam, in-
 vitetque ad eam : in impœnitenſes tamen
 & obſtinatos aliquando tandem ſolvit ſtag-
 nantia flumina ſui furoris.

124. Cæterùm ô æterne Pater ! ô ſupreme
 Deus, cælorum Rector & gubernator !
 Quid in te admiferat tuus dulciſſimus filius,
 ut ità poteſtatem faceres furibundis Urfis
 & Leonibus irruendi in eum ? Audi ipſius
 voces, & gemitus, quibus mellifluè acuit
 tibi ſuſpiria conquerens de illatâ ſibi vi per
 illos brutos Judæos, quod certatim quaſi
 tot horrendi Leones inſidiati ſint & longè
 ſeviores quàm Urfi aggeraverint pœnas
 vinculis, loris, verberibus, ſpinis, lu-
 dibriis, nuditate, blaſphemiis, alapis,
 Cruce, parricidio.

Ad hæc ; affirmat ſemitas ſuas ſubver-
 ſas eſſe, quia penetrantibus clavis ità affi-
 xus erat Cruci, non modo ut ne indè re-
 cederet, ſed ut tanto acerbius ea diſtractio-
 ne diſcruciaretur ſumme deſolatâ ac deſer-
 tâ ab humanis ſubſidiis ejus ſanctiſſimâ hu-
 manitate. Ita Sacratuſ Textuſ : *Semitas meas*
ſubvertit, & confregit me, poſuit me deſolatam.
 Ipſi cæli obſtupeant ſuper hac deſolatione
 ſui Conditoris & opificis ! Miremini vos
 empirei cives de veſtro vulnerato, nudo-
 que Deo, expoſito ex edita câ ſede irri-
 ſionibus, & ludibriis ! Plangite ſancti,
 ululate Principes, deplorate filii Domini
 deſolatam Servatorem, nudatum virgi-
 nem, deriſum veſtrum Regem, morien-
 tem Deum ! Nam qui ab æterno me ge-
 neravit Pater, *reſendit,* (inquit,) *arcum*
ſuum, & poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam.
 Pro meorum, atque univerſi mundi ſa-
 lute.

Non tantum in paſſione & Cruce obje-
 ctuſ fuit Chriſtus Dominuſ hoſtium ſagit-
 tis, veluti ſcopuſ, & ſignuſ, ſed à te-
 neris annis, imò ab ipſius in hunc mun-
 dum ortu. Tum enim incæperat collinea-
 re in ipſum ſuas ſagittas frigore & inopiâ
 Civitaſ Bethlemica, ubi eum peperit ejus
 Virginea Mater, & reclinavit in præſe-
 pio, *quia non erat eis locuſ in diverſorio.* Tum
 deindè direxit in eum veloces ſagittas He-
 rodes, ardentè ſitiens ejus innocentiffi-
 muſ ſanguinem. O quot expetituſ fuit
 ſagittis in cæterâ vitâ emiſſis à perſidis
 Phariſæis, de quibus memorans Regiuſ
 Propheta ; *Dentes eorum,* (inquit,) *arma,*
& ſagitta ; & lingua eorum, gladius acutuſ.
 Dum autem ſubſtineret paſſionem, & in
 Crucis arbore penderet virorum floridior,
 potentiffimuſ hic Deuſ, tum intensiffimè
 adducebant arcum barbari tyranni con-
 torquendo in eum ſuas iras, ſine omni clø-
 mentiâ, & miſericordiâ.

Attende jam, obſecro te, perdilecte
 Amice, & perſpice bene hoc ſpectaculuſ,
 tacet mitiffimuſ J E S V S, obſeſſuſ dolori-
 bus ; præcipit æternuſ Pater, ut integre
 bibat patiendi calicem ; illudit Judæuſ
 gloriatuſ de horrendo ſuo ſacrilegio ; mœ-
 rent creaturæ ob Principiſ ſui triftitiam,
 ſuperbit munduſ pro quo patitur ; rident
 peccatores perindè, quaſi nulla eſſet futu-
 ra æternitaſ, quâ caſtigandæ culpæ, aut
 coronandæ virtuteſ, cùm timendi potiùſ
 forent ipſiſ rigoreſ divinæ juſtitie, qui
 taleſ exegerant pœnaſ ab unigenito Dei
 filio pro alieniſ delictiſ. Occiſo Abel,
ſuit Dominuſ in Cain ſignuſ, ut non interſice-
ret eum omniſ, qui inveniſſet eum. Et venit ad
 noſtram terram hic divinuſ Abel, cujuſ
 M 3 ſancti-

sanctitas admirabilis, cujus imperium summum, & non modo non tulit secum aliquod signum, quo effugeret hostes, sed potius in eum, ut in certissimum scopum collinearunt omnes suas sagittas, spinarum, clavorumque acutissima spicula, probra, lanceam, cum caeteris suae irae, atque odii armis.

128. Quid hoc quod video sanctissime Deus? tanta benignitate exceptum homicidam Cain, & tanto oblatum rigori caelestem illum Abel, qui gloriosus est splendor tuae substantiae? Nonne hic natus est ad redemptionem hominum? Ille autem adortus fraternam vitam: ille crudelis, & impius; hic sanctitatis purissima origo. Cur igitur hic collocatus in arbore, ut confunderetur vulneribus; & ille insignitus, ne desideraretur? O si mea jam penetrarent viscera ambrosiae sagittae dulcedinis mei Salvatoris, ut possem orare cum grandifono Rege: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me. Quoniam sagitta tua infixae sunt mihi!* O te dilaudem aeternis praeconiis clementissime JESU! benedicant tibi Angeli, observent te Adami filii: in te enim diriguntur ferocientium leonum contenti arcus; & nedum quidem in nos collimant creaturae, cum simus teterrimi peccatores. Quae major potest esse confusio, quam ita te laborante aded nos conqueri de iniquitate fortunae, priusquam in ejus angustiis siti simus? Nondum lacescunt morbi, aut vexat paupertas, aut debacchantur animi afflictiones, aut repit infamia, aut invadunt certamina; & nihilominus disperditur patientia, frigescit virtus, recedit comitas, ad nauseam est ipsa vita, concidit animus, & penè desperatus jacet. Undè hæc, nisi ex languente amore, quo deficiamus à nostro Duce & Imperatore Christo? Cum ita animo consternamur, divites, culti, deliciofi; tam fausti rebus, & famulatu; tam secundo honoris, ac sine offensione cursu; vitæ ad speciem tam prosperæ; quid foret de nobis, si dilaceremur suppliciis, aut tormentis, quibus dignæ sunt nostræ culpæ? Potius mirari deberemus de vulnerato Dei filio, cum impunes ad huc maneamus, & liberi à meritis, cruciamenis, quin clavi perrumpant nostras manus, aut vepres transfodiant tempora, aut per peccus immittatur lancea. Necessè est nunc agnoscas, ó Peccator, divina illius beneficia, qui hostium telis ultrò se objecerat, ut à te ea propulsaret tam apertè illato in vitæ atque aeternæ salutis periculo.

129. O utinam concederet tibi modò tanti Numinis clementia, ut sicuti tuis peccatis

ejus humanam pulchritudinem transfixisti, tanquam armatis Sagittis; ita quoque fauciarent te ejus amoris spicula tam gravi, & felici vulnere, ut alterius rei nullius sensum, aut cogitationem haberes! O si idem à te obtinerent divinæ hæc sagittæ, quod mundani respectus! ne tum quidem tam peregrinæ erraret tua mens per momentaneas illecebras, sed altiori curâ spectaret aeternitatem; nec tam arduum quid esset, quod non expugnaret tua virtus, ut consequi posset suam coronam. Mox sanè imperaretur æquitas tuo animo, & tributa mortalitatis sine omni querela penderes. Ubi hyems adduceret sua frigora, algendum tibi putares: æstuandum verò cum referret æstas suos calores: quando intemperies cæli tentaret valetudinem, ægrotandum: nihil non ferendum, quo meti possent ditissima gloriæ: nullibi cogitandum nisi de amato; nemini obsequendum nisi Deo, aut propter Deum: Tum nullâ morâ assereres cum sponsa: *Sub umbrâ alarum illius, quem desideraveram, Cant. 2. sedi; & fructus ejus dulcis gutturi meo. Intro-* 3. *duxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore languo.* Pectore, & animo firmatus ad sustinendum quidquid mali, aut laboris impetat, quod me ducat ad dilectum: aded enim in corde, ac visceribus me tenuerat ipse, ut longè difficiliora tulerit mei causâ: *Factus sum, (inquit) Hæc in derisum omni populo meo, canticum eorum XI V. tota die.* Nullus tam grandis, aut disertus est orator, qui oneri non succumberet, si explicare vellet pulchritudinem hujus amoris, quo complexus est me Deus. Quid enim pulchrius, aut mirabilius recenseri, audirivè potest, quàm fieri in derisum omni populo potentissimum Deum amore vilissimæ creaturæ?

Sed nè silentio prætereamus hic Jeremiam, qui hæc prophetaverat. Ipse quoque haud injuriâ conqueri posset de eorum rusticitate, qui cum missus ad consulendum Dominum pro Judæis, respondisse salvos eos fore si manerent in Judæâ, sin autem in Ægyptum fugere vellent, perituros omnes gladio, fame, pestilentia; noluerunt ipsi credere, dicentes inurbanè satis: *Mendacium tu loqueris, non misit te Dominus Deus noster, di- 43. 2. cens: nè ingrediamini Ægyptum, ut habitetis illic.* Hoc probrum de se erat gravissimi doloris; uti erant etiam irrisiones, quas præsenferat ipse populus, dum quereretur: *Facti sumus opprobrium vicinis nostris, Psalm. subsannatio, & illusio his qui in circuitu nostro sunt. Quod si hæc injuriæ Dei servis illatæ*

Psalm.

37. 1.

Cant. 2.

3.

XIV.

43. 2.

48. 4.

lata fuerint, apta materies ac seges lamentationibus; quot & quam profundis suspiriis, quibus lacrymarum fluminibus deploranda opprobria Salvatoris? Quid tristius, aut luctuosius, quam intueri summum Deum, Moderatoremque Orbium, derisum ab impiis nebulonibus; insignitum arundine & veprium diademate, ut falsum Principem, & nugatorium Regem, ludibrio habitum à regiis Aulicis, scurrarum sputis, & alapis oneratum, ut vilissimum hominem, Regni turbatorem, blasphemum? Nec tamen tum solum dolori fuerunt Christo Domino ignominia, quas in sua persona sustinebat, verum inferendae etiam suis Sanctis Apostolis, & Martyribus, procedente tempore. Cæterum vae, vae peccatoribus, à quibus talis iis inurenda infamia. Nam in ultimo iudicio mirati de justorum gloria miserè exclamabunt impii: *Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improprietatis: nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos fors illorum est. Ergo erravimus à via veritatis, & iustitia lumen non luxit nobis.* Tum quidem lugent Religionis irrisores, & eos poenitebit serò dedecoris, quod probris, & contumeliis sparserant sanctos, Hæc enim haud leviter offendebant servatorem Dominum inter cætera tormenta suae Passionis, cum ea pari modo cogitaret, quasi tunc coram versarentur.

Sapient.
5. 3.

He.
XV.

Job. 17.
2.

Vau.
XVI.

131. Merito ergò jure potuit dicere, quem hæc ita exacerbabant: *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio.* Et cum sancto Job: *Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus.* Quoniam hæc verba magis conveniebant patienti Christo, quam ipsi Job; cum hic filius iræ sit natus: JESUS autem licet impeccabilis Deus, libavit tamen de eo felle, quod exhaurire atque integro cyatho potare deberent homines. Amaræ vites, & degeneres, quæ pro uvis amarissimos fellis, & absinthii botros tulerunt. Nec id tantum potuit asserere JESUS; verum etiam quòd continuò annectitur: *Et fregit ad numerum dentes meos, cibavit me cinere.*

132.

Nihil cunctandum est fateri promeruisse populum Israëliticum, qui suspirabat pro ollis Ægypti, excitato murmure contra Moysen & Aaron in deserto, ut ipsi id accideret, & subcineritio, atque hordeaceo pane vesceretur, ut decursu temporis accidit in obsidione Jerusalem, suamque pariter aquam in mensurâ, & angustia biberet, Nam spernentibus res Divinas, quid aliud expectandum præter asperitates, & misere-

rias? Sed pro dolor! quod faserat, sustineret populus; id perpeffus est innocentissimus JESUS, planè maceratus acerbitate, & cinere tam doloriferæ Passionis.

Per dentes autem, quorum confractio ^{133.} dolet, intelligere possumus Oratores Evangelicos: ita Deus alloquitur suam Ecclesiam in quarto Cantorum: *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fatibus, & sterilis non est inter eas.* Dentes verò Ecclesiæ, quæ parant ac disponunt cibum ad nutrienda reliqua membra corporis, quinam possunt esse, nisi ejus Doctores, & Concionatores, qui cæteros fideles Evangelii pabulo, ac doctrinâ reficiunt? Hi autem morte Isaiæ, & Zachariæ, ut prætermittam quosdam alios ex Prophetis, vehementer sunt quassati, ac confracti, maximè vi illatâ clarissimo sancto Joanni Baptistæ, quando jussu Herodis amputatum fuit ipsi caput, pro deterrando eo Rege, ac scandalosâ libidine, cui cum fratris sui uxore indulgebat. Magnus sine dubio obortus est inde dolor Christo Domino, non modò ob gravitatem injuriæ; verum etiam ob jacturam tanti viri: quippe qui plusquam Propheta erat, & excellentissimus Præcursor, ac veluti Angelus ad disponendam viam Domino. Diferret enim Basilius Magnus in Psalmum vigesimum octavum: *Vox Domini est Joannes,* (inquit,) Angelus à Deo missus ante faciem Domini, ut pararet Domino plebem perfectam.

Quamvis hoc mystico more confringi ^{134.} acciderit nostri Servatoris dentes; nihilominus proprium, ac singularem dolorem acceperunt ex pugnis, & alapis, quas formosissimis ejus maxillis impegere carnifices dum pateretur: Ad hæc, *qui comederit,* ^{Jerem.} (inquit Jeremias,) *uriam acerbam obstupescet dentes ejus.* Eam comedimus nos peccatores; sed pro nobis passi sunt dentes capitis nostri Christi. Ah dolor! Jam devolutus in genua atque humi suppliciter affusus dirumpere vellem funestum chalybem ac duritiem mei pectoris, ejusque tam rigidum gelu in teneros liquores dissolvere, has repetens mei Regis ac Servatoris pænas. Quid enim flebilius, quam quod jam ab ipso quasi audire videor: *Repulsa est anima mea:* ab amicis desertus sum, undique obsidentibus me malis, & laboribus. *Posuerunt me abominationem sibi noti mei, in Psal.* *umbrâ mortis constitutus sum, oblitus bonorum.* ^{87. 9.} Quid tristius? Quid mirabilius, quam oblivisci bonorum datorem ipsius beatitudinis? Quòd si de me diceretur eorum amisisse memoriam, dum in oblivionem mihi veniunt Divina beneficia, nec pro eis debitas ^{grates}

grates solvo, ut mei muneris est; nemini id mirum videri posset: aut si de Populo Israël affirmaretur, dum in captivitatis luctu, ac tenebris jaceret, haud procul abs re esset; sed summum bonum memoriam deponere bonorum, res est sanè omni admiratione digna. Heu lacrymæ meæ! nunc enim hujusmodi rei causam retegere me pudet, qui sum ipse; cum propter mea peccata patratum fuerit in Christo Domino tam grande miraculum: nam licet foeliciter gauderet de summo bono, simul tamen tristabatur miraculosè, & contra exigentiam visionis Beatificæ, quâ tum etiam gloriosissimè nitebat, de imminentibus malis, quorum exortus dolor hic indicatur per oblivionem bonorum. O quantâ suâ tristitiâ Beatorum illud lumen, pacisque Princeps pro nostra inertia & oblivione oblatu tortoribus, repulsus à suis notis, & oblitus bonorum, redemit nobis bonâ æternæ salutis! O nos ingratas creaturas, inurbanissimos peccatores, qui etiamnum itâ delitescimus in nostris tenebris, ut adductus sit Deus ad hanc dulcissimam querimoniam: *Et dixi; periit finis meus.*

VAU.
XVIII.

135. Quamvis mundo non defecerit redemptio; redemptioni tamen defecerunt ex mundanis plurimi, qui in hoc auferentes Christo opima ejus finis, ac passionis spolia. Inhæserunt suis culpis, barbarè aspernati pretium tantæ Majestatis, ac laboris. Quare haud absre queritur patiens ac suavissimus JESVS, periisse sibi suum finem; non quia defecerat ejus pretiosissimo sanguini, sed ob incuriam hominum tam tenacium sui sceleris. *In vacuum*, (inquit per Isaiam,) *Laboravi sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi.* Non enim jam subsidium, petunt ut plurimum miselli homines, ab efficaciore meo auxilio, sed quantum temporis ratio patitur, undique cedunt in cupidinem à divinis obsequiis alieni. Nec propterea insipientibus ullus affulget rubor: nam affluunt omnibus deliciis, quasi jam elatis pennis earum altiores auras everberantes; nec iis aliud minus cordi est, quàm cæli leges, ac doctrina; pulchrè indusiati lasciviunt, summâ opulentia teneritudine delusis sensibus blandiente. Quid ergo ab eis expectandum, nisi defectionem ab obedientiâ Christi, & à fine, quem sibi proposuerat ejus sanctissima voluntas, cum constituit subire torpœnas & cruciatus pro illis?

Isai. 49.
4.

136. Cæterum si horum contumacia haud modicè corruerit, perieritvè partim nobilissimus finis nostræ Redemptionis; sanctorum tamen spe, & perfectione partim ac strenuè restauratur ea jactura. Ita enim

explicat Textus: *Et dixi, periit finis meus, & spes mea à Domino:* Nam licet Christus Dominus non sperabat, (quasi sibi abesset) suam essentialem gloriam, utpotè quam semper obtinuerat; nihilominus ut caput hujus mystici corporis suæ Ecclesiæ eam sperabat clarissimis athleticis, pro æternitatis præmio inclytè dimicaturis; eoquæ ritè cum augustissimo vate possunt concinere: *Et factus est Dominus refugium pauperi: adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. Et sperent in te, qui noverunt nomen tuum: quoniam non dereliquisti quærentes te Domine.* Quamobrem faustissimus ille, qui spem suam sitam habet in Dei nomine, atque ejus Crucis acerbiter, & labores perpetuè colit memori mente, & gratitudine: eo te moveant, amice mi, hæc ejus mellita oratio: *Recordare paupertatis, & transgressionis meæ, absinthii & fellis.* ZAIM.
XIX.

Quamvis enim eam effuderit ad æternum Patrem, ut suis doloribus, ac nuditate, propitium eum moveret tuis delictis: Si eam tamen tibi convertere velis in exhortationem, quasi ea invitatus, ut mediteris piè, ac religiosè Christi mortem; ejus planè ambrosio affectu nihil invenies amantius. Quis enim continere potest lacrimas præ dulcedine, auditis his suspiriis sui Creatoris? recordare, fili mi, mea dilectissima creatura, generose fructus mei amoris, quem enutriveram venarum sanguine; recordare meorum vulnerum, quorum munitus tutissimo præsidio, acie devictis hostibus te ipsum rationi gloriosissimè subjicies, animi generositatis tam ferax, ut in hac tempestuosa vita altioris esse generis videaris. Acriter sanè mei causa inibis pugnas, sed meritis meæ sanctissimæ mortis ac passionis reportabis victoriam, & præmittens in tuam cælestem patriam spolia mox inter ovantium palmarum fructus hinc decedes vir, & vitæ flore, & exitus sanctitate felicissimus. Quamobrem cum ad paupertatis angustias te detrusum videris, ne meæ nuditatis aut inopiæ obliviscaris, & facillè eas superabis, videns, quam longè te superaveram in sufferendo impetus hujus pulverulentæ palestræ. Nam ego potentissimus Deus, ac ditissimus cælorum Princeps ad summam egestatem haud invitus pro te redactus sum: tu autem quantumvis rerum tenuitate labores, ferè integræ tibi manent tuæ fortunæ. Quoniam cum nudus, ipsoque Iro, (ut dicendi mos est) aut Codro pauperior in hunc mundum fueris ingressus; quo jure cedis, cum pro tua salute sustines incommoda paupertatis: corde igitur ac meditatione percurrere crudelissi-

delissima supplicia, quæ ego libenter subiveram tui amore; si fortè adversitatis tumultus vehementius te transverberent suis telis, ac sagittis. Quod si me cogitaveris à fœdissimis lorariis penè ad necem dilaceratum, haud gravatè proculdubiò ferēs ægritudinis tuæ ictus: si quidem Dei nutu ingruant: aspice meam percussam faciem, fronti quæ affixum ex rigentibus spinis diadema; & mitius tranabis flumina tuorum dolorum. Quomodo patientiæ terminos transilies, me considerato in vinculis, & carceribus, & gravibus addicto contumeliis? Si vis tranquillioremo traducere tam varios successus, uti distinguunt hanc vitam; ne mortis meæ recordationem tibi effluere permittas: in ea enim invenies tuis laboribus solatium, tuis morbis medicinam; adversus mundi illecebras virtutem; spem ac lumen vitæ adversus mortis angustias, & tenebras; adversus hostes & dæmones gratiam, pro tuâ æternâ coronâ splendores gloriæ.

137. Nec nimium te fecisse existimabis retinendo memoriâ, quæ tui ergò passus fueram ego, præcipuè si attendas, quò affectu promiseram per meum Prophetam, memorem me fore ejus subsidii, quo tibi possem succurrere: *Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea. Hoc recolens in corde meo, ideò sperabo.* Optimo jure efferetur spe ultimæ ac triumphalis victoriæ, qui probè pensitaverit profusissimam charitatem, quâ ego non modo pro cæteris hominibus; sed pro carnificum etiam, meorumque hostium salute, quidquid habui vocis, virium, sanguinis in extremo vitæ spiritu apud Patrem deprecatus impendi. Quid ergo timendum tibi? Gravitas tuorum scelerum? Pretium mei Sanguinis est valoris infiniti. Tua inobedientia erga Deum? Ego æterno meo Patri usque ad ipsam mortem pro tuâ solutione obsecutus sum. Vitæ luxus ac voluptates? Ego insumpsi meos annos in sudore & laboribus, in jejuniis, & vigiliis; terminavi quæ illos poenis, ac vulneribus. Animosè igitur desigenda spes in meis meritis, dum efferveant tibi hujus vitæ turbulenti fluctus, quibus quotidie jactaris. O proles hominum, qui tam avarè studetis supputationibus nummorum, cur prætermittitis inæstimabiles thesauros, qui concluduntur meis doloribus? Cur non cernitis cruentos rores, qui è toto meo corpore distillarunt? Haud multum forsitan existimatis gloiram partam vobis eâ felleâ spongiâ, atque acris ejus aceti potu, quem mihi propinavit hostis, dum ardentè sitire rem vestra remedia in eminentia Crucis?

Ecce hujus arborem rosâ meâ irrigatione saturatam, ut ediscatis recolere mea vulnera, quæ divinâ suâ dulcedine indulgent Dei amantibus, suaviterque faciunt omnia, quæ difficiliora videntur in cælesti itinere: nam ex iis oboritur lux quædam admirabilis pulchritudinis, simul cum imitandi disciplinâ, quæ summum ingerit amorem, & incitamenta ad virtutem. Indè fit, ut qui ad Crucis castra se recipiunt, cultum victumque non ad luxum quærant; sed amoto procul omni mundano fastu, mirâ frugalitate, ac parcimoniâ cupidinem doment, continentiam alant, superbiam comprimant, humilitatem colant, iracundiam leniant, sanctitatis nutricem mortificationem æquis oculis aspiciant: cum certò sciant, neminem, qui semel arripuerit ejusmodi militiam, donandum fore æternitatis coronâ, nisi generosè prius sui ipsius castigatione curet eorum, qui mecum nunc regnant in mea gloria, vestigiis insistere.

138. Omnem in hac re diligentiam habeas velim, fili mi, ut singulari misericordiâ te complectatur meus æternus Pater, qui nunquam deficit studiosis bonæ sortis, fidisque amicis: mente propitiâ & secundâ id tibi promitto, si tu strenuè egeris respiciens thesauros Divinæ misericordiæ: *Quia non sumus consumpti: quia non defecerunt miserationes ejus Majestatis, cujus providentiæ clavo absque omni nisu & labore totius Ecclesiæ navis dirigitur, & gubernatur. Necessè est committas intimè tuæ memoriæ hunc versiculum, eumque in cordis telâ scribas: hætenus enim quid te vendicare potuit ab Inferni faucibus, nisi ejus misericordiæ benignitas, & providentiâ? Quid restinxit tua incendia, mitigavit tuas passiones, nisi divina misericordiâ? Quid, præter illam, debellavit tyrannidem culpæ? Quid aliud te eripuit è mundi fraudibus, & illecebris? Si etiânum vivis, beneficio tantæ misericordiæ vivis; Si turbatus, aut mœrens obtines solatium, utique illius est: nam *speciosa, (inquit Ecclesiasticus,) misericordiâ Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluvia in tempore siccitatis.* Sive percipis visu, sive audis; ipsa donavit te luminibus, plantavit aures tuas; nam *misericordiâ Domini plena est terra, ut dulciter modalatus est David Psalmo trigesimo primo, & quadragesimo quarto super centesimum: Suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus.* Quæ cum ita sint, nunquam tibi ex ore aut pectore debet excidere ille versus: *Misericordiâ Domini quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus.**

ZAIM.
XX.
XXI.

HERN.
XXII.

Eccle-
siast. 39.
vers. 26.

Psalms.
31.
144.

HERN.
XXII.

N O mihi

139. O mihi amœna voluptas, mi perdilecte Amice! Si penetrares benè suavitatem misericordiæ, quam tibi quotidie ostendit Deus; quantò velocius accederes ad ipsum? Quoniam te nutrit, te roborat, tibi excellentissima dona impertitur suæ gratiæ, ut iis egregiè te gerens consequaris gloriam. Elevatori igitur spiritu rependendæ grates tantæ liberalitati, etiam atque etiam repetens: *Quia non sumus consumpti: Quia non defecerunt miserationes ejus.*

140. Quod si respicias initia primitivæ Ecclesiæ validissima se offerent argumenta magnificentiæ, hujus amplissimæ misericordiæ.

HE TH. XXIII. Sed imprimis incipiamus à textu: *Novi diluculo, multa est fides tua.* Quàm diluculo illuxerat piis fidelibus Dei misericordia! Sub ipsum enim ortum & principium almæ Matris Ecclesiæ accidit, ut Apostolorum Princeps Petrus cum divo Joanne Evangelista conjectus fuerit in custodiam, qui haud multò post examinati, ac dimissi venerunt ad suos, ipsiſque renuntiaverunt de malitia Sacerdotum ac Seniorum populi.

Act. 4. Motus est locus in quo erant congregati, & repleti

31. sunt omnes Spiritu Sancto; & loquebantur verbum Dei cum fiducia. Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una; nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia: & virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Domini nostri JESU Christi; & gratia magna erat in omnibus illis; neque enim quisquam egens erat inter illos. Quæ major laus? quæ splendidior opulentia? quoniam refulgebant hi splendores divinæ misericordiæ, quibus à primo flore contra hostium minas, & arma, muniebatur Ecclesia? Quamobrem ad tantam munificentiam alacriter exiliens, æquum est, serenè sic pronuncies: *Pars mea Dominus, dixit anima mea: propterea expectabo eum.*

141. O quàm præclaris, tum animi, tum corporis muneribus is insignitur, quem in partem ac sortem regiæ suæ ac divinæ opulentiae admittit Deus! Sic ritè poterit affirmare cum augustissimo Rege ac Propheta: *Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei: tu es, qui restitues hereditatem meam mihi.* Nemo autem beatior illo, qui portionem suam obtinet ex hac hæreditate inter Sanctorum delicias ab ipso beatitudinis fonte, & principio ditatus. Quoniam si opes, aut Majestatem requiris; postquam ab hujus vitæ deserto commigraveris in viventium Patriam, ibi coronaberis affluens deliciis, innixusque dilecto: si dapes, & convivia; potatus ibi dulcedine, sedebis in

pulchritudine pacis, in opulenta requie: si regnandi gloriam & perennitatem; *Oculus 1. Cor. 2. non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis 2. Cor. 4. ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Tum denique quæ sub sole videntur, temporalia sunt; quæ autem in cælo sempiterna. Si splendorem urbis, fundamenta supernæ Jerusalem, Civitatis æternæ, omni lapide pretioso ornata sunt; ejus duodecim portæ, duodecim margaritæ per singulas, & singulæ portæ ex singulis margaritis: plateæ autem ex auro mundo, tanquam vitro pellucido, ex auro & adamantibus ejus triumphales arcus, qui neque egent sole, neque lunâ ut exhibeant suum decorem: nam claritas Dei illuminat totum illud felicissimum Regnum, & lucerna ejus est Agnus. Si Aulicorum comitatem, & prudentiam; omnes in Deum videbis amoris similitudine transfusos, eaque perspicaciâ mentis, ut res omnes, quas mortales homines tam obscurè ac tanto cum labore addiscunt, illi clarissimè in ipso divino numine, tanquam in politissimi candoris speculo intueantur.

Aspires, fili; aspirens semper ad participationem hujus gloriæ: in ea enim invenies amœnitates, delicias, titulos, honores, opes, urbanitatem, pulchritudinem, sapientiam, inæstimabiles thesauros beatitudinis. Supplici prece contendas à Dei filio, ut te aspergat aliquo rore, ex tot & tam amplis gratiarum fluminibus, quod abundè derivat in membra suæ sanctissimæ Ecclesiæ, confidasque id facturum, cum tam pronus sit pro infinita sua misericordia ad sublevandum omnes eos, qui puro corde contritoque spiritu eandem ipsam rem oraturi suos proponunt illi labores, & ærumnas. *Quoniam bonus est Dominus sperantibus in illum.*

Regi David optimè procedebant res 143. sperando in Domino, cum diceret. *Latentur omnes, qui sperant in te Domine.* Haud Psal. 5. funestum fuit Job in eo sperare. *Etiamsi, (inquit,) Occiderit me, in ipso sperabo.* Præclarè actum est cum Israëlitis hoc arrepto Asylo: ita enim de illis Regius Propheta. *Domus Israël speravit in Domino: adjutor eorum, & protector eorum est. Domus Aaron speravit in Domino: adjutor eorum, & protector eorum est. Qui timeant Dominum speraverunt in Domino: adjutor eorum, & protector eorum est. Dominus memor fuit nostri, & benedixit nobis: benedixit domui Israël, benedixit domui Aaron. Benedixit omnibus qui timeant Dominum, pusillis cum majoribus.* Felicem semper cursum tenent omnes sperantes in Domino, affirmante Divino Oraculo, fore quidem, ut in oblectationem iis arrideat infinita Dei misericordia: firmum enim

enim præsidium est impigrè perquirentibus suam salutem; cæterum multi eam non inveniunt; quippè qui productis mensibus, & annis per morum laxitatem, ac licentiam, omnem solertiam in extremas angustias reiciunt; aut ne minimam quidem in hac vita adhihent. Cui ut obsisteret damno, in hunc modum exhortatus fuit

Isai. 55. 6. *Quærite dominum dum inveniri potest; invocate eum, dum propè est. Derelinquas impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas; & revertatur ad Dominum, & miserabitur ejus, & ad Deum nostrum; quoniam multus est ad ignoscendum.*

144. Alii autem suâ stultitiâ pereunt, qui conterriti spinis devitant rosas, quas legere sibi deberent ex virtutibus; & qui nisi politicè atque ex suo temporali quæstu in Dei famulatum admitti nolunt; cùm tamen moneat Ecclesiasticus, simplici corde accedendum esse ad Deum, serviturisque ipsi persistendum in justitia. *Fili, (inquit,) accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Deprime cor tuum, & sustine.* Et sub

Eccles. 2. 1. *idem. 1. 36. finem præcedentis capituli: Ne sis incredibilis timori Domini, & ne accefferis ad illum duplici corde. Nec alii quoque inveniunt sibi vitam; quippè qui infecti lethalibus culpis, ad majorem offensam, ut Herodes, Dominum investigant; quibus fatius foret dolore, suspiriis, lacrimis, devotione, adire ipsum. Sic perquirebat JESUM ejus Sanctissima Mater, cùm eum perdidisset in templo; eique jam reperto dixit: *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus, & ego, dolentes quarebamus te.* Beati qui proficuo dolore hoc laborant, quærunt, cursitant post Deum. Beati, qui toleranter sufferunt hostium impetus & tentationes, freti præsi-*

diis Divinæ gratiæ: quoniam immunes conservabuntur. Beati, qui expectant adventum Domini cum patientiâ, & fortitudine: nam teste hîc ipso Dei numine;

Bonum est præstolari cum silentio salutare Domini.

145. Si non responderes hostium obtreccationibus, aut injuriis; si corripienti non obsisteres; si dum sinistrè de tuo honore divulgaretur fama, contra ne hisceres quidem, nisi fortassis cederet in majorem Dei gloriam; si haud gravatè ferres adversitatis ictus & vulnera; si ad cælum non optares evadere, nisi probè in hac vitâ contusus; Si silentio præterires inconcinnos atque inurbanos despectus, quibus te aliquando fortè excipiunt tui Provinciales, aut cives; feriatu ab odiis & turbis placidiori viâ incederes? Hanc rem egregiè explicant Proverbia Sapientissimi Salomonis: *Cùm defecerint*

ligna, (ait,) extinguetur ignis: & susurrone subraçto jurgia conquiescunt. Sicut carbones ad prunas & ligna ad ignem; sic homo iracundus suscitatur rixas: Et aliquantulum superius: De fructu oris viri replebitur venter ejus, & genimina labiorum ipsius saturabunt eum.

Mors & vita in manu lingua. O si videres, in quot discrimina te adduxerat tua lingua, & quoties te compulerat in defectionem à Duce tuo Christo, invisum Angelis, & hominibus; non tam leviter obedires ejus volubilitati! Deinceps igitur opus est, comprimam eam, ut silentii promerearis fructum, & ornatum. Discito exemplum à tuo cælesti Magistro JESU, qui vincus & reus, multis falsis testimoniis oneratus, coram Pilato obmutuit ita, ut admirationi esset Præsidi ejus profundissimum silentium. Remissus quoque ad Herodem maxima taciturnitate usus fuit; suis Fidelibus ea authoritate comprobans præstantiam hujus virtutis.

O mi dulcissime JESU! impar sum ut rependam tibi pares grates, ob tam singulare beneficium: etenim quid præstantius, aut dignius, quàm te siluisse cælorum Principem coram terrenis Judicibus? ut ego habere possem quod pro me respondeam in tuo tremendo Judicio? Quid præclarius quam ita tacuisse summum Deum æternumque Verbum, ut ego ediscerem vilissima creatura abstinere à mea garrulitate & mendaciis. Quamobrem sile anima mea, sile, & doma teipsam: nam bonum est cum mititate & silentio præstolari salutare Dei: *Bonum est viro, cùm portaverit jugum ab adolescentiâ suâ.*

Hæc te sententia ad multas lachrymas, & suspiria deducet; nisi ex ære aut ferro compacta sint tua viscera: nam teneræ ætatis præteriêre flores, juventutis elapsi sunt anni, adultâ viges ætate, aut forte canente senio confectus es: & etiamnum excusso Domini suavissimo jugo persistis in servitute culpæ. *Occupatio magna, (ait Ecclesiasticus,) creata est omnibus hominibus, & jugum grave super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, usque ad diem sepultura in matrem omnium.* Nonne foret salubrius portare dulcissimum jugum Domini ab adolescentiâ? Cui obsequio eò citius te aptare deberes, quòd pro te à primis annis tot labores exantlaverit Deus, cæli inclementiæ, vitæque asperitati, & inædiæ expositus: imò quod mirabilius est, ab ejus Sanctissimæ Incarnationis primo instanti cæpit sub-

mittere considerationis humeros ei oneri, promptus ad calicem passionis constituto tempore exhauriendum. Indè factum, ut assiduè per totam vitam salus humani generis

neris durissimam ei provinciam, & laboriosam operam attulerit. Pudeat te igitur, amice mi, quod tam serò susceperis onus Crucis Christi: cum id sibi ipse imposuisset tam diluculo. Quinimò utinam illud aliquando sanè suscepisses, quamvis esses ex operariis circa undecimam horam conductus ad vineam. Properatò opus est; festina: ecce dilabitur pretiosum atque irre-meabile tempus, quod conceditur tibi ad vacandum tuæ salutis. Maximam ejus oneris gravitatem sustinuit Christus, ut tibi esse possit levioris ponderis. Dura fuit ipsi Crux, ut tibi esset mollis, & suavis. Fuit ipsi amara, ut tibi inciperet esse dulcis. Quid hæsitas? accelerato, saltim nè ingratus atque inurbanus habearis, tam comiter invitatus, desleas præteritum, ac perditum tempus, contritam juventutem in vesanis blanditiis. Incipe jam tandem tibi ipsi vivere, morique servituti tenebrarum, quibus inundat peccatum: Ete-

148. **TEPH.** *nim bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua, sedebit solitarius, & tacebit, quia levavit super se.*

XXVII.
JON.
XXVIII.

148.

Quadragesima dies habitaverat desertum bellissimus juvenum, ac suavissimus Jesus inter ferarum lustra, à quibus tamen, cum essent bruta, & indomita, nunquam violatus fuit, ut quotidie offenditur à peccatoribus, qui proindè superant rapaces bestias crudelitate, & sævitiâ. Ibi quadragesima dierum silentium sibi indixerat, pro querelis, & murmure, quæ spatio quadragesima annorum aliquoties excitavit populus Israël in solitudine: Tacuit verò ob sæculi dicacitatem, & garritum: solus confedit in deserto propter audaciam hominum, qui conditis Regnis & Imperiis, non modò remotis arbitris delinquebant; sed scandalose etiam, atque in foris publicis teterrima patrabant facinora. Vi & efficacità sui æterni, ac sanctissimi Numinis levavit humanam naturam supra eandem ipsam ad contemplandas res altissimas, & Divinas, ut nemo ex Ecclesiæ Militibus, quibus adnitendum esset ad beatitudinem, postmodum ignoraret, quantum facere posset ad potiendum optatis meditatio rei Divinæ in silentio, & solitudine.

149.

Hæc mirè comprobantur iis, quæ prædixerat Deus per Prophetam Osee de reductione gentis Israël ad sua obsequia:

14. **Osee 2.** *Ecce ego, dicit, lactabo eam: & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus, & dabo ei visitores ejus ex eodem loco, & Vallem Achor ad aperiendam spem, & carnet ibi juxta dies juventutis sue, & juxta dies ascensionis sue de terra Egypti.* Ecce quot promissa bona in solitudine, quot spirituales proventus,

Divinæ illustrationes, cælestes deliciae, & laudationes: eoquæ tam maturè ductus est in desertum maximus Baptista, multiquæ alii clarissimi viri virtute & sanctitate conspicui, qui miserunt animum, & cogitationem ad illa, quæ æterna sunt, scitè ac religiosè à se excluso pulvere hujus terrenæ fragilitatis, & vitæ.

Cæterum plures in pso aditu vitæ solitariae & contemplativæ deficiunt, qui in ea lentè, & perseveranter non confidunt; *Nam & qui certat in agone, scribit Apostolus ad Timotheum, non coronatur, nisi legitime certaverit.* Fideles, præcipuè Religiosos oportet non modo delibare de solitudine quasi per transfennam; sed eam intimè amare, & eligere, ut suæ habitationis sedem fixam, ac stabilem; nec ipsis sufficit eam adire sola externa corporeaquæ præsentia, nisi expediant simul internas suas potentias ac facultates omni mundo obstaculo, ut eò liberius oblectari possint ejus suavitate & pulchritudine: sic idem Apostolus: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat, cui se probavit.* Quoniam quid prodesset referre corpus ad desertum; si mens volitaret in foro inter Aulicorum turbas? quid aliud esset hoc, nisi inaniter lusâ operâ actum agere? loci enim solitudo ut medium se offert ad divellendam animam à scelerata sua radice voluptate. Quod si verò minus aptetur huic fini; rerum in verso ordine nullus medicinæ relinquatur locus. Quapropter opus est, sola, aut quodammodo solitaria sit memoria, quin sæculi pompam, ac vanitatem repræsentet, solus & sine discursu in rebus inutilibus intellectus; sola voluntas, quin eas appetat aut amet: solitariis enim, & reticentibus in hunc modum dominantibus his potentiis, fociæ etiam & pedissæque obmutescunt, irasibilis servitatem effugiet suam; cupiditas respuet suas voluptates; suam curiositatem oculi; auditus percipere obtrectationes, & mendacia; dapes, & cupedias, gustus, tactus & nares omnes suas blanditias; integer homo sibi ipsi dicet; quid hætenus insaniebam? quid ita anhelabam pro nugis & tricis? quid sudabam? quid terram versabam? quid forum visabam? cur deserebam beatitatis fontem, & Authorem Deum, quem qui magno æstimat, Divinâ ope elevatus supra seipsum parvi ducit res fluxas, & caducas.

Multò sanè & gloriosissimo lucro sunt iusticiæ, labores, solitudines, æstus, frigora, abstinentiæ, vigiliæ, mortificationes, quæ in Dei amorem insumpta sublevant animam faultrice gratiâ, ut servetur in per-

perquirendo sine ordo, decor, Religio, puritas, & affectus: contempta enim res est homo; nisi supra humana erectus suspiciat suum centrum. Quamdiu passionibus fervet, se atque alios pestifera contagione inficit. Verum levatis his, altiori gressu nitetur in Patriam, & ut bonus Miles feret vulnera, enumerabit cicatrices, & transverberatus telis moriens amabit eum, pro quo cadet, Imperatorem JESUM, unaque dilectis, tum hostibus, tum amicis, habebit in animo illud vetus dictum: *Ridiculum est odio nocentis perdere innocentiam.*

152. Studeas in hunc modum, amantissime frater, levare te super te ipsum amore, & charitate: surge, quia te vocat Christus: surge; quia caelo, non mundo, aut terrenis rebus te condidit; surge, quia indignam mortem, & opprobria à propria gente illata, pro te sustinuit: surge, & secluso omnium vitiorum tumultu, sequere Dominum; de quo inter cæteras habet hanc Prophetiam Jeremias: *Ponet in pulvere os suum*; nimirum pro te indignissimo peccatore. Ut obtigit ea nocte, quâ in horto Getsemani sanctissime devolutus in genua procidit in suam faciem, oravitque cum mœrore, & angustiis, æternum Patrem, ut si possibile esset transiret imminens iste passionis calix. At verò licet certissime noverit integrè bibendum fore eum amarissimum potum; uti tamen in petitione ostendebatur affectus cujusdam naturalis velleitas, ita & quodammodò indicabatur, & cum proportionè conditionata spes sub hypothèsi velleitatis: quare annectit ibidem Propheta: *Ponet in pulvere os suum, si fortè sit spes.*

153. Fili, si in pulvere defixerit sua dulcissima labia cælorum Conditor, & Governator, tu pulvis, & cinis, ubi pones tua? si ille venustaverit terram eâ purpurâ, cujus luce, ac nitore recreantur Angeli; tu missellus vermiculus, cur tam arroganter confurgis? cur despicias cæteros tam elato supercilio? cur meditatus tuam illiberalitatem, non ad humum usque inclinaris, deosculaturus eam in submissionis signum? Vis, floreat tuæ virtutes in spem æternæ gloriæ? profundè agant radices in areolis humilitatis: nam Divina spe dejicitur, qui arroganter sibi ipsi confidit, uti eam exigit, & confirmat, qui in cunctis se dimittit, quod si de dilecto & humili fuerit affirmatum: *Ponet in pulvere os suum, si fortè sit spes*; Quid expectare poterunt superbi, qui debellantur à Deo, nisi id quod traditur in Psalmo decimo septimo: *Clamaverunt, nec erat, qui salvos faceret: ad Dominum, nec exaudivit eos: Et comminavit eos ut*

pulverem ante faciem venti, ut lutum platearum delebo eos. Quoniam siquidem haud ferendi sint superbi præ insolentia, atque elatione animi; qui verè imitatur submissionem Christi, non tantum in pulvere deponet sua labia, sed etiam *dabit percussioni se maxillam*, si fuerit opus, ut se optime ostendat amantem: misselli autem peccatores non solum, quod parum foelix est ipsis, imparati sunt percussuris exhibere maxillas, verum ne unum quidem verbum, non dico contumeliosum, sed leviter aut facete prolatum sustinere possunt, quod damnum illis invexerat superbia: nam si seipsum paulò vigilantius inspexissent videndi animo, quid suis miseris conduceret, non ocyus arrepta fuga subducerentur inimicorum injuriis.

O mi dulcissime JESUS! ô sanctissime Deus! qui probè consideraret honorem tui bellissimi vultus conspurcatum nebulonum sputis, colaphis, & pugnis, cæsas eas maxillas, quarum jucundissimo aspectu recreantur Angeli; oblectantur beati empirei Principes, proculdubio in proinctu staret, paratus ad subeunda ea omnia, quæ valeret pati tui amore: sub injuriarum virga libenter se submitteret constantissimus miles, Divinisque favoribus opulentissimus. Læte, & patienter audiret sibi pronunciatum ad imitationem quod de te prophetaverat Jeremias, nempe: *Satiabitur opprobriis.* Tam forti & robusto esset animo te secutus ad trananda omnia ærumnarum flumina, quæ in itinere se offerrent, donec perveniret ad humilitatem, deindeque tuo ductu ac præsidio ad amœnitatem Patriæ.

Ergò (ad te redeo,) mi Christiane; meditare lentissime, expende Passionem, & dolores tui Imperatoris Christi, ipsius obsequiis te devove, ut quamvis in vinculis, aut carceribus, aut cruce, aut miseris te videas, non deturberis spe, iis ipsis calamitatibus consequendi gloriam: *Quia non repellet in sempiternum Dominus.* Nam licet aliquandiu undique tundaris per flagella hujus vitæ, licet frequenter laborum te pondus oneret, morborum turbæ affligant, tentationes insultent, hostes lacerant, solatium absit, rerum penuria cruciat, quidquid in aspectum veniat, appareat ut tormentum: hæc tamen haud semper dilacerabunt; sed tempori tam nubo, & iniquo succedet tandem serenitas æternitatis, quando delibutus gaudiis, splendorisque dotibus perfusus, nunquam dolebis iniisse labores ex quibus demessa tanta gloria.

Huc eleganter spectant, quæ prænum-

Jo. D. XXIX.

Jo. D. XXX.

154.

CAP. XXXI.

Psalm. 17. 42.

156.

ciaverat Isaias invitans Ecclesiam ad exultationem, & lætitiā, quod ex gentibus futura esset numerosior, quam erat Synagoga, & per orbem propaganda veteris

oblita calamitatis. *Ad punctum*, (inquit,) *in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te; in momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordiā sempiternā misertus sum tui; dixit Redemptor tuus Dominus: quoniam ut docet*

Ecclesiasticus: speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluvia, in tempore siccitatis. Silendum igitur, ac strenuè ferenda acrimonia, quæ tali exuberat dulcedine: haud obstitendum corripienti Domino cum ad frugem velit restituere: *quia si abjecit, & miserebitur secundum multitudinem miserationum suarum.*

157. Solet clementissimus Deus suorum meminisse in gravioribus pœnis, & cum ferocientibus malis permiscere singulares misericordias: neque rejicit, neque contemnit, quos constituit sibi eligere in credentem florentemque populum, ut speciosè ostendit Propheta Isaias, ubi hæc habet:

Isai. 43. Et nunc hac dicit Dominus creans te Jacob, & formans te Israël: noli timere, quia redemitte, & vocavi te nomine tuo: meus es tu: cum pertransieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te, cum ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te. Et ab

initio consequentis capitis: *& nunc audi Jacob serve meus, & Israël, quem elegi: hac dicit Dominus, faciens, & formans te ab utero auxiliator tuus; noli timere serve meus Jacob, & rectissime, quem elegi: effundam enim aquas super sitientem, & fluent a super addam: effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam.* Quo-

nam in more positum est apud hunc suavissimum Dominum veluti comprimit superbos, ità & exaltare humiles, & reficere afflictos; nam ubi reprehendit non damno vertitur correptio; neque ad necem est supplicium, si paternè castigat. Sed cum morbos, amaritudines, dolores, carceres, desolationes, paulò turbulentioribus filiis immittit, in eorum salutem intendit, ut nimirum ex morbis depromat valetudinem; ex doloribus suavitatem; libertatem ex carceribus; ex tribulationibus solatia: *non enim*, (ait præsens textus,) *humiliavit ex corde suo, & abjecit filios hominum.*

158. Hæc variis exemplis comprobantur: etenim innocens Joseph licet in captivitatem traditus sit, non ideò abjecit, neque ex corde humiliavit ipsum Deus; Sed id permisum, ut eductus ex squallore carceris præficeretur universo Ægypto, priusque ediceret obedientiam, quàm proferre impe-

ria. Quod si ritè probaverit Dominus fidem Abraham, cum ei mandasset immolationem unigeniti filii, quem tenerè diligebat, Isaac; haud tamen ipsum humiliavit ex corde: cum enim arrepto gladio iussa jam facturus, extenderet manum ad inferendum ictum, Angeli vocem audivit, quæ inhibuit ejus brachium, ne deoneretur in puerum. Quoniam non semper rejicit suos divina misericordia; sed quidquid pœnæ, aut laboris eis infert pro tempore, postea ampliori præmio compensat. Quàm acriter percussus fuerat sanctissimus Job, non tamen abjectus, quasi æternum periturus. Imò verò reddita ipsi duplicia pro iis, quæ prius ablata erant: nemo ergò existimet ab infinita Dei bonitate provenire excidia hominum, quin iidem ipsi prius moveant ad vindictam. Ità enim hortatur eos ad pœnitentiam atque innovationem cordis per Isaiam: *Convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris. Et non erit vobis in ruinam iniquitas: projicite à vobis omnes pravaricationes vestras, in quibus pravaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum: & quare moriemini domus Israël? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: revertimini, & vivite.* Quapropter ipsi peccatores convertunt in se ipsos ensē, quo pereunt: iidem ipsi excitant flammam, quâ penitus absumuntur: Suà culpâ incidunt in supplicium, quo æternum torquendi sunt, non quia id deposcat Deus, nisi eorum scelere prius laceffitus; quippè qui omnium bonorum fons est jugis ac perennis: unde abundè manant facilitates, & gratiæ ritè se disponentibus ad eas.

Grande sanè solatium viris calamitosis, & qui perficiente Deo haud impotenter laborant, cum videant haud ingravescere sibi ea mala, quæ tam lassati ferunt, ad interuersionem; sed potiùs ad dulcissimam vitam & salutem. Quàm probè intellexerat hæc piissimus Rex David, effusà ad Deum precatone dicens: *Bonum mihi, quia humiliasti me; ut discam justificationes tuas: quoniam, (ut alia parte habet,) non in finem oblivio erit pauperis.* Huc quoque facit admonitio illa Evangelica: *intrate per angustam portam, quia lata porta, & spatiosa via, qua ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam: quàm angusta porta, & arcta via, qua ducit ad vitam, & pauci inveniunt eam.* Undè via cælestis, quæ ducit ad Patriam, quamvis arcta sit & angusta; ad salutem tamen & vitam tendit. Quamvis obsidiatur spinis & doloribus; mitiùs tamen dilacerant, quàm ut interuersione conficiant: quoniam tam paternè feriens noster

noster suavissimus Deus, non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat. Ad tempus corripit, ut in æternum parcat.

160. O speciosissime fidelium Amator JESU! quis ad amissim meditatus tuos dolores, opprobria, flagella, spinas, vulnera, non tollat animos, quantumvis adverfetur fortuna, ac munitus tuo præsidio non libenter se offerat præliis, martyriis, periculis, haud infcius fore, ut iis piè ac toleranter initis comparentur adamantes, & rosæ, ex quibus paulatim componitur æternitatis coronâ.

161. Macti igitur nova virtute Ecclesiæ milites; excutite somnum, si qui dormiunt; erigite vos metipfos omnes, qui consternati estis, & afflicti. Genus vestrum cogitate, viri Christiani; perficite generosè, ut tolerantiam vestrâ, pietate, claris operibus, fortitudine, modestiâ, omni decore ducibus, virtutis honores, ac perfectionis culmina obtineatis. Quod nisi jucundè arri-deat vobis hæc vita fragilis, & momentanea; in vestrum tamen amorem amicè propendet Christus: nam ut amœnitate solita concinit Rex David; *Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde; & humiles spiritu salvabit. Multa tribulationes justorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.* Videte, quâ viâ incederat Dux vester JESVS, ut strenuè valeatis premere ejus vestigia. Quod si ita humiliaverit eum æternus Pater, ut primum ei lectulum straverit in præsepio animalium: statim tamen piissimè disposuit, ut ab Orientis Regibus summâ veneratione & cultu adoraretur: licèt passionis nocte permiserit eum in custodiam tradi, ac durissima vincula; prius tamen abeuntes retrò hostes, solisque duobus verbis, quæ edidit ipsis Christus, consternati ceciderunt in terram. Quod si antea in maximas, gravissimasque angustias deductus fuerit proposito moriendi calice; statim tamen apparuit illi Angelus de calo, confortans eum. Latronum verò blasphemante altero, alter agnovit Majestatem sui Conditoris, qui secum unâ patiebatur, ita eum suppliciter deprecatus: *Domine, memento mei, cum veneris in Regnum tuum.* Quod si denique eum humiliaverit Pater usque ad mortem, & Crucem; in ipsâ tamen Cruce, & morte ejus dignitatem, & honorem ab hostium calumniis vindicavit, atque in veritatis lucem asseruit: nam Centurio, & qui cum eo erant, viso terra motu, & his qua fiebant, (ut ait Evangelista,) *timuerunt valdè dicentes: verè filius Dei erat iste.* Eò enim quòd obedierit usque ad mortem hic bellissimus animarum Sponsus, & Crucifixus; *Deus exaltavis illum;*

& donavit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine JESU omne genu flectatur caelestium, terrestrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur: quia Dominus JESVS Christus in gloria est Dei Patris: ut celsò sint animo homines ad plurimos ferendos dolores comitati hunc suum Ducem in amaritudine passionis, ut frui eo possint per gratiam in dulcedine gloriæ.

Quamobrem optimo jure affirmavit Jeremias, Dei clementiam nunquam humiliasse ex corde suo filios hominum, eosque à se abjecisse, ut nimirum contereret sub pedibus suis omnes vinctos terræ. Id enim noluit Dominus, cui ut æquissimo, atque integerrimo Judici, neque convenerat, ut declinaret Judicium viri in conspectus vultus Altissimi: aut, ut perverteret hominem in judicio suo: Si quidem in adeò præcellentem Sanctitatem, nihil unquam indignum, aut indecens cadere potuisset, possitvè. Etenim id moris inolevit apud misellos homines, qui se aptant scenæ prout personam sustinent, quippe sui ipsius. Dei autem infinita bonitas, & clementia ita se gerit, ut adverfatis virgâ non diverberet suos alumnos, nisi ut verberibus adolescant, & adolescendo egregiæ mortificationis, omniumque virtutum suavissimum odorem expirent. Neque ab æquitatis norma declinat hic æquissimus vivorum, ac mortuorum Judex, qui pro iniquitate omnium, quotquot in universo mundo vivunt acerbissimis pœnis discruciatusest: neque temerè imponit, aut obruit calumniis is, in quem incredibilia facinora concinnarunt invidiosi hostes, ut per testimoniorum insidias eum trucidarent, quem ob veram culpam non possent.

Indè id reportabis solatii, fili mi, quòd Deus omnia disponat in pondere & mensura, adeò ut nullius fortunæ telis exponatur vita hominum, nisi altissimo providente Numine, in quo vivimus, movemur, & sumus. Ut enim ostendit Ecclesiastes; *Sunt justi, atque Sapientes, & opera eorum in manu Dei, & nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit? Sed omnia futura servantur incerta, eò quod universa aequè eveniant, justo & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas, & sacrificia contemnti.* Igitur, quis dixit, (inquit Jeremias,) *ut fieret Domino non jubente quidquam exiis, quæ supra cælos, aut infra solem efficiuntur?* Satis quidem stulti, & ignorantes forent, qui ita præsentirent de celsissimo rerum moderatore Deo, sine cujus sanctissimo nutu, & consilio, neque cæli clementiam excipiunt terræ; neque rubent, aut suâ luce sydera, aut præ-

Psal. 33.

Luc. 22. 43.

Luc. 23. 42.

Mat. 27. 54.

Paul. ad Philip. 2. 9.

162.

LAMEB. XXXIV.

XXXV. XXXVI.

163.

Eccles. 9. 1.

M & M. XXXVII.

ta

ta caloribus, aut gemmantes uvæ tumore: aut è contra neque hyems riget, neque strepunt flumina, neque marcescunt languiduli flores sævientibus temporibus, nisi annuente Deo; quantò minus ostendant hilares, aut luctuosos successus suos homines creati ad æternam beatitudinem, quibz gubernentur ab hoc universorum Principe? quod si ex æquò sustentet, & humiliorem formicam, & crassiorem Elephantem; nonne dices singulari curâ ac providentiâ dispensare hominibus munera suæ divinæ gratiæ, quibus æterno præmio digni sint.

164. Cæterùm ita disipiunt quidam ex barbaris peccatoribus, (Author est D. Hieronymus,) ut prorsus ignorent, quod corporis visui non se exhibet, & tam foedè laborant suâ imprudentiâ, ut ne timeant quidem Deum, rati haud eum providere posse, quem ipsi externo aliquo sensu non atrectant, quos si deterreas ab improbitate objecto supplicio, sine morâ tibi inferre vellent, haud prospicere Deum his rebus, à quo abhorruit Jeremias, dicens: quis est iste, qui dixit, ut fieret Domino non jubente: *Ex ore altissimi non egredientur, nec mala nec bona?* Iis autem respondet Dominus per Isaiam: *Ego Dominus & non est alter formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum; Ego Dominus faciens omnia hæc.* Nam licet Deus Author esse non possit malitiæ culpæ, inducit tamen malum pœnæ, quod in se bonum est, licet patienti, quantum præcisè eum torquet, & affligit, malum sit; uti veneni exemplo luculentius exponitur. Virus enim, quod serpenti salus est, exitium parat hominibus.

165. Hinc fit, ut nihil insanius eo homine, qui providentiæ virtute vellet remove à summo Deo, utpotè omnium bonorum potentissimo Authore, nulliusque peccati causa, aut moralis malitiæ; quod maximi solatii est: nam si ridens decurrat fortuna, ejus rotas gubernat Deus: sin verò sit gravis, & acerba, haud secus profectò evenit. Ubi prosperæ sunt res; demulcet Deus, ut amantissimus Pater: ubi autem adversæ; sanat ut Medicus. Quis reformidet medicamenta, quæ tam divinâ opè ad tuendam valetudinem accersuntur? Ritè quidem Propheta: *Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis? Si scisâ tibi venâ, ac demissâ sanie restauretur salus; ad quid tam lugubres querelæ; Quamvis ea incisio fiat acutissimo ferro, cruciatibus, & martyriis? Si tui morbi nullis aliis remediis, aut curationi cedant, cur eam vocites sævitiæ, aut rigorem? Imò potiùs diceres*

maximam esse misericordiam: *Speciosa, Eccles. 35.* (ait Ecclesiasticus) *Dei misericordia in tempore tribulationis*: eoque sic de se enarrat 2. Ad Apostolus: *placeo mihi in infirmitatibus meis, Corin. in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo.* Etenim cuncta hæc mala, quæ reverà sustinentibus bona sunt, immittuntur à totius bonitatis fonte Deo, juxta illud Amos: *Si erit malum in Civitate, quod Dominus non fecerit?* Amos 3. 6.

Haud parùm quoque errant, qui sacrilegè decurtant divinam scientiam, cum ipse Ethnicus Doctor, ac Philosophorum Princeps Aristoteles, id permolestè tulerit: 1. De Animam quid ignorare potest, qui universum opificium suum, atque alia infinita, quæ fieri possent, intelligit; qui tot rutilantes astrorum flammæ sigillatim appellat, tot imbrium stillas percenset, tot videt herbas, tot numerat arenas, tot subtilia scrutatur, & penetrat? Nùm carere possit providentiâ, qui opem fert tot miseriis, quot indies ipsâ experientiâ discimus in hac vita; qui tot dolores mitigat, tot solatur viduas, tot sublevat pauperes, tot laborantibus adest, ac perinde quasi officiosa mater se amantem illis impartitur? qui ad hæc, innumeraque alia ejus beneficia, paulò diligentius attenderet, non posset quantumvis hebes, & iniquus, non eum, ut providissimum Deum nosse; & qui antea recto incedebat itinere, jam verò palam exultans lætitiâ, ac triumphans gaudio non prædicare encomia tam infinitæ ejus Sapientiæ; ut insnuasse videtur Propheta Rex Psalmo sexto super centesimum: *Videbunt recti & latabuntur; & 42. omnis iniquitas opilabit os suum.* Ps. 106.

Dilaudemus igitur providentiam Dei 167. tot mirabilium operatricem; ejus infinitam Sapientiam agnoscamus; indeque recurramus ad nos metipsos; nam undique resurgunt vitia, nec ad cognitionem veri altius attollere oculos sinunt: alium incredibilis luxus tenet; alium avaritia occupat; alium in nocivis rebus ac studiis operosa sedulitas: alius blanditiis affluit; alius arroganter tumidus cæteros despectui habet; alium defatigat ambitio; alium vesana cupiditas; alium segnities, & vecordia; alios aliæ illecebræ, & tenebricosa flagitia: quibus si qui irritermur, *Scrutemur vias nostras; & 4. N o t. X L. queramus, & revertamur ad Dominum.*

Nam qui velit deterreri à suis vitiis, vias suas ad amussim scrutetur, & haud dubiè comperiet, si fortè oneretur aliquâ ferali culpâ, undè sibi metuat. Quoniam æternitatem supplicii comparat suo fautori illud horrendum crimen. Vis audire Jeremiam, ut comminatur Hierosolymorum urbi: *Leva (inquit,) à malitia cor tuum Jerusalem, Jerem 4. 14.*

M. R. M.

XXXVIII

Isai. 45.

6.

M. R. M.

XXXIX.

idem.
4. 17. *lem, ut salva fias : usque quo morabuntur in te cogitationes noxia? Et paulò inferius : quasi custodes agrorum facti sunt super eam in gyro ; quia me ad iracundiam provocavit, dicit Dominus : via tua, & cogitationes tua fecerunt hæc tibi ; ista malitia tua, quia amara, quia tetigit cor tuum.* Scrutare fili mi, scrutare vias tuas obstitas malitiâ, & amaritudine, quæ præcipitem sanè te deducunt ad profundiores Inferos. Scrutare eas, ut parcas intempestivis querimoniis, & obrectationibus. Scrutare conscientiaæ tuæ latebras, & mitius ferens ingruentes dolores & ærumnas. Etenim quid mirum, ferociant pœnæ, ubi invaluere culpæ? Immunes erant ab istis malis, qui nondum se deliciis solverant, qui sibi imperabant, sibi obstitabant : bona erat ex bonâ causâ valetudo, multos morbos insanitatis fercula fecerunt. Crescit insolenti viro superbia; crudelitas sævo; malignitas livido; omne vitium detegitur, & se ipso prodit; & miraris quod grassentur in peccatores pestes, & infirmitates, ut contumacissimi ac salutare jugum recusantes, tandem aliquando contineantur. Scrutare bene hæc omnia, ne te scrutetur Deus ad inferendum ultimum atque interminatum supplicium. *Si nosmetipsos, (dicit Apostolus,) dijudicaremur, non utique judicaremur.* Væ ergò tibi; nisi scruteris temetipsum, probes, judices. Sic enim delebit Deus impios, ut pateat effugium eorum nemini, qui suas latebras, offerente se occasione, excutere ac scrutari noluerunt, *Non erit fuga eis, (teste Amos) fugient, & non salvabitur ex eis, qui fugerit. Si descenderint usque ad Infernum, inde manus mea educes eos, & si ascenderint usque in calum, inde detraham eos : & si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferam eos : & si celaverint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo Serpenti, & mordebit eos : & si abierint in captivitatem coràm inimicis suis, ibi mandabo gladio, & occidet eos : & ponam oculos meos super eos in malum, & non in bonum.*

169. Si velis effugere hos rigores, scrutare, persequere temetipsum, cum amore quaesiturus Dominum. *Quaramus, & revertamur ad Dominum.* Quis sit, qui scrutatus suarum viarum horrores, & præcipitia non divertat à periculo, rectamque viam ineat, quâ securè pervenire possit ad patriam, ad quam constituit adornare suum iter? Quis percussus leprâ, aut peste, non confestim arte ac medicinâ studeat salutem, quam ejusmodi rei ope consequendam à se speret? Sed proh dolor! pauci convalescunt à suis morbis, quia pauci conscientiaæ suæ scrutatio perquirunt remedium:

ad rem sanè consultissimè David : *Cogitavi, (ait) vias meas, & converti pedes meos in testimonia tua.* Nihil enim insanius, quam omisâ planâ viâ captare incerta ac periculosa diverticula, quibus sine dubio pereundum sit. Referamus ergo pedem à via nostra tristi, & laboriosa ad caelestem, & speciosam, & hilarem; *Et revertamur ad Dominum : levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in calos.* Parum enim proderit levare manus, perseveranter demisso corde; aut elevatio cordis, semper pollutis manibus. Haud tanti intererit solum internè benè tibi salutarem viam cupere; si externum dominium, dum vixeris occupent vitia : aut externè ad speciem componi, si nunquam exiit anima suam mortiferam infamiam : utràque munditie venustemur, necesse est; eamque supplicii prece contendamus à Domino, aperiendo ipsi nostras miseras : *Nos inique egimus, & ad iracundiam provocavimus : idcirco tu inexorabilis es.*

O proles hominum! percipite thesauros, quos impertitur vobis hæc sententia. En, exhibet causam, cur post impensas tot eleëmofynas, enumeratas tot abstinentias, & jejunia, tot confectas peregrinationes, tot solutas preces ac suspiria, cum sint de se gratissima obsequia, haud etiamnum exaudiamini à Deo; quia nimirum etiam adhuc vestras conscientias peccatorum funesta lues offuscat. Quid? forsân impetrandos vultis grandes favores ab efferatis peccatoribus, qui licet voce declamitent misericordiam, corde tamen impediuntur immanioribus culpis, & flagitiis: accipite; quid his respondeat Dominus? *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum Calorum; sed qui facit voluntatem Patris mei qui in Calis est, ipse intrabit in Regnum Caelorum.* Non proindè quidem minus probandæ sunt externæ devotiones: Etenim plurimo sunt usui etiam non informatæ sanctificandi gratiâ, utpotè quia disponunt ad expellendam culpam, aliosque haud absimiles effectus inveniendos; sed ostenditur eas solas, sine sanctitatis luce, ac pulchritudine non sufficere ad obtinendum præmium beatitatis æternæ, quâ dirantur Dei purissimi filii, & amici; esseque summo impedimento iniquitatem orantis, quo minus eveniant, quæ postulat, ut insipienti populo significaverat Deus per Isaiam : *Ne offeratis, (inquit) ultra sacrificium frustra : incensum abominatio est mihi. Neomentiam & Sabbathum, & festivitates alias non feram, iniqui sunt certus vestri : calendæ vestras, & solemnitates vestras*

stras odit anima mea; facta sunt mihi molesta; laboravi sustinens. Et cum extenderitis manus vestras avertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim vestra sanguine plena sunt. Nam qui suæ clementiæ, ac benignitatis placidissima aura inclytis viris aspirat sanctissimus Deus, solet in vesanos peccatores tam inexorabilis esse, ut verè id illi possint dicere; *Nobis inexorabilis es:*

SAMBEC.

XLIII.

Operuisti in furore, & percussisti nos: occidisti, nec pepercisti. Sed quid mirum, si unà ipsi fateantur, à se vehementer eum provocatum esse variis atque innumeris peccatis ad iracundiam: addant igitur insuper ad ea, quæ antea dixerant: *Opposuisti nubem tibi, ne transeat Oratio.*

SAMBEC.

XLIV.

171. Haud abs re consideraveris hanc nubem, ut compactam ex vaporibus vanitatis ac superbiæ, qui ex tuo obscæno putrique luto excitantur: hæc te dividit à claritate illius gloriosissimi solis, qui sanat infirmos, solatur viduas, orbitatem alit, confirmat imbelles, exhilarat tristes, dissipat vitia, venustat gratiâ, deducit ad gloriam; ut Judæis pronuntiatum fuit ab *Isai. 59. 1.* *Isaia: Ecce non est abbreviata, (dicit) manus Domini, ut salvare nequeat, neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat. Sed iniquitates vestra diriserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis, ne exaudiret; manus enim vestra polluta sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate.*

172. Non modò divinis influentiis obsistunt tua peccata, verum etiam infensum ac vilem te reddunt Angelis, & hominibus, ut reddiderant sua Hierosolymos, circumjacentibus populis: Sicenim dilucidè textus; *Eradicationem, & abjectionem posuisti me in medio populorum:* in eo, quod hæc tibi, & Hierosolymis, (quippe qui immersi malitiæ, compulisti Deum ad iracundiam,) contigerint, non adèd miror: sed quod Christus Dominus, qui nunquam inquinari potuit, sit passus eradicationem, & abjectionem frequentibus populis, res est omni admiratione digna, quod in sanctissimum suum, atque unigenitum filium, orantem in horro, & exclamantem in Cruce, inexorabilis fuerit æternus Pater; vel ipsius rei memoria obstupesco. Ille ingratus populus obtectus sit umbris, ac percussus furore, dignum factis tulit; sed qua in re offenderit sanctissimus omnipotentis Patris, omnipotens Filius, cælorum decus, Angelorum lumen, & deliciae, mundi restaurator, gloriosus Princeps universi, qui undique spirabat divinita-

SAMBEC.

XLV.

tem, ut exciperetur eò rigore? Quid fecerit summus Deus, ut sicut ovis ad occisionem duceretur; & quasi agnus coram tondente obmutesceret? Cur mortuus est assertor vitæ? Cur labores aut tristitiam passus, qui tam serenè etiamnum in hac vita renidebat, ut non dulcius micaret firmamentum suis astris, aut Empyreum suis deliciis? cur in supplicio Deus? Sed hem egregiè respondet Isaïas: *Verè languores nostros tulit, & dolores nostros ipse portavit:* Et statim infra: *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostra, super eum, & livore ejus sanatus sumus.* Hanc ob causam dixit per Jeremiam: *Oculus meus afflictus est, nec tacuit, eò quòd non esset requies.*

Gravissimam sanè afflictionem hauserat ex tristitia matris, quam summè lugubrem ac desolatam viderat ad pedem Crucis. Non tacuit: quia justorum dolor præaltas edit voces in conspectu Domini. Nullam invenerat requiem: nam à planta pedis, usque ad verticem capitis cruentis faucibus vulneribus pendebat in Cruce. At verò suo luto & tenebris obruti miselli homines tot claritatis radios non percipiunt; nec emergunt suis culpis vecordes; cum interim clementissimus JESVS non jaculetur in eos iræ suæ fulmina, nec incendiis, aut diluviis eos absumat, nec exquisita tormentorum genera ad nefariorum supplicia molitur, sed extensis brachiis in Cruce, visceribus misericordiæ eos excipere & complecti vellet, si tribulis ac frutetis vitæ antiquæ radicibus convulsis, novo odore, ac pulchritudine in ejus obedientiam se traderent. Tam tenero ac suavi eos prosequutus est amore, ut sustinere placuerit acerrimos dolores, ne ipsi luerent inferorum supplicia; mori, ut ipsi viverent; impeti opprobriis, & blasphemis, nè orbarentur isti cælestibus gloriis, & benedictionibus; evelli ex hoc exilio, ut ipsos transferret in Patriam; viduari requie, ut ipsi quiescere possint inter perennes delicias; discrucari pœnis, ac tormentis, *Donec respiceret, & videret Dominus de Cælis, quàm abundè justitiæ divinæ satisfecerit pro suis creaturis.*

Cæci autem peccatores, quàm parùm huc conferunt sua studia, ut legant ex Dei passione eos divinos fructus, qui ritè dispositis pietateque debita accedentibus offeruntur. Miseranda sanè res est, sanguineisque guttis, si eas exhiberent oculi, deploranda; quod deliri homines adèd in fabricandis tricis ac puerilibus nœniis

desu-

desudent, neglecta re tanti momenti, ac ponderis, uti est sui ipsius expugnatio ad æternas palmas & triumphos.

175. Omnes nostras vigilias, & studia, & cogitationes ab omni alia re avocatas in hoc unico sanè negotio collocare deberemus, secuti exemplum Regis David, qui sic bellè modulatus est.

Ps. 131. *Si dederò somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem; & requiem temporibus meis donec inveniam locum Domino, Tabernaculum Deo Jacob.* Sed heu lachrymæ! his amandatis, longèque depositis curis, effœminati admodum, sensuumque lenociniis inducti, in unam voluptatem amenter abjicimur aded, ut haud injuria affirmare possit unusquisque nostrum, qui deceptus suis blanditiis diverterit à via recta: *Oculus meus depradatus est animam meam*: Cur (obsecro,) superbo non tam jucundum sit multos post se videre, quàm grave aliquem ante se; nisi quod ejus oculus ipsius animam deprædatus sit? Dicat mundatus; cur officia lucis noctisque perverterit, alto sole medioque die sopitus? Quia ejus oculus ipsius animam deprædatus fuit. Cur corporis cultu, dapum lautitiâ, munditiis vehiculorum, familiæ luce, splendoreque, à cæteris, imò æqualibus optat se distinguere; sine dubio hujus vanitatis prima causa est, grassantibus vitiiis, animæ nuditas, ac depopulatio. Cur tam pronus in libidinem, tam turpis & lascivus; nisi quod tam immodesto sit aspectu, & oculis? Omnia per vim gerit iracundus, gladiis & pugnare paratus, & incumbere: sed hanc contentionem alunt affectus, qui deprædantur animati. Aspice illos, ad quorum avaritiâ faciles secundasque se ostendunt humanæ felicitates: bonis quidem suis suffocantur. Quàm multis graves sunt divitiæ? quàm multis vitam blanda invitatio adimit? quàm multi continuis voluptatibus pallent? quàm multorum sanguinem officiosa per aulas discursatio educit? Quid ergò est causa tam atræ miseriæ? tanquam semper victuri vivunt in hac vita, obliti futuræ æternitatis. Oculi eorum deprædati sunt eorum animas; & faxit Deus, nè in cunctis filiabus urbis suæ comptè & insidiosè lascivientes. Caveant sibi oportet à cælesti vindicta, ac diligenter legant Hierosolymorum exemplum, quorum everisionem ita repetit Propheta: *Oculus meus depradatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ: veneratione ceperunt me quasi avem inimici gratis.* Et paululum superius: *Aperuerunt super nos os suum omnes inimici.*

A. N. L. L.

P. N. L. XLVI.

Ne id tibi infortunii accidat; contine fili mi, visum; legem indicito oculis tuis; ne effusus discurrant per illicitas amœnitates. Caveas tibi ab illis, tanquam ab insidiosis inimicis; quippè qui tanquam velis, remisque concitati imperiosius te illident minacibus, ac periculosis scopulis, nisi summâ curâ ac vigilantia in id incumbas, nè inopinantem te deturbent. Eo defungèris munere, obediendo divinis præceptis, & consiliis; quæ, sicuti observantium tuentur salutem, ita parùm obsequiosis pariunt terrorem, ac formidinem; ut obtigit Israëlitis: *Formido & laqueus facta est nobis vaticinatio, & contritio*: Sibi enim in fortissimum venenum converterunt medicinam, quam paternè ipsis subministrabat Deus per suos Prophetas: *Felix autem* (ut ait antiquus Poëta,) *quem faciunt aliena pericula cautum.* Discas ex hoc Hierosolymorum damno ac ruina, ô anima mea, cautiùs te gerere, nè ulterius perrumpas sacræ Religionis jura, pietatemve convellas: Nam in Dei judicio singuli mortalium, nullo dempto, strictissimum examen subibunt, æquisque lancibus ponderabit rectissimus ille vivorum, ac mortuorum Judex, quid perfectum omissumvè in exequendis tot divinis inspirationibus & subsidiis, quæ parta, atque exhibita fuerunt, vi meritorum Christi.

Ab omnibus notanda illa sententia, quâ mundi Servator intulerat rationem, cur Judæi, non excusationem haberent de suo peccato. *Si non venissem, (ait,) & loquutus fuisset eis; peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato.* *Qui me odit, & Patrem meum odit; si opera non fecissem in eis, qua nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum.* Pari modo te etiam convincet, vir Christiane, nisi tibi ipsi prospicias: haud enim per incogitantiam peccas, toties pro concione, per libros, per rerum exempla edoctus de periculo. Quâ ergò excusatione dimovebis à te culpam, cum adieris tremendum Dei Tribunal, ubi in ferenda damnationis sententia nullius favore, aut gratia, ab æquitate & justitia deflectetur? Quo argumento probabis factum? quid dices tum, nisi incidisse te in laqueum diaboli, petulantius decurso tempore, quod fas erat ut cum honestiori impensa duceretur? Satiùs foret, dum jam otium sit, expedire te omni luxu; ac Hierosolymæ malis & excidio cautior, deslere quod amissum est, nè nimium serò lugubris contabescas; respicias velim ad eam miseram Civitatem, quæ

P. N. L. XLVII.

Joann. 15. 22.

P H B. quæ in hunc modum deplorata est, *Divisiones aquarum deduxit oculus meus in contritione filia populi mei.*

178. Felicissimus ille qui ocyus præsentire cœperit damnum, & jacturam deperditi temporis, collapsum spiritum, dissipatamque virtutem. Quoniam, qui hæc doluerit, editis lacrymis, ac plangoribus, fruatur plurima salute. Non autem sine mysterio hic meminisse videtur Jeremias de divisionibus aquarum. Nam variæ sunt sanctorum lachrymæ pro varietate flentium ac motionum, quia aliæ fuerunt lachrymæ, quibus pœnitens Magdalena rigaverat pedes Christi: aliæ, quibus defleerat D. Petrus suas negationes: aliæ, quas effuderat David; aliæ quas emittebat Apostolus Paulus, dum de proximorum interitu doleret, scribens ad Philippenses:

Ad Phil. 3. 17. *Imitatores mei estote, fratres; & observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram: multi enim ambulant, quos sæpè dicebam vobis, (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Aliæ autem, quæ obortæ sunt ex nostro Duce, sanctorumque Principe JESU, amanter quoque condolente interitum suorum hostium,

Luc. 19. dum contenderet Hierosolymam, eorumque vicem, quorum palatum nisi ad corporis blanditias non excitabatur.

179. Cæterum quas retulerunt grates ingrati, ac perfidi Judæi pro tam singulari amore ac tam divinis beneficiis? *Venatione ceperunt me*, (dicit ipse Dominus per suum Prophetam,) *quasi avem inimici mei gratis.* Haud puduit perduellem Judam tendere mihi rete, pacisque osculo me tradere in manus hostium, quasi egregium aliquod aut præclarum facinus ederet; ab his parata mihi crudelissima mors est, quorum infidiis ultrò me obtuli pro liberandis hominibus, qui in opacæ ditis captivitatem miserè redacti fuerant.

180. Quoties, ô charissime amice, in hujus potestatem veneras non modo per insidias, verum aperto etiam Marte expugnatus. In aucupio, fallere jam visco, jam occulto cibo allectare aviculas; jam verò cantu, aut musicis eas dejicere ad retia solent aucupes. Tu sanè pari artificio deceptus, sæpius animæ tuæ deditionem facis; atque imprimis captus hisce dolis, nugisque, postmodum apertissimâ ruinâ occumbis. Etenim ad quid aliud tendunt, importuni lusus, molliculorum blanditiæ, producta ad intempestam noctem colloquia & obtrectationes, lautiora convivia, superbia atque immodici sumptus in

cultu, quibus nisi adhibeatur modus fortissimus te implicabunt laqueis ultimum casum minaturis?

Quo sensu haud injuriâ affirmare poteris: *Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me.* Hæc licet mysticè accipiantur de Christo Domino, qui non modo in passionis lacu occiderat, sed operiente quoque petra sepultus est. Nihilominus, aliò versâ allegoria, tibi etiam eleganter conveniunt. Nam quo lentius inhæseris lethali vitio, eo difficilius molieris reditum ad gratiam, summi operis provinciam subiturus in recedendo à scopulo, in quem impegeras. Indè autem si prosperè enavigandi votum, aut amor est, impigrè, plenisque meditationis velis inveni te curabis in passionis Dominicæ portum, quo tutissimè potitus, haud gravatè illius præsidio superabis periculum. Quis enim desperet salutem, videns pro ejus restauratione concisum & mortuum Authorem ipsius vitæ? Quid plenius dulcedine aut solatio, quàm id, quod per Jeremiam de se effert: *Inundaverunt aquæ super caput meum: dixi, perii.* Imò non tantum horâ mortis, sed per totam vitam, atque eadem quoque defunctus, in id intendebat consilium, ut te donaret supernâ beatitate, & gloriâ. Hoc submissè multisque precibus contenderat ab æternò Patre, ut hic insinuare videtur: *Invocavi nomen tuum Domine de lacu novissimo.* Quis abjectior locus animalium præsepio? ibi invocavit eum. Quid humiliter cruce? in ea autem tum in tui gratiam, tum pro suis hostibus oravit. Nunquid non profunda humilitas limbi antiquorum Patrum? ad Limbum autem descendit ejus sanctissima anima corruscans decore, ac splendescens divinitate, ut erueret eos Patres ex illius carceris custodia, quâ tenebantur. Quare quid admirationis habet, quod tibi submissionem ac profundam obedientiam consulat altissimus empirei Princeps, qui tantam humilitatem amplexus, Patris sui nomen ex novissimis atque infimis locis invocaverit; ac simul occulta limbi viscera pro ejus ampliori gloria adierit.

Hinc apertâ viâ ad saluberrimam disciplinam, quâ instruimur ad loci dignitatisque contemnendam pompam, ne nobis diutiùs imponat. Sic enim mihi ipsi respondeo, quoties obvia fit illa; quoties occurrunt splendores ædium, culta agmina servorum, lecticæ ornatis calonibus impositæ: commodantur res istæ, non possidentur, dum placent, transeunt: ad veram potiùs te converte amplitudinem honoris, quam obtinent rerum humilitas & inopia:

inopia : religiosus & pauper sequere pauperem Christum : ad imitationem ejus humilitatis , humiliter summum Deum implorare debes. Quoniam, *humilem spiritu suscipiet gloria* ; uti docet sapientissimus Salomon in suis Proverbiis : eoque ejus sanctissimus Pater David humiliori loco memorabat invocari à se Dominum: *De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam.* Humilitatis enim ac submissionis splendor est maximus , quo vita nostra adversus ingruentes malorum tenebras clarescit , ejusque tanta est amabilitas coram maximo Numine , ut in eam liberalissimâ gratiâ ac favore propendat. Quid ? nonne ad loca tam humilia is idè descendèrat , qui cæli vertices suâ venustate irradiat ; ut ad cælestes dignitates extolleret eos , qui declinatis mundi Imperiis , & honoribus , ad sanctæ humilitatis munia serviliaque loca se abjecerunt? Tam elegans est humilitatis genus & nobilitas , ut cæli proceres efficiat ex pauperibus hominibus , haud minus quàm contumax contra Deum superbia ad Inferni lacum detruserat bellissimos Angelos.

183. Ergò metuant jam superbi, confundantur vani, tremant mundi Asseclæ , qui despiciunt obscuritatem loci & officii. Locus ecce , quo peccatrices animæ salutis jam face inardescèntes incipiunt gratiæ micantibus radiis cingi , est gremium humilitatis , deficientibus Angelis inter altitudinis decora , & Adamo propter inhibitam cupediam in Paradiso. *Quis sicut Dominus Deus noster* , (exclamat piissimus Rex David) *qui in altis habitat , & humilia respicit in celo , & in terra : suscitans de terra inopem , & de stercore erigens pauperem , ut collocet eum cum Principibus.* Eoque sic precata est pulcherrima Judith pro defensione sui populi contra Holofernem Principem militiæ Assyriorum : *Subveni , queso te Domine Deus meus , mihi vidua : & aliquantulum post : Non enim in multitudine est virtus tua , Domine ; neque in equorum viribus voluntas tua est ; nec superbi ab initio placuerunt tibi ; sed humilium , & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* Quod mirè confirmat quod sequitur in hac , quam explicamus , lamentatione : *vocem meam*

audisti ; ne avertas aurem tuam à singultu meo , & clamoribus.

184. Notanda quidem res , quod suos singultus proferat J E S U S , ut exaudiatur ab immortalis Patre. Optima ad pœnitentiam & mortificationem exhortatio : prius enim belli subibis aleam , quàm victoris laureâ triumphes ; prius ferendi labores , aspernanda vanitas , pœnitentiæ stadium

decurrendum , deprimenda superbia , desideriiis naturalibus parvò parata remedia adhibenda , quàm te recreent orationis suavitates. Id unicè agendum , ut graves perpeffus ærumnas , è cælo potiùs desideres tibi solatium , quàm ex angustiis & fragilitate terræ. Nihil stultius , quàm optare coronam sine meritis ; aut velle conscendere in gloriam descendens per damnationis præcipitia. Fortiores milites , & qui ex confragoso sunt , amat Deus ; segnes autem , & qui uncti & nitidi in primo deficiunt pulvere , repellit ut indignissimos suâ societate ac deliciis. Quod si videas pati ac singultire Christum , ut audiatur ; ac sustinere ipsam mortem , ut adeat suam gloriam ; quid amplius expectes homo dissolutus , & iners? Cur operosius in eam rem non contendis nervos , at vires , ut te ipsum velut sub vinculis habeas , dum subveniat tibi Divina misericordia , cui non aded grati sunt labores , nisi ubi ardua fuerint certamina.

Hinc accidit peccatoribus cælos petere, 185. & non accipere , quia cadunt animo , antequam ad manus veniunt cum hoste: quare dirissimè anguntur conscientiæ stimulis ; nihil magis quàm veterem perfidiam timent ; ad memoriam mortis pallent , & quasi totis artubus contremiscunt : maximum misellis objicit terrorem Dei judicium ; Inferni , aut æternitatis , vel solo audito nomine , sibi ipsis deficiunt , & corruunt. Viriles autem animi , strenuèque viri , qui mortificationis virgam hilariter , & pacatè sustinent , nec labant malis , nec crepitantibus ventis , aut increbescentibus procellis cedunt , quinimò coortis laboribus generosius se gerunt ; temporum inclementiis florent ; cum metuant , præclarus , filialisque est timor ; vivunt in tormentis , in ipsa morte se respirare , ac vitam invenire judicant ; foreque sperant , ut ejus conflictu perficiant coronam , quâ æternùm redimiti venustentur inter Angelorum Choros. Id planè deducitur ex

textu : *Appropinquasti in die , quando invocavite ; dixisti , ne timeas.* Quoniam qui se mortificationis armis protegit , qui comitem sibi humilitatem adjungit , latè longeque tendens suum imperium nulli succumbit labori ; nullius calamitatis aut mortis tela pertimescit. Quo acrius tunditur flagris , & verberibus , eo robustius de more habet implorare Divinam misericordiam , & tam illustri oratione ingentes facere accessiones constantiæ & virtutis. Exauditur , quia firmatur ab appropinquante & consolante Numine: *Appropinquasti in die , quâ invocavite ; dixisti , ne timeas.*

COR. LVII.

186. In hujus rei exemplum Servator noster Christus passionis nocte devolutus in genua, ac deprecatus æternum Patrem, confortatus est ab Angelo, & cum prolixius oravisset, accessissentque hostes, ut ei manum injicerent paucissimo sermone eos dejecit in terram; sed tum denique iis se permittens Divinâ atque admirabili patientiâ totius passionis calicem exhaustit. Qui ingenui sunt Christiani, imitentur hunc suum Ducem in laborando & sustinendo, ut cum ipso & per ejus merita dicere possint æterno Patri: *Judicasti Domine, causam anima mea, Redemptor vita mea*: In hoc enim loco Redemptor pro liberatore accipitur.

R. S.
LVIII

187. Grates tibi ago quàm maximas, Clementissime ac Divine Pater, quod per merita tui Unigeniti Filii ita nos armas, ac roboras contra hostium impetus, qui toties obsidione præmere moliantur nostram humilitatem; quæ tamen submissis à te præsidis munitissima est. O Dei fili, dulcissime animarum amator JESU, licet multis quidem vulneribus te confecerint nefandi hostes, ubique tamen inclytus victoriâ, tuos ac nostros terruisti, fudisti, superasti: tot Dæmonum profligato exercitu felicissimam nobis aperuisti salutem. Quis timeat, qui te speret tantum Ducem, Judicemque? Quis consterneretur animo, qui te cogitet suum Servatorem, ac Principem? Quis omittat de oblatis muneribus decertare, qui te habeat Protectorem, audiatque dicentem tuo Patri: *Vidisti Domine iniquitatem illorum adversum me, judica judicium meum*? Quod si per alterius viri inobedientiam morti apertus fuerit aditus in hunc mundum; sciant universi per alterius etiam tolerantiam, ac fortitudinem rediisse vitam. *Ubi (etiam) abundavit delictum, superabundavit gratia*; ut sicut regnavit peccatum in mortem; ita & regnaret gratia per justitiam in vitam æternam meritis tui dulcissimi Filii, judica judicium meum; *Vidisti omnem furorem, universas cogitationes eorum adversum me*. Principes terræ constarunt vires suas contra me; superbius invecti sunt: tentarunt me Pharisei per suos discipulos de Cæsaris censu; & Saducei de mortuorum resurrectione, & legis Doctor de magno mandato legis: At verò quacunque aggressi sunt semper potitus sum victoriâ: judica, Pater mi, causam meam: *Anavisti opprobrium eorum, Domine, omnes cogitationes eorum adversum me: labia insurgentium mihi, & meditationes eorum adversum me totâ die, ad mortem me quærentium per insidias, quibus tantâ liberalitate mi-*

R. S.
LIX.D. Paul.
ad Rom.
5. v. 21.R. S.
LX.Matth.
22.S. I. N.
LXI.
LXII.

nistrabam vitam: *Sessorem eorum, & resurrectionem eorum vide: ego sum Psalmus eorum*. Pestilentia Præsides seipso opposuerunt meæ doctrinæ: sedentes in Cathedris despexerunt me; surgentibus ludibrio fui ipsis. *Reddes eis vicem Domine juxta operum manuum suarum*. Haud multi abibunt, luent contumaciæ poenas vesani carnifices; *Dabis eis scutum cordis laborem tuum*. Quoniam cum tam aureo ac delizioso amori subdere se noluerint, æquum est, diu, inhæreat ipsis labes ejusmodi duritiæ ac turpitudinis.

Quapropter: *Persequeris in furore, & conteres eos sub calis Domine*: Nam frequenter clarescebam doctrinâ ac miraculis coram ipsis, suscitando mortuos, sanando infirmos, remittendo peccata; miseris atque indigentibus providendo. Cum autem tot & tam opulenta in eos congestissem beneficia, ipsi tamen lentissimè in suæ impietatis fæce confederunt, pro tanto amore rependentes mihi odium, pro salute probra & flagella, pro miraculis blasphemias, pro beneficiis tormenta, pro doctrina Crucem, pro oblata vita mortem.

C A P U T I V.

Postquam sanctissimus Propheta Jeremias inclytam Hierosolymorum urbem in primo capite abundè sanè deploraverat; & in secundò domum Israël obtestam tristitiis: hic iterum cum eadem admiratione ruinas templi respiciens, exorsus fuit dicere: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus*? Quid hoc piissime Propheta? quid tibi cum gazis aut divitiis? quid cum auri fulgore ac pulchritudine? verendum, ne palam efferat mundus te eadem queribundè deslere ac præsentire, quæ ab ipso extorquent tot sudores, tot lacrymas, tantam sollicitudinem cum ærumnosis curis, ac vigiliis. Sed hem gratè ac peramicè excipio solutionem. Mundus plorat certum est, deesse sibi ad honores libidinem, superbas in corporis cultum victumque impensas, ostentationes, amplitudinem: tu verò his omnibus prætermisissis aut despectis, de eversione templi conquereris, de naufragio illius pulchritudinis, quâ solebat nitere formosissima sedes Domini; obscuratum esse ejus aurum, depositos ejus splendores, perturbatos ministros, dirutum sanctuarium, amissum pretium optimum, rejectos filios Sion.

Haud injuriâ quidem lamentatus est Jeremias tam miserandum spectaculum: quis enim

enim continere potest lacrymas videns jam clarissimam ædem, cui antea ut mundi Reginæ, ac paradiso omnes ornamentorum deliciae affluerant, tot occubuisse post miseris, ut quocunque oculos circumferres, occurrerent funera: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum.*

191. Magnam vim obtinuit semper ad promovendos miseracionis affectus materialis illius ædificii excidium. Verum spiritualium jactura, nimirum convulsa ministrorum charitas, deposita vitæ sanctimonia, introducta vitia cum tanta audacia aut turpitudine, incredibile est, quantum valuerunt bonorum animos, mentesque percellere. Quod enim æquè tragicum, ac interiisse eum sanctitatis florem, qui initio conditionis Templi per tot Imperia, ac Regna diffundebat suam fragrantiam? Concidisse insuperabilem illum in vigiliis & orationibus vigorem? Virgines amisisse veterem gloriam sui pudoris; oppidanos conscientiam; Pontifices gratiam; pueros educationem, seniores prudentiam; legem doctores; juventutem frænum; pauperiem largitorem; viduas consolatorem? O elegantissimas familias in summum squallorem deductas ob deperditam charitatem, neglectumque Deum.

192. In Apocalypsi divi Joannis in hunc paternè modum hortatus est Dominus Laodiceæ Ecclesiæ Præsidem, ut compararet sibi charitatem: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias, & vestimentis albis induaris, ut non appareat confusio nuditatis tue.* Nam ut Apostolus aureo illo eloquentiæ flumine, quo dicescebat, scripsit ad Corinthios: *Charitas patientis est, benigna est, non amulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa; non quarit, quæ sua sunt; non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Hujus autem rutulantis auri tot splendores, ac radii deferbuerant in Israël, quando ejus Principes, cum cæteris Ecclesiasticis Ministris, cœperunt truculentiùs invehi in Christum Dominum, invidiæque agitati flammis, ejus gratias, & miracula, & doctrinam, & sanctitatem, atque alia innumera ac ponderosissima beneficia, quibus eorum populum urbemque ornatissimè augebat, aspernari. O fulgidum animorum lumen, & aurum, (proh maximus dolor!) extinctum, decoloratumque Hierosolymis. O amoris pretiosissima gemma in ingratitude pulverem conversa!

ô delecta pietas, qualem Dominum despiciendo titubasti, defecisti! O sanctuarii viventes lapides dissipati per vicos & plateas; eoque contempti, protritique pedibus, quia tam miserè dissipati. Fas enim erat, ut qui terrena, brevique bona infra charitatis nitorem duxerant, ab omnibus rejicerentur ut vilissimum lutum. O Rectores Jerusalem! ô sidera quondam splendidissima! ô qualem fulgoris lætitiâ vertistis in doloris argumentum, dissipata charitate, deleta honore, labefactata virtute, dissoluta vita, deserto Deo!

Si paululim tandem veluti indicto silentio de Hierosolymæ ruinis ad nostrâ redeamus tempora, certè lacrymosa funera comperiemus. Nam licet nunquam deficiet fides, aut charitatis honos in orthodoxa Ecclesia; quia quantumvis sæviant tormenta aut procellæ, nunquam submergetur hoc navigium; nihilominus tamen ex ejus filiis plurimi indies gravissimo lapsu corruunt. O quoties vidimus religiosos, & elegantissimos flores repente in ipsâ gemma emarcuisse, & priusquam summum incrementum nacti essent, totumve decorem panderent, utique defluxisse, mutasseque paupertatis fragrantiam in turpissimam avaritiam; suos virgines in deformitatem; obedientiam in superbiam; Religionem in mundanos respectus; litteras in ignorantiam; humilitatem in ambitionem; fervorem in desidiâ; modestiam in procacitatem? Quæ lues indè serpsit, quia amiserant primam charitatem. Quid autem dicam de quibusdam Prælati ac Pastoribus, qui, cum par esset, admitterent dignitatem quasi acerbissimum Martyrium, eam ambiverant ad efficiendos Martyres, & faxit Deus, ne nimia tyrannide ad detrudendo suos subditos ad Infernum? Quòd si hæc obveniant Ecclesiasticis viris, quid atrocitatis non molientur seculares? Cæterum id melius cujusque considerationi omittam, quamvis eos cum cæteris mundo deservientibus, qui tam pudendo ingenio adjuvant sua vitia, amarissimè deplem.

Agedum ad computationem vitam aliquis mundani revocemus. Quantum huic ex ætatis flore lusus, quantum amica, quantum ficti comites abstulerunt, quantum existimatio honoris, quantum molestia litis, quantum comediæ, lapsuque obnoxia spectacula, quantum epulæ, & commessationes! O pulcherrimam charitatem, quæ cum cœpisses deficere in hoc mundio, sævissimis vitæ fluctibus quassatus est! Sub Ecclesiæ ortum te requirebant populi, divites simul & pauperes diligebant te, quos

eo faustiore tempore nobilitabas tuâ gloriâ, perfundebas tuis deliciis, animabas robore : nunc autem inter has turbas vix reperitur, qui te comparet. Cùm innumeri sint, qui atterant tantam vestimentorum munditiem, niteant deauratis insigniis, generositatis conchis, & notis, & splendidiſſimis adamantibus, pauci te specioſiſſimam Reginam norunt, aut ſalutant. Quod ſi de re ampliùs edoceri velim, haud alio jure duci ſe respondebunt; quàm efferato impulſu impiæ ac proximæ occaſionis, aut inordinati affectus erga creaturas, aut amoris proprii, aut effrænatae libidinis. Eva dicet ſibi dominatam gulam : Cham ulcifcendi animum; Saul neglectiorem legis; Salomon idolarum cultum; filii Iſraëlis duritiem, & pervicaciam cordis : Chriſtiani noſtri temporis ſuam ingratiitudinem erga merita Chriſti, atque ejus ſanctiſſimæ Mortis ac Paſſionis profundiffimam oblivionem.

195. Singulis ſuum pectus intentis oculis mentisq̄ acie introſpiciant, à ſe iſtis rogent. Cur anima mea, optimum tuum aurum tam incautè deformavi? cur depoſuiſti antiquam charitatem? Ad manum erit reſponſio procul dubio : poſuerunt eam mei oculi inſcati vanitate, perdidit eam mea lingua concinnando dolos fraudesq̄; omiſit eam mea conſcientia ſuis odiis, ac ſcleribus; offudèrunt ipſi caliginem, & nebulas cæteri mei ſenſus, & facultates. Quid ergo nunc reſtat mihi, niſi ut deſeam meam ſtultitiam, ac pro exciſis meis virtutibus mœſtiſſimos luſtus edam.

196. Per aurum templi neglectum, ac decoloratum haud inconcinne in ſenſu item myſtico accipi poteſt ea oris, ac totius corporis mirabilis elegantia & venuſtas, quæ depoſuit Servator noſter Chriſtus in ſua paſſione, deformatus flagellis, ac vulneribus. O dulciſſime JESU! ô ſpecioſiſſime juvenum! ô virorum egregium decus! demutata fuit fanè in leſulo crucis formoſitas illius auri; cujus divinos radios admirabantur Angeli, dilaudabant Archangeli, ut cæleſti pulchritudine ſuffectos; ita ut quacunque pergeres, fluere gratias, ac ſanctitatis baſama oſtenderes. Sed proh dolor! ſucceſſit, quod de tuis ærumnis prophetaverat longè antea Iſaias:

Iſai. 53. Non eſt ſpecies ei neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum deſpectum, & noviſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem: & quaſi abſconditus vultus ejus, & deſpectus: unde non reputavimus eum. Mutatus eſt color optimus, te ſaucio mi Deus, qui eò de cælis tuis deſcendiſti, ut ſanares no-

ſtra vulnera; te quaſito ad mortem, qui veneras miniſtraturus vitam; teque condemnato, ut blaſphemante Deo, à quo judicandi ſunt altiorem Principes.

Tum diſperſi ſunt lapides Sanctuarii, nempè tui diſcipuli, qui te deſerto, fugâ ſibi petierant ſalutem. Deiparam autem Matrem, cùm tibi viduato auri tui pulchritudine obviam veniſſet in Calvaria viis, quanto dicam laboraſſe dolore? Quot doluiſſe lacrymis? quâ cordis amaritudine tuam vicem tum collacrymaſſe? quâ dulcedine te allocutam? quid hoc, (diceret) quod jam diſcerno, immortale Deus? Angelorum lumen in tragedia; Principem gloriae caſum à tortoribus; ſplendorem æterni Patris addictum ſuppliciis; meam lætitiã & filium cinctum quaſi captivum armato milite; cum Cruce Deum; ductum inter latrones fructum meorum viſcerum: fili mi tuæ Matris deliciæ: quo pergis cum eo onere? Cur ſubduxiſti te Matri, ut incidereſ in graſſatores? Quinam veſani carnifices te nudarunt veſtibus, conſpurcarunt iis ſputis? Quinam tot te verberibus exceperunt? Ubi pulchritudo mea, ubi oculorum venuſtas? ubi oris antiqua ſuavitas? ubi genarum purpura, ubi amœnitas tuæ frontis? quonam abiit claritas, quam deſumpſiſti de virgine? quid actum totius corporis de dignitate ac pulchritudine, quam toties admirata virginitas caſtius diligebat, ad vitam ſibi tenebat & oculis & animo? O crudelitatem filiorum Sion, qui moliti ſunt atrociffimam hanc lanienam! *Filii Sion incliti, & amiſti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli?*

11. Multa quidem luce incliti fuerunt Majores hujus populi in Regione Ægypti, quam obſidentibus tenebris ex Dei juſſu, nemo Ægyptius videbat ſuum fratrem, (ut narratur in Exodo,) nec movebat ſe de loco in quo erat: *Ubicumque autem habitabant filii Iſraël, lux erat.* Incliti quoque in deſerto, ubi eos præcedebat Dominus ad oſtendendam viam *Per diem in columna nubis, & per noctem in columnâ ignis; ut dux eſſet itineris utroque tempore.* Sed jam eorum filii cæleſtem aſpernati lucem, ac depoſito animæ ſuæ nobiliſſimo auro; infami peccatorum face ac luto contaminati ſunt.

Nec gloriandum tibi, Chriſtiane, quaſi immunis ſis ab hac ſpurcitiæ: nam ſpretis conſiliis Evangelicis, & Apoſtolicâ doctrinâ, indeque arrepto verſus Inferorum vallem deſcenſu, divertiſti à Regia via, quâ tui Majores incedebant: haud parùm manavit ex te culpæ, cur ageretur in Crucem Dei

Dei filius, qui eam patienter pro te sustinuit. Væ autem concipientibus scelus, aut fœdatis turpitudine; ni rei periculo edocti refipiscant! *Ecce enim dies veniet succensus quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem quasi stipula: & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, adeo ut non relinquatur eis radix, neque ramus.* Væ cæcis, & errantibus à recta femita, quæ ducit ad gloriam! Haud abs re obliniverat Dominus cæci cujusdam oculos luto, visum ei paraturus: Ed enim videtur significasse, quanti momenti sit ponderatio & examen fragilitatis hujus breviusculæ vitæ. Etenim qui eam expenderet justâ cogitationis lance; minoris faceret sine dubio statuam hujus mundi, quæ quantumvis aurea speciosaque appareat; si tamen cum grâcia conferatur, brumalis potius nox dicenda est, quam signum alicujus decoris, aut pulchritudinis.

200. In hujus rei exemplum adduci potest illa quasi statua, quam viderat in somnis Nabuchodonosor Rex, grandi admodum, ac sublimi staturâ, cujus caput ostendebatur ex pretiosissimo auro, pectus & brachia ex argento; gremium ex ære, tibiæ ex ferro: pedum denique altera pars ferrea, altera verò fictilis. Quid tum accidit? *Abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus ejus ferreis & fictilibus, & comminuit eos: tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, as, argentum, & aurum, & redacta quasi in favillam.* Quamvis hæc mysteriosa machina indicaret successus Imperii Nachodonosor; nihilominus tamen spiritali quadam paritate, rerumque exemplo haud absurdè per eam exponemus infelicissimum statum, & conditionem horum temporum, quæ jam decurrunt tam adversa, iniqua, perdita. Quid tristius, quàm vivere temporibus; quorum plerumque statua procedit altero pede ferreo, luteo altero? Pedes humanæ vitæ sunt ejus affectus & opera; qualia autem eduntur ab hominibus hac ætate? Sæpius quidem inobedienciæ ferreæ, luteæ avaritiæ, libidinis, insolentiæ, stultitiæ; quin absterreri possint, aut brevitate vitæ, aut timore Dei Judicii, & comminatione inferni. Proh justissimus dolor! quam inermi passu gradientur, qui tam incommodis nituntur pedibus? O peccator, si paulò accuratius cerneres tuos pedes, citò adhiberes modum eorum vestigiis: quomodo conscendi potest per cæli clivum luteo terrenove pede? O si videres, quam calamitosè proteris te ipsum tuis pedibus! haud inficias iras cum patientissimo Job te factum esse tibi met ipsi gravem; effususque in lachri-

mas diceres: *Indata est caro mea putredine & Job. 7. sordibus pulveris, cutis mea aruit, & contracta 5. est: dies mei velocius transierunt, quàm à texente tela succiditur, & consumpti sunt absque ulla spe.*

Luge, fili mi; luge tuorum pedum vilitatem, utere consilio Christi, quo planè docet cavendum esse à scandalis: *Va mundo à scandalis, (inquit;) necesse est enim ut veniant scandala: verumtamen va homini illi per quem scandalum venit. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum & projice abs te: bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quàm duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.* Si quotidie tot tibi patiant scandala tuæ cogitationes, & affectus, ferrei illi luteique pedes, quibus in apertum venis discrimen tuæ salutis: quare non eos longius à te habes? Dicito mihi verè, ut te amem: quid fatiùs; incidere in miseras cum fœdissimis pedibus; an adire gloriam cum speciosissimis? Hos ultimos elegerat sibi Rex David: Psalmo enim 17. maximas laudes referebat Deo pro exhibitis sibi pedibus lacteolis, velocibus, formosis, sedulis, gracilentis, ut cervorum, quibus pervolare posset ad induendam coronam. *Quis Deus, (ait,) præter Dominum, aut quis Deus præter Deum nostrum? Deus qui percinxit me virtute; & posuit immaculatam viam meam, qui perfecit pedes meos tanquam cervorum, & super excelsa statuens me.* Ad hos eosdem assumendos pedes hortatus est Apostolus eâ Epistolâ, quam scripsit ad Coloss. cap. 3. ubi sic incipit: *Igitur si consurrexistis cum Christo, qua sursum sunt querite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: qua sursum sunt sapite, non qua super terram: & infra in discursu ejusdem capituli: Induite vos ergò sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordia, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam: supportantes invicem; & donantes vobismet ipsis, si quis adversus aliquem habet querelam: Sicut & Dominus donavit vobis, ita & vos: super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis, & pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in uno corpore, & grati estote. Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia.* Ad hæc autem inepti sunt lutei aut ferrei pedes: aureolos cervorum habeamus, necesse est, cum velocissimis alis, ut facinora tam egregia, atque illustria aggrediamur.

Jam peramicè te obsecro fili mi, qui aliquando inclytus splendebas gratiâ, ut lectissimus filius Sion: cur omisisti eos pedes, quibus tum floridissimus vehebaris? Ubi charitatis aurum, & purpura, quibus niterebas

Malach. 4.

Matth. 18. 7.

Dan. 2. 34.

Psal. 17. 32.

Ad Colos. 3. 1.

202.

nitebas tum? Quid illinivit tua opera tam crasso graveolentoque cæno? Cum scateas tot vitiis, etiamnum parcas lacrymis? Miseranda sanè res, & lamentatione digna, quod adeò jacturam fortunarum, aut opum desleas, ne unica quidem profusa lacrymula pro occumbente anima, quam deberes omnibus hujus mortalis vitæ divitiis antepone; tam barbarè ignores tuum periculum? Ecce quid accidit uxori Loth, quæ conversa est in statuam salis, eò tantummodò quod respexisset flagrantem retrò Sodomam. De te autem ipso qui non tantum respicis tua incendia, sed lentissimè etiam volutaris in illis; quid futurum putas? Quid proderunt tibi ambitiosi honores in purpura, & magistratu; si putri obscænoque luto immergatur spiritus? Quid divitiarum affluentia? Quid potentia in Principatu & Imperiis, si illecebrosis fallaciis obsideatur tua anima? Si hæc deficit, ad quid valebit illa pompa? Cæterum redeamus iterum ad opera figuli: haud parum enim explicant peccatorum miseras. In fictilibus multum quidem studii & laboris infumitur; sed confecta, ut adeò terrena, ac fragilia minimi æstimantur: quid operosius peccato? Ita enim sapientissimus Salomon introducit impios deslentes suam infelicitatem in Dei judicio: *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles: viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis?* Et statim innuitur cur despectu digna sint: *Transferunt, (intra se dicent) omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuntius percurrentes; & tanquam navis, qua pertransit fluctuantem aquam: cujus cum praterierit, non est vestigium invenire, neque semitam carinae illius in fluctibus: aut tanquam avis qua transvolat in aere, cujus nullum invenitur argumentum itineris, sed tantum sonitus alarum verberans levem ventum, & scindens per vim itineris aerem: commotis alis transvolavit, & post hoc nullum signum invenitur itineris illius: aut tanquam sagitta immissa in locum destinatum; divisus aer continuo in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius, sic & nos nati desivimus esse, & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere: in malignitate autem nostra consumpti sumus.* Quod si tam brevis sit peccantium vita, tam lutea eorum opera, tam tenue ac fragile delictum peccati; multoque potius contemnendum, quàm viliora, quæ procedunt è manu figuli; Cur adeò veluti ex intimis præcordiis inhæres illis? Quid iniquius, quàm ut eò audaciæ deveniant jam mortales, ut tanto sumptu sibi comparent res tam viles, tam inanes, tam fluxas, tam

Sapient.
5. 7.

perniciosas, deserta soliditate ac pulchritudine virtutis? Quid stultius, quàm adeò temerè vocare in periculum non temporales fortunas aut honores, sed æternam vitam, quæ semel deperdita, nullà re, aut viâ postmodum restaurari potest? Multa magnaque pericula subiverat Apostolus terrâ, marique; sed quid habebant ea, quotquot erant, cum impiorum discrimine, qui rei, & vincti, ferè jam jam ducuntur ad supplicium.

Videamus modò, quid amplius tenent 203. opera figuli? Haud tanti quidem æstimantur; sed alicui tamen usui sunt ad transigendam vitam: verum enim verò crimina & peccata non modo non inserviunt humanæ vitæ: sed eam quoque excindunt, diruunt, evertunt, funditus delent. Opera figuli quodammodo persistunt: peccata autem tenebræ sunt, & totius persistentiæ aut perfectiõnis privatio: innumera ex operibus figuli, quamvis læsa lacerataque prodeant; multa nihilominus sana atque integra fiunt: At verò peccata, nullo dempto, utpotè malorum pessima, omnia imperfectissima evadunt. Ex operibus figuli quædam vitrea ac pellucida videntur; sed peccatis nulla arte sumptivè speciem alicujus lucis, aut nitoris induere potest. Quæ igitur tam grandis dementia cepit miseros peccatores, ut impensam laboris velint agere in re tam periculosa, tam vacua, sine vita & fructu? O quantum melius id deplorandum, nempe Christianos tanquam impietatis figulos redactos esse in hanc miseriam, ac servitutem dæmonum, quàm oppressos Hebræos sub externorum ferocitate, ut tulerat comminatio divina per Jeremiam: *Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo domus Israël, ait Dominus: gentem robustam, gentem antiquam, gentem, cujus ignorabis linguam; nec intelliges quid loquatur. Pharetra ejus, quasi sepulchrum patens; universi fortes: & comedet segetes tuas, & panem tuum; devorabit filios tuos, & filias tuas.* Hi enim labores ab hominibus sunt, illi autem à dæmonibus.

Jerem.
5. 15.

Cæterum hic quoque lamentandi filii 204. Sion, qui ita in pravitatem effusi sunt, ut vel ipsas feras excederent immanitate, & sævitiâ. Quid crudelius Lamiâ fera Africana, quam uberibus totoque pectore adeò speciosam efficit fama, ut nullo pictoris ingenio similis effingi queat? His relictis, homines in fraudem allicit devoratque captos: mammas autem, per quas in hunc modum insidiatur hominibus lamia, denudat benevole suis filiis, lactatura eos; cum tamen filia Sion inhumanior lamis,

GRIMEL
III.

miis; struthionice absconderet ea tempestate alimentum, quo possat sustentare suos filios; *Sed & lamia*, (inquiunt Sacrae literae) *nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos: filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.* Quoniam Pontifices, Sacerdotumque Principes, quibus incumbabat lactare populum sanioris doctrinae, & exempli nutrimento, eum fame, inediaque occidebant. Quo factum, ut ipsi quoque interirent, ita enim jure disposuit infinita Dei sapientia, ut qui spirituales partem denegaverant suis filiis, ipsi quoque corporali penuria enecti atque obsessi, ab hostibus miserrime absumerentur.

205. Quod id evenit Judæis, superba ac dura cervice populo, satis erga se benignis; verum immitibus in alios; haud ita demirandum. Sed quod hac tempestate, quâ non modo pro rostris, verum etiam in ipsis vicis, ac plateis deberet prædicari Christus, obtingat, digna sanè res est maximo dolore, & miseratione.

206. Nonne par esset summè puderet animarum Parochos, & Prælatos tam oscitantis negligentia, quâ perire fame sinunt commissas sibi oves & alumnos; cum tanto opere defudare videant Hæreticorum lamias in inficiendis suis catulis Hæreseos facere, ac putredine? Passim enim novimus, (proh viscerum dolor!) Hæreticorum pueros intensissimè imbutos tincturâ illius pestis; cum tamen nostri Senes, ac provecioris ætatis viri articulorum fidei tam rudes sint, ut terrori optimo cuique esse possint. Quænam autem hujus rei causa, nisi quia hi miselli suorum Patrum tyrannide extinguuntur, cum tam impensè invigilent illarum lamia decipiendis suis sectatoribus.

207. Quid autem dicam de defectu pietatis ac Religionis, quo laborat nostra ætas? Quid de remissione Catholicorum hujus temporis? quæ ni fallor ex varia radice nascitur. In primis malè donat pauperculus munera, quæ non habet. Inflammata tantummodo suscitant flammæ. Si ipsi qui vocantur Patres spirituales, parum sint sancti, ac devoti, quâ devotionis ubertate fecundabunt cæteros? Quis ardore spiritus alios inflammare poterunt, qui restinxerunt eum in se ipsis? Deinde indevoti permanent sæpè filii, quamvis instruantur à parentibus, eò quod cruda & indigesta ab iis excipiant pabula disciplina: id est, nisi Patres prius exequantur virtutes, quas docent filios, frustra multoties atque infecta re laborant: tanto solet esse subsidio bonum exemplum in exhortationibus ad virtutem. Alii quidem, qui sibi ipsis quadam charitate prospiciunt infeli-

ciore obtinent filios; quia non eos in sinu proprio nutriunt, sed id aliquando curæ dissimilibus Præceptoribus remittunt: uti mos est apud Principes foeminas, quæ ad retinendam dignitatem, (ut opinantur ipsæ,) externas nutrices requirunt suis infantulis. Sed in hoc graviter decipiuntur: haud enim satisfaciunt suo muneri Doctores; nisi teneras adhuc discipulorum mentes, earum more, quæ verè sunt matres, ad proprium pectus alant; & satiari, veluti quodam jucundioris doctrinae nectare, & ambrosiâ patiantur. Etenim qui secus se gerunt, parum quoad hoc imitantur divinos illos amores JESU, qui in hunc modum exclamat apud suam Evangelistam: *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Hoc exemplo declaratur optimi Pastoris officium; sic conservare debent Prælati suam auctoritatem, collectos ad se filios protegendo, eosque fovendo sub alarum umbris, amore & doctrinâ. Aliud est genus Superiorum, qui ambiunt officia sine ea scientia, & litteris, quas deposcit Magisterium. Hi pro succo præbent aconitum, pro tutela apparentiam, ignorantiam pro doctrina: infœcundæ sunt matres, & sine lacte nutrices, haud omninò ab similes iis adulteris Ollæ, & Oolibæ, quæ polluentes sanctuarium Domini obtulerant filios suos Idolis, de quibus sic ait Dominus Ezechieli: *Cum*

Idolis suis fornicata sunt, & in super & filios suos, quos genuerunt mihi, obtulerunt eis ad devorandum. Sed & hoc fecerunt mihi, polluerunt sanctuarium meum: Ferè pari modo imperiti atque illitterati Parochi, vel à docendo profus abstinent in animarum detrimentum, vel eas implicant suis erroribus, quorum utrumque severissimâ sanè correptione dignum est. Attendant ergo spirituales Patres, quibus moribus, aut doctrinâ imbuunt suos filios, & alumnos, ne æmulati struthiones, ultra parentum modum præcidant iis vivendi facultatem & vires. Videant subditi, quibus deduntur operibus; quod si pia salutariaque edant, impensè caveant, ne ut novellus partus iterum suffocetur invalescentibus vitiis.

Dum haberet concionem Christus Dominus ad congregatum auditorium, dixit ei quidam ex turba: *Ecce Mater tua & Fratres tui foris stant querentes te. At ipse respondens dicenti sibi, ait. Quæ est Mater mea? Et qui sunt Fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce Mater mea, & Fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem*

Matth.
23:37

Ezech.
23: 4.
37: 6.
38:

208.

Patris mei, qui in calis est, ipse meus frater, & soror & mater est. Si tu vir Christiane appelleris Mater Christi, eò quòd facias iussa æterni Patris, eodem respectu ac relatione, erit Christus non modo tuus frater per charitatem, sed etiam Filius. Ergò toto pectore enitendum, ne tam Regio fratri, ac proli, deficiant lautiores cibi: quoniam si nemo reverà parens enutrire vellet suos naturales filios scorpionibus, aut lapidibus pro pane; quis audebit porrigere Sanctissimo JESU pro virtutibus, ipsius sapidissimis deliciis, acres imperfectionum fæculas? Etenim quid aliud ipsi fecerat Synagoga? quam etiam mysticè vocaverat suam Matrem, secundum illud Canticorum: *Egre-*

dimini & videte filia Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus. Coronavit eum spinis, vestivitque rejectitiâ purpurâ, immanior omni tygride & struthione.

209. O Synagoga, crudelissima mater! Ecce lamiaæ aperiunt pectora suis filiolis: quare tu operuisti illa tuo bellissimo Deo? Cur ei propinasti pro lacte amaritudinem fellis? O qualem Principem filium enecasti tuâ ferissimâ tyrannide, potentissimum Regum, sapientiâ plenissimum, miraculum pulchritudinis! Quid respondebis ipsi, si in supremo suo Judicio dixerit: discedito à me maledicta mater; nam lamiaæ denudantes mammam lactaverunt catulos suos; tu autem crudelis quasi struthio in deserto, eam mihi abscondisti, ne ex ea sugerem, tibi retributurus æternam vitam? Ne mireris occidisse tuos parvulos fame ac siti in pœnam tuæ atrocitatis, ut subdideram per meum Prophetam: *Adhæsit lingua lactentis ad palatum ejus in siti: parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Non ita debaccharetur fames in vestram prolem expositam tot miseriis; si stadium tuæ vitæ amœniori cursu, magisve arridentibus Divinæ voluntati quadrigis percurrisses. Verùm ad eam inopiam pervenit tua insania, ut fuerit opus, quantò subtilius elegantiusque ad solertiam luxus & vanitatis antea ibas, tantò severius & acrius postea sustineres pœnas tuæ audaciæ; quod satis dilucidè quidem explicatur à textu; *Qui vescebantur voluptuosè, interierunt in viis; qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.*

210. Hic ad amuffim impletum quod prædixerat Dominus per Isaiam de excidio sui populi: *Va qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, ut vino astuetis. Cythara, & lyra, & tympanum & tibia, & vinum in conviviis vestris; & opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus*

consideratis: propterea capiteus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & nobiles ejus interierunt fame, & multitudo ejus siti exaruit: propterea dilatavit Infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino.

O charissime frater, his omnibus pensatis, quam misero, & lacrymoso statu invenies esse tuam animam? Dicitis perdilecte mi, ut vita: ignorasne, an fueris ipse, quem toties recreaverat clementissimus JESVS suis deliciis? quem solebat imbuere cælesti sua doctrina, reficere Angelorum pane, eoque dulcissimo cibo, in quo abundè suam felicitatem ac divitias condiderat ditissimus ille Deus? Quare ergò cecidisti in tam graves miseras? qui tam opiparè excipiebaris filiorum conviviis? Quare jam cruciaris fame per vias? Quis implacabilis morbus ita tibi nunc dominatur, ut ne delibari quidem à te patiatur Sanctorum ambrosias, & suavitates? Væ, væ inquam tibi, nisi in intimo pectore incidas hanc sententiam; nempè: *Qui vescebantur voluptuosè interierunt in viis:* Plurimi enim defecerant in itinere, quin potirentur Patria; hodieque torquentur apud inferos, eò quòd sprete voluptate spiritus, carnalibus blanditiis, magis quam par erat, affluisent.

Caveas tibi impostherum, anima mea, à 211. delicatiori victu, ab elegantia & fastu habitationis, adulatorum choris, amœniori grege ephëborum, virginumque; voluptuariis cænationibus, periculosis theatris, & spectaculis; ab omni denique splendore, & pompa, quæ tibi creare possent periculum aliquod damnationis æternæ. Qui enim in congressibus totus est melleus, malletque comptiorem videri, quam honestiorem; qui quidquid est boni moris, & humilitatis extinguit muliebribus munditiis; quomodo patietur foetores æternos? Qui speculum omni occasione consulit, quâ tolerantiam feret aspectum dæmonum? Qui velit potius turbari rempublicam, quàm suos capillos; quâ velocitate ardebit apud inferos? Cum videtur id unicæ esse curæ, ut insolenter rotet cervicem, suspendat gradum, superbiat amictu, blandè ab omnibus excipitur; quo studio franget cupiditates, & passiones, ne violetur Christiana disciplina, nevé perrumpantur Dei leges, & præcepta? Is quos habere potest humeros ad sustinendam sententiam, quæ ni melius temperetur vita, ferenda est contra hujusmodi temeritates. Satiùs foret certè alieno damno sapere, meditatus supplicium, quod solverat Adam pro esu unius pomi, aut Esau pro lentis edulio. Quod si enim verò his tanti stetit humiles & populares cibi; quid

quid erit de te amice mi, qui ferè una mensa majores agis impensas, quam alii integro anno? Terreat te casus illius divitis, qui referente Evangelio induebatur purpurâ & bysso, & epulabatur quotidie splendide; sed vita jam defunctus sepultus est in inferno: terreant te Israëlitarum calamitates: *Nam qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora: Abjiciamus ergò, (inquit Apostolus scribens ad Romanos) opera tenebrarum; (ne scilicet morè hujus miseræ Nationis rebus vilissimis mancipemur) & induamur arma lucis; sicut in die honestè ambulemus; non in commestrationibus, & ebrietatibus; non in cubilibus, & impudiciis; non in contentione, & amulatione; sed induimini Dominum JESUM Christum, & carnis curam ne feceritis in desideris.*

Ad Rom.
13. 12.

212.

Mala. 2.

2.

Quid terribilius eâ maledictione, quam apud Malachiam minatur Dominus Sacerdotibus, qui noluerint obedenter à sua pravitate respicere? *Si nolueritis audire; & si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum; mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris, & maledicam illis: quoniam non posuistis super cor. Ecce ego projiciam vobis brachium, & dispergam super vultum vestrum stercus solemnitarum vestrarum, & assumet vos secum. Væ conspurcatis tam squallido sterquilinio! væ deditis tantimundis suarum imperfectionum festis, & solemnitatibus! væ infectis solutiori pravitate, præcipitibus in ruinofam vitam, lascivientibus præ voluptate, profusioribus in corporis victum, cultumque, qui dissolvunt bonos mores, evertunt pulchritudinem gratiæ, deviosque peccatores agunt in exilium sempiternum! O incredibilem humanarum mentium infelicitatem! O insanæ cæcitatæ caliginem! cum amœnitati spiritus possint vivere miselli homines, seque tam suaviter levare mundi sterquilinio & pondere, pergunt impellente vi passionum, imprudentius collum ei subijcere, ac lethalibus cumulo pertinaciùs adhærere.*

213.

Luc. 15.

18.

Scribis, & Phariseis obtrectantibus, quòd peccatores reciperet Christus, inter alia proposita est ipsis Parabola illa de filio prodigo, qui eò devenerat egestatis, ut porcorum Pastor averet implere se iisdem siliquis, quibus vescabantur porci: tandem nihilominus ad se reversus noverat miseriam, ad quam fuit redactus; cupiensque permutare officium; *Surgam, (inquit,) & ibo ad Patrem meum, & dicam ei; Pater peccavi in cælum, & cor am te; jam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercena-*

*riis tuis; & surgens venit ad Patrem suum. Verùm prodigis hujus temporis nullum omnino intervallum, quo siliquas suas intermittant, requiritur: sed contentissimos tam infami officio; ac distentos cupedia-rum varietate commestatio & luxus altiùs opprimit: aded insident visceribus flagitiorum stercora, ut nihil minus desiderent, quàm paternas felicitates, & gratiam: Ut autem discant religiosiùs sibi metuere ab irato numine; audiant, quid dicat Dominus de statu Israël: *Major effecta est iniquitas filia populi mei peccato Sodomorum, quæ subversa est in momento, & non ceperunt in ea manus. Ecce quem exitum habituri sunt, qui subditi suæ concupiscentiæ tempore non respicient? Ecce quo furoris poculo bibituri, qui deliniti libidine omnes suas cogitationes referunt ad turpissimam voluptatem, ni se macerare velint salubriori pœnitentia? Ut ampliori detur formidini locus; ecce præmittens mundi Servator Christus, qui Conciones haberent ad populos, quos visurus erat ipse postea, dixit illis: *In quamcunque Civitatem intraveritis, & non susceperint vos, exeuntes in plateas ejus, & non susceperint vos, exeuntes in plateas ejus, dicite; etiam pulverem, qui adhaesit nobis de Civitate vestra, extergimus in vos: tamen hoc scitote, quia appropinquavit Regnum Dei, dico vobis; quia Sodomis in die illa remissius erit, quàm illi civitati.* His addit Divus Hieronymus, graviùs defecisse Hebræos, quàm Sodomitas; eò quòd horum peccatum expressum fuerit contrà naturam, cum illi non tantum offenderint naturam, sed legem quoque scriptam violaverint. Quo autem clarior est advertentia, eo major est culpa, ac severiùs debet esse supplicium. Hæc mirò comprobatur illud Ezechielis super ingratitude Hierosolymæ: *Vivo ego, dicit Dominus, quia non fecit, Sodoma soror tua ipsa, & filia ejus, sicut fecisti tu & filia tua.* Quod si ampliores nacti rerum notitias, obstringantur Deo arctioribus vinculis gratitudinis; prorsus timendum tibi infautissimo peccatori, qui non modo præcepta naturalia, verum etiam gratiæ leges aspernatus, apud cælum, terramque gravissimè offendisti. Proh stupor! Quoniam si Tyriis, aut Sydoniis ea, quæ tibi, liberalitate aperuisset Deus thesauros suæ misericordiæ, fortè in cilicio, & cinere sedentes pœniterent: & tu etiamnum acriores faces expectas, quæ te excitent tali vitæ indormientem? Graviter condoleo tuæ pigritiæ; iterum atque iterum velim, ut tandem aliquando emergas è tantis malis, & subleves manus, & oculos in cælum; cum clementissimum Deum, qui fovendis mortalibus mirificè dulcem Parentis affectionem miserorum**

V A U.
VI.

Luc. 10.

10.

Ezech.

16.48.

casibus tribuit, oraturus misericordiam. Etenim res omnium pretiosissima luditur; properato opus est: maxima porrò virtutum jactura dilatio, quæ præsentia eripit, dum ulteriora promittit; timendum, nè si pœnitentia remittatur in ultimam horam, finiat, quæ eoufque decurrerat ætas; saltem cursum suum non revocabit, aut supprimet, donec terminum obtineat, quem meruerit, elapsa vita.

214. Non est, quod te ipsum tutum existimes, fili mi, quamvis tot virtutum dotes in tua anima micare cernas, quot serenâ nocte fulgent stellæ instar nitentium gemmarum suis orbibus affixæ: quamvis in eam magnificè conspiret mundities cordis cum charitatis bellissimo ardore; non est, quod tibi ipsi promittas lauream ultimæ perseverantiæ: impudici enim mores infuscarunt Hierosolymam, cui prius cœperat perjuranda venustate afflorescere sanctitatis gratia. *Nam candidiores Nazeraei ejus nive, (ut ostendit Dei Majestas per Jeremiam,) nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Saphiro pulchriores.* Verùm formositatem & laudem, quam ab initio collegerant, immanis deinde vitiorum corruptela infecerat. Vanitatis seducti gloriâ, voluptatumque capti dulcedine, rebus turpissimis antiquam pulchritudinem, fas, justitiam, pietatem, perverterunt; vitam flagitiis, atque infamiâ foedarunt.

215. Quid cuiquam satis securum videri potest, qui audiat firmissimas sanctitatis columnas concussas esse, labasseque earum solidissimas virtutes? Quoniam non tantum corruerunt prædicti Hebræi; sed maximâ etiam ruinâ fluctuaverat integritas piissimi Regis David, Sapientia Salomonis, Apostolorum Princeps Petrus, æternumque miserrimus Judas, qui ex discipulo Christi in inferorum larvam conversus est. Hoc igitur generi humano inter voluptates & hostem militanti dictum puta: salus est mortalibus non sine Dei timore sperare salutem. Circumspice, quam truculento Marti obiicimur, affirmante Apostolo:

Ad Rom. Video aliam legem in membris meis, repugnantem 7. 23. legi mentis meae, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Haud injuriâ, mortis appellatione nominat hanc vitam, in qua vivendo morimur; tum aliquando maximè: ubi humana omnia videntur nobis ex sententia cedere; nihil adversum accidere; nihil contra opinionem, ac voluntatem. Ergò quid gloriaris in malitia, (ut dicit eâ, quæ floruit eloquentiâ ac pietate, David,) qui potens es in iniquitate? Satiùs foret cum eodem Pro-

pheta deprecari altissimum numen, ut eruat te tot incommodis: *Exurge: quare Psalms. obdormis Domine? exurge & ne repellas in finem. 43. 23. Quare faciem tuam avertis, oblitisceris inopia nostra? Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra; Conglutinatus est in terra venter noster. Exurge Domine, adjuva nos, & redime nos propter nomen tuum.* Etenim sine divina ope, quid munitum esse potest? quid ad tutelam alterius, aut sui firmum, latissimè patentibus tot malis pestiferis, publicè privatimque noxiis. Si David, Salomon, Petrus, Judas, è perfectionis culmine in profundissimum præcipitium acti deciderint; imprimis timeant, necesse est, imbelles, ac penè tyrones in spiritali hac militiâ. Etenim quid facient inermes corruente forti? quo se vertent rudes, parumque tincti institutis aut doctrina, oberrante sapiente? quid audebunt pusillanimes, deficiente valido, robusto, animoso? Quid mundani peccatores devictis discipulis? Si grandissimi Sancti passi fuerint naufragium, quâ securitate navigabimus nos inter decumanos fluctus tam turbidæ tempestatis.

Cæterùm redeamus modo ad nostrum 216. textum. Quamvis enim aliundè non subveniret exemplum; inde satis moneremur de nostro periculo. *Quoniam denigrata est super carbones facies eorum,* qui antea splendebant candidiores ipsa nive, nitidiores lacte, rubicundiores antiquo ebore, saphiro pulchriores. Egregia sanè comparatio, obscurissimæ enim noctis convestiuntur umbrâ, quibus charitatis lumen occidit, foedissimi & extincti carbones remanent, qui se exuunt pulchritudine gratiæ. Carbones id habent, ut quando ardent, palpantem comburant; demortui autem potius commaculent, nisi iisdem turpior sit, qui accesserit: Sic pariter accensus charitate discriuiat tentatorem dæmonem, publicèque laborans mortifero peccato omnibus offensionem creat suâ vitâ, ac moribus: nequam & insigniter improbus cæteros paulatim inficit, quacunque incedit, multorumque veluti contenti arcus in ejus famam diriguntur; cum tamen eorum, qui obsequentes sunt Deo, honestatis gloria latissimè diffundatur. Boni enim proteguntur à Domino, ut declaraverat Propheta Zacharias: *O Sion fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis, quia hæc dicit Dominus exercituum, post gloriam misit me ad 7. gentes, quæ spoliaverunt vos: qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Mali autem nullo apud prudentes loco sunt, sed ut sine cælesti jam sapore ac sale despiciuntur, dicente Christo Domino: *Quod si sal evenerit, in quo salietur? ad nihilum valet ul-*

Psalms. 51. 1.

Math. 5. 13. strâ.

trā, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.

217. Ad hæc : succensi carbones nitent, illuminant; argentibus calorem adferunt; decoquunt cibos; cauterio ad depellendos morbos adjuvant; multisque aliis ejusmodi rebus usui sunt; quam virtutem prorsus, quando extinguuntur amittunt. Quid aliud quæso obvenit peccatoribus, ubi suā culpā nigrescunt veluti carbones: in claritatis enim locum sufficiunt tenebras, pro calore cient sterilissimum frigus; amaritiam pro dulcedine, pro medicina lethiferum venenum: hinc fit, ut improbitas ex se ipsa supplicium sibi struat ipsi, molestissimas calamitates, formidines innumeras, inter nos mærores, ac tristitias, & perturbationes; in altera autem vita, pœnas sempiternas, juxta illud Regii Prophetæ, ubi canore cecinit coram infinito Dei Numine; *in tribulatione mea invocavi Dominum, & ad*

psalm. 17. v. 7. Deum meum clamavi: & exaudivit de templo sancto suo vocem meam; & clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus. Commota est terra; fundamenta montium, (nimirum impiorum, & arrogantium) conturbati sunt, & commota sunt, quoniam iratus es eis. Ascendit fumus in ira ejus; & ignis à facie ejus exarsit: carbones succensi sunt ab eo. His enim malis, digni sunt, ut inardescant; qui restinxerant in semetipsis fulgorem charitatis. Quamobrem salutare jam pœnas peccatores subeant, ne suscipiant æternas: animi sordes eluant; deleant suas maculas; deplorent, abstergant se:

*psalm. 49. 3. Nam Deus Manifeste veniet, (ait idem Prophetæ,) Deus noster & non silebit; ignis in conspectu ejus exardescet; & in circuitu ejus tempestas valida. Væ autem illis, quos tum demortuos esse carbones invenerit adfuturus iudex, tartareos, venenosos, horribiles! O si liceret jam miscellis intueri, quàm tremendi tum aspectu prodibunt ob immanitatem culpæ, qua formidine etiamnum expavescerent. Quam citò resoluti in lacrymas, & quasi jam propriæ conscientie impatientes ad misericordie fontem reciperent semetipsos pro remedio. Sed cæci admodum, quoniam pulchriori amictu circumdatos se, atque in deliciis nunc vident, videnturque, sibi & aliis ejusdem farinae mundiolis incogniti, pluris fiunt: *Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis. Quod si aperta facie cernerentur, cæteros haud dubiè submoverent; non secus, quam basilisci, qui alios omnes, etiam serpentes, vel ipso sibilo fugant, utpotè qui solo halitu serpentes quoslibet robustissimos suffocant tantà sunt veneni**

psalm. 49. 3. Nam Deus Manifeste veniet, (ait idem Prophetæ,) Deus noster & non silebit; ignis in conspectu ejus exardescet; & in circuitu ejus tempestas valida. Væ autem illis, quos tum demortuos esse carbones invenerit adfuturus iudex, tartareos, venenosos, horribiles!

psalm. 49. 3. Nam Deus Manifeste veniet, (ait idem Prophetæ,) Deus noster & non silebit; ignis in conspectu ejus exardescet; & in circuitu ejus tempestas valida. Væ autem illis, quos tum demortuos esse carbones invenerit adfuturus iudex, tartareos, venenosos, horribiles!

psalm. 49. 3. Nam Deus Manifeste veniet, (ait idem Prophetæ,) Deus noster & non silebit; ignis in conspectu ejus exardescet; & in circuitu ejus tempestas valida. Væ autem illis, quos tum demortuos esse carbones invenerit adfuturus iudex, tartareos, venenosos, horribiles!

HERM VIII.

acuitate. Hæc accipiantur quoad applicationem. Cæterum Hebræi præ corporis macie, fameque non fuerunt cogniti per Hierosolymorum plateas oris immutata specie & habitu: *Nam adhasit cutis eorum ossibus; aruit & facta est quasi lignum.* 8.

Nonne in hunc modum luditur præcipue cum obscœnis, & lascivis; ubi laxatis habenis in suam turpitudinem eunt? Quàm graviter vulnerantur à furioso suo amore, qui mollissimam quidem flammam eorum ossibus, & medullis inspirat; sed paratissimum tamen venenum instillat? Improvisus labitur in liberiores animas; sed eas statim laborum æstu concutit, omnemque venustatis florem ac dulcedinem deperdit: talem edit stragem in miseris, ut horribili pallore; quasi aridum detrunctumque lignum tabescentes obumbret; indè venit, ut quamvis sæpissimè alluantur bonis consiliis, & inspirationibus; nullam tamen fructuosam, aut maturiorem baccam ferant; cum è contra promittatur de justo: *Erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum; quoniam fructum suum dabit in tempore suo: & folium ejus non defluet, & omnia quæcunque faciet prosperabuntur. Datio Dei, (inquit Ecclesiasticus,) permanet justis, & profectus illius successus habebit in æternum, qui autem exultant in malis, (ut ab eodem traditur) consenescent in malo: nec aliquid rei ea siccitate, nisi flammis usui esse possunt. Quæ omnia mirificè exponit Christus Dominus; Ego; (dicens suis discipulis,) *sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palme, & arefcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.**

Blandientium malorum virus occultum est; citò tamen ubi epotaveris; perniciè hausta grassatur. Quippè peccatores tanto præcellit fulmine, ut ne minimum quidem relinquat illis succum, quo sibi aut aliis fructuosi fiant. Crebrò eos ad pœnitentiam, utque apud se diversentur, invitat Deus; sed ii tanta benignitate allicienti obsurdescunt; haud conscii sevitiæ, quâ in hominum animas solet debacchari culpa, quæ tam lenta atque implacabili lue fameque eas opprimit, & divexerat, ut nullum crudelius bellum aut pugna. Undè Hierosolymis brevi potius pereundum ferro, quàm adè diu turna penuriâ rabiosis, & famelicis; quod planè innuit Textus: *melius fuit occisis gladio, quàm interfectis fame: aut allegoricè; potius occumbendum amoris, & mortificationis ferro, quam eorum defectu. Hic enim cedit*

218.

psalm. 1. 31

Eccles. 11. 17. 16.

Joan. 15. 5.

219.

Teru. IX.

dit ad mortem ; illud autem ad vitam : hoc absumuntur improbi , ac facinorosi greges peccatorum : illo comparabant sibi coronam fortissimi Martyres , quibus jam obfirmatis submisso Dei auxilio , & cruciatus , & flagella , & liquatum plumbum , & ferrei pectines , & unguæ , & enses , & cætera suppliciorum instrumenta , quæ sine horrore ab ipsis crudelitatis administris aspici non poterant , pro festis & deliciis habebantur : beatissimi sanè milites , qui frementes hostium globos tam egregio patientiæ spectaculo sustinuitis ! O fortunatum amoris gladium , quo aded strenuè ac triumphantium more superastis ! ô suavissime Deus , clementissime JESU ! moriar ego hoc felicissimo cultello ; vivam semper tam generoso-amori ; si mei causa sustinueris tu crucem , aperueris cælum , calcaveris inferos , pro Regio diademate tibi vepres , & spinæ fuerint , pro adamantibus manuum pedumque vulnera , pro cupediis amarities fellis , pro molli strato durissimum lignum ; quid possum ego rependere , quantumvis sæviam in memetipsum disciplinâ , aut mortificatione , quod tanto beneficio dignum sit ?

220.

O Peccator , fili mi ! cum jam moribundum te videam , & ferè in extremo vitæ discrimine elige genus mortis. Si interire vis æstro percitus tuarum passionum , & libidinis , ex temporalibus hujus vitæ miseriis ad alias æternas commigrabis. Cæterum si Divini amoris sagittis temetipsum patiaris vulnerari , ad amœniora hinc tendes , non ut ejectus , sed ut emissus. Talis enim mors dulcissima quies est , mors suavis , blanda percussio , interfectio leniens , mel vitæ , somnus delicatus summo bono invigilans ; ingens quoddam volumen est , in quo quot res amantur , tot leguntur characteres , qui Dei Majestatem aureo eloquentiæ flumine dilaudant , & ad eam diligendam concitant. Hujus rei saucius Apostolus vehementer admodum peroraverat , dicendo. *Quis ergo me separabit à charitate Christi ? tribulatio ? an angustia ? an fames ? an nuditas ? an periculum ? an persecutio ? an gladius ? (sicut scriptum est : quia propter te mortificamur tota die , estimati sumus sicut oves occisionis.) Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim , quia neque mors , neque vita , neque Angeli , neque Principatus , neque virtutes , neque instantia , neque futura , neque fortitudo , neque altitudo , neque profundum , neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei , qua est in Christo JESU Domino nostro. Quid hoc sancte Apostole ? nonne timenda mors ? metuen-*

Ad Rom.
8. 35.

di Tyranni ? fugiendæ persecutiones , & gladii , & tormenta , & secures , & tenebrarum potestas , & fulmina ? Sed nihil horum , (ait) permovet percussam ense divini amoris. Hic tam decorè infligit vulnera , ut reddat animos , quibus cæterarum rerum deponatur metum ac firmitudinem : perhorrescant alii ; qui nondum aded dilexerant : mihi autem cui liberalissimè impensi sunt hi favores , quid timendum est de his rebus , quimodò tam incredibili meum demulcent pectus & animam , suavitate , ut non modo nolim fugere à morte ; sed cupiam etiam dissolvi , & esse cum meo dilecto JESU. O jucundissimam amoris formam ! ô sanctissimæ mortis decora ! ô desiderabilem vitam ! O qui cuncta suavissimæ disponis , Deus , propitius modò nobis omnibus concede , ut in hujus peregrinationis effusi terras , ad cælestem tandem patriam , allecti tui amore , feliciter aspiremus ; evitemusque miseria Solymæ Oppidanorum , qui quoniam dimiserant charitatem , crudelissima fame confecti fuerant : Sic enim deplorantur per Jeremiam : *Melius fuit occisus gladio , quam interfectis fame : quoniam isti extabuerunt consumpti à sterilitate terra.*

TITM
IX.

Tam sæva ingruit hæc fames in Hierosolymos , ut foeminis innatam misericordiam converterit in atrocissimam tyrannidem erga proprios filios , continuò dicente eodem Propheta : *manus mulierum misericordium coxerunt filios suos : facti sunt cibus earum in contritione filia populi mei.* Haud obscure inde deducitur : quàm immanes sint ii Superiores , & Parentes , qui Dei amoris veræque charitatis inopes , aut omissione correctionis , & doctrinæ , aut iniquo exemplo , aut deformi sævitiâ disperdunt suos filios ; ne autem desint tam necessario muneris , qui Deo servire in tam difficili Provincia student ; necesse est , ut quemadmodum nutrices manibus componunt infantium corpuscula , ita illi perficiendo filiorum mores , eos præclare evehant ad virtutes. Quod ut paternè præstent , mixtim , & alternis utendum erit oburgationibus , & laudibus. Postquam enim severitùs corripuerint , pudore agendum erit ; rursusque laudibus , & blanditiis revocabunt , eas imitati matres , quæ cum infantulos lugere coegerint , ubera denuò ad eos solandos admovent : cavendum tamen nè immodicis eos laudationibus efficiant intumescere.

221.

JOD X.

Denique ne obtendant rationem aliquam , aut excusationem suæ negligentiae Patres , qui secus agunt , uti manent laboris Coronæ ritè defungentes hoc officio , ita & supplicium eos , qui defecerint ab illo ,

nisi

CAP. XL
 nisi se correxerint tum in hoc, tum in cæteris vitiis, ut monet Hierosolymæ exitium : *Complevit Dominus furorem suum, effudit iram indignationis suæ; & succendit iram, ignem in Sion, & devoravit fundamenta ejus.*

223. Antea etiam tetigerat Propheta eandem hanc ipsam rem; nec mirum, cum nihil terribilius, quàm imminere, venireque constitutum tempus Dominicæ indignationis; Quo completo, quid fiet de peccatoribus? ubi abscondent se à furioso torrente ipsius iræ: si succensa sit elatioribus flammis pulchritudo Sion, quo cremanda incendio Babylonia? Si everfa Hierosolyma, qualem depopulationem, aut ruinam, par est, expectet Ægyptus? *Propter Sion, (ait Isaias,) non tacebo, & propter Hierusalem non quiescam, donec egrediatur, ut splendor justus ejus, & salvator ejus, ut lampas accendatur. Et videbunt gentes justum tuum, & cuncti Reges inclytum tuum: & vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit: & eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema Regni in manu Dei tui.* Quid dicis Sanctissime Propheta? nonne vides, quemadmodum effuderat iram suam Dominus, igneque deleverat fundamenta Sion? Quid ergo eam vocas coronam gloriæ, aut diadema Regium in manu Dei? Prophetabat Isaias de adventu Domini, cujus præsentia futurum erat, ut bellissimè florent vicinia illius urbis. Quam nihilominus ob ejus iniquitates, & ingratitude, exceperat Deus suæ indignationis rigore, ut tradit quoque Isaias capite sequente: *In dilectione sua, & indulgentia sua ipse redemit eos, & portavit eos, & elevavit eos cunctis diebus sæculi: ipsi autem ad iracundiam provocaverunt, & afflixerunt spiritum sancti ejus, & conversus est eis in inimicum, & ipse debellavit eos.* Ut à nemine in hac turbulenta vita obtendatur excusatio deponendi Dei timorem; quantumvis aureis sibi vehi videatur rotis beneficiorum divinæ misericordiæ. Quid enim firmitus, aut speciosius illâ Provinciarum Reginâ Hierosolymâ, quam altissimum Numen perfuderat deliciis apud Orbis Principes, summâ nobilitavit gloriâ, animavit robore; & nihilominus excisa est? munitissima sanè, murorumque fortitudine ornatissima Civitas, ideoque non crediderunt, (affirmat textus,) *Reges terra, & universi habitatores Orbis, quoniam ingredereetur hostis, & inimicus per portas Hierusalem.*

LAMED. XII
224. Periculosissimè delitescunt in sinu voluptatis, qui Dei terrores ac minas de sua memoria expungunt; quasi impiorum exitus futurus sit argenteus, aut eorum mors autem margaritisque distincta: potius frequen-

tissimè cogitandum de tremendo illo Dei judicio, quo cæli columnæ contremiscent; cælestiaque sydera, ut frondes arborum, decussa defluent. Quo horrore in mundi sine sustinebunt mortales tot bellorum strages, quot tum videbunt vehementes famēs, ac morbos in humana membra perbacchatos, tam terribiles terræ motus, rerumque fragores? Cedent tum in flammarum pabulum putpuræ gratissimi nitores, Regum sceptræ, & diademata, imperiorum opulentiæ, & gazæ: Postea fuscitabuntur mortui ad judicium; omnes, omnes nullo dempto, sive quos mare absorbit; aut qui ense perierunt, aut morbis sublatis sunt; aut cremati inter flammias, aut à feris devorati; omnes pavebunt in conspectu Judicis, qui de singulis secundum eorum opera laturus est sententiam. O quis damnatorum pavor tunc erit? quis reorum pallor? quæ miserorum trepidatio? Et haud injuriâ sanè: nam uno agmine projicientur in Infernum, nunquam inde exituri. O infelicissimos hominum æternum ardentibus undis sulphureisque flammis submergendos! ô immortale genus supplicii! ô longa æternitas! Quod si verò favorabilis prosperaque fuerit sententia; quantâ exultabunt hilaritate ac lætitiâ inferendi in gloriam! Quis Sanctorum plausus? quæ Majestas? quod magnificentiaæ spectaculum! quantâ salutantium gratulatio! quis triumphus? quæ gaudia? Cum, Christiane, hæc omnia credas, stultissime adstringis temetipsum eo scelere, quo à tam gloriosis deliciis exulare tandem possis ad tam pœnosas ærumnas: ne in hac parte æmuleris, (quæso,) incredulitatem eorum Principum, qui non crediderunt ingressuros fuisse hostes per portas Hierusalem: *Non crediderunt Reges terra, & universi habitatores Orbis, quoniam ingredereetur hostis, & inimicus per portas Hierusalem.*

Sed qua re præcipue quassatum, delatumque tam nobile præsidium? *Propter peccata Prophetarum ejus, & iniquitates Sacerdotum ejus, qui effuderunt in medio ejus sanguinem justorum.* Quod si tam acerbis luisent pœnas Hebræi; quia spreverant sanguinem justorum; quas promeretur, qui contemnit sanguinem Christi! O quot potentissima Regna, & Provincias, & urbes ad ultimam ruinam deduxerunt Sacerdotum peccata, & sacrilegia, Principum furia, & impietas, erga res Sacras, Sanctorumque innocentiam, & Religionem? Quot hodie divellunt Respublicas horum noxæ, quondam beatas, nunc infelices; quondam florentes, nunc calamitosas; quondam Ecclesiæ filias, nunc Schismaticas, & fugitivas; quon-

quondam sanctas, & gratiosas, nunc turpissimas peccatrices! O quot nobilissima Imperia, pridem in alto dignitatis fastigio collocata, Augusto vultu, regali incessu, gloriosâ structurâ, ob eorum scandala corruerunt? Quot violatæ leges! quot imperiosa ornamenta profanis concisa manibus? quot civium extinctus fulgor? quot rugis Principum foeminarum exaratus decoret? quot Virgines suspiriis, & lachrimis factæ aniculæ, ob Doctorum educatorumque culpas, eadem ferè prementium vestigia, ac Hebræi, de quibus Jeremias: *Erraverunt ceci in plateis, polluti sunt in sanguine; cumque non possent, tenuerunt lacinias suas.*

N. V. N.
XIV.

226.

Cæcos in plateis appellat eos Propheta; quia divertentes à recta & angusta via, quæ ducit ad vitam, veluti clausis oculis per latissimos Inferorum anfractus defluerant. Vocat eos cruentos & pollutos; quia degenerantes à mansuetudine filiorum Dei, ferissimam sibi tyrannidem induerunt: manu tenebant suas lacinias, id est, nondum eorum corrupti, depravatique mores elapsi fuerant è manibus, cum tam facile non possent in laxo itinere, atque inter tot facinorum occasiones ad meliorem aliquam frugem redire. Hæc allegoricè intelligenda. Væ autem illis, qui in hora mortis has sordidas, pannofasque vestes tenuerint! Væ qui tum cæcorum more apprehensis inter se laciniis, foverint malum habitum: nam plerumque in Averni foveam, faucesque hostium præcipites ruent, dicente D. Augustino de Doctrina Christiana: *Non potest, (nimirum si moraliter loquamur,) malè mori qui benè vixerit; & vix benè moritur, qui malè vixerit.* Quotò satiùs foret illis eleganter indui ornamentis gratiæ, ac nitere delibutos pretiosissimis unguentis, quæ descendunt ex capite Christo in barbam Aaron, nimirum Sacerdotes; & deinde in oram vestimenti ejus, quæ significantur cæteri justis, ut mysteriosè David Psalmo trigésimo secundo super centesimum: *Ecce, (ait,) quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum: sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron; quod descendit in oram vestimenti ejus: sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion. Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam usque in sæculum:* quotò inquam satiùs foret lucere hoc decore, quàm obnubilari segmentis peccati? Beati, qui manu tenuerint fulgidos rubores ejus purpuræ, rejectis laciniis pravæ consuetudinis, quæ solet impedire ab ingressu Civitatis æternæ: nam ut egregiè disserit Isai. 59. *Viam pacis nescierunt, (inquit,) & non est iudicium in*

Isai. 59.
8.

gressibus eorum: Semita eorum incurvata sunt eis: Omnis qui calcavit in eis, ignorat pacem: propter hoc elongatum est iudicium à vobis, & non apprehendet vos iustitia. Procul igitur amotâ tam squalidâ pauperie, contingamus vestimenta Christi: quibus haud dubiè, nisi indignè accesserimus, consequemur opulentissimam salutem cum ea fideli ac millies faustissima muliere, quam à fatis periculoso morbo liberaverant, teste Evangelio, eæ vestes: *Et ecce mulier, qua sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retrò, & tetigit simbriam vestimenti ejus: dicebat enim intra se; si tetigero tantum vestimentum ejus salva ero. At Jesus conversus, & videns eam, dixit: confide filia, fides tua te salvam fecit; & salva facta est mulier ex illa hora.* Tum denique levati veteri curâ ac sollicitudine, sequamur impulsu divinæ inspirationis, ni velimus detrudi in eas locorum angustias, ubi suâ culpâ excepti sunt Sacerdotes Hebræi, derisi ab hostibus, qui eorum cognito more: *Recedite polluti clamaverunt eis; recedite; abite; nolite tangere: jurgati quippè sunt & commoti: dixerunt intergentes, non addet ultra, ut habitet in eis.* Quid enim rei esse possit tam pollutis, cæcisque nebulonibus, dum manu lugubres suas lacinias teneant, cum infinita puritate Dei?

Matth.
9. 20.

SAMUEL
XV.

227.

Quid aliud accidit iis Evangelicis Oratoribus, qui proclives ipsi in vitia, aliis prædicant virtutem? qui, dum aliis salubriter authores sunt, ut colant solitudinem, patientiam, humilitatem, castimoniam, mansuetudinem; ii ipsi volitant publicè per plateas elato supercilio, superbè, ac præter Ecclesiasticum morem induti, lustrando fenestras, offendendo Rempublicam? Nonne à secularibus viris, (utinam ipsa experientia non tantum docuisset,) susque deque haberi solent? Quot rumores sparguntur de ipsis per Civitatem? quàm malè profcinduntur in amicorum circulis, & salutationibus? quàm sordidè audiunt apud populum in gravissimum Religionis ac veritatis detrimentum? ritè quidem monuerat noster Conditor, ac Servator Christus in suo Evangelio: *Super Cathedram Moysi sederunt Scribae & Pharisei: omnia ergò quacumque dixerint vobis, servate, & facite: secundum opera verò eorum nolite facere; dicunt enim & non faciunt.* Sæpiùs enim permittuntur in suos Pastores sævire plurimæ ex ovibus, in oviumque pœnam petulantius insanire Pastores ob scelera & peccata, quibus utrinque Divinam Majestatem lacerant ad vindictam.

Corrigamus ergò culpas, fontem & principium tanti damni, timendum enim, ne in hora mortis in nos invehantur eodem

228.

dem ludibrio, ac risu nostri hostes, quo vexabantur Judæi, redacti in captivatem; procaciusque dicant; hi-né, qui aded gloriabantur de vitæ integritate; & sanctimonia, à quibus tanto odio habebamur? recedite hypocritæ, recedite nobiscum, abite hinc in ignem æternum: derelicti jam estis à Deo vestro, qui non probat fictos Christianos, nec protegit lascivos, aut superbos. O intolerabilem illusionem! ô vituperii genus omni probro crudelius! ô terribilissima verba: *derelicti jam estis à Deo vestro, abite in ignem æternum*: nam recedente Deo, quid aliud remanet alicujus æstimationis dignum? Quid proderunt mensarum lautitiæ, nitores vestium, calices infuso nectare coronati, famulorum splendentes exercitus, amicorum chori, oblectantium luctus, & risus, descendantibus ad Infernum? Expedit calcare hæc omnia adituris gloriam. Solus requirendus Deus; quem si inveneritis, licet jacturam feceris terrenarum opum ac divitiarum, ille erit tuus thesaurus; si deficiant dapes, cibufvè, erit tibi panis, ac potus: si amiseris tuas vestes, ornabit te indumento gratiæ: dum fuerit tuus amicus hic celsissimus Princeps, quid tibi nocere poterunt rerum inopia & pauperies, quid adversa valetudo? quid ingruentes calamitates? quid vicinorum injuriæ! quid arrogancia hostium? quid propinquorum solitudo? quid mundus? quid dæmon? quid lædent tuam coronam? nihil usquam; sed potius tibi erunt seges majoris remunerationis illæ turbæ, & ærumnæ, inimicorumque sævitæ.

229. Quapropter impensè cogitandum de illa vituperatione, quâ illusum Hebræis: *Nolite tangere; jurgati quippè sunt & commoti; dixerunt inter gentes, non addet ultra; ut habitet in eis*: ac simul de iis verbis, quæ statim sequuntur in textu: *facies Domini divisit eos, non addet ut respiciat eos: facies Sacerdotum non erubuerunt, neque Senum miseri sunt*. Hic videntur typicè designari, quos repudiat Dominus angustiari tempore; nempè qui rem sacram inurbanè contemnant, ejusque Ministros contumeliis aut injuriis afficiunt, qui erga senes & viduas, & miserabiles impii sunt, & crudeles. Cave, perdilecte mi, ne deficias à reverentia debita Sacerdotibus, aut omittas majorum canos vereri, fovereque pauperes, quorum observatio tanti est momenti ac ponderis ad æternitatem: cave, ne te visitet Dominus pari visitatione, quâ intentus in ultionem visitaturum se dixerat peccata Sodomorum: *Clamor, (inquit,) Sodomorum, & Gomorrha multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis, def-*

cendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me opere compleverint: an non est ita ut sciam. Quod si conscium te viseris horum scelerum, totus in pœnitentiam voceris, necesse est; ne furoris sui torrentem profundat in te Deus, completo tempore rependendi pœnas. Optimatibus verò tuis, aut mundanis hominibus nihil confidas: potius enim destruunt, quàm succurrunt; eoque Israëlitz devoluti jam omni spe salutis quærebantur de Ægyptiis; *Cum adhuc subsisteremus, (dicentes,) deserunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum; cum respiceremus attenti ad gentem, qua salvare non poterat*. Indè exorta illa comminatio adversus Judæos, qui inconsultò Domino, dum premerentur ab Assyriis ad Ægyptios confugiendum putaverunt: *Vas Isai. 30: filii desertores dicit Dominus, ut faceretis consilium, & non ex me, & ordiremini telam, & non per spiritum meum, ut adderetis peccatum super peccatum: Qui ambulatis ut descendatis in Ægyptum, & os meum non interrogastis; sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in umbra Ægypti: & erit vobis fortitudo Pharaonis in confusione, & fiducia umbra Ægypti in ignominiam*. Quærenda hujus rei causa ex alia illa comminatione contra Ægyptios: *Dirumpetur spiritus Ægypti in visceribus ejus, & consilium ejus precipitabo: & interrogabunt simulachra sua, & divinos suos, & Pythones, & ariolos: & tradam Ægyptum in manus Dominorum crudelium; & Rex fortis dominabitur eorum, ait Dominus Deus exercituum*. Ex Prophetia quoque Joël, *Ægyptus in desolationem erit*. Quodnam igitur præsidium submitti posset à gente tam inermi, ac deserta? Et quodnam etiam præsidium Christianis viris potest esse in hujus vitæ vanitate ac deliciis? Quid fortitudinis in imbecillitate, opulentia in angustiis, lucis in tenebris, jucunditatis in amaritudine, pacis in seditionibus, in mœrbis, ac doloribus sanitatis? Quâ de re noluit David pugnare cum Philistæo, armatus galeâ, aut loricâ Regis Saul. *Et induit Saul David vestimentis suis, & imposuit galeam aream super caput ejus, & vestivit eum loricâ: accinctus ergo David gladio ejus super vestem suam, cepit tentare si armatus posset incedere: non enim habebat consuetudinem: dixitque David ad Saul, non possum sic incedere, quia non usum habeo*: Iisque depositis armis, fundâ, & lapide superavit hostem. Haud tamen arrident hæc mundanis; sed veluti misellus ille Absalon, impliciti capillorum auro, ac pulchritudine suspenduntur in aère vanitatis sitienter appetunt venenum, quo perituri sunt in altiori munere, & dignitate: imis medul-

P. d. n. XVI.

Genes. 18.20.

A. d. n. XVII.

Isai. 19.

Joël. 3. 19.

I. Regi. 17.38.

lis recipitur ambitio, eò ipso gratiosa, quo lædit: adit ipsos pro amico blandus inimicus, exitiumque sub salutis nomine obrepit: nœniis, ac puerilibus occupati non vident festinare vitam, brevi adfuturam mortem, cui velint, nolint, vacandum est. Securi & in tanta temporum fuga lenti, menses sibi & annos, & longam seriem, prout annuit ipsis aviditas, exporrigunt. Sed cum in tot cogitationes veniant; oblitum tamen suæ conditionis adhuc in vanitatis aëre pendent, (mirabile dictu,) quin centrum obtinere desiderent.

230. O anima! jam non de augendis patrimoniis, non de splendore perituri nominis; sed (quod omni terrenarum rerum patrimonio ac splendore præponi debet) de æternâ salute dimicandum est. Ne nimium fidas spei humanæ felicitatis; nam licet quandoque hæc aspirare videatur; tamen ad ultimum æternitati non sufficit; quin imò sæpissimè nocet: etenim quid Ægyptus indulgere potest, utpotè quæ parata est hostibus præda, ut ne sibi quidem ipsi ad fugam inveniatur locum? Quid credis? atrocissimos hostes eadem mollitiæ domitos esse, quâ maximè vincunt? cum carne & dæmonibus res est, qui non blanditiis aut luxu; sed pœnitentiâ jejuniisque funduntur. Plurimum autem erras, si sine divina ope majores esse existimas periculis tuas vires, dicente Domino: *Perditio*

osèe
13. 9. *tua Israël: tantummodo in me auxilium tuum.*

Psal.
§1. 7. *nem: evellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viventium: videbunt justi, & timebunt, & super eum ridebunt, & dicent; ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum; sed speravit in multitudine divitiarum suarum; & prevaluit in vanitate suâ.*

231. Precor vos, charissimi fratres per Jesu Christi sanguinem, viventiumque panem, qui adoratur in altaribus, nitoremque beatissimæ Virginis, in nullo instanti cum aliqua macula; per æternam memoriam Dei Passionis, cujus meritis ad celestia nobis aditus apertus est, fugate à splendore vestri nominis tantæ ignominie notam. Elevate ad cælos manus vestras, imploratæ sanctissimum Numen, ut mundi servitute, ut voluptatum precario victu, ut vanitatis compedibus vos liberet. Sic orabat Rex David *Psal.* 118. *Legem pone mihi Domine viam justificationum tuarum; & exquiram eam semper: da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam: & custodiam illam in toto corde*

Psal.
118.
33.

*meo. Deduc me in semitam mandatorum tuorum; quia ipsam volui: inclina cor meum in testimonia tua, & non in avaritiam. Averte oculos meos, ne videant vanitatem: in via tua vivifica me. Statue servo tuo eloquium tuum: in timore tuo. Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum: quia judicia tua jucunda. Ecce concupiivi mandata tua: in aequitate tua vivifica me. Quod si hac devotione, ac pietate supplices se demitterent Israëlita coram Divina misericordia, non adedò dominarentur ipsis tristissimæ turbæ, quibus compulsi sunt dicere: *Lubricaverunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum; appropinquavit finis noster, completi sunt dies nostri: quia venit finis noster.**

S. DE.
XVIII.

Væ labentibus per plateas; nam congregata tot delicatarum multitudo apparente puellari lumine, aut nitore, ipsa se elidit, ubi nec stare, nec moderari sibi decreverit levis incedentium pubertas. Arduum & difficillimum est contrahere habenas cupiditati, oblata favendi occasione; si quis ultrò in eam se invexerit. Eò præcipites eunt, quo plerumque tales eunt ad proximum exitium, deserto ultimo fine: quid enim spei habere possunt, qui Deum protectorem non eligunt; cæterum miseros peccatores conscientia tandem obstrepente, cum jam exitum sibi ex improviseo appropinquare viderint, agitabit furis non cogitata modo; sed & consummatâ culpâ. Unde petent sibi tunc solatium, deducti ad pœnosissimas angustias? an à corporis specie ac decore? an à facundia linguæ? an inde quod auro fulguraverint currus, mensæ candicant ebore, ambrosius fuerit cibus, aut radians indumentum? At hæc omnia blandimenta, nequaquam morientibus proficua, sed luxuriæ potiùs accommodata dolorem acuunt, non solvunt.

232.

Fili mi, inter procellosas undas hujus vitæ nulla in re salus, nisi adornes navigationem versus Patriam. Ecce quid factum à Columba, ubi prima vice eam emiserat Noë explorandi animo, utrùm cessaverant jam aquæ super faciem terræ. *Cum non invenisset, ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in arcam.* Nonne ostendit planè, quàm stultè conteritur multorum vita inter errores, credentium fore rebus fluxis constantiam; clivumve calcari felicitatis, ubi nullum ejus vestigium conspicitur. Cæterum cuncta illa bona, quæ deliciofa specie; sed fallaci oblectant, honores, divitiæ, luxus, gubernationes, aliaque complura, ad quæ cæca cupiditate aspirant homines, admodum lubrica sunt; eosque ipsos quos exornant, premunt: plus minantur, quàm profunt; Majori periculo possidentur,

233.
Genes.
8. 9.

Psalm. 39. 1. *Etavi Dominum, & intendit mihi, & exaudivit preces meas, & eduxit me de lacu miseriae & de luto facis. Et statuit super petram pedes meos; & direxit gressus meos, & immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro.* tur, quàm recreant gaudio. Idèd luculenter David Psalm. 39. ait : *Expectans expectavi Dominum, & intendit mihi, & exaudivit preces meas, & eduxit me de lacu miseriae & de luto facis. Et statuit super petram pedes meos; & direxit gressus meos, & immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro.* Priùs se erutum affirmat è lacu miseriae, ubi immergebatur humanis deliciis, quam firmato pede, rectoque gressu cœperat amœniores cantus nuncupare Deo. Alterum alteri semper adhæret : firmam & generosam æqualitatem infortunæ tantâ inæqualitate, nisi imitatione vitæ, ac Passionis Christi loricated, non tenebis. Cur obsecro vernantibus blanditiis, senescant utique peccatores? Cur mundana torpescant propriâ felicitate? Cur in voluptate sui itineris vestigium non figant, nisi quia mortificationem expavescunt, cujus avidissima est pulchritudo virtutis? Ad suspicionem egregiæ pugnæ sine mora demissis animis pallefcunt, non secus quam lippi oculi formidant solem, atque ad ejus primum ortum stupent nocturna animalia. In quo longè sane discrepant à justis. Hi enim quasi projecti in altum scopuli tempestates frangunt; nec ipsi ulla sevitæ vestigia tot verberati procellis ostentant : peccatorum autem sordida confusio primo impetu devolvuntur in profundum. Justi magis abducuntur ab inanitate superbiæ, quàm ut ulla vi noxiâ pellantur de suo loco, proferentibus vires suas usque ad peccatores singulis arenulis, quæ contegunt hostium terras. Justi ut cælestia agmina terrenas manus effugiunt; sed in peccatores quidquid per voluptatis fit insidias, nihil penè frustra tentatur; tam subito vincuntur, ut has moveant quærimonias : *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cali.* **CORH. XIX.** *Justi autem in solido persistunt constanti virtute, quæ persecutorum ictus non timet. Addunt impii : Super montes persecuti sunt nos. At verò justis non in superbiæ montibus, sed in humilitatis valle sustinemus vim hostium. Impii in deserto insidiati sunt nobis : Justis : nihil nobis potiùs quam procul esse à desertis culpæ, cultisque ali gratiæ fructibus, utpotè qui, (ut fervetur dicendi stylus, quo loquutus est Isaias,) nitere cupimus quasi corona gloriæ in manu Domini, & diadema Regni in manu Dei nostri.*

234. Nec justis tam veloces præsentunt persecutores, ac impii, qui sic agunt, tanquam omnia subacta sint armis, quæ fuerant in ditione eorum : nam si impii sibi ipsis graves, ac truculenti, parant miseriam vitam pessima morte finire; Justis,

qui jam didicere tot proculcare hostes, tot præliis superare, tot pœnitentiæ lachrimas effundere, tam pia bella contra vitia suscipere, uberrima virtutis præmia latere, flagella, percussores, calamitates, pœnas, non modò Dei causâ diligunt, sed quærunt. Quàm multi Ecclesiæ fortissimi milites tot retrò annis per abrupta montium, & jucundissima quæque Regionum æthereis, veluti quadrigis volitaverant, summâ hilaritate pervenerant ad incognitas, & barbarissimas nationes, quas velocissimi fulminis more lustraverant; frementis in se mundi pondus exceperant, stricti in jugulum mucrones contempserant, & toto pectore lætissimi mortem induerant, & triumpharant moriendo; cum tamen ipsi eorum Domitiani, Neronis, Decii, Diocletiani inter mortis angustias tot dolorum fluctibus obruerentur, ut verè cum Hebræis tollere possent clamorem : *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cali.*

Nec est, quod respondeant peccatores, 235. se quidem gravissimas admittere culpas; cum tamen jucundiùs adhuc immorato supplicio, renitere videantur tempora, speciosiùs apparere fortuna, blandiùs deliciarum Chori enitescere : quoniam nullum acriùs supplicium dilatione, quâ postea sub graviore securi cervices jaceant; ut deducitur ex iis, quæ asseruerat Dominus de filiis Israël : *Non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatae; & super sponas vestras, cum adulteraverint.* **Osè. 4. 14.** Ed enim ferociùs vehuntur flumina, quo altiores sunt terrarum plagæ unde devolvuntur; quod si aliquamdiu reprimantur, postea disrupto obice violentissimè ruunt. Unde igitur quærenda remedia nostris malis, morbisque? Unde? ex virtute illius nobilissimæ gratiæ, quam nobis meruerat Christus Dominus. Eoque jam tandem Propheta Jeremias, deploratis laboribus suæ urbis, resumpsit spiritus, & animosissimè dixit : *Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris; cui diximus, in umbra tua vivemus in gentibus.* **R. 2. 0. X. X.**

Jeremiæ solatio fuit humanæ salutis asfector & restitutor; qui undique spirabat Majestatem, ita potens, ut imbecillitatem humanam liberaret ab Inferis, ita amabilis, ut propitium redderet peccatoribus æternum Patrem. Oris nostri spiritum appellavit eum, in cujus labris mellis suæ sessitabant gratiæ, cum mirâ in eis verborum efficaciam emicabant lepores, & venustas. Verè oris nostri spiritus fuit, ut si cui visum sit placeatque in gravissimis curis & cogitationibus exsudare, alarum remigiis, non lento passu ad gloriam con-

tendamus. Ideò plenissima amoris sponsa:

Cant. 1. Osculetur me osculo oris sui; (aiebat:) & aliquibus interjectis: Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meae, ut inveniam te foris & deosculer te, & jam me nemo despiciat?

237. Captus fuit pro peccatis nostris Dei filius, justus pro injustis, Deus pro hominibus. O maximam charitatem! ô profundissima mysteriorum consilia! Natabat in suo cruore bellissimus Deus, nudus, vinctus, ac diverberatus, ut à captivis peccatoribus servitutis jugum depelleret; clemensque reficeret, quidquid avaritia in rapinis, libido in voluptate ac vitiis, in commestationibus gula, in superbioribus imperiis fastus & insolentia perdiderant. Quamobrem ritè dicemus fore, ut in ejus umbra vivamus in gentibus; ut sibi evenisse affirmaverat sponsa:

Cant. 2: Sicut malus inter ligna Sylvarum; sic dilectus meus inter filios; sub umbrâ illius, quem desideraveram sedi; & fructus ejus dulcis gutturi meo. Oportet autem, ut in hac turbida peregrinatione militantes, ocyùs confugiamus ad asylum ejus umbræ, ni superari velimus multitudine, & fraudibus hostium. Hinc principium duxit illa Prophetæ Regis saluberrima Oratio. Ego clamavi, quoniam

16. *6. exaudisti me, Deus; inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea: mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te à resistentibus dextra tua: custodi me ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege me: à facie impiorum qui me afflixerunt.*

238. Egregium sanè ad eam desiderandam umbram specimen cohortationis, quod statim venit in textu: *Gaude, & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus: ad te quoque perveniet calix; inebriaberis, atque nudaberis.* Nam per apostrophen satis pulchrè ostenditur afflictis tandem abstergendas lacrymas; in persecutores autem severiùs animadvertendum. Conversus enim Propheeta ad filiam Edom, ironicè movet illi gaudium & lætitiã; quasi diceret; ride jam insipiens Edom; exulta, voca ad arma; excita Chaldaeos crudelissima tyrannide contra miseros Hierosolymos: hæud placidæ semper aut fortunatæ succedunt res superbis peccatoribus; sed ut oppressis delictorum veniam, ita opprimentibus solent creare pœnas, atrocitates, & sevities. Exulta; lætare; nam tu quoque feres supplicium impiissimæ audaciæ; Divinæ ad te justitiæ calix perveniet; velis nolis, exhauries illum, inebriaberis, nudaberis. Quid dulciùs miseris, aut calamitosis? Tyrannis quid acerbius? brevi absolvitur afflictorum, & pœnitentium dolor; Im-

piorum autem, quantumvis hic glorientur de malitia, perennis erit pœna ac nuditas, sine familia, sine divitiis, sine honore, sine dulcedine vitæ, nisi humiliores, mitioresque se custodiant Deo.

Qui diruto pudore extra modum audet 239. temperantiæ fines transire; sæpiùs sibi ipsi debet repetere: gaude, gaude, lætare Princeps Babiloniæ, Incola Edom; in libidinis volutatus cæno; exulta: nam brevi succedentibus tristitiis, propinabit tibi Dominus calicem sui Judicii, & furoris. Quod si hic parcas pœnitentiæ lacrymis; æternùm, æternùm perferes intensissimos dolores. O æternitas, æternitas! O mortalium turpitudinis admirabile frænum! O certissima nostri veteris Adami medicina! Qui se ex Cæsaribus lapsos putant, atque originis suæ principium repetunt ex Augustis, hujus considerationis pondere inclinati in suam terram, submissiùs proculdubio se gerent. Hinc pullulat virginibus castimonia; avaris liberalitas; boni sensus ambrosia; superbis timor; humilibus solatium; cum videant, quidquid ad summum venit rerum hujus vitæ, ad exitum propè esse.

Fili mi, ne altiùs efferaris pompâ hujus 240. mortalitatis, cujus majores plausus velociùs detrudunt ad supplicium; ad pœnitentiã & lacrymas temetipsum accinge pro admissis erroribus. Si vis diu feliciterque vivere, sanctè virtuosèque vive: ne putes quemquam propter canos aut rugas diu vixisse, si ei desint merita ad æternitatem; non ille diu vixit, sed diu fuit. Quid? eumne multum putas navigasse, quem vis tempestatis à portu exceptum huc illucvè tulit, & varietate ventorum, ex diverso furentium per eadem spatia in orbem gerit? Non ille multum navigavit; sed multum jactatus est. Cuilibet adulto satis longa vita, & ad præclara gerenda facinora data est, si tota bene collocatur. Eam breviusculam faciunt, qui vivunt in Babilonia, pro laude ignominiam, exitium sibi profelicitate comparant, tradente Isaia: *Ecce Isai. 13. dies Domini veniet crudelis, & indignationis? plenus, & ira, furorisque ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores ejus conserendos de ea. Quoniam stella cali, & splendor earum non expandent lumen suum, obnebratus est Sol in ortu suo, & Luna non splendet in lumine suo. Et visitabo super Orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum, & quiescere faciam superbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo.* Haud omittenda duxi; quæ habet Jeremias Capite. 51. *Calix aureus Jerem. Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram: de vino ejus biberunt gentes, & ideò commota sunt. Subitò cecidit Babylon, & contrita est:*

est: ululato super eam: tollite refectam ad dolorem ejus, si forte sanetur: Curvemus Babylonem & non est sanata. Tuos inveteratos, corruptosque mores adumbrat hæc Babylon. Quis autem audebit habitare, ubi tam pestifera serpit lues, ut penè desperetur de salute? O quoties adhibuit tibi medicinam Divinus ille medicus, ac suavissimus Deus, qui è suæ felicitatis folio placidissime regit universum, gratiarumque munera admirabili providentiâ dispensat? attamen tu barbarè aspernatus tam grande beneficium, nondum è tuo morbo convaluisti: cave miselle, ne æternum te rejiciat tuus Conditor subituro tuæ ingratitude pœnas apud Inferos. Egredere peccati Babylonem, oblato pœnitendi tempore; nihil enim certius properante morte; horâ autem mortis nihil incertius. Piè igitur mori sæculo, ac libidini, est felicitas, antequam mors occupet; omnisque dies, tanquam ultimus ordinandus.

241. Satius est dolere cum flentibus, quam lætari cum insanis peccatoribus. Horum enim gaudia brevi miscentur acerbitate, ac tristitiis, cum illorum pœnitentia longam porrigat hilaritatem. Hinc recreati per Jeremiam, qui futuri erant justi in Israël.

T A D
XXII. *Completa est, (inquit,) iniquitas tua filia Sion; non addet ultra, ut transmigret te.* Idem

Isai. 40. prædixerat Isaias Cap. 40. *Consolamini, consolamini popule meus, dicit Deus vester. Loqui-*

mini ad cor Hierusalem, & advocate eam: quoniam completa est malitia ejus, dimissa est iniquitas illius: suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis: Et ad finem ejusdem capitis: *Deficient pueri, & laborabunt, & juvenes in infirmitate cadent. Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assumunt pennas, sicut aquila; current, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient.* Quod dulcius solatium ad leniendos nostros dolores, ubi adversitatis virgâ ferimur: Væ autem obstinatis Idumæis, de quibus Propheta: *Visitavit iniquitatem tuam filia Edom; discooperuit peccata tua.* Quid facient, qui tam præcipites sunt in sua vitia, ac libidinem, cum visitatum venerit filius virginis, singulorum opera ad amussim discussurus? Quo se vertent tum insani peccatores planissime detectis conscientiarum latebris cum latentibus ibi maculis, & ignominiiis? O filii Edom! qui modò suffusi estis tanto pudore, ut ne uni quidem mitissimo Sacerdoti audeatis aperire vestra delicta; quibus angustiis, quo sudore erubescetis, quando non solum quæ opere per universam vitam confecta sunt; sed etiam quæ penitissimâ cogitastis mente, palam fient omnibus ad unum ea videntibus prædesti-

natis, & reprobis, Angelis, & hominibus? accusante autem Deo, quis obtendet vobis excusationem?

Mulierem in adulterio deprehensam ab- 242.
solvit noster Servator ac Dominus, teste Evangelio, dicens: *Mulier, ubi sunt qui te Joan. 8. accusabant? nemo te condemnavit? qua dixit: 10. nemo Domine: dixit autem JESVS; nec ego te condemnabo, vade, & iam amplius noli peccare.* Si hic dulcissimus Deus, qui tantâ clementiâ ac misericordiâ condonat culpas, vindictam repetat; Quis vos defendet? non vestri Provinciales, aut finitimi, quos affeceratis tot injuriis; non dæmones vestri infensissimi persecutores, & hostes: non gloriæ Cives, aut Angeli, utpotè qui per omnia se Moderatori Deo submitunt: non auri, & argenti pondera, non superbæ ædes, Tyriæve vestes, quæ cum vilioribus rerum foliis deflagrabit. Quid ergo? non maximum Crucis signum toties despectum à vobis, imò cinctum adamantibus ac radiis per nubes ducetur ad vestrum terrorem. Quamobrem omnes peramicè obsecro, ut hoc breviusculo vivendi spatio, quod reliquum est; strenuè pœnitentiâ ac lacrymis contendatis dimicare, vincere, multaque, atque opima spolia in cælum præmittere, contra impietatem ac vitia eluctati: non enim qui honoribus, aut divitiis, aut mundo, aut carni abjectissime mancipantur, adibunt patriam decorati gloriâ: Sed qui sanctitatis laude florent, qui effusis cum Jeremia lacrymis, summissisque precibus divinam implorant misericordiam, altissimarum interim virtutum, pietatis, demissionis, patientiæ, charitatis nixi radicibus.

ORATIO

JEREMIÆ PROPHETÆ.

Recordare Domine, quid acciderit nobis: 1.
non id velim, quasi in infinitam tuam scientiam aliqua rerum oblivio incidat; sed quia, promeruerit nostra facinora, ut omitterentur tui favores. Quare suppliciter à te contendimus potentissime Deus, ne deleamur è tuorum viventium libro; *Sed insuere, & respice opprobrium nostrum; 2.* quoniam nullo sumus loco, aut numero apud vicinos nostros: noster honos notatus est dedecore, ac turpitudine; naufragium fecimus rei familiaris: nam *hereditas nostra versa est ad alienos; domus nostra ad extraneos.* Ubi respicimus per nostram libidinem dissipatas, profusasque opes, quas tanto sudore & opere, quæ siverunt nobis nostri Parentes, vix possumus temperare nobis à lacrymis; quamvis animi dolor,

lor, quo proinde frangimur, quod adeo barbarè atque ingratiè à te defecerimus, fonte æternæ salutis ac vitæ, cæteros longè superent cruciatus, & molestias.

3. *Pupilli facti sumus absque Patre*, marcescimus sine Doctoribus, sacrorumque Ministris, à quibus cælesti reficiamur pabulo disciplinæ; proinde nemo suam vitam sanctitatis præsidio contra passionum impetum munit; nemo jam laborat, suam ætatem virtutum quasi aliquo exquisito flore describere; sed præferoces omnes, divinæ legis calcato fœdere, per medias voluptates indomitè invehuntur. Olim dixerat Deus: *Filius meus primogenitus Israël*: Sed jam ejus violatâ gratiâ, jus ad hereditatem amisimus. *Matres nostra quasi vidua*: nituerant antea maximo decore, sine spinis rosæ, nostræ matres, cœtus, & congregationes, & pulcherrimi filiorum flores, sine ulla fraude vernabant; sed aruerunt postea flores, & dimissa suavitate, ac pulchritudine seperunt ut spinæ suas matres. Jam cum offenderimus divinum numen tot culpis, non viror radiat, non fragrat odor, non fulget purpura, non rutilant folia, non decus accenditur. Præteriè vernæ lætitiæ, laborumque fœda hyems ingruit, & claudentibus se cælis, atræ ac sordidæ miseriarum nubes ad nostram urbem conglobatæ, temporis momento nos infecerant fame, siti, periculis, angustiis: *Nam aquam nostram*, (quid acerbius?) *pecuniâ bibimus*. Ii pellucidi liquores, quos tu clementissime Parens, tantâ copiâ dispensas, & emittis ipsis sylvarum feris ac brutis, haud sine pretio, oculorumque lacrymis sufficiebant nobis ad conservandam vitam.

Imò ipsa ligna nostra pretio comparavimus. Olim cum fidelissimus Patriarcha Abraham super lignorum struem immolandum posuisset filium suum Isaac, arreptoque gladio extendisset manum ad inferendum ictum; ecce Angelus Domini de cælo clamavit, dicens: *Abraham, Abraham: qui respondit: adsum: dixitque ei, non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quicquam: nunc cognovi, quod timeas Dominum, & non perpercisti unigenito filio tuo propter me: Levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres harentem cornibus; quem assumens obtulit holocaustum pro filio*. Nos autem perfunctos tot calamitatibus, & ærumanis, nullus adhuc recreaverat Angelus, nullus ab hostium impetu defenderat: *cervicibus nostris minabamur*; ut eò promptius eorum obsequuti imperio impensam nostri laboris ageremus in ferendo imposito onere. Haud secus quam

jugales boves ad arandum adacti, totius æstus ac diei excepimus sudores. Quinimò deteriori sorte, ultra pœnas diurnas sæpius etiam fregimus ipsas noctes nostris suspiriis, & lamentationibus. Eo tempore, quod concesserat tam officiosè natura ad quietem & soporem, *lassis non dabatur requies*.

Ad hæc: quod si boves defudent, aereve; imperantur tamen ab hominibus, qui ratione duce moventur, & gubernant: nobis autem insultant, qui à cæteris animantibus brutis non amplius quam specie aut nomine distinguuntur, feræ bestiæ, immanes carnifices, truculenti Barbari. O Sanctissime Deus, cui lucidæ Angelorum cohortes summâ venustate radiant, ex quo cæli gloriæque cives pulchritudinem decerpunt; quis parcat lacrymis excusso jugo tuæ suavissimæ obedientiæ? Mirum est, quod etiamnum vel leviter possimus respirare obruti his turbis, quarum missi sub imperium, *Ægypto dedimus Manum & Assyriis, 6. ut saturaremur pane*; re tamen infectâ eodem semper malorum æstu absorbemur: Haud semper enim ab impunis immoderata libertas: eoque tam graves jam persolvimus pœnas, quoniam tam graviter, *Patres nostri peccaverunt & non sunt; & 7. nos iniquitates eorum portavimus*, difficilioresecuti vias. O Clementissime Domine! inermes ut vides adsumus. Haud inficiamur vitâ jam defunctos parentes pro opibus & ornatu reliquisse nobis squallores & barbariem, eorumque more exaruisse filios. Per infinitam tuam misericordiam, quæ totius Majestatis complexa gloriam, admirabili quadam liberalitate, se mortalibus profundit, supplices à te petimus, ut hos componas in nostrum caput obortos ferissimos tumultus fuso fugatoque hoste, tot catenatis malis, quot uno impetu in nos irruunt, occurras. *Nam servi dominati sunt 8. nostri: non fuit qui redimeret de manu eorum: in animabus nostris afferebamus panem nobis à 9. facie gladii in deserto: tanto discrimine depellabamus ingruentem famem, mortemque.*

Pellis nostra, quasi clibanus exusta est à facie 10. tempestatum famis. Ferali odio hostes; *Mulieres in Sion humiliaverunt, & virgines in 11. Civitatibus Juda. Principes manu suspensi sunt, facies senum non erubuerunt*. Nulli statui aut sexui habitus honos: nullius venerationis officio culti sunt Principes, aut observati senes, aut honorata nobilitas matrum, aut decoratæ virgines: *Adolescentibus impudicè 12. abusi sunt nostri hostes, & pueri in ligno corrue-runt*. Tota desolata Civitas, tota afflicta, tota oppressa mororibus, dejectique sapientiæ
Duces,

- Duces, desertique discentium manipuli :
14. *Nam Senes defecerunt de portis, & juvenes de choro psallentium. Unde (proh viscerum meorum læviens ac lachrymosus dolor!)*
15. *Defecit gaudium cordis nostri, versus est in lumen.*
16. *Et cum chorus noster, cecidit corona capitis nostri: va nobis; quia peccavimus.*

- Quæ res jam est, aut quod restat solatium, quo mitigari valeant nostri dolores, ni recuperemus iterum ea favorum diademata quibus bellissimè insigniti recreari solebamus in altitudine Sion? Væ
17. nobis, quia peccavimus, *propterea mæstum factum est cor nostrum, ideò contenebrati sunt oculi nostri.* Non ita abundè satiaremur miseriis, si procul à nobis haberemus culpas. Sed jam cum lugendum sit ob detestationem peccatorum fundamus lachrymas puras, cælestes, liquidas: *Et propter montem Sion, quia dispersit; vulpes ambulaverunt in eo:* Sensimque ac dulciter eliquato affectu ex intimo corde dicamus
18. nostro potentissimo Deo: *Tu autem Domine in aeternum permanebis, solium tuum in generatione, & generationem: quare in perpetuum oblivisceris nostri? derelinques nos in longitudine dierum? Convertete nos Domine ad te,*
19. *& convertemur; innova dies nostros, sicut à principio,* quando verè fuimus tibi populus tuque nobis Consolator, ac Princeps; *Sed propter scelera nostra projiciens repulisti nos, iratus es contra nos vehementer.*

Vidisti jam dilectissime amice: quo sui animi cordisque dolore, quibus precibus & lachrymis contenderat Jeremias flectere Divinam misericordiam ad ignoscendum Hierosolymis. E re autem tua in primis esse potest pœnitentiæ lachrymis, corporisque cruciatu & castigatione delere inveteratas tuæ conscientiæ sordes & maculas, ac suppliciter flexo poplite dicere.

Immortalis atque æterne Deus, laborantium salus & fortitudo, omnium gratiarum fons, spes peregrinantium, nostra unica merces ac lætitia! respice propitius nostras calamitates, ac misérias. Nam si Israëlitas finitimus hostis expugnaverat, nos per nostras gravissimas culpas deserti ab Angelis, & amicis, omniumque inimicorum risu redacti sumus in potestatem dæmonum. Invalescente voluptate & otio, aruit nostra vinea, pro uvis dedimus labruscas, & acetum pro vino: nostra potius excisa fuerat hæreditas, quam creverat; potius perierat, quam floruerat: demoliti sumus nostros hortos; nullum ferendo fructum, sive ardoris ad spiritum, sive puritatis ad exemplum. Deus bone in quibus versamur errorum tenebris? in quâ pauperie? quo oculorum røre deplo-

anda tantæ incuriæ turpitude? Dissolvebantur in luctum Oppidani Hierosolymæ ob excidium suæ urbis, depopulatis circumjacentibus agris, & prædiis: nobis autem quanto magis lugendum nostræ animæ amœnissima Tempe, aptaque ad æternam frugem, jam sine pietatis alicujus studio, non dico languere, & marcescere, sed sylvescere, & deturpari? Subveni, obsecramus te, Domine, nostræ imbecillitati, ut te per pœnitentiæ dolores, & flagella consequi valeamus. Quoniam non solum utroque parente, verum etiam omnibus orbamur deliciis, dum sine te, nostro Duce ac Principe, delitescimus in feralibus nœxis: aquam nostram pecuniâ bibimus: pretio enim comparavimus obscœnam voluptatem, quæ ansam præbuit, cur dimanarent hæ lachrymæ: nostrum omnium deditioem fecimus, haud sine maxima infamia tartareis hostibus, pellecti mundanis lenociniis; & tam immenso opprimimur servitutis onere, ut impar nostris humeris, ni sublevemur à tua divina misericordia, abripiat nos haud dubiè ad ipsos inferos; quin sinat alicubi consistere, aut apud nosmetipsos esse præ molestia & velocitate. Decurrens vita durissimum servitium est: nam per dies noctesque multa temerè pro ultione, superbiâ, libidine; aliisque multa laboriosè pro honore, ac divitiis tentando perferimus. Penè corruimus nostro labore, destituti viribus, fatigati ærumnis, nostro vigore exuti: nec valemus continere lachrymas, ubi venit in mentem jucunditatis ac lætitiæ, quas antea solebamus percipere ex pulchritudine virtutis; mœrorisque, quò nunc ponderi succumbimus peccatorum. Quoniam gravissimè torquent hæc: suavissimè recreabant virtutes: hæc tædio conficiunt; superbius inflant; cupiditate distendunt; voluptate laxant; sollicitudine exurunt: sed per virtutes bellum gerebamus cum vitiis, dæmonum vires infringebamus: perruptâ iniquitate, domitisque passionibus, fruebamur animi tranquillitate ac sapientiâ, quæ in æternam frugem adolesebat. Quis non malit inter tot, ac tanta venustatis decora, quam inter peccatorum tenebras emori? Sed (proh dolor!) inito fœdere cum Ægyptiis & Assyriis, parum honestè voluptatem victumque quæsivimus: mundanos oravimus subsidium, ut possemus indè ad nostras blanditias, quasi affluentius profilire. O si nunquam orati notive fuissent: nam vitiorum impetum tam magno plaudentium comitatu non tulimus: delicatioribus Aulici paulatim nobis encervarunt spiritum. Convictores

molliculi cupiditatem irritarunt: maligni comites, quamvis initio candidis ac simplicibus, rubiginem suam affricuerunt. Magna pars sanitatis erat, hortatores infan-
 iæ reliquisse. Periisse tamen maluimus, quam ab ipso noxio cœtu abiisse longius. Væ nobis miserrimis peccatoribus, qui huc Ægypto tam incautè dedimus manus, qui liganda ab his Assyriis tendimus brachia. Quod si paulò vigilantiori studio effugeremus, quas paraverant nobis, insidias, non ita pressi modò morbis, & inopiâ, sine brachiis, sine manibus, sine præsidio, sortem nostram, ut omnium iniquissimam damnaremus. Non ita jam circumfluerent nos tot angustia, saturatos pane dolorum, ac desolationis. Si ad te levaremus nostras palmas, ô celsissima Majestas, pro conscientia moribus ac vulneribus, Angelorum cibum ac delicias recipere-
 mus. O quot agitamur procellis, propter nostras culpas? Dominantur nobis nostra mancipia; nec habemus, qui propellat tyrannidem: dum nitebamus pulchritudine tuæ gratiæ, triumphos agebamus de hostibus; subsidebant nostræ passiones; submittebant se Servi, perofficiosè præstabant suum officium & obsequium inferiores creaturæ: vix autem incepimus, omni misso pudore obsistere tuis sanctissimis imperiis, cum indixerunt nobis acerbissimum feraleque bellum nostri hostes, passiones, servi, cæteræque creaturæ, quarum urgemur nunc armis; nulli hostes acrius ceduntur ab hostibus, quàm nos à nobismetipsis; cum nihilominus etiamnum cum jocis, ac risu versemur in acie: eaque de re nostrum gaudium defecerat in lamentationem, & luctum: quoniam ceciderat nobis charitatis nostræ corona. Quàm parùm usi sumus eâ venustate, & honore, ad quæ sub sponsæ nomine invitabamur per Salomonis Cantica. *Veni de libano, Sponsa mea; veni de libano, veni: Coronaberis de Capite Amanæ, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Quàm stultè rejecimus eam formosissimam lauream, quam iustis pollicitus est Propheta Rex, ita effusâ pre-
 catione ad Deum: *Verba mea auribus percipe Domine: & paulò inferiùs: & gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum: quoniam tu benedices iusto, Domine; ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Summe Deus, gloria virginum, scutum & corona Martyrum! quid faciendum esset nobis, nisi admitteremur ad tuam gloriam! quo adeundum sine tuo scuto, & coronâ? Olim quidem bellissimè laureati, armati que tuâ gratiâ litabamus tibi pro amore tuo amo-

rem nostrum: accepisti à nobis tum id, quod potuimus, & volebamus: sed jam revocato gradu, atque inde ad amentiam usque laxatis habenis voluptati nostræ, ac libidini, declinavimus ab eo amore ad turpissima vitia, quibus spoliati fumus nostro gaudio, libertate, armis, coronâ. O Suavissime Domine! uberrime fons totius misericordiæ! Convertite nos iterum ad temetipsum & convertemur: innova dies nostros, sicut à principio: ut autem ponas iras, quas tibi accenderant, ô Sanctissime, atque æterne Pater, nostra delicta ne, (quæsumus) respicias; nostrum pulverem, & cineres; sed pretiosissima merita tui unigeniti filii, qui attritus flagris, faucibusque vulneribus sustinuit amaritiam mortis pro peccatoribus: & cum esset ditissimus Deus sine propria culpa, nudus, ac pauperrimus actus fuit in crucem pro peccatis omnium. Ecce quot illic irrisiones & opprobria pertulit, potatus felle & aceto, ut nos amantissimè eriperet cruciatu æterno. Aspice ipsius dolores, & ignominias, quæ sanè multa, & gravissima fuerunt, ut nos apud Inferos haberemus nulla. Ecce crudeli inimicorum petulantia expositus fuit nudus, & sine vestibus, honestissimus juvenis, bellissimus Angelorum Princeps, ut nos elegantissimè induiti vestimentis gloriæ, beatas illas sedes gloriosas illuminatas astris adiremus, non minus in æternitate felices, quam in felicitate æterni. Inter spinas, & tormenta lasso non dabatur requies; Celsissimo Domino vilissimi servi dominati sunt, ut ejus mors propinaret nobis vitam; ejus mœrores lætitiâ; ejus probra laudes, & honores; ejus tenebræ lucem; ejus pauperies, & nuditas elegantiam, & venustatem. Ægyptiis dederat manus suas, & Assyriis, nempè impiissimis tyrannis, ut ferreis clavis confingerentur eæ palmæ, quæ nemini unquam injurias, sed salutem omnibus pepererant; contenebrati sunt oculi ejus; natabant in cruore duo illa pulchritudinis lumina, quorum languorem ac mœstitiâ abundè testata sunt monumenta aperta; exilientes mortui; tremores terræ; disruptæ petræ; Sol obductus tenebris; velum Templi divisum, ferientibus creaturas tot, tantisque Creatoris ærumnis, ac laboribus. Hæ sunt Potentissime, atque æterne Pater partes sanctissimi filii tui in expiandis nostris sceleribus, culpisque: tuæ autem sunt, ut ne grandissima hæc beneficia excidant nobis sine fructu. Quare supplices te rogamus, celsissima Majestas, suavissimè Deus, ut liberaliter nobis concedas gratiam prosequendi ejus clavos, flagella, spinas, opprobria, vulnera, nostris lachrymis,

Cantic.

4. 8.

libano, Sponsa mea; veni de libano, veni: Coronaberis de Capite Amanæ, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Quàm stultè rejecimus eam formosissimam lauream, quam iustis pollicitus est Propheta Rex, ita effusâ pre-
 catione ad Deum: *Verba mea auribus percipe*

Psalm.

5. 1. 13.

Domine: & paulò inferiùs: & gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum: quoniam tu benedices iusto, Domine; ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. Summe Deus, gloria virginum, scutum & corona Martyrum! quid faciendum esset nobis, nisi admitteremur ad tuam gloriam! quo adeundum sine tuo scuto, & coronâ? Olim quidem bellissimè laureati, armati que tuâ gratiâ litabamus tibi pro amore tuo amo-

mis, colendique incendia ejus amoris nostræ pietatis affectu; ejus pœnas nostro dolore; ejus Crucem, nostrarum passionum; sensuumque perfectissima mortificatione; usque dum renovato interiori homine, referamus ex Christi morte u-

berrimam gratiam, cum pulchritudine omnium virtutum, quibus ad te ipsum tandem pervenire possimus, Qui vivis, & regnas cum tuo Filio, & Spiritu Sancto, Rex Regum, & Dominus Dominantium in Sion. Amen.

S A N C T I
 F R A N C I S C I
 B O R G I Æ
 O P E R U M
 L I B E R T E R T I U S.

De variis Concionibus.

C O N C I O I.

In primam Dominicam Adventus:

Sicere velis, cur orthodoxa Ecclesia Adventus Domini celeritatem ab universalis Judicii timore auspicietur, cum hoc eodem tempore agat de Incarnationis mysteriis, & de illis desideriis, quibus sancti Patres flagrabant videndi hos celeberrimos dies. Quid enim inter se habent commune illa Canticorum verba, *Osculetur me osculo oris sui: cum illis; Erunt signa in Sole & Lunâ.* Sed si hæc loca rectè ponderentur, non dissidentia apparebunt, sed sibi invicem præstare officium. Sunt enim duo hominum genera: unum nec Deum timentium, nec amantium, huicque congruunt illa: *Initium Sapientia est timor Domini:* Alterum diligentium, & magis indies amore divinito inflammari cupientium; hisque cibus est sanctissimæ Incarnationis mysterium; & quoniam unum & alterum genus hominum ducitur amore & timore, optime hi duo sociantur inter se affectus. Ad hoc significandum iussit Dominus unâ servari in veteris testamenti arca virgam, & manna. Utrouque enim Israëlitarum indigebant, ut ad promissam pervenirent terram. *Virga tua, & baculus tuus, &c.* At quia hodie maxima mortalium pars perit timoris defectu, ab

illo incipit Ecclesia; quoniam quàm maxime necessarius est ad nostram æternam salutem.

Sed opponet aliquis: satis se manifestavit Deus peccatoribus vindicem, scelerumque ultorem in suppliciis; quæ olim sumpserat de Lucifero, Adamo, Sodomitisque; quinimò non solum castigavit flagitia, sed etiam opera quæ præmio assequenda quoad speciem videbantur, ut in pœna infligta ei, qui sustentare labentem arcam affectabat; & quod amplius est, sæpissimè permisit, ut Sancti plures æumnas subirent, mortemque tolerarent, ut in Jobo, & Baptista patet. Pro omnibus, quæ adduci queunt, sufficeret considerare, proprio filio suo, qui nunquam peccata commisit, nec admittere potuit, ob nostram salutem non pepercisse. At præterita citissimè memoriâ cadunt; ideoque jam jam imminens malum repræsentatur: unum enim dolorem nobis incutiendum acrius reformidamus, quàm decem, in quos jam incurrimus; ob eundemque finem Deus occultavit nobis sui judicii horram, ut in nulla nos securos judicemus, & sanè præcipua, quæ in hac vitâ valet esse felicitas, nititur in perpetuo, & continuo hujus horæ timore.

Infertur hinc amentia hominum, qui cum deberent vehementius timere hoc præsentianno, quàm metuerunt præteritis, eò quod propiores sint judicio, paulatim

latim hanc omittunt sollicitudinem. Justum esset ô peccator, quod saltem æquè animi tui commodis prospiceres, ac corporis sospitati consulis. Horrescis eò vividius lapidem jactum, quo magis tuo capiti appropinquantem vides; sic etiam, cum jam temporis articulum, in quo Chyrurgus brachium est secturus, instare conspicias, terribilius commoveris. Heu quantum manifestas nimium amorem, quo ergà corpus corripere, & minimum, quo complecteris animum.

4. En ad tuæ oblivionis calcar, & incitamentum proponuntur tibi in sole signa, ut diei recorderis judicii, & in luna collocantur, ut quotidie idem in memoriam revoces. In his creaturis signa apparent, ut illæ de te sumant vindictam, siquidem ob illas Creatorem tuum dereliquisti.
5. Sol suppetias tulit Josuë, quod Domini bella præliaretur: tibi tandem contenebrescet, & non opitulabitur; justissimè quidem, quia in Dominum tuum peccasti.
6. Terra contremiscet, ut movearis tu timore. Illa tremuit Christo Domino moriente, innuens se contremuisse, quod in gremio suo, videlicet in sepulchro eum erat susceptura: concussa etiam fuit in ejus gloriosissima resurrectione, dolens tali hospite se privari. Tu verò peccator nihil ducis illius in animum tuum ingressum, vel ab eo recessum; idèò in fine concutieris; terræ motusque erit tibi ille ultimus in tuæ impudentiæ, & ingratiitudinis pœnam.
7. Adhibeas curam, ut hæc signa ad terrorem, & timorem te impellant, quandoquidem signa, quæ in suo primo adventu edidit Christus, non te ad amorem perduxerant. O quantum signum fuit illud Isaiæ: *Ecce virgo concipiet!* O quantum illud aliud Jonæ Prophetæ; ô quàm mirum, & efficax signum fuerunt quinque Sacrorum vulnerum cicatrices! ô quantum in perpeffione Domini solis defectus! ô quantum terræ concussio! posito quod illa signa non te perculerint, justum erit, ut his perterritus extinguaris, *Arescentibus hominibus præ timore.*
8. Quàm magnus timor futurus est hic, si suavissimum Dei colloquium cum Moyse favorem & amorem spirans, ita perterruit populum, ut diceret; Ne loquatur nobis Dominus; quid erit cum severissimus judex ad te veniet? Si tonitrua ex illo monte audita, & emissa non ad formidinem, sed ad legis promulgationis pompam tolerari non poterat Israëliticus populus: quis valebit ultimi diei sufferre signa, ipsius veluti cæli ruinam intentantia.
9. Si sonitus, quem Dominus audiri fecit

in Castris Syriæ, tanto terruit timore, ut è tentoriis, & castris fugerint, spreverint, amiserintque suas divitias; quid efficiet maris rugitus tubarumque clangor, cum illa vox insonuerit: *Surgite mortui, venite ad judicium?* Quid de te erit peccator, quando non tantum creaturarum strepitus futurus est timori; sed ipse etiam Dominus, illarum Conditor, suæ Omnipotentiae clamore? *Nam Dominus de Sion rugiet, de Jerusalem dabit vocem suam, & movebuntur cali, & terra.* Si Adamus in Paradiso à Deo vocatus, ut deperditam recuperaret salutem, timuit, & se occultavit; quid dicet infelix Adami filius? Etenim non vocabit illum Deus, sed à se eiiciet; & non dignabitur nomine eum proprio indicare; quia *nomina, (inquit,) eorum non recordabor amplius;* nec illum Dominus accerset ad salutem, sed ad internecionem. O quàm ingens rugitus erit ille, quando Dominus *de Sion rugiet!* Sed cur rugiet? Quoniam ad peccatorem à lethali somno excitandum non suffecerunt in præsepio vagitus; nec concionantis voces; nec in Cruce dolores.

At in quem rugiet? in Ægyptum: nam *10. Ægyptus in desolationem erit pro eo, quod iniquè egerit in filiis Juda;* Si tum moriturus talia fecit: quid faciet, quando rugiet non in Cruce inter latrones, sed Angelis stipatus, & Majestate?

Quid erit, cum intueantur homines venientem illum cum decore, & potestate? quem ut pauperem despexerunt?

Væ Hebræis, & Sacerdotum Principibus, quibus Dominus multa mala abundè minitatus fuit ad novissimum hunc diem, cum ab eis ligatus, ac detentus dixit. *Amò videbitis filium hominis, &c.* Væ omnibus, qui Dei præcepta jam aspernantur, quot & quantæ calamitates eos tunc manebunt?

Tunc apparebit signum filii hominis: Quam *13. terribile erit hoc signum peccatori, deliciis affluentis, qui abhorret crucem; carnisque macerationem. Quos sapè dixi vobis inimicos crucis Christi.* Quod si fortè jam in pectore contextam portent Crucem, suæ utilitati, vel honori consulunt; non amore crucis, aut mortificationis id faciunt: Quid tum fiet de gulosis, & epulonibus? illis accidet quod purgando infirmo, qui pharmacum in noctem differt ad majus tormentum.

Sed quantus erit hic labor? Tunc plangent omnes Tribus terræ, flebunt, qui *14. antè non ploraverunt; si enim pœnitentiæ lacrymas fudissent, cum lætitia portarent tum manipulos suos; sed quia risus deliciarumque sementem fecerunt,* dolo-

doloris, & mœstitiæ fructus colligent. Væ vobis, qui ridetis inter mundi vanitates, ac deaurata discrimina. Quid amplius?

15. *Tunc sedebit super sedem Majestatis suæ, in præsentis seculo, quamvis Deus ostendat suæ justitiæ indicia, iram tamen summâ misericordiâ temperat: Cùm iratus fueris misericordiæ recordaberis. In die autem judicii severissimè agetur cum hominibus, & sine ulla pietate: Lignum ubi ceciderit ibi erit.*
16. *Et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis. O peccator quid tunc de te erit? Quid facies segregatus à dilectissimis creaturis sine aliqua ulteriori spe videndi eas: Millies obire velles tunc mortem præ doloris magnitudine: dignè quidem hæc patieris; quia non servas tuos affectus à libidine; undè quia transis in affectum cordis, omnium rerum jacturam facies.*
17. O quàm brevi tempore delectat vitium, & quali cruciabit æternitate? Hinc addiscas aspernari creaturas, quæ in tam immania tormenta te ducunt.
18. Quid remedii restat, judicii signis incipientibus? unusquisque sibi consulat. Dicet verò aliquis: Grâtiâs agamus Deo, quod adhuc tempus est, cùm addat. *His fieri incipientibus: interim coronemus nos rosis. O te infelicem, & miserum, qui ut præpareris occurrere Deo, judicii universalis expectas signa! non solum non amas diligenda; sed nescis omninò, quæ tua intersunt: mereris profectò, si ita te geris, ut tibi terribilis ille dies repente superveniat; ut accidit diebus Noë diluvium.*
19. Sed vide non esse jam ultrà expectandum. *Putasne inveniet fidem, cùm venerit. Refrigescet charitas multorum. Quod signum evidentiùs desideras intueri? Erunt homines se ipsos amantes & hoc usque ad contemptum Dei. Quid amplius expectas?*
20. Virgines fatuæ, quæ sine oleo bonorum operum conantur esse Dei sponsæ, sunt hodiè Lutherani, quorum præsumptio, & stultus conatus est idem, qui fatuis virginibus fuit. En Christus Dominus prænuntiat ad diem judicii hoc signum futurum.
21. Unusquisque sua privata signa ad morum correctionem habeat. Hem jam ut video tremit mentum tuum, tuæ manus nutant, oculorum lumen deficit, jam tibi obscuratur Sol, pectus suo murmure te monet de vicinitate mortis; arefactus es instar ligni sine succo; moveant te hæc signa.
22. O miser, scis, *quando propè est astus, & non animadvertis te jam sic labantem,*

& vacillantem, proximum esse morti: attendas tibi obsecro, neque dubites, quia *non præteribit generatio hæc donec omnia fiant.* Cælum & terra transibunt: verba autem mea non præteribunt.

S E C U N D A P A R S.

Quando accersitur Medicus, largeque ei solvitur argentum & alia dona pro labore & cura; haud contentus erit infirmus sola explicatione ægritudinis, nisi adhibeantur pharmaca ad eam propulsandam; ita parùm utilitatis affert longus de judicio universali tractatus, deque calamitatibus tum imminentibus, nisi applicentur remedia, quibus eæ evitentur.

His fieri incipientibus, *Levate capita vestra.* Videtis nunc per fidem, illum, qui sedet ad dexteram Patris, mortalium discutere causas, de illisque sententiam ferre sigillatim, & jubere alios ergastulo mancipari; facultates, & bona aliis adimi; alios in tartara detrudi; aliasque aliis hujusmodi irrogari pœnas; & hoc fieri singulis momentis. Quid igitur expectas judicium universale, cùm tot privata judicia intuearis? *Levate capita vestra.* Quis scit an hodie citeris, ut te sistas ante Dei Tribunal totius antea vitæ rationem redditurus?

Objicies: nullis rationibus posse peccatores adduci, ut sursum caput levant, quia, *oculos statuerunt declinare in terram.* Saltem ergo *descendant in infernum viventes*, ibique videant Dei in seculis præteritis & præsentibus judicia, tuncque intelligant, quomodo, quantumque, *Infernus dilatavit animam suam.*

Levate capita vestra, & videbitis, quod dolore Sancti pervenerint ad cælum. Dictum est enim: *Ii sunt qui venerunt de tribulatione magna.* Itaque Petrus dixit: *Jube me venire ad te super aquas.* Hoc fac, & vives. Sed proh dolor! inveniuntur paucissimi, qui dicant: *Jube me venire ad te super aquas.* Nam plurimi iter ad cælum agere volunt, in rhedis, curribus, deliciis, & voluptatibus, hujusque seculi plausu, & triumpho; aut saltem, ut Israëlitarum, qui *ambulabant per siccum in medio maris,* recufantes per udum gradus locare, aut sufferre dolores.

Aliud remedium sit: Nemo dicat, *Morram facit Dominus;* nam ex hac persuasione provenit, servos percuti, dicique ipsis: *expecta,* expecta ibi modicum.

Attendite, *nè graventur corda vestra crapulâ, & ebrietate,* nam ut aliqui vini gutta vappæ fiunt, & insaniunt; sic inveniuntur quidam, qui unius creaturæ causa, & mi-

nima infelicitatis gaudii parte, ita rationis metas excedunt, ut omnibus ingenti possint esse dolori.

29. Dicas, ebrium cor esse quasi dæmone obsessum, qui modò cadit in ignem, modo in aquam: dic peccatorem esse illum dæmonium, qui à Domino petierat; *Sine nos intrare in porcos*, qui sunt sensuum voluptates. Attendite, *ne grauentur corda vestra*.
30. Vigilate omni tempore, omnia facientes in laudem Dei, ut digni habeamini fugere ista omnia, & stare ante filium hominis.

TERTIA PARS.

31. Quis stabit ad videndum eum? Justus. *Latabitur justus, cum viderit vindictam*. Justus dicit; paveant illi, & non paveam ego: Justo filii hominis signum solatium erit, & dilecti vox deliciae; *Fac me audire vocem tuam*. Justi unicum desiderium est ex hac vita discessus: *Educ de custodia animam meam*. Separari oves ab hoedis est ejus voluptas, quia peccatorum vitæ tenor est illi tormentum; idemque justus stabit ad videndum eum, quia est vocatus ad agni nuptias, & fuit creatus ad audiendam illam dulcem Sententiam: *Venite Benedicti*.

CONCIIO II.

In secundam Dominicam Adventus.

Foannes cum audisset in vinculis opera Christi, &c. Matth. 11.

32. **H**Oc sacrosancto tempore Ecclesia Romana agit de filii Dei Adventu, in quo assumptâ mortali carne, in terras descendit. Nescio tamen, quibus verbis explicem, quo beneficiorum pondere apud eum ob hanc suam dignationem premamur: at si vultis aliqua ex parte videre Incarnationis mysterium; tenuem pagum in Montanis considerate, cujus vicinia vix decem incolæ habeat, ubi non reperietis diversorium, lectum nec cibum, nec stabulum, & alia necessaria: si tamen per illum transeas die, quo fortè Rex eò loci pervenit suis proceribus stipatus, invenies oppidum omni esculentorum, & poculentorum genere abundans, inhabitatumque à mechanicis, institoribus, Medicis, & pharmacopolis, aliisque ornamentis urbem componentibus. Ante Incarnationis tempora mundus erat pauperimus, sine artis, aut medicinæ peritis, famelicus, mendicus, egenus & morbis confectus. Postquam verò Rex cælestis ad hæc infima dignatus est descendere; hic

Regia aula est; hic sapientissimus salutis restaurandæ artifex moratur; hic omnium thesaurus bonorum ad quamcunque exterminandam necessitatem: ideoque inquit æterna veritas: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*. En in Evāgelii præsentis lectione *surdi audiunt, & cæci vident*. Optio vobis datur; postulate in vestris indigentis prout libuerit. At quia mihi luce opus est ad videnda, quæ dicturus sum, & quoniam vos indigetis auribus ad percipienda mysteria sancti Evāgelii, petamus gratiam cum Angelo. *Ave Maria*.

Foannes cum audisset.

Cum notus sit jam Dei Adventus, ut gratulemur de tam grandi beneficio, consonum erit videre dispositionem, qua opus est, occurramus ipsi. Dicit enim Malachias: *Quis poterit cogitare diem adventus ejus, & quis stabit ad videndum eum?* Recurramus ad Evāgelii Textum: *Cum audisset Foannes in vinculis opera Christi*. Vultis ad hunc Domini adventum disponi? Christi opera audite.

Quale opus mundi creatio? Verbi Incarnatio? ejus prædicatio, permissio, resurrectio, & alia? Perpendite, qualia sint ejus opera erga vos ipsos, ut vos expectat, ut tolerat, ut ducit, ut monet; ut roborat, quando estis debiles; ut vos erigit, quando conciditis animo. *Quare opus meum cum Deo meo* (dicebat Isaias) si consideremus Dei opera, statim vilescunt nobis creaturæ.

Alia opera etiam considerate: ut improbos castigat Deus, ut infaustè vitam finiant, qui perversè eam degunt: gemite intuentes Dei judicia: nam de peccatoribus Isaias queritur, dicens: *Opus Domini non respicitis, nec opera ejus consideratis; propterea captivus est ductus populus meus; propterea, dilatabit infernus animam suam*.

Videte puniri bonos etiam, eò quòd tantumquam homines labantur in aliquas imperfectiones. Quid igitur fiet de improbis? *Impius ubi apparebit, si vix justus salvabitur?*

Scrutemini, quæ Dei Filius profert: *Opera, qua ego facio testimonium dant de me*, Sit ergò horum operum exploratio meditatio prima.

Si vultis investigare aliqua super vestra bona dispositione indicia, attendatis, obsecro, signa adventus in terras Dei Filii, ac Messia, esse, *Cæci vident surdi audiunt, &c.* Si vultis judicium ferre, utrum spiritualiter in animos venerit; perspicite, an vetus homo vester surdus audiat, utrum videat; si ita evenit, auspiciatum signum habetis; at si secus, infaustum.

Præterea animadvertite, Christum Do-

minum non solum verbis, sed operibus respondisse iis, quos ad eum miserat Joannes; sic nos Deo, non solum verbis, sed & operibus tenemur respondere.

40. Alia aptissima preparatio colligitur ex Evangelio, Beatum vocat Christus eum, qui non scandalizatur: unde deducitur, haud beatos fuisse idololatrias Romanos, qui abnuerunt adorare Christum; sed potius eò quòd suaderet paupertatem, scandalizati sunt, eoque indigni habiti Beatorum nomenclaturà.

41. Insuper Judaicus populus, qui perseverabat in sua obstinata cœcitate, minimè beati cognomen meretur: quotidie enim in Christo Domino, quia Sabbatho sanabat infirmos, scandalizabatur; in angulari lapide cespitavit; Crucis morti addixit Dei Filium, tantæ Divinitati incredulus; quæ certè res singultu, & lacrymis dignissima est.

42. Minimè quoque felicium cognomen consequentur illi, qui Mahometi spurcissimam Sectam profitentur; scandalizantur enim, quòd Christus Dei Filius in Crucem actus obiret; ignorantes tam illustre mysterium: Potentia enim & Sapientia Divina evexerant vires suas, cum Christus reportaret eam victoriam ex hostibus: majores enim eminentioresque fructus verberibus ad columnam affectus, quàm Pharaonem flagellans habuit; Crucique affixus moriens magis in orbe notus fuit Deus, quàm Ægypti primogenitos interimens. Cum autem Mahometeos hoc mysterium prætereat, perseverant scandalizati, & infelices.

43. Deindè quàm excellens, & efficax remedium fuerit ad emolliendam hominum duritiam Christi Domini perpeffio; fugit non paucos nostri temporis Aulicos. Quid de illis fieret, Christo non sufferente tot tantaque tormenta pro illorum æterna salute, cum post hæc tolerata, tam frigide eum prosequantur amore. Si hoc salutifero medicamento non recuperant valetudinem, quomodo eam sine illo restaurarent? *Beatus ergò, qui non fuerit scandalizatus in me.* Ad omnes, nullo excepto, sunt modò sermones mei; ad cunctos orationem meam dirigo; cum universis loquor. Vultis videre, an in vobis sint vitæ, & bonæ preparationis signa, ut obviam procedatis Christo Domino? Videte, an in Christo scandalizamini: Si monitus adhuc non vis desistere à vindicta; sed potius opponis ægrè sufferri posse notam honoris, mi amantissime frater; in Christo scandalizaris: emenderis, opus est.

44. Sed dicet alius: quis erit, qui non scan-

dalizetur, cernens hodie in Evangelio Baptistam in vincula coniectum esse, virum tam sanctum; Herodemque liberum, & suâ prosperitate superbientem; cum sit tam iniquus, & improbus? Cave ne scandalizeris. Si enim rectè advertas; Herodes est ille, qui mancipatur ergastulo, & damnatur ad mortem; quia impius jam judicatus est: ille est, qui miserrimè perit subditus servituti, & suppliciis. Baptista verò liber est, quippè qui liberè veritatem defendit, pro illaque oblato capite exutus est impedimentis hujus miseri contubernii; eoque gloriari potest dicens: *Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Ad hanc ejus immunitatem, & felicitatem innuendam dixit Dominus. *Quid ex istis videre in deserto, &c.* Prophetam? Etiam dico vobis, plusquam propheta est. *Ecce ego mitto Angelum meum, &c.* Alia sunt hæc nomina ab iis, quibus Herodes nominatur, utpotè qui æternis inferni vinculis addictus est. *Beatus ergò, qui non fuerit scandalizatus.*

Dicas, amabo, tu, qui scandalizaris in Christo; fortè ejus verba tibi scandalo sunt; sed quæ? forsan illa: *Eum qui venerit ad me, non ejiciam foras*: Quomodo ejus verbis scandalizari poteris? cum ii, quos præmiserant hostes ad comprehendendum illum, liberum eum reliquerunt, dicentes præ admiratione: *Nunquam sic loquutus est homo*: Sanctusque Petrus alicubi dixit; *Domine quo ibimus? verba vite æterna habes.* Cum ejus verba sint, quæ cœcis lumen impertiunt, & mortuis vitam; quomodo poteris illis scandalizari? sed dicet aliquis, non in allegatis ego scandalizor, sed in illis aliis: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum.* Haud gravatè ferro respondere, aut laborandum tibi cum Christo, aut adeundos inferos; qui enim non vincet non coronabitur.

Ad hæc: si inimicus tuus te vellet interficere, gutturi que jam immineret gladio; si quis accederet, qui ferrum eriperet è manibus, eumque traderet tuæ voluntati, nonne solveres ipsi grates? Hoc factum puta ab illo, qui tibi dicit: *Tolle Crucem tuam*: Cum enim vetus ille homo sensuum deliciis serviens, te perdere & necare moliretur, Christus Dominus illum devinxit, tuis plantis submisit, ut eum in rationem redigeres, carnis, & appetitus maceratione; hoc Domini officium tibi vita fuit & falus, non mors & afflictio, ut aliqui malè opinantur; sed potius à cruce & morte æternæ liberatio. Quod si in Christi verbis scandalizari non poteris, ne in illius quidem operibus scandali

dali occasionem invenire : Consulas, obsecro, illos, quos habuerat suæ vitæ testes JESUS. Interroga adulteram ; si forte scandalizata fuit, cum ei dixit : *Mulier nemo te condemnat, neque ego te condemnabo.* A Magdalena, à latrone, à cæteris idem perquiras.

47. Te ipsum interroga ; dicas animo tuo : anime mi, in quo scandalizaris ? Si permisit Deus privari te fortunis, cum omnia hæc ipsius sint, nullas vales excitare querelas. Si verò consideres te insumpsisse concessas divitias in vanitatibus, & in Dei offensis, in Divinarum legum violatione ; non est, cur ad eò scandalizeris ; nè mireris, si tuæ vitæ tenor labefactaverit tuam valetudinem ; si te conspicias ab hominibus despectum, in nullo numero habitum, oblivioniq̄ datum, attende quam oblitus tui dulcissimi sis Creatoris, quam parum eum timueris ; ne ergò scandalizeris, cum contemnaris. Patienter omnia adversa subibis, si ad tua scelera animadvertas.
48. Attendite homines : quid fecerit pro vobis Christus, dum solveret tributum Cæsari, dum vellet haberi pro seditioso, & blasphemio vestrà causâ ; ne ergò scandalizemini.
49. Quis scandalizari posset in eo, qui ad eò amavit homines, ut arbitraretur scandalum sibi esse, si quis fugiendam putaret mortem, ne eam subiret ipse pro illorum expiandis delictis ; undè ortum duxit illa reprehensio, quâ Petrum correxerat : *Vade retrò me Sathana, quoniam non sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum.* Marci 8. 33.

EXCLAMATIO.

50. Væ scandalizato in Christo : si enim de eo, qui de justo scandalizatur dicitur : *Expedit ei, ut suspendatur mola asinaria collo ejus, & demergatur in profundum maris ;* Quid agatur de eo, cui scandalum sit Justorum, & Angelorum Dominus ?
51. Quàm miserum est videre, quàm rarò, & quàm lentè in nobis scandalizemur, & quàm graviter, & frequenter in aliis. Dicàs ò peccator, cur non offenderis manuum tuarum, & oculorum tuorum operibus ? Cur non executioni mandas, quod Christus præcipit ? *Si oculus tuus aut manus tua scandalizat te, proscinde, & abjice eam abs te.* Ut amputes tuas, non habes manus : tantum habes, ut proximorum abscindas. En fructus, quos ex amore proprio colligis : melius erit ad vitam deduci claudum, aut debilem, quam integrum ad inferos. Undè inferes : multum interesse, in te, & non in aliis, scandalizari.

CONCIO III.

Dominica Tertia Adventus.

Tu quis es ? Joan. 1.

HOC tempore duas res agit Ecclesia Romana, quarum singulæ valdè ad nostram utilitatem referunt ; nempe filii Dei adventum designat, & præparationem, quâ disponamur ad celebrandos ejus sacratissimos natales : nescio quâ ratione possumus continere lachrymas, cum videamus homines ex omni conditione tam anxie confluere ad Regum aulas majori hebdomada, ut eos videant duodecim egenos convivio excipere, pauperum pedes lavare ; iisque vestes, quibus amiciantur, suppeditare : cum tamen tam pigre veniant ad fruendum mysteriis hujus augustissimi Regis, qui altiorum Regum est dominator.

Non veni ministrari, sed ministrare ; cuius rei magnitudo nullis verbis exprimi potest ; Deus ad hæc terrena descendit, ut alat mortales, & mendicos suo sacratissimo corpore, & sanguine, ut gratiæ eos trabeâ adornet, postea ineffabili donandos gloriâ. Si Princeps temporalis admirationem movet conspicientibus dum se exhibeat ad pauperum pedes genuflexum ; quantò majorem excitare deberet immortalis Rex, dum prospiciat hominum usui, & commodis tantâ humilitate, ac mansuetudine ? Quid enim mirabilius, quàm verbum divinum, splendorem æterni Patris, *Qui portat omnia verbo virtutis sue,* qui infinito excessu superat Angelos Majestate ac decore, ad hominum ministeria descendere, ut non solum homines suo proprio munere nobilitet, sed illorum etiam sagum induat, cum illisque tantâ clementiâ, & humanitate converteretur ? cum hac demissione, quis terreni Principis erga alterum famulatus comparari potest ? O quantò potiùs admirari debemus sæculorum Regem ità abjectum, quàm hos terreos ac fragiles Principes demissos ! Mortales ergò, qui tanto desiderio pergunt ad intuendam temporalium Principum demissionem, jure etiam accedere deberent visuri veneraturique filii Dei tam stupendam humilitatem. Omnes jam invitat mater Ecclesia. Quod si illum quæritis, non sine fructu & lucro laborabitis ; juxta id quod Isaias dicit : *Non dixi semini Jacob frustra, quarite me.* Quis unquam illum quæsit, qui fuerit deceptus ? & quis neglexit illum quærere, qui

qui non perierit; nam si sola ejus inquisitione vita est, secundum illud: *Quærite Dominum, & vivet anima vestra*; quid accidet inventibus eum? At quia Dei Mater fuit creaturarum prima, quæ melius perfectiusque ad hunc finem se disposuit, & quæ altius contemplata est Incarnationis mysterium, ab ea petamus gratiæ favorem, recitantes cum Angelo. *Ave Maria, &c.*

Tu quis es?

54. Hæc duo quæ initio præmisimus, legitime ex Evangelio deducuntur. Unde clarissime constat de testimonio, quod dedit Christi Domini Præcursor de ejus in mundum adventu: quia quando miserunt Judæi, qui interrogarent, an esset Christus? *Confessus est, & non negavit, & confessus est quod non sum ego Christus.* Et postquam illum interrogaverunt: quis ergo es? intulit: *Ego vox clamantis in deserto, & ut posset eum ostendere, quem illi quærebant; interrogatus cur baptizaret, si non erat Christus, neque Elias, neque Propheta; respondit: Ego baptizo in aqua: fuit aded humilis, ut responsa, quæ ad se demittendum invenit, in admirationem rapuerint: quoniam non solum dixit, se, non esse Christum, sed neque Eliam: attamen quamvis re non fuerit Elias; spiritu tamen fuit. Similem evasionem reperit, ut negaret se esse Prophetam, cum esset plusquam Propheta, intelligens se non esse illum Prophetam promissum, de quo dictum erat: *Prophetam suscitabit vobis Dominus.* O quantos, & quot ad proprium despectum modos invenit hic altissimus veritatis Præco? Quam ingeniosus fuit ad se humiliandum! O si homines intelligerent tandem, quanti illorum interessent artes, quibus factus deprimerent, ut hæc industriâ exaltari possent? Si nondum hæc intelligitis; in Baptista discite, qui ea exactè explicuit. Dignatus est Dominus ad Joannem, ut ab eo baptizaretur, venire, & quia affirmabat Joannes: *Me oportet minus, illum autem crescere:* mirum est, quantam in eo magnificando diligentiam Christus adhibuerit. *Quid ex istis videre, &c.* Inter natos mulierum, non surrexit major Joanne Baptista. Et ita eum dilexit, ut doloris signa ob ejus obitum ediderit; amputatoque ejus capite, adierit eremum: si discerent homines hujus mundi vanitatem, ac titulos despiciere; altissimis haud dubiè à Deo decorarentur honoribus. O quam longè abest peccator ab exequendo, quod Baptista fecerat, qui obstitit suis laudibus & encomiis. Quid de hoc sentient, qui ementitis genealogiis se extollunt? si mererentur laudari, quid fieret?*

Exhibito jam testimonio de Dei adventu, inferamus modò dispositionem ad celebranda ejus natalitia. Rogo, an sis ex illis, de quibus Dominus dicit: *Nolite tangere Christos meos?* Scire velim an sis unctio gratiæ delibutus, habeasve Christi spiritum? Quod ut altius exploremus: videndum, an tui mores Christi vitam redoleant, sapiant, referant; *Cum malediceris; an benedictis maledicentibus te.* Quando te persequuntur homines; an pro persequentibus oras, juxtà illud: *Cum pateretur, non cominabatur.* Si ab his discrepas, ne te reputes inter Christi discipulos, si injurias non suffers, si vindicas te de hostibus; si crucis inimicuses, Dei spiritu careres, ineptusque es ad consequendum salutem.

Cum non sis Christi discipulus, eris forte Eliæ, zelo flagrans divini honoris? Nihil minus cogitas, quàm de Dei cultu, ac decore. Prophetarum falsorum es persecutor malleusque? minimè. Potius asylum, refugiumque sceleratorum. Forsan tam parcè vivis, ut panis fragmento quadraginta diebus jejunes? nullo modo; siquidem si singulis horis manducas, longè recedis à tanta mortificatione. Igitur cum ne sis quidem Elias, es nè Propheta? Multò minùs; quia solum præsentibus prospicis, perindè quasi nunquam moriturus esses, nec districtè judicandus.

Dicas, quem te esse dicemus? Quando enim volunt homines perscrutari, quis & qualis aliquis sit, adhibere solent testes, qui testimonium perhibeant de rei veritate. In hanc rem tuos oculos citemus: dicent, intendere te vanitati. Proferamus tuam linguam; dicet: *Venenum aspidum sub labiis.* Proferamus, ut testes tuas aures; fatebuntur te esse instar quasi *aspidis surda obturantis aures:* tum denique loquatur cor; sed istud non potest esse testis; peccator enim est destitutus corde, juxta illud: *Va vobis, quia non habetis cor.* Flagitiosus aded cor suum oppignorum habet, ut ferè illius excors fit, illudque obligaverit mundi næniis ac miseris. Admittantur igitur manus ad testificandum. Surrepisti aliquando aliena? Maxime: latro es. Seminasti inter fratres, & proximos zizania? etiam: Sathanas ergo es; quia *inimicus homo hoc fecit.* Defecisti forsàn à legis observatione? utique: Judas es. Fuiisti crudelis, & tyrannus? interdum: ita vixerant ipsi Neronæ.

Edoceas tandem quisnam sis? nè neges; dic planè. Assere te, nec esse Christum, neque Eliam, neque Prophetam; dic te esse latronem, Judam, & Sathanam. Exere

S veri-

veritatem, nec renuas eam propalare; haud inficiaris, Deum sustinuisse pro te plurima, cum tu ferè nihil in ejus obsequium fecisses. Si attendas pœnas, quæ debentur tuis delictis: dic Deum tecum se suavem indulgentemque gessisse, & te cum illo rusticè, & inurbanè. Quot tecum defectus dissimulaverat ob amorem, quo te semper persecutus est; Sed tu quid proximis tuis pepercisti ob ejus amorem? De te tua peccata Confessario, qui Dei vicibus fungitur, & noli ipsi aliquid occultare, cum fortè omnibus nota sint tua delicta. Cur soli confessario ea non aperies, quandoquidem cæteris ea narres; hinc tibi infamiæ nota inuritur; sed inde provenit tuum decus, salus, & vita.

59. At si vis aliam ulteriùs præparationem; accinge te ad respondendum, ea veritate, quâ Baptista respondit: *Ego vox clamantis in deserto*; quia etiam si Præcursoris munus, quod subivit, fuerit illi singulare: tamen Præconis officium multorum potest esse, singulorumque in suo statu, & conditione. Itaque Episcopus vigilans dicendus est Christi vox, quia audit & narrat, quod ei loquitur Dominus. *Audiam*, (inquit) *quid loquatur in me Dominus*: In suo Territorio elaturus est voces, quas Deus dat in Sacra Scriptura à sanctis Ecclesiæ Doctoribus explicata. Hoc idem exercitium Concionatorum est, & aliquo modo Principum: hi enim suæ vitæ tenore mandatorum Dei Præcones debent esse elatiùs clamantes; nempè ne occidatis, ne furemini, ne blasphemetis. Pater familias domi suæ idem munus obeat. Undè proveniat animabus, quæ hæc executioni mandant in mundi deserto, cum ex illo exeant, ut in cælo publicetur de iis: *Qua est ista, qua ascendit de deserto deliciis affluens?*

60. Sed væ tibi ô Peccator! quantum distas à munere hujus vocis, juxta illud; *Non est ruina maceria, neque transitus, neque clamor in plateis eorum*. Sed ex silentio oritur senectutis morbus & defectus: *Quoniam tacui inveteraverunt ossa mea*. Sed cur tantummodò tibi imperatur silentium? *Quare tu enarras justitias meas?* Quia non gratus doctor sine exemplo. Certum proculdubio est, qui peccator est, esse mutum; *quia erat Jesus ejiciens demonium, & illud erat mutum*: nam Dæmon labia peccatoris, antequam eum detrudat in tartareas pœnas, claudit, ne oret, nec Dei recordetur; nec æternæ salutis. Itaque cum aliquos videtis rarissimè spirituales libros in manus sumere, aut precatórios globulos terere, maximè varendum, illos ad inferni trespasium damnandos.

Sciatis ergo unam ex utilioribus dispositionibus esse, vocem efferri, quæ clamet misericordiam: *Ad Dominum cum tribulaver, clamavi: Clamavit ad me, & ego exaudiam eum*. Advertite tamen in hac Eremiticis eliciendas esse voces, nempè in hac vita: Si enim differtis voces hic tollere; post mortem etiam si altissimè eas mittatis, & excitetis; frustra rugitus vester erit.

Quid ampliùs? *Parate viam Domino*. Tribus modis viæ solent sterni, aut præparari: primò removendo, qui obstitunt itinerantibus. O quàm apta præparatio ad obviam prodeundum Dei filio! Si tui oculi, ut lapides, adeò duri sunt, ut non defleant patrata scelera in Creatorem: tolle eos lapides, si vis vitam recuperare: nam Christus ut Lazarum à mortuis resuscitaret, jussit lapidem tolli; idem dico de lingua, & manibus. *Auferam vobis cor lapideum*. Monitos velim Peccatores; aptissimè eos lapides nominari; lapidi enim nec monentis locutio, nec tactus blandus, sed solum malleus vi incussus imprimit signum: Sic Peccator, quamvis illum moneas, quoad infirmitatis ictus eum vexet; aut dedecoris notâ inuratur, nullum pœnitentiæ signum edet: idè Dominus dicit: *Verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus*.

Viæ etiam præparari solent; ubi à spinetis purgantur, quod fit faciliùs injiciendo ignem: hoc faciat litium, inimicitiarum, Tribunalium, mundi que vepribus irretitus; admoveat suæ viæ amoris Dei ignem, iterque latissimè aperiet; & licet ei multum stet, non prætermittat hunc ignem admoveere: quia, *Si dederit omnem substantiam suam pro dilectione, pro nihilo habebit eam*.

Adornatur etiam via, quando est in loco declivi, angustoque, si fodiantur vicini montes, ut iter latum fiat; hoc est si tibi appareat angusta pœnitentiæ semita, meditare, quid sis, & quid merearis; ut labor, etsi gravis, videatur levior; ut cum Davide dicas: *Ambulabam in latitudine, quia mandata tua dilexi*. *Parate ergo viam Domini*. Sciatisque, etsi arcta sit principio via, quæ ducit ad vitam; tamen cupiditatibus in rationem redactis pulcherrimè extendi: undè Justus dicit: *Ambulabam in latitudine*: nam in secundis gloriatur Domini amore, beneficiis acceptis gratus: & in adversis exclamat cum sancto Andræa; *O Crux diu desiderata!* propriaque sui ipsius cognitione arbitratur singula majora suis esse meritis. Si hæc exequamini, auspiciò omnia cadent; sin verò minùs, vereamini, ne dicatur vobis in die vestri obitùs, quod diivus Joannes dixit missis

Legat-

Legatis : *In medio vestrum stetit, quem vos nescitis.*

65. Væ tibi infelix peccator, qui non cognovisti illum, qui in medio tui erat, & est, in quantum Deus. Quoniam Deus in nobis penitissimè est : *In eo enim vivimus, movemur & sumus.* Væ tibi Sacerdos, cui Dominus in hora mortis dicet : *In tuis manibus me habuisti, & non cognovisti me;* infelix, qui me in supplicationibus portabas ! tu, quo comitatus sæpiùs incedebam, & non me cognovisti.

66. Nullus ergò ex his diebus prætereat, quin accingaris ad tantum opus; oculis designa unum, in quo doceantur deslere cuncta, quæ lacrymas exigunt; alium diem auribus dica, ut audiant lectiones sacras, sanctasque doctrinas; addic alium diem palato, ut refrænes gulam, & in cibis delicias. Elige prætereà Deiparam tibi pro tua Advocata, ab ea postulans saltem illius ignis scintillam, quo se ad fuscipiendum suum Filium disposuerat : & attende ferè semper tales nos celebrare festorum solemnia, quales fuerimus in pervigiliis. Nam si fortè nos inveniamus tepidos, negligentes, & sine fervore, pudore suffundi necesse est : *Bos cognovit possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui; Israël autem non cognovit me.*

67. Respondeatis obsecro, si hoc pro comperto haberetis hoc decurrente anno in vestro domicilio Dominum nasciturum; ad ordinandamne domum sumptibus parceretis? Hoc ipsum eventurum vobis persuadete; ad hunc finem diversorium vestrum præparate; si enim feceritis, quod in vobis est, in vestris animis est nasciturus JESVS. Quod si feceritis ejus voluntatem, futuri estis Domini habitaculum. *Qui enim fecerit, inquit, voluntatem ejus, qui misit me, hic frater, & mater mea est.* Fide eum quasi spiritualiter generamus; operibusque charitatis illum in lucem edimus, juxta illud Isaïæ : *Concepimus, & quasi parturimus spiritum salutis.* Accingite vos ergò strenuè, & diligenter, ut lætemini cum Angelis, qui in Domini Natalitiis summâ hilaritate adsperfi dicunt : *Annuntio vobis gaudium magnum.* Dominus participes nos efficiat hujus lætitiæ in hac vita mortali, & deindè in æterna gloria. Amèn.

CONCIO IV.

Dominica quarta Adventus.

Anno quintodecimo Imperii Tiberii Cæsaris, &c. Luc. c. 3.

68. **I**psum Evangelium excitat nos hodie, ut mysteriis, quæ in ipso scribuntur, at-

tendamus: moris enim est, quando narratur aliquis eventus insignis, diem, annum, & horam, ubi contigit, notari. Modò Evangelista signat annum, & tempus, in quo Baptista concionari cepit, (indictum antea ab Isaïa Propheta) quis autem tunc Romanum Imperium gubernabat; & qui Procuratores, aut administratores erant Judaici populi Provinciarum; quis etiam in ea Republica sacris præsidebat, declarandum est. Ut congruè à nobis id explicetur, à Cælorum Regina efflagitemus gratiæ favorem. *Ave Maria.*

Anno quintodecimo; &c.

Ut Evangelista nos è somno excitaret, 69. hæc sancti Evangelii narratione dicit : *Factum esse verbum Domini super Joannem, Zacharia filium, in deserto.* Ut intelligamus in locis minus expositis occasionibus, immunitibusque à negotiorum tumultibus, ibi Dominum familiaris loqui cum suis, secundum illud : *Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor ejus.*

Ad desertum perrexit, ut illud suavissimum redderet sua presentia; ut sciremus nosmetipsos quasi esse eremos, dum abfuerit Deus; tum enim nostra, *Relinquetur Domus deserta.* Talis est animus peccatoris, qui ut sui ipsius recordetur, Joannes clamat in deserto. Atque ut in memoriam uniusquisque revocet quantum Deo debeat, qui eum *quæsit in loco horrois, & vasta solitudinis.*

Loquitur etiam in Eremo Joannes, ut 70. homines ex suis ædibus exeant ad desertum, quæsituri ibi concionatorem Christi, quo cum communicent suas curas: nam dum in suis tuguriolis habitant, arbitrantur ibi cuncta contineri; nec aliquis est, qui eos de sua pertinacia dimoveat: opus est ergò illis indici : *Egredere de domo tua, & de cognatione tua.*

Justum fuit homines abcessisse in desertum, in suæ ingratitude pœnam, multamque. De Israëlitis enim Deus querebatur dicens : *Nunquid solitudo factus sum Israël, aut terra serotina?* Cur me fugiunt Israëlita, & à me cavent, veluti à loco inculto, & deserto, ubi homini non est cibus, nec vestis ad depellendum frigus! Ideoque homines timent deserta pertransire, aut incolete, licet necessarium sit longissima itinera conficere, ut ea evitent : *Nunquid solitudo factus sum Israël?* Cur per varios anfractus, difficilesque flexiones & circuitus incedunt peccatores, ut me declinent, an putent non fore in me refugium, nec malorum suorum remedia; cum certum sit omnes à me refici, ac sustentari? Ad hæc, me existimant serotina-

nam terram, opinantes, me moras interponere ad remunerandum, tantumque meos in æterna vita præmiis donandos, immemores in hoc etiam sæculo accepturos eos centuplum; in futuro autem felicitatem æternam. Sed quoniam me dereliquistis, ut desertum; justum est, quod exeatis in Eremum, ubi vobis prædicetur carnis maceratio, & pœnitentia. Hoc enim significat Joannes: *Vox clamantis in deserto*; dicens; *Parate viam Domini.*

73. Via inaccessibilis fit paludibus, stagnis, lacunis, ubi crebrò viatores in lutum labuntur, & eo oblinuntur. Ut hæc detrimenta removeantur, illacque possit commeari, semita lapidibus sternenda est, ut sic securè tutèque incedatur expedito itinere: Si vis hujus vitæ insidias effugere, incede stratâ viâ laboribus Christi. *Petra autem erat Christus*; sicque liberaberis à periculosis, feralibusque turbis; eoque canebat David. *Et statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos.* Nulli pedes dexterè diriguntur; nisi qui vestigia figunt juxta hunc lapidem, stratamque viam.

74. Apage, Deus avertat vestros pedes, videlicet vestra desideria, affectusque à mundi cœno lutoque; undè omnes vestræ labe, & incommoda originem trahunt; undè existimatis mortis oblivionem oriri; undè morum corruptionem dimanare; Ex affectibus immundis, & turpibus oblectamentis. Hoc deflebat Jeremias super Hierusalem, dicens: *Sordes ejus in pedibus ejus.* Ex pedum immunditia mortis obliteratio provenit; & ea quæ deindè procedunt. *Deposita est vehementer non habens Consolatorem.*

75. Meritò sponsa dicebat: *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Etenim probè illic provenientia damna cognoscebat.

76. O quàm dolere deberemus considerando diligentiam, quam homines adhibent; ne luto inficiantur eorum pedes! utque quærunt lapillos ad transeundum per vias, cum talis nostra sit socordia actanta in custodiendo nostros pedes à peccatorum cœno & lapsu.

77. Præparatur etiam via, quando iter faciendum est per saltus nemorosos, montesque sylvis, & dumetis impeditos, dum scindantur rami; hoc idem peccatores faciant, cum se inveniunt irretitos negotiis, lucris, litibus; hoc idem fecerunt pueri Hebræorum in ingressu Christi Domini in urbem Hierusalem.

78. Incommodum etiam est iter, cum sit per viam acclivem, & declivem. *In circuitu impii ambulans*, itaque.

79. Aliquando valles æquantur, implentur-

que egesta è montibus terra. Peccator est vallis inanis & vacua; necessarium est ut impleatur aliqua re perficiente, atque adornante, nempe virtutibus, & gratiâ. Hoc fit, cum de superbiæ monte abiicitur, & oppletur vanitatis vacuitas humilitate; Sic omnis collis humiliabitur, & omnis vallis implebitur: de illo, qui ita se gesserit, dicetur: *Et videbit omnis caro salutare Dei.*

Aliquis opponet, difficillimum esse hominibus se demittere, inferioribusque æquari. Quid remedii ad rem tam arduam?

Relinque tuas vias? attende, quo dirigantur: *Ambulavimus vias difficiles.* Vis Dei itinera conficere? vide, quod de illis scriptum est: *Via ejus via pulchra: & Beati immaculati in via.* Si ad eam pervenire beatitudo est, quid erit faustitatis absolvere illam?

SECUNDA PARS.

Si unusquisque sui pectoris recessus exploret, & perscrutetur, latum ei spatium patebit videndi, quos fecerit profectus in spiritu: si non vafre cum hominibus conversatur, sed in simplicitate cordis. Si modò sincerè rationes cum omnibus init, gratias Deo agat; quia per vias rectas declinans à deviis, incedit; & sic quæ erant prava, fiunt directa. Similiter si vanis, & otiosis superfedens & caducis, transiturisque non intentus, elationis suæ montes humiliat, ut cum Deo, & hominibus, verè, demisse & candidè agat, rectæ insitit viæ; sin aliter incedit, plurimum errat. Si, cum antea injurias sibi illatas haud ægrè condonaret, corporisque maceratione domaret cupiditates; modò autem non hæc mandat executioni, miserimus est, & dignus ut de illo dicatur, quod *caro, & sanguis non possidebunt Regnum Dei.*

Præterea videamus, cur dixerit Dominus: *Non permanebit spiritus meus in homine quia caro est:* Et cur modò dicat: *Et videbit omnis caro salutare Dei.* Quid mirum. Si, *verbum caro factum est:* Caro humani generis corruperat viam suam: ideoque seorsim & cum illa macula non erat apta ut Dominus in illa permaneret, sed in carne verbi Divini hypostasi unita permanebit Dei Spiritus in æternum: nam *quod semel assumpsit, nunquam dimisit.* O admirabile mysterium! Caro in Divino supposito veluti insita fuit, ibique immunis conservabatur; & ita omnis caro, quæ contagionis, & corruptelæ expers est, tantum beneficium habet ob valorem illius ineffabilis unionis, ejusque divinæ subsistentiæ in Christo JESU.

Restat, ut eliciamus hinc timorem, & amo-

amorem, quia *omnis caro videbit salutare Dei*. Obsecro verò ut attendatis, qualis Christi humanitas in Iudicii die apparebit, & quam diversa iustis, ac peccatoribus sit videnda. Si ergò ad omnia incommoda vitanda remedium desideratis; & computari inter illos, de quorum persona scriptum est; *Tunc videbis, & afflues*. Audite verbum Domini à suo Præcurfore prolatum; estote deserti mundo, & amicis sæculi; occasiones declinetis; & ne numeremini in illis, qui à Deo recedunt, & fugiunt, tanquam à loco inculto: præparate Domini vias, velociter incedentes per strata, & non per lutulenta, & cœnosa; ramos amputate; dirigite per viam devia, & intorta cordis; complanantes aspera, & quæ rigida vobis se ostendunt; quo fiet, ut videat omnis caro salutare Dei, cum gaudio, lætitia, & gloria. Amen.

C O N C I O V.

In die Conceptionis Beatissimæ MARIÆ Virginis.

Beatus Venter, qui te portavit, & ubera qua succisti. Luc. II.

85. **H**OC Evangelium pauciora verba, sed multa mysteria continet; & dicta fuerunt, cum erat JESVS ejiciens dæmonium; elatâ voce pronuntiata ab illa devotissima Muliere, ut innueret, quam altè ea infixâ haberet in pectore: ea tum dixit, cum Christi Domini virtutem erat intuita, undè per legitimam illationem ea deduxit. Quibus verbis hodie Ecclesia Romana utitur: illis enim filius, & Mater laudantur; scopus autem intentus utriusque laus est.

86. Ut intelligatis, quanto jure, & ratione dicit Ecclesia: *Beatus venter qui te portavit*: Perpendite omnes beatitudines sanctissimæ MARIÆ Virgini excellentissimo modo convenire. Beatitudo prima, quæ legitur in Psalmis est: *Beatus vir, qui non abiit in consilio malignantium*, dic de MARIA, quod *non stetit in via peccatorum, sed tota fuerit pulchra, & sine macula, vel in ipso primo Conceptionis instanti*.

87. Aliquis tamen objiciet, non quadrare MARIÆ illam beatitudinem. *Beati quorum remissa sunt iniquitates*.

88. Respondeo; hujus beatitudinis loco, aliâ eminentiore, & clariore, præditam fuisse: nempè ab omni culpa prædicto modo immunitate; nec ut in ea esset illa beatitudo peccatum præcessisse oportuit, sic de illa: *Beatus vir, qui non est lapsus verbo; &*

beati immaculati in via, & beati mundo corde.

Alia beatitudo est: *Beati, qui ambulat in domotua Domine*: hanc beatitudinem consecuta fuit sanctissima Virgo, quando in infantia Deo fuit præsentata in templo; illamque aliam etiam fuit tunc nacta; *Beatus qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei*.

Alia ei contigit beatitudo, quando templi gradus ascenderat. *Beatus qui ascensiones disposuit in corde suo*.

Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt: Id ei obtigit, ubi humana natura, in uno supposito unita fuit, ideoque: *Beatus venter, qui te portavit*; ut haud injuriâ de ea dicas, *Beatam me dicent omnes generationes*.

Fortè aliquis opponet saltem illi non contigisse hanc beatitudinem: *Beati, qui non viderunt & crediderunt*; immò arbitror MARIÆ illam felicissimè accidisse; ante enim, quàm eum incarnatum videret, in eum credidit, itaque illi dictum fuit: *Beata qua credidisti*; cum illa verba pronuntiavit: *Ecce Ancilla Domini*.

In Nativitate: *Beati oculi, qui vident, qua vos videtis*. Si Pastores tunc viderant, & mirati sunt, quantò profundius attentiorique obtutu filium intueretur immaculata Mater?

Quando Deo in templo obtulit filium, ei prædixit Simeon: ecce positus est in ruinam, undè lugentium beatitudo ei obvenit: *Beati qui lugent*.

Quando verò in templo invenit JESVM de illa dicitur: *Beatus qui invenit sapientiam, & qui tenuerit eam: Si pauperes beati sunt, quis illâ pauperior, & auspiciore egestate?*

Si beatus, qui suffert tentationem: quis magis tribulatus, humanaque tutelâ destitutus, quàm beatissima Virgo in passione sui filii?

Si sunt beati, qui lavant stolas suas in sanguine agni: Quis felicius Deipara MARIA hoc officio functus fuit?

Si beatus est quem elegisti: quis perfectius MARIA electus? Si populus, qui scit jubilationem, est beatus; quis solidius lætatus fuit, quam Deiparâ in sui filii Resurrectione, Ascensione, & Spiritus sancti Adventu? *Beatus ergò venter, qui te portavit, & ubera qua succisti*.

Alia restat beatitudo: quinimò *Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*. MARIA conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo. *Tota pulchra es amica mea, ô quam pulchri sunt gressus tui filia Principis, ob tantam beatitudinem quæ egregie cecidit*

cidit super immaculatissimam, beatissimamque conceptionem tuam?

SECUNDA PARS.

100. Ingenti solatio sunt hæc verba: *Beati qui audiunt*: Sed cur audientes beati vocantur? Propter effectus, quos secum afferunt Domini verba, salus ab ipsis procedit: *Sermo tuus sanabat omnes*: - Vis sanari à lepra? Ostende te. Sacerdoti per Sacramentalem confessionem; vis visum recuperare cognitionis propriæ? lutum oculis adhibe. Aridus es? *Emittet verbum suum, & liquefaciet*. Esne à dæmone obsessus ita, ut modò in ignem, modò in aquam præcipiteris? Audi Christum, & liberaberis. Mortuus es? *Omnes, qui in monumentis sunt audient vocem filii Dei*. Beati qui ritè eam audient.

101. Sed quare, cum tot sint verbi Dei audientes, sunt tam pauci Dei dicto audientes? Cognitio enim non operantibus ad majorem condemnationis causam conducit. *Melius namque esset tuis, viam veritatis non agnoscere*.

102. Cur homines sunt hoc tempore, ut Israëlita illi duræ cervicis; & se cum Deo gerunt, veluti illi cum Moyse, qui *non acquiescerunt ei propter afflictionem spiritus, & opus durissimum*? Pharaonem hic mundus aded eos occupat, ac divexat; quosdam honoris ambitione, alios luxu, ac voluptate, ut non sufficiat, Moysem dicere: *En Deus vult eripere vos de captivitate*.

103. Cum Deo agunt ut Loth, qui dissimulabat, licet jubentibus Angelis Sodomis exire ipsum. Itaque fuit necesse, ut Angelus eum apprehenderet, & eriperet: expectas fortè tu peccator similem ex tuis vitiis exitum? vanâ certè duceris spe tuæ libertatis.

104. Pauci descendunt in piscinam, quando Angelus movet aquas; potiùs ut canes rabidi ab iis, hoc est à tribulationibus abhorrent & fugiunt, & sic transigunt suos plurimos annos, quin salutem quærant.

105. Maximè mirari possumus, quod Deus castra Syriæ quodam sonitu impulerit ad fugam; nobisque non sufficere verborum, & inspirationum divinarum tot clamores ad eximendos nostros animos ab obsidione, quâ cingit nos tot hostium exercitus.

TERTIA PARS.

106. Quibus dignoscitur signis audientium progressus? Quibus differunt progredientes, & non proficientes?

107. Differunt: nam peccator est, veluti

hecticè febre vexatus, qui consumitur ipso alimento, cibisque decrescit: qui verò bona valerudine utitur; cibo, quantumvis exiguo, saginatur, & nutritur, cum in suam substantiam convertens.

Alia differentia est, hominem proficientem fastidire res inutiles; (quia *verba mea sunt quasi ignis; & quasi malleus*.) Peccatorem verò post audita salutaria verba in eodem statu permanere integrum, nulla ex parte in sua pervicacia imminutum.

Progredienti injucunda redduntur, quæ antea libebant. *Amaricatus est venter meus*. Voluptas, quam percipiebat ex peccato in absynthium, amaroremque ei convertitur; præsertim molestissima fit jam erga Deum offensa.

Aliud signum sit, qui progressus in via Domini facit, penetratur, & corrigitur Dei verbo: *Vivus est sermo Dei, & penetrabilior omni gladio ancipiti*. Undè si ex concione ictus redeas, auspicatum signum est; infaustum verò si remeas, qualis domo excessisti.

Si homo post Dei verba humiliatur, demittitur, & usque ad ipsam terram prostermitur, felix indicium est: Muri enim Jerico ad buccinarum clangorem cecidèrunt. Mirabile etiam signum; (*loquetur pacem*;) quando pacem, & tranquillitatem elicis ex paupertate, contemptu, cæterisque laboribus. Aliud signum reperitur in Daniele, Cap. 10. *Et vox sermonum ejus ut vox multitudinis, &c. Ego autem relictus vidi visionem hanc, & non remansit in me fortitudo; sed species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quidquam virium*. Hic virium ad vitia defectus admirabile signum est.

Præterea sit secundum indicium, ut cum Dominus loquitur, & vocat, (ut cum Paulo loquebatur dicens; Saule, Saule,) sine mora respondeas; *Quid me vis facere?* Sed opus est non solum verbis, sed operibus respondere.

Huc adde: Si cum Davide dicimus, *Propter verba labiorum tuorum, ego custodivi vias duras*. Sed aliquis opponet durum esse hunc sermonem: *Quem te ipsum facis?* forsitan nonne es ex Adæ filiis? Qui ergò excusare te potes à duris, & laboriosis viis. Contemplantur Davidem, Isaiam, in veteri Testamento. Convertite oculos ad Confessores; & Martyres; intuerentur Deiparam, ejusque Sanctissimum filium; omnes, uno ore demonstrant cruces, & labores.

Si in peccatores oculos figas, mundo, qui ita ipsis dominatur, dicunt: *custodivi vias duras, quia ludentes, & superbientes honoris fortunarumque jacturam fecimus*.

Obsti-

115. Obstinatiores interroga, & videbis, quomodo dæmoni respondeant, propter verba labiorum tuorum lassati sumus, & ambulavimus vias difficiles.
116. Cur non te disponis ad ea dicenda pro Christi amore, cuius mos fuit subire pro te labores, ut te ab eis liberaret? Audebis coram eo apparere, quando tibi dicat. *Ego pro te custodivi vias duras.* Et tu pro me nolivisti declinare deliciosas, & voluptuosas? Si pro me ambulavisses vias duras, tuos labores ego converterem in requiem; sed itinera difficilia obivisti pro dæmone, qui tuas temporales molestias in æternas vertet.
117. Eliciamus hinc; non tantum nos debere contentos esse verbi Dei auditione, nisi in nobis experiamur aliqua ex prædictis signis, præsertim nisi possumus verè dicere: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Utque ad hoc alliciaris, converte oculos ad Deiparam, quam propriè & verè potuit dicere hæc verba in teneris suis annis, cum præsentata fuit in templo; prætereà in Filii Nativitate, & in ejus sanctissima Passione juxta Crucem. Imitemini eam, & ejus æmulemini beatitudines.
119. *Beatus venter.* Si Dei arca Philistinorum Dagon destruebat, quantum validius hæc arca Domini demolietur peccata; si eam velint piè & sanctè collocare in suo corde homines.
120. Si Obededoni contulit Deus beneficia; quia domi suæ habuit arcam, quot, & quantis cumulabitur, qui MARIE dignitatem defenderit.
121. Si quod arca includeret virgam, & manna, fuit omnium honore tam digna, quanto majore reverentiâ tenemur venerari illam, quæ in se continuit ipsum Dominum, (*qui portat omnia verbo virtutis sue*) Conditorem orbium, potentissimum Deum.

CONCIO VI.

In die Expectationis partus.

Missus est Angelus Gabriel, &c.

122. **A** Mavit Dominus aded filios Israël, ut dixerit: *Nunquid potest mater oblivisci infantem, &c. & si illa oblita fueris, &c.* perindè ac si diceret, teneriore erga vos afficior amore, quam mater erga suos filios. Matres enim oblivioni solent filios tradere; sed ego numquam vestri immemor ero. Si hoc Dominus dixit de illis qui erant cervicis duræ, quid dicet veris Israëli-

tis, & iis, qui in veritate serviunt? Est ita intensus ipsius amor, ut hoc matris officio utatur erga nos omnes: & cum veræ matris munus sit monita filiis præbere, documentis nos excitat, & salubrioribus consiliis. Decrevit summa Sapientia octo ante Domini Natales dies agi festum, divini partus expectationi dicatum, quo excitarentur peccati sopore obruti; lapsi surgerent; omnesque ad tantæ solemnitati dignè assistendum disponerentur; ut expectationis dies esset, veluti præco, qui in memoriam reduceret præparationem tanto festo requisitam: nam experimur in scelerum punitionem, aliquos non integrè præparatos accedere, aliorumque adventum perindè esse, ac si non fuisset; pluresque nolle appropinquare. Primi solum pedibus corporeis, nec defæcatis animi affectibus, sed peccatis inquinati accedunt; Secundi veniunt ita incuriosè Ethnicorum ritu, ut illorum absentia, vel præsentia parum ad celebritatem intersit; plures sunt aded suis vitiis addicti, adeoque in eis obstinati, ut ne venire quidem velint; & quod deterius est, retardent aliorum adventum, horum vita pendet ex excitatione ab eo somno, quo sordescunt. Sunt enim illorum de quibus Scriptura dicit. *Nescis stultus, &c.*

Sunt instar bovis gradientis lentissimè, & veluti cum gravitate ad macellum, & laniam: pergunt sua sponte ad ipsa tartara. Aliqui tamen sunt, qui in votis habent Christi Domini natales celebrare, eosque expectant, quibus indicam illud: *Filia Sion: ecce Rex tuus venit;* & quia cunctorum eum venire refert, omnes gratiæ favorem imploremus à Cælorum Regina. *Ave Maria.*

Missus est, &c.

Nihil de hoc festo scriptum reperimus in sancto Evangelio; sicuti nulla mentio est primæ Christi Domini apparitionis in gloriosa ejus resurrectione; sed sunt aliquæ propositiones per se notæ, ex quibus omnia quæ inferuntur, sunt manifesta, v. g. ex hac propositione. *Video solem,* rectè infero esse diem; ita favores sine aliqua exceptione sunt in regia Dei aula consolationes respondentes exantlatis laboribus, juxta illud: *Secundum multitudinem dolorum meorum, &c.* Sic si Deipara in filii sui perpeffione majore affecta fuit dolore: etiam in Resurrectione ampliore fuit perfusa lætitiâ, ingentioris solatii confors, quæ doloris in filii sui obitu fuit acutioris particeps. Quamobrem ut intelligamus præparationem MARIE ad divinum partum, considerare debemus dispositionem ejus ad filium Dei concipiendum; indeque colligitur

VIR-

virtutum apparatus, quibus decorata fuit, dum in lucem eum ederet. Ad hæc, apertissime Ecclesia Catholica utitur Evangelio prædicto, in quo perspicitur ornatus speciosissimus, quo se cohonestavit ad eum in suo virgineo ac purissimo utero suscipiendum: unum ex altero dilucidè inferitur. Si enim tantâ curâ paravit filio domum, ubi de cælo placidè moraretur post novem mensium intervallum; quo voluit Deus in ventre virginali habitare; quis ambigat, quin eò intensius ad recipienda Dei munera se disposuerit, quo excelsioribus gratiis ditabatur? Inspiciamus ergo, quomodo se præparavit hoc justitiæ speculum; ut inde eliciamus nostram præparationem, divinisque aptemur donis.

125. Prima dispositio fuit à mundanis recessus: *Ingressus Angelus ad eam dixit*. O quam egregia dispositio! ut Christus spiritualiter in nostris animis nascatur, horti conclusi debent esse. Ad eò amat in suis sponsis clausuram Deus, ut pronuntiaverit per Prophetam Oseam: *Sepivi viam tuam spinis*, perindè ac si diceret, ut clausa sis, & à me non separeris, facio ut hujus sæculi te res vexent, & pungant; desidero enim te à me non divagari, sed semper proximam esse.

126. *Turbata est in sermone ejus*: O quam bonum signum, & quam apta dispositio; laude propriâ, propriis encomiis turbari, & ea habere suspecta? Videas tamen; Herodem turbatum fuisse, cum audivit, novum in suo Regno natum fuisse Regem; amittere Regnum ita timebat, ut animo concuteretur, veritus, ne sceptro privaretur, cujus solius rei horrore turbatus est Tyrannus. Maria verò, ubi laudibus extollitur, turbatur. Consulat unusquisque seipsum: turbaris metu honoris, rei que familiaris jacturâ? his rebus inordinate adhæres? Herodem refoles, Herodianusque videris: è regione, si turbaris, quando laudibus cumularis, easque quasi nihil firmitatis habeant, æstimas; optimum indicium est, animum tuum MARIÆ spiritu duci. Si MARIA Angelicis præconiis turbatur, justum est, te, hominum laudibus concuti: Si illa coram Angelis verecunda rubescit; tu coram hominibus mitescere teneris: Si illa Angelicæ consuetudinis aditum veretur; quo metu debes tu percelli, voluptuosis te alloquentibus? MARIA timet, & tu non timebis? illa sine peccato timet, & tu in illis conceptus, & natus, non contremisces?

127. Post hunc sanctum timorem; & postquam Angelus Legati munus obivit; *Ecce concipies*. Statim cernere eum posses ostendere virtutes, quibus animus amiciebatur;

nec rationes, aut argumenta subjicere; sed tantum desiderare scire modum, quo peragendum, quod proponebatur, cum decrevisset virginitatem. O quam mira dispositio; at quam malè ab hominibus intellecta, qui illicò obtendunt sui luxus, & teporis excusationes? Quidam: *Emi villam*: alius, *Uxorem duxi*. Alius carnis macerationem veritus; *debilis sum*: quidam; *Si aliena suis Dominis restituo*, inopiâ premar, fameque peribo; ita nemini prætextus deest, ut se Divinis obsequiis committat. Et qui melius firmat has rationes doctior omnium æstimatur: Beatus ille, qui solùm respondet *Quomodo fiet istud*? Attende, te debere famam proximo restituere. Dicas: *quomodo fiet istud*? Quære modum; sed quia pauci reperiuntur ita respondentes, sunt tot peccatores, & tam pauci cultores justitiæ.

Deindè si rectè consideremus, inveniemus MARIAM turbari, & silere, cum dilaudatur ab Angelo, sed quando postea audit exhiberi filio *sedem David Patris sui*, qui molestiis fuit scatenus, ob persecutionem Saülis, & Absalonis; ob contumelias, quas in eum congestit Semei, perpendens folium laboriosum, ærumnisque abundans, ad hæcque suum Filium à Deo vocari, quibus justorum animi conservantur: tunc libentius auscultat, respondetque. *Quomodo fiet istud*? unusquisque investiget, utrum magis propendat ad oblectamenta, & delicias, quam ad labores, & ad Christi Crucem; & hinc colliget, qualis sit.

Postquam MARIA scivit, quâ ratione tantum mysterium peragendum esset, & sine purissimæ suæ virginitatis violatione futuram se Matrem & Virginem; Dei que cognitâ voluntate, in hac legatione, dixit: *Ecce Ancilla Domini*: tradens Deo libertatem, & arbitrium, omniaque, quæ possidebat; ut quæ omninò Numini se commiserat, statim in suis visceribus suscepit continentem omnia Deum: hæc est optima præparatio, sine qua, licet Deo offeratis fortunas, honorem, parentes, & proprium sanguinem, si vobis retineatis cor, illudque non credatis Deo vestrâ voluntate, nihil fit. Sic multos videmus, qui veluti institores cum Deo licitantur quærentes vias, quibus eum gratum sibi habeant, quin semetipfos in ejus obsequium tradant. Petamus ab eis, ut Christo cor dedant, illudque à peccatorum fordibus expiatum, avellantque indè, ubi id prius collocaverunt, nempe à Creaturis: necessarium est, cum Virgine dicas: *Ecce ancilla Domini*, en Domine cor meum, & donec illud præstes purissimum; & à crea-

tu-

turis immune, quibus tam deliciosè ipsum mancipasti; & ad Creatorem tuum id dirigas, dicens cum David: *Confitebor tibi, Domine, in directione cordis*; parum tibi reliqua proderunt. Hæc est præcipua dispositio ad celebranda Christi natalitia: qui igitur vult ad tantum festum colendum congruè accingi, imitetur MARIÆ recessum, ejusque in laudibus propriisurbationem, & timorem; inclinetur magis ad labores, quàm ad voluptates, nec conetur scire, nisi ea quæ ad Dei voluntati obsequendum conducunt. Deinde prorsus se subiiciat ei, qui pro humano generi tot laboribus se subdidit. Quibus egregiè disponetur, ut Dominus in ejus animo spiritaliter nascatur.

S E C U N D A P A R S.

130. Aliam dispositionem hoc tempore docet nos Ecclesia Catholica Romana, ut nos præparemus desiderio, quo cæci flagrant videndæ lucis, adeoque ut cæci clamemus: *O oriens splendor lucis aterna, & Sol justitia veni, & illumina sedentes in tenebris, & umbra mortis*. Quatuor cæcorum genera sunt. Primum, illorum, qui cum visu polleant; in multis tamen se judicant versari tenebris: hi sunt justi passim existimantes nescire se, (parum suâ sententiâ fisci,) illa, quæ maximè intuentur; & his Dominus dicit: *Si cæci essetis, &c.* Alii cæci sunt; qui quamvis ambulent in tenebris, desiderant tamen videre lucem; hi sunt aliqui peccatores, qui recedere à peccatis in votis habent, licet in illis cæci perseverent; iis uti valetudinariis promitti posset spes salutis; nisi omnis vita solum in propositis perageretur: alii cæci abhorrent lucem, quos, sanctus Job ait *lumini rebelles esse*: Si his aliquid ad æternam salutem dicatur, statim respuunt illud, de eoque audire negligunt. Jubebat Deus, ne populus Israël noctuas ederet; quippè quæ erant aves, quæ solum noctu incedebant, & solem respicere fugiebant; & quoniam prædictum peccatorum genus Divinæ lucis radios aspernabantur, imperabat Deus Israëlitis, ne vescerentur avibus, quæ referrent illos. Alii cæci inveniuntur, de quibus Job dicit: *In tenebris, sicut in luce ambulant*: Hi sunt qui peccatis, carni, sanguini, vindictæ, & Tyrannidi auctoritatem adhibent; & ita statuunt apud se, è re sua esse, inimicos ulcisci, & alia scelera perpetrare, ut cum in densissimis tenebris ambulent, degant tam securè & lætè suam vitam, perinde ac si in veritatis luce versarentur; omnibus his convenit præparari verbis supra propo-

tis; ut luce, quam non vident, visum restaurent, & si quid vident, se æstiment quasi cæci essent, reputantes se parum videre in hac mortali vita, respectu eorum, quæ intueri in æterna possunt.

Aliis similibus verbis invocatur sponsum Ecclesia, dicens: *O Rex gentium, & desideratus earum, lapisque angularis, qui facis utraque unum, veni, salva hominem, quem de limo formasti*. Ex quibus eliciuntur duo: Primum: nos debere petere deum, ut subveniat homini, ex limo terræ fabricato; meditare te inde esse conflatum, & vivere circumdatum tot vitæ periculis & insidiis. Quæ consideratio te adiget ad vocem ita efferendam Creatori: *Domine, en ego terra, tu scis figmentum meum, & anima mea sicut terra sine aqua tibi*. Hujus nostræ conditionis oblivio mundum depopulatur, hujus memoriæ defectus efficit, ut homines vitam transigant aliam, quàm peragerent, si recordarentur se ex terra fuisse formatos. Aliud eliciendum est, quòd Christum Regem speremus. Inter maximas deceptiones, quibus peccatores tenentur, pessima est illa, quâ Christum ut Regem non expectant; si enim ut Regem expectarent illum, eum venerarentur ut Deum: at quia illum intuentur adedè mitem, & abjectum ob nostram salutem, non illum ut Regem timent, aut verentur. Cæterùm pœnas dabunt ipsi, prout exigit illorum impudentia, & protervia. Igitur timendum est, ô Peccator. Rex enim venit, sed timens ne diffidas; Rex desideratus venit, & te Regem constituturus, si tantum Dominum decenter recipias.

Disponit nos Ecclesia nostra Mater aliâ altissimâ Methodo, dicens: *O Emmanuel Rex & legiser noster, expectatio gentium, & Salvator earum veni ad salvandum nos, Domine Deus noster*. Emmanuel vertitur Latino idiomate *nobiscum Deus*. Quâ gratiâ per sacrosanctam Incarnationem donati fuimus, ut Deus nobiscum esset. Attende, obsecro, quanti tua intersit, ut tecum sit Deus, & ex hac consideratione colliges dispositionem requisitam ad eum recipiendum. Ut hoc consequaris debes perpendere, qualis sis, quando Deus tecum non est; & qualis, quando tecum habitat: Contemplare cor divino amore inflammatum, quàm pulchrum, & nitidum persistat, & quantos in via Domini progressus faciat: econtrâ verò exutum hoc amore, quàm foedum & vile sit: hinc aliquo modo investigabis, quàm magni momenti res sit Deum tecum esse: nam de justo dicitur: *Super aspidem, & basiliscum ambulabis*. Peccatori autem accommodantur hæc

T epithe-

epitheta: nempè *fatuus similis bestiis*, *quibus non est intellectus*, ut inferas, comparatione Divini confortii pro nihilo habendos honores, divitias, voluptates, fortunas, vitam & salutem. Si enim Deus tecum sit, *non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*: illo verò recedente, ad quid utilis eris? quid poteris? quid appetes? Esto omnia possideas, si sine illo ea habeas, omnia tibi in nihilum redigentur, quia *sine ipso factum est nihil*.

133. Ergo ut possis dicere: *O Emmanuel!* tecum præclare actum erit, si tui oculi lachrymarum imbres effundant, si tuum cor suspiria ducat; si cæteris macerationis instrumentis utaris, pudore suffundaris, quod nihili hucusque feceris Dei absentiam; quoniam etiam de Israëlitis scribitur luxisse, cum fore audiverint, ut nollet uti eorum confortio Deus. Si duræ cervicis populus ita doluit de Dei absentia; tu proculdubio pervicacioris, & obstinatoris videris esse cervicis; siquidem credens, per peccatum lethale Deum ab animo relegari, non solum tantum damnum non ploras cum Israëlita; sed veluti *Ægyptius*, & *Babylonis accola*, tunc opiparè indulges genio, deliciis affluis lautè, & vestibus splendidioribus ornaris! Dicas amabo: quid sine Deo facere possis? Quòd si amici absentia omni te privet voluptate, quid fiet sine Deo? Enixè labora etiam vel cum ipsius vitæ dispendio, ut verè valeas inclamare; *ò Emmanuel!* Et quandoquidem per Filii Dei merita, & virtutem adhæres Deo, dispone temetipsum, ut eum recipias digniori hospitiò.

134. Aliud præparationis genus peculiare potest adhiberi ad transigendum hoc tempus, quod Domini natalitiis præcedit: nempè singulis diebus petendo Spiritus sancti dona: ex hodierno die incipit sancti timoris Domini postulatio, quæ est optima ad finem intentum præparatio: nam *supra quem requiescet spiritus meus; nisi supra humilem, & pauperem, & timentem sermones meos*. Ut Deus incuteret Israëlítico populo hunc timorem, excitata fuit in monte maxima tempestas cum fulgetris, & cæli fragoribus, quibus vehementissimè populo jam territo dictum fuit; procellam commotam fuisse, ne peccarent. Christus item Dominus, ut nobis ingereret terrorem, prædixit Judicii universalis signa. Defectu enim timoris barbarè audent plurimi Creatorem offendere, & inde tot tantaque oriuntur damna. Quid undique vides, quod timore te non afficiat. Si aliquis te capillis suspensum haberet ex alta turri,

nonne timeres, præcipitandum te fore? Hoc enim tantum penderet ex suspendentis manu. Cur ergo non times, ne præcipiteris ad Inferos; cum hoc tibi sine dubio eveniret, ni Deus te conservaret sua potentissima manu; arma temetipsum hoc primo die timoris scientiâ: quia *initium sapientia timor Domini*.

Secundum donum est pietatis, & Dei 135. amoris, qui tam necessarius est ad hanc dispositionem, ut sine illo nullius sit ponderis, montes transferre ex una in alteram partem: adèd est necessarius, ut *si dederit homo omnem substantiam suam pro dilectione, pro nihilo reputabit eam*. Intuere ea, quæ sub terra sunt; & invenies te ereptum ab inferis divina misericordia, respice terram, videbis, quot fructus tibi producat: eleva ad cælos oculos, conspicias felicitatem æternam te manentem, si ad illam consequendam te accingis; amore ergo te instrue, ut tot tantisque donis diteris.

Tertium donum est fortitudo in tribulationibus, & laboribus. Nostra enim fortitudo non alia quàm stupæ est, quæ statim comburitur, si ad eam ignis scintilla accesserit: tale cor nostrum est, quod si illud carpat vel minima tentationis, aut voluptatis scintilla, illicò aduritur; idèoque *patientia est nobis necessaria*, & ea fortitudo, quæ sanctos roborat, ut mundum vincant, & pessumdent, contemnantque labores. Sanctus Laurentius dicebat Tyranno: *Versa & manduca*: si amore inurimur, nobis aderit hæc fortitudo, quia *fortis est, ut mors dilectio*.

Quartum donum est sapientia, quod 136. obtinet ille, qui sapientiam hujus sæculi stultitiam reputat, èd quòd *sapientia hujus mundi stultitia sit apud Deum*: hoc autem non solum debet ad mentem, sed ad voluntatem etiam pertinere. Facultas enim dulcis, & suavis est voluntas: mundus Dei sapientiam pro stultitia ducit, scilicet abjectionem, ignominias, crucem, quibus ut Deus ostenderet æternam suam sapientiam, orbem & ejus assecclas subjugavit: nam *qua stulta erant mundo, elegit Deus*: itaque cum alicui incipiunt hæc Christiana exercitia placere, signum est ab illo divinum possideri donum.

Quintum donum est sanctorum scientia 137. in practicabilibus, quæ sibi hauriunt maximum proventum ex laboribus, ex paupertate, ex inimicis, & tentationibus. O quàm segura est ista chymicæ artis species; & quàm dives, qui eam possidet? Cui possumus dicere: *omnia subjecisti sub pedibus tuis*: quandoquidem cuncta tibi serviant ad Dei gloriam, gratiæque augmentum.

Sex-

139. Sextum donum est consilii; in hoc maxime homines hallucinantur; aliqui enim sunt, qui tanti se faciunt, ut judicent, non se decere ab aliis dirigi: Alii gravatè ferunt aliunde gubernari, quàm humanis legibus, terrenaque prudentiâ, pensitantes res non prout sunt, sed secundum speciem, & apparentiam; hi omninò à veritate deviant: non pauci ad aliud extremum declinant, qui hominum consilia sequi nolunt, sed solùm reguntur suo proprio captu, & ductu; hi verò ducuntur magno periculo in errores dilabendi; quia non est fidendum omni spiritui, ut inquit Apostolus, eoque præter Apostolos, sanctosque viros, quibus Deus effusissimè suum spiritum communicavit, cæteris convenit *unum facere, & aliud non omittere*. In primis conducit se suaque Domino commendare; ab eoque consilium petere; posteaque facere, quod in se est, consultantes de suis dubiis libros, Ecclesiæ Doctores, pios viros, doctos, & sapientes, quia *in ore duorum, vel trium stat veritas, & ubicumque fuerint congregati duo, vel tres in nomine meo, illic sum ego* (inquit Dominus.) Voluit ostendere amore esse uniendos homines, & eò fortius, quo magis inter se indigent.

140. Septimum donum est intellectus; ò quantum hoc dono opus est, ut patet ex Isaia. *Miscuit vobis*, (nempè permissivè,) *Dominus spiritum soporis*; hic spiritus stupefactos, & attonitos effecit homines, qui intuentes non vident; hic mundum depopulatur. At si respondeas, fatis te intelligere: falleris; quia *intellectus bonus omnibus facientibus eum*, non scitè intelligunt, nisi qui benè operantur.

141. Ad hæc dona consequenda, cælorum Reginam nostram Patronam adeamus. Quis enim perfectius illà sanctum Dei timorem unquam habuit? Nam ut diximus in Evangelii expositione, honorari timuit, & salutari ab Angelis. Quis eà ardentius Deum amavit inter omnes creaturas? Multum fecerat Abrahamus cum decrevisset sacrificare Deo suum dilectissimum Isaac. Sed quantò laudabilior affectus Beatissimæ Virginis in offerendo durissimis tormentis tam divinum Filium, tam amabilem Deum. Eam ergo hodie eligamus apud Deum Advocatam, ut discamus amare; muniamurque fortitudine, quandoquidem tam fortis fuit, ut nulla in re inimicus ab ea reportaverit palmam; adeoque animo prædita, ut steterit juxta Crucem, videritque Filium suum in manus Patris tradere spiritum. De sapientiæ dono quid dicam? Ambigatne aliquis de ejus sapientia, quæ novem mensium spatio æternam

Sapientiam portaverat suis visceribus? Imploremus eam, ut scientiæ dono instruamur: nam quis filii laboribus usque ad gloriosam Dei Resurrectionem eruditior evasit? Si verò scire cupis, an consilii dono abundaverit, considera consilium, quod dedit in nuptiis: nempè *quodcumque dixerit vobis, facite*: Quid præstantius, aut excellentius? De intellectu dono advertite eam hac in re excedere Angelicas intelligentias. Jure igitur ab ea petemus donorum dispositionem, quàm mundi Salvatorem expectemus, qui in hac vita nos donet suâ gratiâ, & postea suâ gloriâ. Amen.

CONCIVII.

Habita sacrâ nocte Nativitatis Christi Domini, Fratibus votorum nuncupationem repetentibus. Anno 1560.

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Accedamus ad adorandum hunc Divinum ac tenerum infantem jam hodie natum ad nostram salutem. *Cujus imperium super humerum ejus*, qui cum portet omnia verbo virtutis suæ, ut bonus Pastor; quæsit, & invenit, suisque imposuit humeris perditam ovem. Iste est, de quo scribitur: *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*; sed eò, quòd nostram naturam assumpserit, incepit jam hâc nocte labores subire, ut ut à nobis averteret æternos. Ideò plorans ut verus homo nascitur, expositus frigori, & nuditati.

Iste est, qui ut hominem reduceret ab exilio, cuius pœnam luit propter admissam culpam; Aulam suam Regiam reliquit, prout ipse dicit: *Reliqui domum meam, reliqui hereditatem meam*; & venit huc, ubi non est receptus tam dignè à peccatoribus, quia *non erat ei locus in diversorio*.

Iste est, qui flet ut cæteri infantes, sed diversissimis de causis: illi enim plorant nescientes causam, cur lachrymas fundant; sed hic optimè novit lachrymarum suarum originem, de eaque maxime dolet. Deslet enim, ut nos desleamus; plorat, quia nos non ploramur nostras culpas; plorat nostram nuditatem in sua nuditate, obnoxius brumæ rigori ad depellendam eam, quàm nos torpemus, frigiditatem. Iste est ille Deus, quem in præsepio mitigare voluit viscerum nostrorum duritiam.

Iste est, qui pro cibo, quem Adamus

ad omnium & suam mortem comederat: alium homini præbere venit, scilicet se ipsum in jucundissimum delictum, Deitate, divinisque attributis conditum. O maximum miraculum! ô Divinas epulas!

146. O Dei Mater! ut aliquo modo pro tanto beneficio satisfaciamus, aperias sanctissima ubera tua huic Infantulo, qui in hunc Orbem descendit exhibiturus apertum aliquando etiam suum pectus, unde sanguis & aqua dimanent, quibus Adæ filii vivamus. Felle mixtam potionem tradent ei peccatores; sed ille eis porriget sui pectoris dulcedinem: fove tuum bellulum, & impetra nobis gratiam. Ave Maria, &c.

Ecce Agnus Dei.

147. Solemus ob filiorum natales parentibus gratulari; Sed qua ratione tibi gratulabimur, ô æterne Pater de Nativitate filii? In tuo enim sinu est immortalis, qui hodie nascitur mortalis; in sinu tuo suâ gloriâ Angelos vestit, modoque nudus nascitur: in sinu tuo Beatis disponit sedes gloriæ; & hodie non habet ipse locum in diversorio.

148. Ad homines eum mittis, dicens: *Verebuntur filium meum.* Sed non ita fiet, sanctissime Pater, potius eum audebunt intolerabili impudentiâ laceffere. *Venite occidamus eum, hic est haeres.* Si hæc ita sunt futura, quo vultu tibi gratulabitur mundus de filii Nativitate?

149. Ipsi nato cur gratulemur, de quo, prout manente in Patris sinu dictum est: *Non accedet ad te malum:* & hac nocte illum divexant inter bruta temporis inclementia, pauperies, & fletus.

150. Alicui fortè videbitur nos posse Matri gratulari ob gaudium, quo ejus oculi afficiuntur, dum cernunt tam nectaream speciem ac dulcedinem. Cæterum si lachrymis miscetur hæc lætitia, non erit, quod ei gratulemur; gaudent oculi, dum fruuntur ejus venustate, sed amarè deslent quod tam parum notus sit hominibus. Si ita jam doles, ô castissima Mater, quot effundes lachrymas, quando eum videbis undique natantem suo pretiosissimo sanguine?

151. Si modò jam doles, quid facies, cum eum cernes non medium inter Asinum & bovem, sed inter latrones; non tuo purissimo lacte pastum; sed felle, & aceto potatum? Si illum cernens tanta in egestate, sed tuis amplexibus fotum, ea teneritudine commoveris; qualis erit tuus dolor, cum eum viseris ex crucis brachiis pendentem, quæ non futura sunt Matris, sed Novercæ?

152. Quibus autem gratulabimur hos natales? peccatoribus? *Nobis datus, nobis natus:* Si tamen consideremus, quam ingrati huic

beneficio fuerint, multa ploranda suppetent. Perpensis tamen tot beneficiis in tanta celebritate, non possumus non gratulari, in primis æterno Patri; Filius enim, licet moriturus nascatur, manifestabit tamen Patris nomen per nationes, & populos: morteque sua à morte æterna victoriam comparabit hominibus. Itaque jure optimo tibi, ô æterne Pater: gratulabimur; quia *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum.*

Filio etiam gratulemur: nam quamvis dicat: *Reliqui domum meam:* tandem nihilominus gaudebit, dicens: *In baculo meo transivi Jordanem, & revertor cum duabus turmis.*

Gratulemur insuper Matri: quoniam si filii præsentiat jam dolores, postea tamen gaudebit ejus clarissimis triumphis.

Gratulemur peccatoribus: positus enim est in præsepio Deus, ut eò facilius ab eis inveniretur qui conversi erant in beluas.

Et quandoquidem illum quæsitum hac nocte venimus: *Ecce Agnus Dei.* Quis ego sum Domine, qui tenere te audeo meis manibus? Satis cognoscis, quid illæ operatæ sint. Cur adeò, mi Deus, te abjecisti, electo pro tuis thalamis præsepio; illud tamen nunquam te offenderat; sed ego tam ingrata creatura. Ergo *consolamini peccatores, consolamini:* & cum ad vestras manus dignatus sit descendere vester Deus, cum animi demissione suscipite; fovete, diligite eum, qui tantâ mansuetudine tractari voluerat vestri cordis, brachiis, & amore.

CONCIO VIII.

Habita de Nativitate Domini Eboræ in divi Benedicti Cœnobio.

ECclesia Catholica Romana sacri Evangelii historiâ ad adorandum Infantem JESUM hodie nos invitat; hæcque invitatione vocat peccatores, imò qui obstinatissimi sunt in prava sua voluptate, ut properent subdere se Domino.

Quis enim erit tam elatus, qui superbi- re non cesset, videns humilitatem Christi ita se demittentis, ut in Cæsaris tabulis, veluti subditus describi se voluerit, cum Rex omnium Regum esset, & Dominus Dominantium. Quanti emeret Cæsar in vitæ libro suum nomen videre scriptum? Rei tantæ, certè exiguum foret pretium Romanum Imperium. Et tamen Christus Dominus venit, ut ejus esset subditus.

Si ante homines terrebantur, quando Dominus ultionum Deus apparebat; accedant jam

jam ad præsepe ; siquidem misericordiarum Deus eò loci venit, non ut illi ministraretur, sed ut ministret ; non castigaturus nostra delicta, sed passurus suspiria pro peccatoribus. Si olim populus dicebat : *Ne loquatur nobis Dominus* : loquebatur enim (& jure quidem,) tunc nimis rigidè Deus : omnes securi nunc confluant : nam obmutescit æterna justitia ; nec rigore armata descendit ; sed pauper hæc infima penetrat, ploransque nascitur.

162. Quis prætermittat huc venire videns ab Angelis eum adorari, & in cælo, & in terra laudibus extolli ab illis supernis virtutibus, quæ hac nocte ipsi concinunt ; *Gloria in excelsis Deo*. Si Matrem Virginem respiciamus, omninò filii cultui intenta est, ex Divinoque vultu suspensa, & in ejus adorationem rapta. Josephus sincerâ eum fide suscipit : idem Pastores præstant ; nec bruta excusationes obtendunt, ne Domini sui præsepe noscant. Quis ergo erit, qui hæc historiâ, tot mysteriis non commoveatur, non excitetur ?

163. Quid sublimius intueamur, quàm charitatem, & sanctissimam humilitatem *MARIE* inter se contendentes, quasi de victoria. Charitas enim cernens nuditatem Infantis, amplecti & tegere eum exoptat, aut quasi iterum in viscera, ex quibus prodiit, reducere : humilitas verò perpendens reverentiam verbo tam divino debitam, trepidat, detineturque, quasi quæ ad Filii Dei Majestatem accedere non audeat. O quàm magnum Mysterium, & quàm utilis ejus consideratio Sacerdotibus ! ut magna cum diligentia adquirant dispositionem, quâ ad Altaris Sacramentum appropinquent, illudque contrectent his duabus virtutibus exornati.

164. Quis non profundè ad pietatem moveatur videns Infantem jam in præsepis reclinatam duritie ; jam inter brachia Matris ; jam collocatum inter bestias, ut homo in brutum mutatus eum facilius invenire possit.

165. Quis quantumvis durus, non flectatur, & mitescat intuens hunc tenerum puellum positum in præsepis, incipientem jam pro hominibus satisfacere, summâ omnium rerum penuriâ, & nuditate ?

166. Invenietur aliquis tam inclemens, tamque ex silice natus, qui animi sui portas claudat, negetque in suo corde domicilium Christo Domino, qui non habet in diversorio locum, ut homo recuperet, quem in cælo perdidit ; cum tamen certum sit, indignum esse peccatorem habitare super terram ; sed mereri potius esse jam in tartara detrusum ob suas culpas ?

O filii hominum ! usque quo eritis gravi corde ? quamdiu negaturi estis cubile vestro Deo ? Cur ita detrectatis ad eum vosmetipsos convertere ? Cur ex vestro corde eum depellitis ? cur eum negligitis, cum nolisset locum in diversorio habere ipse, ut vobis eum pararet in Cælo ? Excutite jam omnem soporem, peccatores ; attendite ad manuum vestrarum opera : nam scriptum est ; *Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet, desiderium peccatorum peribit*. Quod idem est, ac si diceret Propheta ; Peccatorum desideria peribunt, nullus illis relinquetur locus, quia eum prius negarunt Christo Domino.

Allecti ergo sacrâ Evangelii historiâ 166. adorate Deum ; considerate gaudium, quo illum Angeli laudant ; illos saltem imitami in voluptate, quâ Domini voluntatem exequentur, juxta illud : *Benedicite Angeli Domini*, qui facitis voluntatem ejus, Domino.

Perpendite etiam quàm diversè Angeli 167. in cælo, & homines in terra se gerant ; in terra enim si aliquis Princeps duceret abjectæ conditionis uxorem, ejus cognati, clientes, & subditi afficerentur maximo pudore ; nec lætitiæ, sed luctus signa ederent : sed non ita in cælo ; quia ubi suppositum divinum naturæ infimæ sortis ex rationalibus, nempe humanæ unitum est, exultarunt Angeli summo gaudio, & lætitiâ.

Angelorum officium usurpemus ; bruta- 170. que sint nobis pudori, quæ etiam suo modo creatorem agnoscunt : imitemur Mariæ charitatem, & humanitatem, ut hic gratiâ, & postea ditemur gloriâ. Amen.

C O N C I O I X.

In die Circumcisionis.

Vocabitur nomen ejus JESVS.

Meritò Prophetâ Isaias loquens de 171. hoc glorioso nomine, dicit : *Et vocabitur nomen ejus admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis*. Notetur ; *Consiliarius, admirabilis* ; Nam Deus hodie ostendit suam sapientiam, suumque admirabile consilium in solvendo tributum, quod pendere non tenebatur ; ut sciamus, quantò subjectis conveniat solvere, quæ debent ; siquidem ille, quod non tenetur, pendit expendio sui pretiosissimi sanguinis.

Deus fortis. Mirum est, quàm fortis Deus 172. sit, dicitur Abrahamo Genes. 19. imprimis *vocatum est nomen ejus Abraham*, & postea circumcidi jubetur ; sed Christo Domino

prius imperatur fusio sanguinis. Quid hoc Domine significat? Abrahamo prius nomen datur, quàm sanguinem profundat; & filius tuus non ante JESVS vocatur, quàm sanguinis tributum pendat: hinc patet, esse Deum fortem: cum Abrahamo enim agit Deus, ut cum imbecillo, & fragili si comparatur cum JESV, & sic primùm illum ornat præclaro nomine, nempè Abrahami, id est, Patris multarum gentium, quàm exiguntur ab ipso dolores: Christus autem quia summo gradu magis validus, fortis, & strenuus, antequam decoretur tam præexcelso nomine, sanguinem fundere cogitur.

173. Præterea hoc facit ad ostendendum apud Deum nomen non mereri, qui sanguinem pro Dei lege servanda, cum opus fuerit, non fuderit, castigato carnis affectu. Insuper ut manifestetur peccatorem, dum perseverat in lethali culpa, immersum carnalibus deliciis, in nullo pretio esse apud Deum; *quia nomina eorum non recordabor amplius.*

174. *Princeps pacis.* Quid hoc Domine? Aufpicatur filius tuus vitam temporalem à sanguinis effusione: & pacis Princeps vocatur, dum pro hominum remedio bella gerit, sanguinemque spargit. Fallimur, si aliter hoc cognomentum comparari arbitramur; nemo, nisi mortificatus, est *Princeps pacis*; Si cupimus cum Deo multam habere pacem, necessarium est, corde circumcidamur, & carne: carnis enim cupiditatibus domitis; animi elanguet bellum: quod enim *concupiscit adversus spiritum*, caro est.

175. Dicitur & *Princeps pacis*, quia ut ineat pacem cum peccatoribus, pro illis solvit, quod debebant pro conflatis inimicitiiis. (Hic locus illustretur, Principis exemplo, qui licet offensus à subditis peteret primus ab offensoribus pacem.)

176. Dicitur & *fortis*, quia Matri suæ talis fuit in dolore Circumcisionis. Dicitur *Consiliarius*, ut sapientia sua doceat homines labores, & ærumnas.

177. Dicitur *Pater futuri sæculi*: ita enim nos Paternè diligit, ut in redemptionis signum profundat hodie suum sanguinem, pro nostris culpis & delictis.

SECUNDA PARS.

178. Satis denotatur hoc nomen JESVS, è cælo ortum suum duxisse, & ab Angelo indictum fuisse, antequam in Virginali utero conciperetur Deus: undè dolendum est, ab hostibus Christum vocari *malefactorem, demonem, templi destructorem*. Cum ejus nomen sit mirabile, *Deus fortis, Princeps pacis, Pater futuri sæculi.*

179. Undè id nascitur, nisi ex peccati cæci-

tate? Quia licet Adamus rebus nomina, maximà proprietate imposuisset; postquam tamen amisit justitiam originalem, & ei filii concepti, & nati sunt in peccato; Superbire visum est infanæ proli in ferendis judiciis: & ita irâ percitum vocabant validum, & strenuum: deliciisque deditum, prosperum, & felicem. Unde provenit non esse habendam de terrenis nominibus rationem; sed solum de iis, quæ imponuntur in cælis. Væ homini, qui sibi de vano nomine applaudit, juxta illud: *Vocaverunt nomina sua in terris suis*: hoc infortunium homini accidit, quia *cum in honore esset non intellexit*. Pudor sit ergo, ut magnus voceris Petrus, vel Joannes, lethali contaminatus culpâ: cum nullum valeat nomen, quod vilescit peccato; quia *nomen eorum delesti in aeternum*. Ideoque gravissimè sentias ab hominibus nominari, cum apud Deum nomen non habeas; siquidem scriptum est: *Perdam nomen Babylonis, & reliquias, germen, & propaginem.*

Attende potius ad tuam confusionem: 180. Si Hebræi falsa nomina Christo Domino affixere, ea causa fuit quod illum non novissent. *Si enim cognovissent Dominum gloria, non crucifixissent eum.* Sed væ Christiano, qui abominabilia ei imponit: omnis enim Christianus suis operibus Christum Deum esse testificari debet, iuxta illud: *Et eritis mihi testes; & opera, qua ego facio, testimonium dant de me.* Dic obsecro, cum tu blasphemias; cum furaris; cum interficis; quod testimonium de Christo das? *Nomen enim Dei blasphematur per vos inter gentes; quia sicut populus, sic Sacerdos; & qualis populus, talis & Rex.* Si te, ô peccator, ethnici vident homicidam, scortis vacantem; quid de tuo Deo dicent? *Ubi est Deus eorum?*

Quid, ô peccator, respondebis in die 181. obitus tui, si dicat tibi Christus: cur tua opera testes fuerunt contra me? Cur tot falsa testimonia in me dixisti? Cur tuo luxu asserabas me esse vini potatorem, cum ita pro te in deserto jejunaverim? Cur tuis jurgiis, & rixis asseverabas me esse litigiosum, controversias commoventem, & populi seductorem, cum certum sit, quando percutiebar, summo silentio me obmutuisse. Quare tuis tumultibus & cædibus affirmasti me esse interfectorem, cum exploratum sit, quod sim vivificator, tradiderimque tortoribus vitam, ne tu sempiternam mortem obires. Quid repones, si hæc tibi obiiciantur? O qua facie Salvatorem adibis, tali morum tenore? O quàm stultè te geris in imponendis nominibus!

Hinc deducitur, parum esse curandum; 182. An honorificis decoreris titulis? an opprobriis,

brüis, amarulentisve verbis compelleris? *Qui gloriatur, in Domino gloriatur; non enim qui seipsum commendat ille probatus est; sed quem Deus commendat.* Parum nostra referunt nomina, quæ non ab Angelis imponuntur, nec de cælo descendunt.

TERTIA PARS.

183. *O filii hominum usquequo gravi corde? Ne jam suo nomine JESVM spolietis, quod illi tantò constitit: perpendite eum, antequam illi hoc inditum esset nomen, sanguinem suum in Circumcisione fudisse; etiam comparasse illud mortis humiliatione, mortis autem Crucis; & propterea exaltavit illum Deus, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.*

184. Utque consequamini gloriosos titulos, exonerate vos caducis; siquidem Christus vindex noster revertentibus discipulis; gloriantibusque de devictis dæmoniis, quos ejecerant, deque miraculis, quæ patravertant, dixit. Nolite gaudere in hoc, *sed gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in calis.* In hoc nostrum habeamus gaudium; nec cessandum, quoad usque nostrum nomen intelligamus scriptum esse in cælo.

185. Si vis scire aptissimum medium ad hæc consequenda; dico Christum Dominum nobile impositurum tibi esse nomen, si tu debito nomine, uti teneris, ipsum appelles; ita enim cum Petro se gessit; nam Petrum interrogavit: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Dei autem Filii nomine Petrus Christum nominavit: *Tu es Christus filius Dei vivi;* quid ad hæc Dominus? Audias, Petre: ego te decorabo illustrissimo nomine: ego dico tibi, quia *tu es Petrus, & super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam.* Quoniam tu proprio nomine me nominasti; cælorum portis te præponam, tibi que tribuam potestatem solvendi, & liberandi, constitutus mearum ovium Vicarius, & Pastor.

186. Sitis ergo studiosi hujus dulcissimi Nominis; id tenero reverentique affectu pronunciate, si vultis dæmonem vincere, quia in nomine meo dæmonia ejicient, (inquit æterna veritas) honorate illud, ut impetretis, quod à Deo petitis. *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, &c.* Si animi corporisque sospitatem exoptatis; *non est aliud nomen datum hominibus, in quo aequè oporteat nos salvos fieri.* Si amatis, favore, & gratiâ valere apud Deum, illud in pectoribus vestris portate, haud immemores, quod divo Paulo dictum fuit: *Vas electionis mihi est, ut portet nomen meum coram gentibus.* Denique ut sciatis, quantum esti-

mandum sit hoc saluterum nomen: Certum sit, quod *nemo potest dicere, Domine JESV, nisi per Spiritum sanctum veniat.*

CONCIO X.

In die Epiphaniæ.

Cum natus esset Jesus. Matth. 2.

TRes solent observare res, qui à suis 187. Principibus cupiunt consequi beneficia; Primam, hilaritatem Principum: Secundam, tempus, in quo divitiis, & opibus abundant; Tertiam, aliquem titulum, quo nixi petere audeant. His tribus ad impetranda à cæli Regina munera fulcimur hodiernâ die; abundat enim gaudio, 188. videns filium suum à Regibus adorari: deinde oblatis muneribus ditescit: speciosum tandem titulum habemus, quod originem ducamus ex gentibus, quarum hi Reges, fuerunt primi, qui venerati sunt Christum Dominum. Postulemus igitur à Matre Virgine, ut nobis impetret gratiam, ad explicanda sancti Evangelii tot mysteria, ut non solum audiamus, quod continent; sed etiam operemur, quod docent.

Cum natus esset Jesus, &c.

Omnia, qua scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Attentum ergo auditum præbeamus, ut cum his gloriosissimis Principibus inveniamus Christum Dominum. Cum viam demonstrent, insistamus eorum vestigiis.

Perpendendum igitur est, hos Reges ex 190. suis Regionibus profectos fuisse statim, ac Christus Dominus in lucem editus est. Pudeat fœcundes peccatores suæ desidiæ, siquidem jam abhinc diebus tredecim à Christi nato festivitate, nedum unum quidem ad eum inveniendum gressum fecerint: debentque tanto majore dolore tangi, quanto diligentiori curâ per hos dies genio indulgere. O quàm dolendum est, non solum non curare homines Christum quærere; sed nec velle quidem illi venienti portas aperire, potiusque ad sua festa celebranda Barrabam, quàm Christum elegerisse. Cæterum quantò major est cognitio, quam de Domino habent, tantò majores pœnas luent pro admissa incuria.

Prætereà ab ortu in occasum Reges veniunt; ortus enim solis natales horas denotat, occasusque ejusdem solis obitum: meritò id fecerunt; nam ut sol quando oritur, elevatur supra horizontem, ita homo nascitur supra terram, & perinde ac sol, quando occidit, infra terram collocatur. Hinc deduco, pauciores esse; qui
Chri-

Christum inveniant : nam multi illum quærunť ab occasu in ortum ; non vertunt oculos in mortis suæ diem, potiùs ab ea eos avertunt, & oblivioni ultimam horam tradunt, contrà sancti Spiritus verba : *Memorare novissima tua, & in aeternum non peccabis.* Convertite vos ad occasum; considerate, ut pereunt etiam Magnates, & Proceres; operamini, ut in extremo vitæ discrimine constituti: hac ratione experientia docebit, quanta cum facilitate, & emolumento inveniri possit Christus. Hic potest referri exemplum illius, cui injunctum fuit, ut pro peccatis posset satisfacere, quotidie in pavimento clausis fenestris, & portis, se veluti vitâ functum componeret, sicque misericordiam à Deo peteret, quâ maceratione, vitiis, & perditis moribus renuntiavit. Pergite ad occasum, ita enim incedentes Magi Christum Regem invenerunt.

192. Interrogabant de nato Rege : *Ubi est, qui natus est, &c.* Non obstitabat verecundia ab inquirendo, & interrogando de loco, ubi natus erat Christus; ita Apostolus : *Non erubescō Evangelium.* Hinc pudor oriundus hominibus, qui ea non inquirent, quæ pertinent ad æternam salutem: imò ne audiunt quidem de modo, quo investigandus est Christus : quamvis aliqui sint, qui ad suam damnationem illum quærunť, ut Herodes, *qui eum quærebat ad perditionem* : Hoc facit malus Sacerdos, & laicus, qui cum lethalis culpæ conscientia ad altaris Sacramentum accedunt alii sunt, qui Christum quærunť : eum tamen non inveniunt, juxta illud : *Quæretis me & non invenietis.* Hi sunt, qui sola lingua eum inquirent, non verò manibus; qui mente investigant, non voluntate insequuntur: de his queritur Dominus, dicens : *Me etenim de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt, quasi gens, qua fecerit justitiam* : At quia non ex toto corde quærunt, imò factis negant, quod ore confitentur; idem me non inveniunt. Itaque qui quærunt, & inveniunt, sunt illi, de quibus Dominus per Hieremiam dicit : *Quæretis me & invenietis; cum quaesieritis me in toto corde vestro inveniar à vobis.* Inter hos hi Reges recensentur; quia toto corde inquirebant de Domino, ingressique sunt Hierosolymam tanto animo, ut dixerit Evangelista; *Audiens autem Rex turbatus est.*

193. O quàm facilis est hæc inveniendi Christum via, si volumus ab ea non fugere, quandoquidem ipsi inimici ad eum conequendum nos juvant, ut Herodes se gessit ergà Reges tribus modis: Primò; mittens eos in civitatem Bethleem, ubi erat:

Secundò consulens, ut interrogarent de puero : *Ite, & interrogate.* En quam bonum consilium! Tertio, eorum firmat animos, dicens : *Et cum inveneritis renunciate mihi, ut & ego veniens adorem eum.* Verba enim de se bona erant hæc, aptissimaque ad movendum Magos, ut Deum quærerent. O fideles, quærite Christum; ipse Herodes, ipse mundus, ac Tyrannus vos adjuvabit ad hunc finem! Attendite, obsecro, quid accidat navigaturo in Indos, videbitis eum fortunas, quas hic possidet, vendere sola spe earum quas illic acquiriturum se existimat; lætus ex Hispania proficiscitur; sed in immenso Oceano, in medio mari pecunia eum deficit. Ille ut dives evadat, petit Indos; sed paupertate premitur, nondum absoluto itinere. Demus tamen eum non solum effugisse naufragium, sed etiam desiderato portum esse portu; ibi tamen tentatur novi climatis intemperie, & sæpè sæpius vi morbi interit: esto autem optatis fruatur, & quod adquirat, nempe argentum, & aurum; in reditu ad Patriam solent omnes hæ gazæ pessumire, & non semel in ipso terræ conspectu: sit verò divitiis affluens; terram attingat; in propriam revertatur Patriam: ibi infelicitates cuncta evertunt & depopulantur; & quando fortunatior eventus obvenit, brevissimè cum amicis, & compotatoribus dilapidantur, quæ tanto labore & cura fuerunt comparata. Sed demus his omnibus periculis, & infortuniis eximi nostrum terrenarum rerum amatorem; ad postremum superveniet Quadragesimæ tempus; monebit Confessarius detrudendum esse in tartara, nisi aliena restituat: *Quid profuit nobis superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis?* Considera, quanti constant avaro suæ divitiæ; ambizioso suus fastus, & vanitas; vitioso suæ voluptates, & oblectamenta; iracundo ultiones, & vindictæ? Disce ergo has aspernatus rerum fraudes, & inanitates quærere Christum.

Monitos vos velim horum Regum sty- 194.
lo. *Qui cum audissent Regem abierunt.* Statim ut audiveritis ea, quæ mundus dicit ad vestram utilitatem, ne alia cum illo miscatis colloquia. *Ecce stella, quam viderant in Oriente;* omissis terrenis, per lucem supernè immittam ducemur ad cælestia; inveniemus infantulum JESVM in civitate Bethleem, & id sine mora: nam Bethleem à Hierosolymis (nempe à civitate pacis, timorisque) haud procul distat, & ita non multo labore, rectà viâ accedemus ad optatum terminum.

His evenit Regibus, quod Sponsæ in 195.
Canticis, quæ suum Sponsum quæsit, &

non

non invenit; sed post exiguum temporis intervallum dicit: *Paululum cum pertransissem, inveni, quem diligit anima mea.* Sic Regibus contigit, qui Hierosolymis Christum non invenerunt: mox autem repererunt eum in civitate Bethleem. O Christiane, qui occuparis in quaerendo Christo! si fortè turbaris perpendens dies, quos insumpseris in itinere, non invento Domino; patienter aliquantulum expecta, & proculdubio tuum dilectum invenies. *Paululum cum pertransissem, inveni, quem diligit anima mea.* Fortem te contra tentationes præsta; ne deficias, aut succumbas animo: nam postea non erit, qui te consoletur, nisi invenias Christum. Scias autem parum esse, si per omnem vitam sustineas labores, & ærumnas eâ lege, ut viam sternant ad has quæsitas delicias; *quia non sunt condigna passiones hujus temporis, &c.*

196. *Et intrantes domum invenerunt puerum cum MARIA Matre ejus, & procidentibus, adoraverunt eum.* Magnum inventi Domini signum est, cum tanta demissione adoratio; cultus externus horum Principum satis demonstrabat eorum fidem, & charitatem interiorem: attamen ut melius suo officio satisfacerent, ad ejus pedes prostrati sunt, munerati Deum auro, thure, & myrrhâ.

197. Hinc infertur, perpauca esse, qui instar horum Regum Christum adorant; siquidem tam pauci sunt, qui hæc tria illi offerunt: nam etsi aliqui eum auro donent; nempè qui offerunt ad ejus pedes ex superfluis. Si tamen hic intelligamus aurum charitatis, larga nobis suppetit deplorandi materies cum Hieremia: *Quomodo obscuratum est aurum tuum? Quid de thure dicam, de quo Propheta Ezechiel: Unusquisque habebat thuribulum in manu sua, & vapor nebula de thura consurgebat, &c. Et dorsa habentes contra templum, & facies ad Orientem, & adorabant ad ortum solis.* Quid dicam de myrrhâ, nempè laborum tolerantia? O quàm procul habetur ab hominibus, cum tamen adeò diligeretur à Deo, ut noluerit descendere de Cruce; quamvis ad id invitaretur: *Si filius Dei es descende de Cruce.*

198. *Et apertis thesauris, &c.* Non aperuerunt thesauros quoad pervenirent ad Christum, ut demonstrarent donorum divinatorum thesauros non esse propalandos, donec sistat se anima coram Christo Domino post hanc mortalem vitam. Eoque videtur allusisse illud sacri Textus: *Nemini dixeritis visionem hanc, &c.*

199. In præcedentibus attigimus vias, quibus inveniendus est Christus natus: nunc sciatis artes, quibus conservandus est. Pri-

ma sit, ut non redeas ad Herodem. *Hoc fac & vives.* Unicuique Herodes est occasio, à qua periculum labendi imminet; carnalis propensio te alliciens, est tuus Herodes, tuus Rex, tyrannus, tuus interfector; caveas, ne ad eum revertaris; considera uxorem Loth respicientem post se Sodomam; &c. Deinde nemo respiciens retrò; &c. *sed per aliam viam.* Contraria contrariis curantur. Imitemini Davidem; qui quando Saul illum persequeretur in varias partes se transferebat. Reges divinæ monitioni obsequuti, & fortè quæ eorum inclinationi repugnabat, *reversi sunt in suam regionem.* Quæ est nostra Regio? terra viventium est; faciamus pro animi salute, quod exequimur pro recuperanda valetudine corporis, nativum aërem ægrotus quærit; & hoc tantum remedio non semel; sed sæpissime restaurat pristinam sanitatem: Sic si aliquando aridus inveniaris, debilis, spirituque infirmus, aperi os tuum, & attrahe à cælo vitalem aërem, dic cum Davide: *Os meum aperui, & attraxi Spiritum;* statimque fatiaberis. Hoc præcipue consequeris altaris Sacramento, quod nobis datur in alimoniam, & viaticum pergentibus ad eam Regionem, à qua peccatum nos avocaverat. Imitemur hos piissimos Reges amore, consilio, prudentiâ, longanimitate, ut hic consequamur gratiam, & postea ditissimam gloriam. Amen.

CONCIO XI.

Cum factus esset annorum duodecim. Luc. cap. 2.

DUas continet hoc Evangelium partes. Primam: Christi amissionem; & alteram, qua ratione sit inventus: prima non eget explicatione; satis enim frequens est (licet diverso modo ac Beatissima Virgo eum amisit) utinam non tot essent, qui ultrò eam docerent suo exemplo: sic enim alius, & alterius perfectionis esset mundus. Tantum itaque agam de secunda re in Evangelio contenta, ut ostendatur, qua ratione retinendus Deus quando invenitur. Ut altiùs hoc intelligatur, norandum est quosdam amisisse Deum, qui fuerunt celsissimis condecorati muneribus, & gratiis. Ideoque animadvertant, qui primas occupant sedes in dignitatibus, & præfecturis, eò majus sibi creari periculum, quo sublimior est honos, quem obtinent.

Ità res se habuit in Angelis, qui perierunt: nunc exploremus, quid hominibus

bus accidit. Adamus exulavit è Paradiso ob violatum præceptum, amisitque pulchritudinem gratiæ, usquedum egerit pœnitentiam pro sua culpa. O si in cæteris rebus damnum accideret, quantò diligentius prospicerent sibi peccatores. Cæterum in multis accidit, juxtà illud: *Thesauros tuos in direptionem dabo; excelsa tua propter peccata in universis finibus tuis; & relinqueris sola ab hereditate tua, quam dedi tibi, & servire te faciam inimicis tuis.* Idem in Psalmo quodam dicitur: *Vidi impium superexaltatum, quasiivi, & non est inventus locus ejus.*

203. Quis potest dicere, quantam homines faciant jacturam, cum te perdunt, ó sanctissime Deus? Nullus sanè nisi ille, qui cognoscit, quot, & quanta bona acquirat, qui te invenit. Cum tu sis incomprehensibilis, illa ineffabilia sunt dictu, & intellectu. Quomodo poterit aliquis dicere, quantum deperditur, quando amittit pretiosam supellectilem, si ejus valorem ignorat? Quis potest te dignè æstimare Domine? solus tu ipse te comprehendis; tibi ipsi soli omni perfectione, & claritate innotescit immensitas tui valoris. Res sanè dignissima dolore, & lachrimis, quod homines aded æstiment res viles prætermisso Deo. Cuncta suo pretio venduntur; solus Deus ab hominibus negligitur, veluti si esset nullius utilitatis, aut ponderis: & ferè nullus est, qui eum pro aliquo pretio secum habere appetat. Nonnè jure queritur Deus, cum dicit; *Pretium meum cogitaverunt repellere*, id est, me contempserunt inæstimabile bonum. Adhibeamus remedium huic tanto malo: nam si aliquis eâ amentiam laboret, ut Deum velit perdere, timeat periculum, quod inde nascitur.

204. *Cum esset JESVS, &c. Ascendentibus illis in Hierusalem:* in qua urbe ejus Mater sine omni culpâ eum perdidit, quantum tibi timendum, ó peccator: nam si Santissima Mater, & sine omni culpâ perdidit filium: quid erit de te, cum scateas tot peccatis, & delictis.

205. *Existimantes, &c.* Si ejus Mater non invenit eum inter cognatos, cum tantâ diligentiam, totque in locis eum quæreret: *Et non cognoverunt parentes ejus:* Quid existimandum de illo, qui nihil de eo conservando, aut quærendo cogitat? Aut si eum alicubi quærat, id tam perfunctoriè, & tantâ incuriam perficit, ut si eum statim non reperit, desistit, & fatigatur; aut est tam timidus, ut minimo persecutionis rumore deterreatur.

206. Non invenit eum inter cognatos. Idem Dominus est, qui Abrahamo dixit: *Egre dere de domo tua, &c.* Et qui discipulis: *Qui*

non odit Patrem, &c. Ideoque idem hic, *capit prius facere, ut postea id doceret;* ostenderetque illum, qui Deum quærat, immunitatem debere esse ab affectibus terrenis, numerandumque inter illos, *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, &c.*

Et non inveniētes regressi sunt Hierusalem. 207. Rediit Mater ad locum, ubi perdiderat filium, ut scias, ó Peccator, idem exequi: investiga locum, ubi Deum perdidisti; & modum, quo illius jacturam fecisti; & quàm levi de causa; recordare solatium, quo afficiebaris, antequam illum perderes, bonæ conscientiam testimonio; solamenque, quod inveniebas, cum esses Dei domicilium, & habitaculum. His meditationibus errore, quo deceptus eras, eripieris; tuosque lapsus instar filii prodigi intelliges. Recurre ad aquæ scaturiginem, quæ tibi evanuit. Dominum in Templo quære: ne existimes illum à te inventum iri in conviviis, in spectaculis, ludicrisque Theatris: *Quid quæris viventem cum mortuis?* Præsulibus injuriam inferes; si eos in cauponis quæras. Quantò majorem facies Christo, illum quærando inter vanitates, & inutiles fastus.

Ut magis tuum in illo quærando desiderium inflammetur; contemplare anxietatem, quâ Mater incedebat per vicos, & plateas, quærens eum instar sponsæ: *Num quem diligit anima mea vidisti?* Sed quo dolore diceret? *Quasiivi, & non inveni illum: vocavi, & non respondit mihi:* Forsan quoque cordis intimo sensu repetebat; *Dominus dedit, Dominus abstulit, &c.* Patrique æterno: *Pater Sancte cur fecisti nobis sic?* Quando filius tuus natus est, vehementer angebar, quia non erat locus ei in diversorio; & videns eum in præsepî duritie, non poteram continere lachrymas: ejus pretiosissimus sanguis in Circumcisione effusus vulneravit viscera mea; paupertas, quâ in templo fuit tibi præsentatus impensius me cruciabat; ejusque ut exulis in Ægyptum fuga; sed omnes hi labores, quia cum illo eos tolerabam, dulcissimi mihi fuerunt: eum enim meis brachiis complexa, habebam, quidquid cor meum in terra desiderare posset: modò cum oculi mei non illum intuentur, meæque aures non ejus verba audiunt, aded gladius, quem Simeon prædixit, incepit penetrare meum animum, ut jure optimo valeam dicere: *Manus mea distillaverunt myrrham, &c. quia amore languo.* O Mater sanctissima! utinam ego in hoc tibi conflictu adesset, ut possem dicere: *Quo abiit dilectus tuus ó pulcherrima Mulierum?* Quo declinavit dilectus tuus, & quæremus eum tecum, ó Mater

Mater sanctissima ? Si hic dolor te adeò vexat ; quid de illo alio dicemus , quando filium tuum inspicias pendentem in Cruce ? O quàm potiori tum jure poteris dicere : Pater , *cur fecisti nobis sic ? ut servum redimeres filium tradidisti*. Quid est hoc ? Serpens exaltatus fuit in deserto figurans filium tuum ; sed nunc premi video me dolore. Subrogatur Isaaco aries , ut ille à morte liberetur. At mortem jam subit meus filius : *cur fecisti nobis sic ?* Si eum non cerno , desiderio ejus inspiciendi pungor ; si in eum oculos conjicio , morior , quia moribundum invenio. O Mater dolore , amoreque transfixa , si ita hanc jam absentiam sentis , quo sensu dolebis futura tormenta ? Non miror tuam pœnam ; quia *guttur illius suavissimum , & totus desiderabilis*. Attende tamen quid sponsa dicat : *Paululum cum pertransissem inveni , quem diligit anima mea ; & ita accidit*.

209. *Et factum est post triduum invenit illum in Templo*. Quantum gaudium fuit tuum , ô Deipara Virgo , invento jam dilecto ? Quod si respondeat gaudium magnitudini amoris dolorisque jam exacti , summum procul dubio fuit. Siluit Maria in angustiis , & laboribus præsepitii , & Circumcisionis , & nullum ejus verbum in scripturis à filii natiuitate usque ad tempus præsens auditum est : modò verò ostendens suum amorem , dicit : *Cur fecisti nobis sic ?* Sine culpa te perdidimus , quamvis non sine dolore. Tecum enim dulces sunt nobis majores ærumnæ , & sine te non nisi labores suaviores delicæ.

210. Sed Christus Dominus , utpotè sapientia æterna , ne existimarent Doctores aliud hic non latere mysterium , respondit : *Quid est , quod me quarebatis ?* O mirum responsum , & quod aptissimum erat ad instruendos illos , qui Dei negotiis ita indormiebant , ut illi Judæi ; quod etiam initium fuit , ut postea quando triginta annorum juvenis eos pro rostris moneret , recordarentur , duodecimo ætatis anno cœpisse tractare res ad suum æternum Patrem pertinentes ; & licet tacuerit per tam longum tempus , non tamen destitit ab horum negotiorum tractatione ; semper iis vacabat , etiam dum cibum caperet , ploraret , dormiret.

211. Ex supra dictis eliciamus tria. Primum ; Mariam invenisse filium post triduum. Quid simile contigit filiis Israël , priusquam eis manna tribueretur : hi tria tempora peregerunt , scilicet , cum egressi sunt de Ægypto , cum trajecerunt mare rubrum , cum accesserunt ad Marath , ubi repperunt aquas amaras. Ne existimetis satisfactum

esse quando absoluti estis à culpa ; necessarium est , ut eorum occasiones in mare immergatis rubrum , perveniatisque ad doloris amaritudinem , quâ vos pœniteat peccatorum.

Dolentes quarebamus te. Hinc secunda res 212. est elicienda. Aliqui summo queruntur dolore , ut ad commiserationem moveant ; infirmus enim querelas excitans , ad misericordiam vult infirmarios commovere ; idem peragit , qui jacturam rei familiaris fecit ; hoc doloris genus à te dimanans in temetipsum recurrit , de hoc ipso dolore dolere debes ; verus enim dolor non ad te , sed ad Deum dirigendus est : clariùs moneo ! ne fortunas amissas , ne infirmam valetudinem deplores , sed te perdidisse Deum ; hæc jactura magni ducenda est , defleas te offendisse Deum , ne lachrymas fundas propter pecunias deperditas , ne sis veluti Esau , qui non suam culpam , sed suam pœnam deplorabat ; ideoque ejus lachrymæ non tam proficue fuerunt.

Petes , cur frangendus animus tanto dolore ? quia Dei imago in te deleta est : Si enim doles de conflagrata domo , de jactura bonorum , de parentum , filiorumque amissione ; nonne tangeris alicujus saltim doloris sensu , si te videas in potestate tenebrarum.

Sed aliquis opponet durum esse , Christum non posse quæri , nisi doloribus. En causa , quâ multi deterriti , illum non quærunt. Respondeo tamen , rem indignam esse hæc querimonias excitari à peccatore damnato ad vescendum doloris , & sudoris pane.

Prætereà cum peccator se dæmoni subdiderit , obsequens vitiorum cupiditatibus , & desideriis ; ei etiam laqueus datus est , quo suffocetur : quare nimis delicate se gerit , quando horrescit dolorem in quærendo Christo , præcipuè cum sit suavis , & dulcis ille dolor , utpotè qui nos vivificat , juxta illud Regis David : *Querite Dominum & vivet anima vestra*. Iste est dolor , qui à dolore immunes facit ; at reliquus peccatoris dolor potiùs dolores multiplicat , quàm alicujus sit fructus.

Quamobrem qui voluerit Christum quærere , primùm dolere discat ; ex dolore enim provenit , ut invocemus Deum , & ex ejus invocatione , ut inveniamus illum : quare dicebat David : *Tribulationem , & dolorem inveni* , indeque provenit : *Et nomen Domini invocavi : Cum invocarem , exaudivit me Deus*. Nonne videtis hunc dolorem tandem aliquando elanguere , & habere finem ? Felix est talis dolor , qui ita terminatur. Unde qui gloriam appetit , prius dolorem

debet quærere ; expedit , ut tribulationem amet.

217. Ex gaudio falso detrimenta mundum depopulantia dimanant ; Sic dæmon videns utilitates , quas secum trahit sanctissimus contritionis dolor , eum relegare ex hominum cordibus conatur oblectamentis deliciisque. Hoc modo insidias nectit hominibus , fatis enim novit , peccatoris contritione , ac tristitiâ , omnem suam debilitari , & infirmari potentiam : quamobrem eadem diligentia , quâ exterminatus à te dolor , renovandus est. Alacriter dicas : *Inveni dragmam , quam perdideram. Tribulationem , & dolorem inveni.*

218. Tertia res est : ut amicis , qui ad voluptatem nos invitant , & cæteris ejusmodi tentationibus , respondeamus : *Nescitis , quia in his , quæ Patris mei sunt , &c.* Ad hunc finem Deus me creavit , me redemit , hoc unicum negotium meum est.

219. Denique si vis Christum reperire , attende diligenter , quæ dicuntur de eo , & erat subditus illis ; Si pro te se ille subdidit hominibus , nonne æquum est , tu subjiciaris divinis legibus pro illo ? Si ille fuit subditus Josepho , putativo tantum Patri ; tu nonne subjicieris illi , vero tuo Parenti , & Domino ? hæc clave porta , quæ ad Christum ducit , aperitur. O homo , si Rex es , obedito legi , quam jubes custodiri ; si servus es , gerito morem tuis heris ; si Religiosus , obtempera tuis præfectis ! Ut enim inobedientia Adamum ex paradiso ejecit , ita per obedientiam ingressuri sumus ejus filii in paradysum æternitatis.

220. Restat , quod ut ne sitis ex illis Doctoribus , de quibus Evangelium dicit : *Ipsi non intellexerunt verbum , quod loquutus est ad eos ; sed imitemini Matrem , quæ conservabat omnia verba hæc in corde suo.*

C O N C I O XII.

In die Purificationis.

Postquam impleti sunt dies purgationis Maria.
Luc. 2. v. 22.

221. **H**odie agitur de filii Dei adventu in Templum , de quo satis congruè potest dici , quod Propheta Malachias aiebat : *Quis poterit cogitare diem adventus ejus , & quis stabit ad videndum eum ?* Si enim consideremus ; quis est , qui venit ; & modum , quo venit ; & finem , quem suo adventu intendit ; mira inveniemus mysteria. *Quis poterit cogitare diem adventus ejus , & quis stabit ad videndum eum ?* Non certè in tartara detrusi miseri , qui aliquando sunt montibus

dicturi ; *cadite super nos ;* neque peccatores , qui dicunt : *Recede à nobis , scientiam viarum tuarum nolumus.* An justus ? sed ait Petrus : *Exi à me Domine , quia homo peccator sum.* Quid dicemus de cæli Principibus ? *velabant facies suas.* Quis igitur stabit ad videndum eum ? In primis immaculata , & purissima mater , quæ eum in templum ducit. *Num quem diligit anima mea vidistis ?* & ejus impetratione , & patrocínio omnes sancti & justi ; ecce jam invitat , ut eum videamus : *Excedimini filia Sion , & videte Regem vestrum Salomonem.* Supplicemus modò , ut nobis impetret gratiam , quâ mereamur ad ejus conspectum admitti. *Ave Maria.*

Postquam impleti sunt , &c.

Qui vult cognoscere , quanti nostra intersit admitti , & sibi ante divinum conspectum , vicem illorum animadvertat , qui indigni sunt habiti coram Domino apparere , quia opposita juxta se posita , magis cognoscuntur. Qualis Lucifer remansit Dei conspectu expulsus , *Avertente faciem tuam , turbabuntur , & deficient , & in pulverem suum revertentur.* Accedamus ad Adam , quando dixit Dominus : *Adam ubi es ?* Adam & uxor ejus absconderunt se à facie Domini : Quid de Cain ? *Ecce ejicies me hodie à facie terra , & à facie tua abscondar ; & omnis , qui invenerit me , occidet me.*

Sed quid mirum , quòd hoc peccatoribus accidat , si David Propheta sanctus dicebat : *Avertisti faciem tuam à me , & factus sum conturbatus.* His pœnis obnoxius fuit peccator , post commissam culpam , eoque è conspectu Dei fuit ejectus : ecce quam miser evasit. Ex his ærumnis , & miseriis , nostræ salutis vinde eripuit peccatorem ; venit enim hodie , ut sisteret se æterno Patri pro hominibus ; idèd magna cum lætitia canitur : *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.*

Ecce infaustam fortunam , ad quam perveniunt homines suis culpis , dicente illis Deo : *Solemmitates vestras odit anima mea :*

Quid fiet de peccatore , qui non solum jam tandem timebit in conspectum venire Domini ; sed ne in conspectu quidem creaturarum , aut ipsius dæmonis , cujus peccatum non ita multiplex fuit , atque ipsius est ? Quomodo brutis apparebis ? Philisthinorum enim vaccæ arcam portabant ad locum præscriptum à Deo ; tu verò eam fers ad ea , quæ à Domino sunt prohibita , quando te tradis peccatis , & sceleribus.

Exploremus modò , ad quid tenebitur peccator ? Quis hoc dicet ? Coram sistamus duos homines , quorum alter com-
fit

- fit gravissima delicta, eaque de causa quaratur à Ministris justitiæ: atque in hoc conflictu veniat alter, mutet cum eo vestes, addens: ego volo pro te coram iudice apparere, ut liber evadas, licet in vincula conjiciar, & hac de causa meam profundam pro te vitam. Si reus hoc tanto discrimine liberetur, occiso innocente, nonne judicabitis hunc hominem jam morti destinatum, alteriusque erga illum amore immunem ab ea extrema calamitate, teneri gratissimum se ostendere tanto beneficio?
228. Idem evenit nobis ex misericordia Christi Domini, qui dicit: *Jam non dicam vos servos, sed amicos*: hic nostras vestes induit; *habitu inventus, ut homo, in similitudinem carnis*, ut nos à dæmonis faucibus educeret; qui idè mortuus fuit, ut nobis tribueret vitam. Quibus animi significationibus tam eximiæ respondebimus dilectioni. Jam imposterum non nobis, sed ipso debemus vivere.
229. Deindè si prædictus tam munifico liberatori diceret, se nunquam vidisse illum, negaretque ejus beneficia, quas pœnas pro tanta ingratitude mereretur. O infelix peccator, hæc sunt tuarum manuum opera; & nihilominus etiamnum coram Patre æterno audes apparere? Dei filius se ad crucem pro te obtulit; & nihilominus superbè à te expellis ejus pauperes, qui eum repræsentant. Si pulsant ostium Christus & Sathanas, huic illud aperis, & claudis Domino, abusus Dei patientiâ, & misericordiâ: mirum, quod tibi non debiscat terra tam infami peccatori.
230. Ante suam præsentationem fuit circumciscus Christus, ut Peccator cordis cupiditibus circumciscis, ad Deum accederet.
231. Dei filius, antequam æterno Patri se offerret hac præsentatione, suum fudit sanguinem, & tu coram ipso siseris alieni sanguinis profusor.
232. Jubebat Deus, ut incircumciscus non ederet ex agno legali. Vitiorum circumcissione indigemus; hæc enim maceratio efficit, ut animi palato gratus sit agnus cælestis.
- Postquam impleti sunt dies, &c.* Antequam
233. in templum Dominus præsentandus veniret, in circumcissione solvit, quæ nulla lege debebat, & Deipara hic obtulit, quæ offerre non tenebatur; lex enim imperabat mulieri, quæ *suscepto semine, &c.* ut intelligamus in templum venturos, non contentos esse debere solvere illa, ad quæ tenentur; sed ea ad quæ non obligantur; si cupiunt Christo Domino similes esse. O si homines intelligerent, quanti sit ponderis ad templum accedere! ô si viderent, quo

hâbitu & dispositione adire illud deberent! majori cura prospicerent suo decori. Summo studio se ut in conspectum hominum veniant, adornant, & vestiunt; & nullum adhibent, ut videantur ab Angelis: quæ stultitia?

Dicas amabo, audes prodire in publicum ore decoriatus, antequam obducta cute primo nitore restituaris? cur ergo in te deletâ Dei imagine ingrederis templum, elatè & superbè incedens, perinde quasi nullam haberes maculam?

Quis latro invenietur, qui ad iudicis præsentiam se conferat damnationis causam manibus ferens. *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras justitias meas?* Ideoque salutare vobis consilium do, nempe ut antequam templa adeatis, sacra confessione expiemini, aut discussâ conscientiâ contritionis actum eliciatis.

Plurimi ad Ecclesiam veniunt corporali tantummodo præsentia contenti, quin respiciant ad puritatem animæ. Nec Hierosolymam; id est ad pacis visionem concedunt, ut fecerit Christus Dominus; sed elati incredibili superbiâ, nihil præter ultiones cogitant, nihil præter luxuriam aucupantur. Satiùs foret imitari humilitatem sanctissimæ Virginis, quæ filium hodie præsentaverat, procul habito omni fastu, ac vanitate.

Christus affert secum quod offerat in templo, juxta illud: *Non apparebis vacuus in conspectu meo.* Peccator autem virtutibus vacuus, peccatisque scatens in Dei conspectum venit. *Cui comparabo te, ô stultissime inanitatis amator, nisi ei, qui magnâ curâ aperit, clauditque manum, ut in ea auram ventumque captet; Cui comparabo te?* Dices; cum igne me conferas. Id minime fieri potest; ignis enim calefacit, cibosque concoquit; tu verò ad nihil vales ultra, nisi ut mittaris foras. Sed dices *assimila me luto*; sæpius enim revertor ad vomitum; sed nequaquam adhuc luto comparaberis: quia lutum utile est; quoniam eo usus est Christus, quando cæco restituit visum. Vis fortè componam te cum materia prima? nullo modo; ista enim appetit semper suam formam: tu verò desiderio tui ipsius depopulandi flagras. *Cui comparem te ô terra inanis, & vacua, vix invenio. Noli apparere vacuus coram Domino*; ut Lutheranus apparet sine operibus. *Noli esse virtutibus vacuus. Quomodo sedet sola civitas plena populo: ne sis vitiiis plenus, ne ardeas in æternum.*

Ad templum venit Christus cum iis rebus, quæ observabantur in lege. Non agnum affert, quia pauper erat, & ipse

Dei Agnus. Tu autem utpotè leprosus, leprosi munus offeras, nempe duos agnos, quorum unus sis tu ipse agni naturâ indutus; & alter Christus Dominus; cujus infinita merita te rediment: necessarium est hos duos agnos offerri, unus enim sine altero nihil prodest. Quid refert Christum offerri pro te, si tu perseveras in peccato; sævisque ut leo contra eos, qui ad salutis venam te dirigunt? Quid proficient cætera, nisi te ipsum juves immaculati hujus agni meritis. O peccator offeras, quæso, leprosi munera.

239. Quando Ecclesiam ingrederis, recordare Dei domum, orationisque eam esse: ne sis veluti illi Pharisei, qui templum faciebant *negotiationis domum, & latronum speluncam*. Attende accuratius divinis precationibus, quæ infirmitati opem ferunt, mundi fallacias dissipant, Dei iram placent, domant libidinem, vitia comprimunt; virtutem extollunt, ut partim colligitur ex illo numeror. 16. ubi sic narratur. *Jam enim egressa est ira à Domino, jam enim vastabat incendium. Dixit Moyses ad Aaron: tolle thuribulum, & hausto igne de altari, mitte incensum desuper, & cessabit plaga*: Idem faciendum nobis est, ut extingatur ignis nostræ concupiscentiæ.

Q V A R T A P A R S.

240. Quod indicium, vel signum poterimus habere, quod nostra coram Deo præsentatio ejus oculis grata sit, & accepta: attende quid Deipara in filii sui præsentatione audiverat. De futuris doloribus ei narratum fuit. Hos si tu depromis optimum signum est te bene oravisse; si domum redis percitus dolore tuæ ingratitude cognoscens animi pusillitatem, quâ te Deo obtulisti, maximamque pietatem, quâ Christus pro te se æterno Patri obtulit, tibi persuadere poteris, nihil, aut parum omissum esse de devotione.

241. Summo dolore transfixa fuit Dei Mater, quando audivit: *Ecce positus est in ruinam, &c.* Tumque optimo jure poterat æterno Patri dicere: Quid hoc Domine? quando eduxisti ex Ægypto populum tuum, Ægyptiorum primogenitos interfecisti, & modò morti destinans primogenitum Israël, æternitatis Principem? Conceditur fœminis Hebræis ut filios suos agno redimant; sed ego præsentans meam oblationem simulne filium oblatura sum? O Dei Mater si dolore concuteris, videns tuum filium in sacerdotis brachiis, qui illum dicat crucis sacrificio, quo commoveris angustiarum sensu; quando videbis

ipsum è durissimo ligno pendentem. Si hi Dei Genitricis dolores te pungunt, o peccator, spem vitæ ac salutis exhibes, secus autem, si exutus dolore & implicitus vitiis domum redis.

Bonum etiam erit signum, si cum Si-^{242.} meone dicis: Nunc dimittis servum tuum in pace; morteque imminente, cupio dissolvi, & esse cum Christo. Si ritè dispositam occupat animam hora mortis centro sui amoris conformatam, cum indiciis jam consequendæ gloriæ, optimum quidem signum est.

C O N C I O XIII.

In Septuagesimam.

Ite & vos in vineam meam. Matt. 20. cap.

S A L U T A T I O.

Quoties ascenderunt hunc suggestum^{243.} Concionatores docti, & pii, rogaturi fideles, ut ad Domini vineam pergerent? Quot etiam post auditam Concionem parvi fecerunt Oratoris monita? Quâ contumaciâ, perditâ vitâ, occidente sole non in vinea Domini laborabant; non hauriebant ex eo calice, de quo scriptum est; *Calix meus inebrians, quàm præclarus est?* Quot hodie confluunt ad ejusdem Evangelii expositionem, quibus fortasse hujuscemodi ad vineam invitatio ultima erit, utpotè qui in vitæ occasu sunt. Saltem paucissimi restant dies ad eam colendam. Unde necesse est sine interruptione & mora laboretur. Id petamus à summo Deo, simulque à Deipara Matre, ut nobis impetret cognitionem, quâ intelligamus, quantum ad nostram æternam vitam interfit, ne occupemur à morte; nisi laborantes in vinea Domini, ne quod restat tempus inutiliter teramus in vitiis, vitæque imperfectionibus. *Ave Maria.*

I N T R O D U C T I O.

Ite & vos in vineam meam, &c. Si inter-^{244.}rogemus Dei filium, quo impulsus sine huc descenderat, dicet: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut ardeat?* Sed quoniam ad inflammanda hominum corda divino amore; atque ad ea removenda ab amore proprio iis erat necessarium cognoscere Deum, ut eum diligenter, & semetipsos, ut sui possent flagrare odio, venit hodie mundi Redemptor docturus unum & alterum hac aptissima Evangelii parabola. Ideoque Christiane, si vis venire in cogni-
tionem

tionem Dei, & tui ipsius, ut in illius amore rapiaris, teque prosequaris odio, aufcultes velim: *Simile est Regnum calorum homini Patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam, &c.* Veluti si diceret: Desideratis Deum cognoscere, ut eum diligatis; attendite illum esse Patremfamilias, qui exiit illicò primo manè in mundi creatione initurus pactum cum operariis de colenda vinea; fœdusque, quod fecerat, admirabile fuit, utilissimumque operariis. Nam sicut extra morem est nullam aliam solvi mercedem laborantibus in vinea præter unum alterumve racemum: ita stupendum quid fuit, Creatorem tradidisse Adamo totius Paradisi fructus, unius tantummodo arboris reservato sibi pomo. Quis hunc paciscendi modum non miretur? & quis non moveatur ad servendum Domino ita cum servis agenti? Nonne ingratus foret, qui renueret solvere tributum tantæ liberalitati, qui desereret pro creatura Creatorem? Unde *arguet te malitia tua*, inquit Propheta Jeremias, & *aversio tua increpabit te, scito & vide quàm malum, & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum*: facillimo negotio in tui odium excitaberis, si tuam malitiam cogites; illa enim tibi ostendet, quis & qualis sis, & quales sint cæteri ejusdem farinae homines: tempus illud, quo summo mane Paterfamilias providit ad conducendos operarios, includit spatium, quod fuit ab Adamo usque ad Noë, quo intervallo vixerant tot peccatores, ut adigeretur illa immensa bonitas dicere: *Pœnitet me fecisse hominem*: licet enim æternum gaudium nullo modo admittat aliquam mœstitiam, aut pœnitentiam, Deus tamen nostro modo loquendi se accomodat, cum ejus locutiones, nobis pœnitens sint incognitæ. O Domine, qualis mundus erat, quando tu alia de homine verba protulisti: deindè animadvertite infinitæ Dei clementiæ pelagum, qui iterum prodit circa horam tertiam, ut alios convocet ad vineam, promittens pro navata opera stipendium. Quid est hoc Domine, antea aiebas: *Pœnitet me fecisse hominem*, & modò iterum ad vineam eundem vocas? Eum magnificas, dicens; *Crescite & multiplicamini, & replete terram*; tradisque ei mundum innovatum, omni sua pulchritudine, & decore; solumque tributi nomine ei imponis, ne edat carnem cum sanguine; quod præceptum suave est, idoneumque, ut homines super terram tranquillam vitam peragant. Optimè tuus Apostolus Paulus dixit, semper te eundem esse, nec naturam tuam te pos-

se mutare, quandoquidem novis vocationibus omni tempore homines ad te invitas quantumvis ingratos. In hac secunda ætate decurrente à Noë usque ad Abraham, ita obliterarunt homines suam naturam, ut sicut gens temulenta exorfi sint construere turrim Babel, ut superbè cælum pertingerent. En qualis, & quæ gratitudo hominum erga divinam bonitatem, cum tantâ cæcitate, & fastu ejus beneficiis respondeant: quod si hoc fecerint illi antiqui, nos, qui hoc sæculo vivimus, quot vanitatum turres mente otiosa elataque indies fabricamus? At nihilominus Dei erga nos dona non hic terminantur: quandoquidem parabola refert, iterum exivisse circa horam sextam Patremfamilias, idque evenit ab Abrahami tempore, usque ad Moysen. Rectè de te dictum fuit, clementissime Domine, te esse Deum, & non hominem, cum tot laceffitus injuriis adhuc persistis in faciendis beneficiis. At eo quoque tempore vocavit Deus Abrahamum, ei que dixit: *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*; indixitque ei circumcisionem, amplissima adjecta promissione; sed postea Abrahami pronepotes fratrem suum Joseph vendiderunt, persuadentes Jacobo parenti feram pessimam illum devoravisse. Hæc fuit gratitudo hominum ob beneficia, quæ contulit Deus in Abrahamum: meritò sanè nominantur homines duro corde. At tu peccator non mitior es, si bene nosti tua delicta. Si enim Josephum fratrem illi vendiderunt, tu vendidisti divinum nostrum Joseph, & fratrem, quem ob tua peccata illa pessima Synagoga ferissimè devoraverat. His tamen non obstantibus, Paterfamilias circa horam nonam iterum vocare operarios exit, nempe à Moysen usque ad adventum Messie. Quid hoc Domine? tu dicis: *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est, & modò egrederis vocaturus homines, cum eis que fœdera initurus*. Non sufficiunt tot flagitia, ne recorderis eorum. O quam verè pronunciaisti; *etiamsi Mater filii sui obliviscatur*; ego tamen non dabo oblivioni meum populum: Itaque intuemur tempore Moysis multiplicatas tuas misericordias, ab Ægypto enim eum educis alisque cum cætero populo in deserto cælestiori cibo: ingratus enim populus murmuravit contra Moysen, passimque elegit Deos alienos, te deserto ac relicto maximo Deo exercituum: ut meritò questus sis: *A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, dixisti, non serviam; ego autem plantavi te vinea electa,*

Et, quomodo conversa es mihi in prævium vinea aliena. Infelix es, ô peccator, si intelligis non eadem tibi Dominum exprobrare, siquidem à pueritia cœpisti ejus jugum confringere, opere saltem jactans te nunquam ei servituum. Doleas, quod alieni Domini vinea facta sis, contraque tuum Dominum in amaritudinem conversa; sed neque hæc quoque scelera detinent Patremfamilias, ne circa decimam horam iterum exeat, videlicet quando sol in occasum vergit, cum mundus ad suum ultimum finem properat. Quo tempore Christus Dominus venit omnes vocare homines, ut in vinea laborent. Quid ita Domine? nonne antea dixeras? *Panitet me fecisse hominem; & non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est:* Et modò homo factus est caro. Si cum te viderint severiori vultu, ausi tamen sunt tot admittere culpas; si te videbunt sustinere famem, & crucem, quid peccare omittent? O infinitæ bonitatis pelagus, verè tua opera minimè examinanda sunt, quia mentem humanam excedunt; tantaque est tua divina misericordia erga homines, ut maxima pro illis patraveris miracula. Quis enim rogare posset, ut subires tot labores, & ærumnas pro ingratis creaturis. O ineffabilis pietas tot dissimulans injurias, ut (cum aliis temporibus multifariam multisque modis loquutus fueris hominibus,) jam tandem nobis per proprium filium loquaris, quem *hæredem universorum constituissti,* & per quem fecisti sæcula: qui ut divinam bonitatem magis nobis demonstraret, ingentibus benevolentiae significationibus huc venit, humilis, pauper; amice & suaviter nos compellans; sanans infirmos, resuscitans mortuos. Quid verò fecerunt homines pro tanta munificentia & liberalitate; audiebant ejus conciones, ut cum capere possent in sermonibus; quia pauperibus ac miseris subveniebat, illi detrahebant; quod in Sabbatho curaret; quod veritatis dulcissimos fructus, etsi amarâ radice, suppeditaret illis, blasphemum, & seditiosum eum vocabant. Denique cum esset vineæ Dominus, & cui pendere debebant gratitudinis, & obedientiæ proventus, in eum conspirarunt, dicentes: *Isse est hæres, venite occidamus eum,* nostraque erit hæreditas: *ejecerunt eum extra civitatem; extra portam passus est.* O celsissime Domine, quanto jure de tua vinea potes dicere! *Posuerunt me custodem in vineis:* descendi ex cælo in terras ad servandas animas: quod mei muneris esse statueram tanto amore custodiebam meam vineam, ut non dubitarem humanitatem

meam sanctissimam inimicorum manibus dedere pro ejus defensione & cultura. Qui hoc beneficium ritè perpenderit, corde sanè pervicacissimo erit, si amoris teneritudine non fuerit hic liquefactus: qui verò insuper in votis habet sui odium obtinere, facillimè id comparare poterit; si attendat ad dolores & pœnas, quibus ab hominibus affectus fuit Christus, quando ex sinu Paterno ad nos perducendos in vineam suam cælestem huc descendit. Addit parabola, vineæ Dominum jussisse vocari operarios, eisque denarium diurnum persolui: Primo loco iis, qui ultimi ad laborandum accesserunt; ultimo autem iis, qui primo mane advenerant. In hunc modum confecta re, cum vidissent primi, haud majus sibi exhiberi stipendium, quàm ultimis, moverunt querelas sibi æquari in mercede, qui non æquè sustinuerunt pondus diei & æstus. Pater verò familias, querimoniis auditis, cuidam eorum, qui murmurabant, respondit: Amice, non facio tibi injuriam, reddo enim quod promiseram; si aliis ultra quid exhibeo, gratis & ex meis bonis hanc liberalitatem exerceo; ne ergo sævias tantoperè munificentiae tui Domini. O divina misericordia! *Quæ te vicit clementia, ut ferres nostra crimina?* Eò quòd tot muneribus nos dones, non desunt, qui querantur, tuaque taxent opera livore, & invidiâ. Abstineas jam, invidie Peccator, putare muneris tui esse, tam iniquè convelli. O infelix homo, qui Dei bona in tua damna, & detrimenta convertis; considera, quid confeceris in vinea Domini, quomodo divinis vocationibus respondiisti; castiga tuam superbiam, ut melius possis divinam bonitatem diligere: Diligentius labores, omissis quæ ad te non pertinent; quoniam cum multi sint vocati, pauci erunt electi.

P R I M A P A R S.

Cum tam pauci sint electi, etsi multi 245. vocati, jure optimo imperamur properare ad colendam vineam, antequam sol occidat. Utque intelligatis quanti nostra intersit hæc diligentia, advertite, quis erit, qui conducendus ad laborandum in vinea, non potius eligat fervire Patrifamilias, à quo certissimè speret mercedem, quam ei qui nihil soluturus sit, nisi verbera & tormenta: Cognoscite autem à nullo alio nisi à Deo denarium diurnum verè solvendum fore. Dæmon enim & mundus, & caro licet conducant operarios ad suas vineas; peccato tamen penso, inanes & vacuos eos remittunt. Nec mirum; non enim habent, quæ

quæ tribuant, nisi pœnas; hoc Spiritus Sanctus nos docet, dicens: *Seminastis multum, & intulistis parum; comedistis, & non estis saturati; bibistis, & non estis inebriati; operuistis & non estis calefacti, & qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum.* Hoc est præmium quo mundus afficit operarios suæ vineæ. Itaque videbis exiguos proventus fieri ab illis, licet magnam tritici copiam terræ mandent. Cuncta enim quæ per vitium sibi comparant, ut levissima aura evanescent. Ipsi edunt, sed non saturantur, cum tantum Deo faturentur animi, non terrenis deliciis. Bibunt & non inebriantur, quia non potant illud de quo scriptum est: *Inebriamini charissimi, ex sponsa uberibus vino suavioribus, & melle.* Hi tales peccatores licet vestibus tegantur, non liberantur à frigore; potius suis flagitiis rigent, & quod deterius est, omnes suas divitias portant in perforatis sacculis. *Viri divitiarum dormierunt somnum suum & nihil invenerunt in manibus suis.* Undè superbiores pauperrimi sunt, qui vestiti, brumæ, algorisque vi pereunt, semper afflicti, & famelici: nam vix ad se alendos sufficientes fructus percipiunt, hujus vitæ peracto curriculo, cuncta iis in nihilum rediguntur. O quantum distat à prædicta mercede præmium, quod suis operariis elargitur noster amantissimus Deus; parùm respectu gloriæ seminant, sed multum colligunt; miserorum inopiam, uno vel altero asse sublevant; sed æternæ gloriæ stipendium accipiunt: ubi cibos capiunt mirificè reficiuntur, nec ostiatim panem petunt (nisi ad ulterius proventum.) *Non vidi justum derelictum; nec semen ejus querens panem; induti veste nuptiali assident exquisitissimis conviviiis, satiandi æternis, juxta illud Prophetæ: Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Quod si tale sit stipendium, quod laborantes in Domini vinea faciunt, quis est, qui negligat ad illam venire? quis aliàs frequentet sine omni mercede; aut ut melius dicam, laborans, ut magis laboret, moriensque semper moriturus. Præterea quanti putas momenti res sit accipere præmium, eò quòd in tua propria vinea labores; hoc Christus Dominus efficit; nam tu vineam tuam, scilicet tuum animum colens studio, & labore, ditissimam accipies mercedem gratiæ & gloriæ. Undè obtantam tuam utilitatem te vocat ad vineam; non quod tuo opere indigeat Deus, juxta illud Davidis: *Dixi, Dominus Deus meus est tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Utilissimum patet esset, si aliquis conductus ad laborandum in vicini vinea à conducente soluto stipendio, invenisset propriæ suæ vineæ

tractum, adeò cultum, ac si non in aliena, sed in sua laborasset: hac conventionem operas nostras locamus Christo Domino. Curam enim & diligentiam, quam excolendis proximorum animis navamus, in nostram culturam reperimus cessisse; itaque ad utilitatem propriam ea stipendia facimus; juxta illud, quod in Proverbiis legitur. *Anima, qua benedicit impinguabitur, & qui inebriat inebriabitur.* Cum hæc ita se habeant, quis ita amens erit, ut ad aliam vineam, nisi quæ Dei sit se transferat. Dic, obsecro, si duas vineas possideres, & ex illarum una vinum generosum propinaretur; ex altera verò acetum, nonne judicares illi, & non huic, navandam operam? Attendas ergo, licet unicâ tu personâ constes, tuum tamen animum includere duas partes, nempe superiorem, & inferiorem; animalem, & spiritualem: quando colis spiritualem, colligis uberrimos, & dulces proventus; at ex animali nihil aliud nisi fel & acetum. Ex laboribus enim in sensualitate sumptis hic fructus provenit; si litigas, nil nisi fel elicies. Si cupiditatibus tuis vacaveris, id tantummodo fuges. Si ultionibus intendis, fatis inde depromes amaritudinis. si Convivia celebras, sumptus in eis impensis erunt tui marsupii. In consequendis officiis, ac dignitatibus quot sustinentur labores & ignominia; si mihi fidem non adhibes, Spiritui sancto crede, de peccatoribus dicenti; *Uva eorum uva fellis, & botrus amarissimus: fel draconum vinum eorum.* Ergò, mi dilectissimi filii, ite vos in vineam meam.

SECUNDA PARS.

Merito nobis exprobrat nostram ignavia- 246.
 meriam Dominus, dum dicat: Quid stas hic tota die otiosi? Sed agricolæ, artifices, & fabri dicent, non secum loqui Dominum; siquidem per integrum diem laborent suis manibus. O qualem invenio hic aliquando errorem! assiduus labor, diu, noctuque continuatus non vobis proderit, nisi sitis vineæ Domini operarii: quoniam infelices sunt, qui Domino non desudant, & *vacua spes eorum.* Unde maximè dolendum est tot in diversorum generum exercitiis sudare eos, tantisque adhuc miseris vexari, quin fructum aliquem percipiant ex impensis laboribus. Satiùs foret in vinea Domini locare suam operam; siquidem singulis momentis ad eam nos vocet, neque indè debiles, claudos, aut cæcos excludat.

Si hoc pronuntiamus de rusticis & artifi- 247.
 cibus, quid dicendum de Equitibus, & Proceribus, qui suæ authoritati obistere judicant in laboribus occupari: quanto mole-
 X
 stiore

stiores hi penso divexantur, quam agricolæ? Magnatibus enim non sufficit colere propriam vineam, tenentur etiam subditorum culturæ incumbere. Quot suæ ditioni subiectos recensent, tot vineas sibi colendas numerant. Quod si haud parùm facessat negotii in sola sua vinea laborare, quid erit desudare simul in alienis? Si à solis suis manibus exactè non valent rationem exigere, quam rationem reddent de tot manibus, linguis, pedibus, oculis, quot animæ sub eorum tutela vivunt. Ne sitis otiosi Principes terræ, qui enim sectatur otium, inquit Spiritus sanctus, stultissimus est. Cui alludit Propheta Ezechiel dicens. *Ecce hac fuit iniquitas Sodoma sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiorum ejus.* Ite igitur & laborate in vinea Domini.

248. Respondebunt tamen aliqui, se non esse otiosos, nec posse notari hanc infamiã. *Quia nemo nos conduxit*: existimas tu, à quo inurimur tali notã, non esse nos paratos & aptos ad colendam Domini vineam, si vocemur ad eam. Possumus enim ornari purpuris, & infulis, si ad ea promoveamur: demus hoc certum esse: repeto tamen; *Quid statis tota die otiosi?* Nam si litteræ & virtutes necessaria sunt ad dignitatem; cur iis omissis ad otium omnium vitiatorum matrem ac nutricem concurritis, cur voluptatis sentinam sine fine, ac termino frequentatis.

T E R T I A P A R S.

249. Cùm jam intelligamus, quanti referat in Domini vinea laborare, haud abs re erit exponere, quid in illa nobis faciendum sit, in hoc argumento multa occurrunt dicenda. Sed ne acta agamus, tantummodo attingam illud maximum incommodum, quod vincis accidit dum avellantur earum flores: his enim violatis ac perditis tollitur fructus. Attendite ergò filii sæculi, unum ex majoribus damnis, quod animis infertur, esse, cùm incipiant erumpere flores, eos excerpi, aut dissipari: Hoc autem fit ab iis, qui emendationi obsistunt, nam cùm bona desideria aliquibus jam flores producant; alii demoluntur hæc initia, dicentes hypocrisim ea redolere; alii deperdunt ea, affirmantes esse vesaniam, radicitusque extirpant; his contra virtutem deliriis, & probris debiliorum animi in primo tyrocinio amittunt florem, & fructum. Cæterùm eorum everfores carpuntur in Canticis, dicente Domino: *Ne suscitatis neque evigilare faciatis sponsam, donec ipsa velit*; perinde ac si diceret; ne com-

moveatis, nec terreatis sponsam, nec à sanctis exercitiis eam removeatis, dum in illis ceperit saporem, ac voluptatem.

Aliam rem animadvertant, qui ad hanc ^{250.} Dei vineam pergunt, nempe ne amputent immaturos racemos, hi enim maturi jucundiores fient, egregium ad tractandos animos documentum: invenietis aliquos, qui Judici irascantur, eumque acrioris esse naturæ reputant, quòd in re levioris momenti aliquantulum insuavem ipsum experiantur, cùm postea tamen ab eo felicem obtinuerint sententiam. Quod si antea expectarent paulisper maturari uvam, non eam ita fastidirent. Alter alterius onera portate, inquit Apostolus; id est, sufferas tui proximi amaritudinem, ut ille vicissim sustineat tuam; & sic adimplebis legem Christi: recordentur succum uvæ immaturæ ferri ad mensam, & gratum esse condimentum, saluti que contra flavam bilem medicinam. O quàm proficuum est acescere nobis temporalia. O beatissimi illi, quibus rerum humanarum amaritudo dulcissimi saporis est? Nam sic Propheta: *In pace amaritudo mea amarissima.* Quantò enim quisque majores cum Deo amicitias gerit, tantò amariore ei humanæ delitiæ videntur, magisque ad duriora devoranda eo acerbo allicitur incitamento. Idem Apostolus sentiebat: superabundo gaudio in omni tribulatione; hoc est, nullum est mihi condimentum acido gratius; quia tribulationis amaritudo mutatur mihi in lætitiã. Oritur hoc tantum nobis bonum ex cognitione, quæ erudimur, quàm insipidi, & amari aliquando fuimus nostro Deo, & quàm acerba ipse pro nobis tulit: qui hoc penitus versat sua mente, nihil suavius arbitratur, quam his immaturis racemis conditum, & apparatus; hinc provenit, quando morbus, ignominia, tribulatio, fortunarum jactura vexant, dicendum esse Deo: Gratias tibi agimus, Domine, pro spiritali condimento, quo nobis ita indulges; benedicta sit tua misericordia; si quidem cibo illo, quem tuo filio præbueras, nos alis ac sustentas. Quando meruimus huic lautissimæ mensæ, accumbere? Qui adierit Domini vineam, inveniat (præcor) hunc fructum, nimirum hanc in ipsa acerbitate dulcedinem; & felicissimè laboret pro gloria.

Q U A R T A P A R S.

Amplius quid vobis dicam, ô charissimi ^{251.} fratres vocati ad vineam Domini? singuli sic alloquantur Deum. *Vineam de Egypto transfulisti, & ejecisti gentes, & plantasti eam.*

eam, dux itineris fuisti in conspectu ejus, & plantasti radices ejus, & implevit terram. O Domine, multa mirabilia patraſti tu in populi Iſraëlitici favorem, educens eum ex Ægypto, & ex gentibus, quaſi potentiffimus Dux & gubernator ejus itineris. Sed non minora beneficia huic alteri vineæ, videlicet animæ meæ feciſti; tu enim ex Ægypto tranſtulisti eam, è ſervitute nempe culpæ in dulciſſimam libertatem filiorum Dei, aded ut *extenderit palmites ſuos uſque ad mare,* & aliquando pervenerit ad dolorem & amaritudinem, quibus omni ſuavitate dulceſcat per contemplationem tuæ ſanctiſſimæ mortis, ac paſſionis; poſt autem quod aperuerit voluptatibus, vitiis, flagitiisſque portas, *exterminavit eam aper de ſylva, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam,* aded ut vindemiarent eam omnes, qui prætergredebantur viam; occupavit eam vanitas, demolita eſt gula ejus racemos: partem ſuam ademerat invidia; luxu & ſuperbiâ prædatoribus, vinea remanſit deſtructa & everſa; *Sicut tugurium in cucumerario: ô Deus virtutum, converte nos ad te, & convertemur: respice de calo, & vide:* Oramus tuam Clementiam, ne eò in terram ſcendas, ut videas, utrum iniquitas noſtra adimpleta ſit, ut damnemur ad æternas pœnas; ſed respicias nos oculis tuæ miſericordiæ. *Perſice eam, quam plantavit dextera tua; opera manuum tuarum ne deſpicias.* O mi dulciſſime JESV, non meis, ſed tuis nixus meritis, me ſupplicem proſterno ad tuos pedes ſanctiſſimos. Et quoniam alia vinea à Creatore diligitur, ſcilicet Catholica Eccleſia, peto ab omnibus præſentibus ob reverentiam JESV CHRISTI in crucem acti pro omnium ſalute, ut tantisper ad Dominum ſublevetis animum, & conſiderando Eccleſiæ calamitates, gemitibus & lachrymis, & ſuſpiriis eum oretis: *Deus virtutum convertere; respice de calo & viſita vineam iſtam:* illam enim vindemiant omnes, qui prætergrediuntur viam. Tranſit Hæreticus, quendam furatur racemum; advenit Turca depopulatur alium, inter ipſos Chriſtianos & Catholicos bella opprimunt, & ferè cuncta devaſtant. Undique impetunt hoſtes; nec habet quò ſe vertat afflicta ſponſa, niſi ad ſui dilecti brachia: respicias, obſecro, ſanctiſſime atque æterne Pater, quot labores & vulnera pro ejus ſalute pertulit tuus filius, potatus felle & aceto, redimitus ſpinis; ſuſpenſus è duriffima cruce inter latrones, irriſus ab hoſtibus, tam malè tractatus ab illo perfido populo. Perſice eam, quam *plantavit dextera tua.* En Domine expenſas factas in ejus plantatione, eoſdem

miſericordiarum ſumptus inſume in ærumnarum remedio: tot enim dolores tulit pro ea JESVS, ut haud injuriâ clamarerit: *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus,* quoniam vindemiavit me, & *loquutus eſt Dominus in die furoris ſui.* O celliſſime Pater, *respice de calo, & viſita vineam iſtam;* quoniam *ſi noſtri pedes erraverunt ab utero,* ille ſuaviſſimè dicit: *Tu eſ, qui extraxiſti me de ventre matris meæ; Deus meus eſtu.* Si noſtræ manus inutilia, & abominabilia ſunt fabricatæ; ſuas ipſe clavis tranſfixas habuit: Si cor noſtrum lapideum fuit, ecce quid de ſuo dicat: *Factum eſt cor meum tamquam cera liqueſcens in medio ventris mei.* Vide ergo & viſita hanc vineam. *O filii Catholica fidei, vos etiam respicite, & flete ſuper vos, & ſuper filios veſtros:* Nam hanc ſalvatiſſimam vineam exterminavit aper de ſylva; ſed quis, niſi veſtra detractio, veſtra ſuperbia, veſtræ blaſphemix, veſtræ vindictæ, veſtrum flagitium; hæ ſunt beſtiæ feræ, quæ illam ſanctiſſimæ Chriſti humanitatis vineam invaſerunt, quæ ſæviſſimè demolitæ ſunt illam. Ite ergo & conſiderate hanc vineam, ut dolore percuſi, ejus poſſitis inflammari amore.

Q V I N T A P A R S.

Ne affirmetis; *nemo nos conduxit:* hodie ^{251.} vos convocat Dei filius, ut ſedulò laboretis in veſtra vinea. Cymbala etiam ſuo quemque nomine vocant, quod niſi veniatis, die judicii teſtimonium perhibebunt de veſtra contumacia. Primo enim manè, cùm ad recitandam primam pulſantur, vobis ſuo modo dicunt; ſi vultis intelligere, *ite in vineam meam:* Revocare vellent in memoriam, quid primo manè paſſus ſit pro vobis mundi Servator coram judicibus, ut ageretis ipſi gratias pro tanto beneficio. Exiit poſteà ad horam tertiam hic altiſſimus Deus, ſublata ſuper ſuos humeros graviffimâ cruce, dicens: *Ite in vineam meam.* Tanti duxi liberare vos à veſtris culpis, ut eas poſuerim ſuper meum caput & humeros. Deindè exit ad horam ſextam, vocat mente elatos, & ſuperbòs: *Ite & vos in vineam meam.* Nam ſi æreas regiones perambulare velitis tam inani faſtu, ego permiſi in ære me ſublevari in ſatiſfactionem tantæ ingratiſtudinis. Ad horam nonam denuò vocatis, & *clamans expiravit:* Quis aded iners & ſomnolentus erit, qui hac voce non excitetur, & omni ſublata morâ non tendat ad vineam Domini. Tum demum undeciſimâ horâ ejus tenerrima & ſuaviſſima Mater, cùm teneret in gremio

defunctum jam filium, emisit suam vocem: ite in vineam; ite filii, præterit dies ferè declinat in vesperam. Ecce jam vobis parata victoria, & salus, ne sinatis eam elabi è manibus. Quis audito hoc Deiparæ clamore sustineat amplius negligentiae moras? Ecce quæ suspiria ducebat: *Deus virtutum, respice de calo, & vide*, quod ego modò video, tuum unigenitum filium & meum mortuum & vulneratum: Illi loquor quin responsum mihi præbeat; Silet filius suspirante Matre; sine specie sponsus est, deplorante Virgine: clausos habet oculos, qui omnibus donat visu: marcidus flos juvenum; sine motu Deus; cur non me auscultat meus mansuetissimus Agnus? Cur non mihi loquitur, cum æternum sit verbum? Cur mortuus est, cum sit ipsa vita? *Vide Domine & visita vineam istam, perfice eam, quam plantavit dextera tua: respice super filium hominis, quem conformasti tibi.* Virginis filium videte mortales, cujus Mater ego sum, tristis, & tribulata, quæ omnia perdidit filio meo amisso; ipso non loquente, obmutesco; eo mortuo, quasi destitutor vitæ. O nobiles foeminæ, quænam ex vobis negligat ad hanc vineam venire, & mecum paululum deplorare vestrum Deum! Ne obtendatis hujus rei excusationem: ne dicatis: *Quia nemo nos conduxit.* Ego omnes jam invito, ut comitatæ meum luctum, adeatis meam gloriam. Deinceps cum audiantur campanæ, considerandum est de quo tunc agitur, eoque modo confluum ad vineam Domini. Quod si fortè rogetur, an exeundum domo: Respondeo sicut peccato aliquando infectæ exercetis vestra pensa; sic eisdem occupatæ elicere potestis contritionis, & virtutum actus, servireque in vinea Domini maximo cum proventu & utilitate. Supplici genu, summis precibus, ardentiori spiritu contendatis à Majestate Dei, ut vobis impertiatur suam gratiam, atque universæ Ecclesiæ ad promerendum in hac vinea, strenuè amantique, dum persolvatur vobis stipendium perpetuæ felicitatis. Ne dicatis in posterum. *Nemo nos conduxit.* Canonici enim, & qui assistunt choro statis temporibus, vos invitant; qui pulsant campanas ad idem etiam vocant; & ego, salutis anno quingentesimo, quinquagesimo septimo supra millesimum, moneo vos de hac veritate; quare nullus relinquitur excusationi locus. *Ite in vineam*, ut bibatis vinum illius, quod diversissimum est ab hoc alio, quod adhuc impotentiùs sump-tum privat bibentes nobilissimo rationis usu. Illud enim defæcat mentem, venu-

stat animam, voluntatem inflammat, passiones comprimit, defendit ab hostibus, expellit veterem hominem, quo devicto reflorent omnia per gratiam ad consequendam gloriam, ad quam perducatur omnes cælorum Princeps ac Dominator Deus, Amen.

CONCIO XIV.

In Sexagesimam.

EX præcipuis, quæ requiruntur ad seminandum, sunt tempestivæ pluviae, sine quibus nec bonum semen ex se producet fructum; nec terra, licet ferax, germinabit spicas; nec Agricolaë sedulitas proderit: quod terræ aqua, id Spiritus sancti gratia est animabus, sine cujus auxilio nihil possumus operari alicujus valoris, aut profectus; sed quia opus est ita disponamur, ut extirpemus ex cordis nostri terra pravos impetus ac desideria, quæ sunt nocivæ herbæ, & frutices, quæ eam viriant; totis viribus incumbamus huic præparationi, recepturi verbi divini semen, & petamus divinæ gratiæ pluviam, implorantes intercessionem beatissimæ Virginis, cujus viscera fuerunt illa felicissima terra, quæ germinaverat salutem humani generis. *Ave Maria.*

Exiit qui seminat seminare.

Consideratione dignissima res est, quæ Christus Dominus affirmat hodie in Evangelio; nempe quartam tantummodo partem seminis fixisse suas radices, fructusque tulisse. Si semen est verbum Dei, qui fieri potest ex re tantæ efficacæ, ac virtutis, tres deperdi partes; nonne, mi sanctissime Deus, tua verba sunt *ut ignis, & veluti malleus confringens lapides*, ut dicit tuus Propheta Jeremias. Si ignis sunt, cur ergò non incendunt? Et si malleus, cur non emolliunt duritiam hominum? Haud dubitat dicere tuus Apostolus, instar gladii esse tuum verbum, tantique vigoris, ut illius virtute sustinentur omnia. Quam igitur dabimus causam, cum sit res tam fortis, & totejus auditores, esse paucissimos, qui floridè proficiunt? Non dubium, cum divinum verbum sit tam potens, hujus defectus originem duci ex terræ malignitate & corruptione; aqua enim cælestis, scilicet Spiritus sancti gratia apprimè suum officium implet, suavissimè pluens ac rorans nostris cordibus. Sed hæc sunt adeò irretita hujus vitæ miseris, ut nullum aperiunt locum, aut aditum cælesti influentiæ. Undè quamvis Dominus immitrat amanter aquas in suum fun-

fundum, ingratus tamen peccator non eas recipit; sed eligit potius remanere aridus, & sine fructu: & cum planè constet, esse stultorum infinitum numerum, sic etiam certum est, esse diversas hominum conditiones, qui minimè in virtute progressus faciunt, quorum aliqui renuunt audire de Deo, veriti, ne devicti ejus amore remittant nuntium creaturis. Alii autem, ut Saul, qui ex Amalecitarum spoliis sibi reservavit, quæ potiora visa erant, audiunt Deum ad fruendum festis, sed non ad jejunandum in pervigiis, & si in una re obediunt, in plurimis frænum rejiciunt. Aliquoties recitant, sed non condonant injurias, abstinentve luxu aut vanitate. Alii sunt, qui injurias remittunt ac restituere aliena nullo modo, aut consilio convincuntur. Alii fortunarum restitutionem faciunt, non tamen denigratæ famæ: itaque haud pauci reperiuntur, qui referant Saulem, inter quos præcipui sunt Hæretici, qui partim verbum Dei in Scriptura, & Patribus audiunt, partim rejectant; audiunt, quæ de fide agunt; prætermittunt, quæ agunt de bonis operibus, de correctione morum, de maceratione carnis, de ferenda cruce, de pœnitentia, de obedientia debita Pontifici, omnia hæc ad vivum rescant; eoque neque hæc admittunt, neque illo altero proficiunt: isti ut incedunt per Saulis viam, perveniunt ad metam, quam ille attigerat; & cum neque ad Deum convertantur, neque Ecclesiæ se subdant, spississimis obvolvuntur tenebris dæmonum, omnis plerumque turpitudinis mancipia.

255. Alios invenio, quibus contingit, quod legitur de Israëlitis, quando Moses ad eos educendos ex Ægypto præmissus fuerat, eum enim audire volebant: *Ecce filii Israël*
Exodi
 6. 12. *non audiunt me*; tales sunt peccatores, qui non attendunt iis, quæ per suos Concionatores & Ministros, divinasque inspirationes ipsis dicit Deus; adeò depressos eos tenet Phærao, id est Dæmon, inter temporalia, ut contempnant divina. Contempnunt Dei verba, aspernantur Christi vulnera, & passionem; abnuunt relinquere suam captivitatem, quamvis mittat Deus nuntios, & Prædicatores, qui eos invitent ad felicitatem libertatis.

256. Aliis accidit, quod prædictis Israëlitis postquam ad montem pervenerant, ubi Deus loquutus fuit Moyfi, qui tonitrua, fulguraque videntes: dixerunt: *Loquatur nobis Moyses & non Dominus*. Idem agunt hi peccatores, quando considerant remittendas injurias, ignoscendum inimicis, vo-

luntatis propriæ abnegationem, sui defectum & odium; iis quasi fulminibus absterrentur à cælesti tramite. Vellent potius, ut sibi loquerentur homines sensuum oblectamentis traditi, quàm præbere aures tam divinæ invitationi. Quis enumerare poterit modos, quos inveniunt mortales ad claudendam Creatori januam impedimentis & obstaculis, ne contradicatur libidini; hæc faciunt aliqui, quia terra sunt minimè culta, nec pœnitentiæ vomere arata; sed per corruptionem morum conculcata, & perdita. Alii id exequuntur, quoniam terra sunt lapidibus obstata, viri pleni superbiâ, duritiâ, & obstinatione cordis, qui quamvis videantur Dei verbum audire, deflere sua delicta; hi tamen affectus non amplius durant ipsis, quam dum Concioni assistunt; vix enim recedunt è templo, quando siccantur lachrymæ, exulat pietas, erumpunt iterum malæ herbæ vitiorum ac scelerum; sunt enim terra spinis, carduis, & tribulis caducarum rerum suffocata; & quamvis calamitosè pungantur, non ideò spinas excutiunt è manibus, quas semper habent manantes sanguine, ob injurias quas inferunt Deo & proximis. His major pars feminis deperditur: caro ad resistendum fragilis est, & gravis, ut sursum sublevetur; Si voluptatibus enutritur, impotentiùs dominatur spiritui. Quid de mundo dicam? In tali statu est, ut solus Deus ei possit moderi: hæc est terra illa maledicta à Deo producens tribulos, vepresque, quæ impediunt Dei feminis felicem proventum. Undè inferri potest, uti haberetur amens, qui in senticetis seminaret; ita reputari debere pro fatuo eum, qui arbitretur fore proventum aliquem inter mundi insidias ac voluptates: itaque Deus sic dicit per Prophetam Jeremiam: *Novate nobis novalia, & nolite screre super spinas*. Necessarium est terram nostram ad pristinam novitatem reduci aratro, & vomere pœnitentiæ, non solum ut radicitus extirpentur flagitiosa opera; sed eorum etiam desideria, atque ad omnia vitia propensiones & habitus: aliter enim feminabimus super spinas. Opus est non solum amputentur virgulta, quæ foris apparent; sed horum etiam radices, quæ occultè serpunt, ne iterum pullulent mala germina, ac suffocent, nascentem, & egredientem segetem.

Hinc fit; Deum ex sua parte seminare 257. semper bona semina; quòd si proventus ex tali labore non habeatur, terræ eum esse defectum, non feminantis; Creaturæ, non Creatoris. Singuli videant summo pavore damnatorum multitudinem; & si velint scire causam, invenient esse negligentiam,

quâ torpuerunt in audiendo Dei verbum ; aut si illud audierunt , tam somnolentè audivisse , ut vix ceciderit semen in eorum terram , quando prætereuntes aves , id est dæmones , id rapuere , ne fuscipientibus prodesset. Explora jam , charissime frater ; an ex illis sis ; nam hoc unum est ex signis , quibus dignoscuntur reprobi : ut è contrario signum est electorum attentâ & sedula auscultatio verbi divini : quia , *qui à Deo est , verba Dei audit* ; ejusque rei negligentia repleverat infernum.

258. Alii damnantur , quoniam licet audiant Deum ; servire promittant , & desiderent ; attamen ut fragiles ac debiles , non perseverant ; sed tempore tentationis deficiunt , in peccataque dilabuntur : hi sunt terra , quæ licet triticum accipiat , in eo tamen fovendo , parùm virtutis ostendit : talis fuit Judas , qui audivit Magistri sui verba , sed non perstitit in ejus doctrina , eoque caruit fructu. Sæctatoribus Judæ plenus est mundus , innumeri in quadagesima dicunt : *In abundantia mea non movebor in æternum*. At adveniente sacro Paschate , redeunt ad Ægyptum , perindè quasi nunquam inde excessissent ; nec semel in ipsa quadagesima cadunt.

259. Alii sunt quamplurimi , qui licet semen recipiant , id tamen suffocant , nimia solitudine , quam ponant in quærendis , & conservandis divitiis , in ambitione , & vanitate. Hi tot implicantur sæcularibus curis , ut frustrentur optato fructu quem sperabant è re divina , eoque de his ait Redemptor ; Facilius intrare Camelum per acus foramen , quàm in cælum divitem.

260. Hæ sunt causæ , quæ in inferna detruunt impios , & cur sint ampliori numero reprobi , quàm electi.

S E C V N D A P A R S .

261. Multæ suppetunt hodie nobis rationes , cur inundemur lachrymis , si enim convertimus oculos ad primos , qui nec audiunt , nec volunt audire Dei verba : dolendum statim occurrit de barbarie hominum ; jussit Deus *in mundi creatione , ut germinaret terra herbam virentem* , sed peccator hanc non observat legem , quia non producit fructum juxta genus suum , nulla rationi consentanea gerit facinora. Quod maximè deberet esse ei pudori , videns ipsas herbas suo tempore germinare florem , & fructus , cum ipse aded degeneret à nobilitate suæ naturæ. O homo consideres bene , quæ à te exiguntur , & quæ tibi donantur. Dæmon à te postulat , ut Deum deseras , & quid ille tibi potest dare , quod bono amif-

so æquivalet. A te petit tua caro , ne maceres teipsum poenitentia ; si tum annuis , æternorum ignium suppliciis addicendus es , ni resistas , & resipiscas : justum esset , ut te gereres in rebus ad animam attinentibus , saltim eodem modo ac in iis , quæ corporis sospitati conducunt , cum vendis vestes , fatis accuratè attendis ad pretium pendendum pro illis ; quod nisi sit justum , recusas vendere vestes. Mi dilecte , cur tam vili pretio vendis tuam animam ? Cur eam non æstimas ut corpus , aut vestes ? Cur tam citò tentationi succumbis oblitus eorum , quæ promisisti Deo ? Cur vis jacturam facere rei tam pretiosæ , quam nisi diligentiori studio serves , æternum tibi peribit , æternum perituro ?

Hujus verò fragilitatis quæ origo ? scia- 262. tis esse quod ceciderit granum super petras : in nostra duritie est culpa. Itaque miror , quod tandem petiisset à Moysè obstinatissimus Pharaon , ut preces pro se funderet apud Deum , ac demùm dimisisset populum , ut Dominus imperaverat , cum tu peccator , Pharaone pervicacior & durior , non solum non implores Sanctorum intercessionem apud Judicem Christum , sed potiùs eos irrideas , nec agas de incunda pace cum Deo , sed potiùs perfidè ruptis amicitia vinculis in defectionem abeas pronus in tua foedissima vitia. Quod si Pharaon tandem flagellis eruditus cesserit Deo , haud secus te emolliunt , quàm si esses ex durissimo filice ; recogita morbos , quibus laborasti , objurgationes , quibus in te investiti sunt concionatores ; cognatorum & amicorum obitus ; aliaque plura in tuam emendationem directa , cognoscesque quàm parùm iis profeceris. Castigatus Pharaon illo grandine , peccavisse se dixit ; sed tu nec reum te fateris ; nec veniam petis à Deo ; potiùs de temetipso gloriaris , quasi superares cæteros homines virtute ac sanctitate : octo plagæ convincere potuerunt Pharaonem , sed quot sustinuit tu , quin tamen adhuc te moverint effectu ad domandam tuam contumaciam ; duriùs haud dubiè in te , quam in Pharaonem Dei judicium exercebitur. Caruit enim Baptismate Pharaon , totque influentiis , & gratiis , uti promanant ex venerabili altaris Sacramento , quo toties te reficit , ac recreat Deus.

Desendi sunt etiam quos posuimus in 263. tertia classe homines ; dolendum , eorum avaritiâ , ac superbiâ suffocari Dei triticum ; nam peccatoris guttur arctissimum est ; unius oboli morsu strangulatur : fragmento pomi cecidit Adam : lentes Esau vicerunt : miser , & qui pusillo est animo , exi-

exiguâ aquæ quantitate suffocatur; tantillâ tribulatione premitur; minimâ infirmitate conficitur; mirum, quàm levi occasione perit. At etiam infelicissimum est, quod ex alia parte Camelum deglutiant, nempe lethale delictum, & ipsum infernum, haud valentes devorare minimum quodvis contrarium suæ voluntati, aut sensibus.

T E R T I A P A R S.

264. Non minus deplorandum prædictos, cum sint tam duri ad recipiendum divini verbi granum, tam paratos ac dispositos esse ad admittendum fovendumque tartareæ pestilentiaæ semen; vix pervenit ad ipsorum aures, quando in corde agit suas radices, & in opera erumpit, ita ut vix intercedat spatium inter commissum terræ semen, & maturam segetem; illius terræ sunt, de quibus dici potest: *Seminaverunt ventum, & turbinem metent.* Quando famelici dignitates & munera ambiunt, quid aliud faciunt, quàm ventos seminare, & turbines colligere. Quando feminas ventum in spectaculis & ludis Troianis, quid speras metere nisi detrahentium turbines, hostium iras & odia; dæmoniorum irrisus, innumera ludibria.
265. Ex hoc Evangelio tria elicies, videlicet amorem, dolorem, & timorem. Amorem, considerando, illius qui seminat, statum, & conditiones, in quibus primo loco ostenditur ejus patientia, siquidem non desistit à seminando, licet terra laborantis sedulitati quoad externam speciem non fore videatur, ut respondeat per plurimos annos.
266. Secundo loco ob terræ iniquitatem tam magnas fieri expensas in seminando, ut nisi ditissimus esset agricola ad summam reduceretur egestatem. Tertio loco relucet summa bonitas hujus Divini Agricolæ in seminando; nam cum egressus fuisset in Angelorum creatione, in Adami conditione, in electione Israëlitarum, in conversione gentium, tantamque ipsâ experientia didicisset sterilitatem, etiamnum tamen exit ad seminandum.
267. Quarto loco enitet ejus sapientia. Sapientissimus enim esset, qui suâ industriâ ex spinis posset colligere dulcissimas uvas, & ex siccis, exhaustisque ramis flores? Hoc autem, id est, vitæ æternæ admirabiles fructus colligit Deus per irrigationem suæ Divinæ gratiæ ex sterilitate peccatorum. Ejus ostenditur liberalitas quinto loco. Quis enim Agricola, qui expertus exiguam à se collectam messem annis retrò elapsis; vellet tamen etiamnum seminare in solius terræ beneficium? id tamen perficit Deus erga peccatores.

Undè colligitur voluptas, quam ex ejusmodi cultura capit; nam qui non metit, quod seminat, nec ideò tamen adhuc desistit, summè oblectari convincitur agriculturâ, eò quòd existimet utiliter factam feminis tantam jacturam, ut perexiguam comparet partem; nonne hæc omnia manifesta sunt signa Dei erga nos amoris? Opus ergo est, ut grate respondeamus alio amore, cum pro amore non pendatur nisi amor.

Dolorem subministrabit tibi consideratio peccatoris culpæ: hæc enim dissipaverat Dei semen in perditis Angelis, per hanc exularunt nostri primi Parentes ex voluptatis Paradiso. Hæc Dei filium adegerat ad sustinendas tot pœnas, & labores pro hominibus.

Corripi debemus summo timore considerantes deperditas esse tres partes feminis ex quatuor quæ commissæ fuerunt agro.

Fierine potest, quod custodes hujus feminis sint tantâ negligentia ac socordia, ut volucres cæli comedant illud. Dicas obsecro, si tibi misisset Rex edulium delictissimi, & suavissimi saporis, posteaque te interrogasset, quid tibi videretur de cibo? forsitan tam impudens esses, ut responderes missas epulas felle fuisse conditas. Quid autem fieret si tui obitus hora interrogatus de voluptate perceptâ ex Angelorum cibo, nihil aliud respondere posses nisi ob tuam incuriam volucres cæli comedis illud. O quanto risu, imo potius quot lachrymis digni sunt, qui arctissime claudunt res tam vanas quales quotidie aucupantur; dignitates, quas ambiunt; pecunias, quas corrogant; apertis foribus, ut cæli aves ingrediantur ad consumendos pretiosissimos Thesaurus divini feminis?

Haud minus timendum est, quod multi non solum negligent de custodiendo semine, sed illud etiam, spreto divino seminatore, suis pedibus conculcent. Timendi sunt, qui spiritualia vendunt; timendi hæretici, qui falsam doctrinam tradunt, qui monetas nullius ponderis aut valoris cudunt, adulterantes verbum Dei.

Sed quid dicemus de illis, qui obdurti cordis, licet recipiant verbum; non imitantur tamen proprietates terræ, quæ communicat humorem grano, ut latè germinare posset; sine suo labore, aut concursu vellent habere proventum. Nonne hoc est vindicare, & attribuere sibi aliena? Desideras, Christiane, videre Christum illis tuis oculis, qui jam otiosi nullo

nullo modo se juvant dolore aut lachrymis ad tantum bonum? Cupis, ut Deus dignetur te amare, quin gratè respondeas tam divino amori? Desideras, nullo adhibito studio aut labore, penetrare celestia? Nonne vides, te non metere posse, ubi non seminasti; novistinè, quanti ponderis sit res hæc, de quâ agitur? Ob ejus ignorantiam tanta animarum fit jactura. Sic hæreticus simul & peccator pereunt, quia nolunt discere, quantum sibi conduceret ad salutem, suscipere, æstimareque labores.

274. Si fortè altiùs vis cognoscere pœnas, in quas incurrunt, qui sibi ipsis hac in parte non prospiciunt; scias eorum supplicium adhuc in hac vita incipere in ultionem negligentiae, quâ desides se gerunt in divinis obsequiis, ut germinent, floreatque virtute. Sic enim in ipso laboris aditu prosteruntur, ut paulò vehementiùs ingruente tentatione recedant. Itaque, mi frater, si te ad resistendum vires deficiunt, tibi ipsi attribuas culpam, quia grana non ita projecisti in tuam terram, ut in eam altas mitterent radices.

275. De aliis quoque timendum, scilicet de iis, qui cum lætè suscepissent divini verbi semen, postea illud suffocarunt nimia sollicitudine divitiarum, quæ acutissimæ spinæ sunt. O infelix homo, qui non sat tibi ducis pro te Christum redimitum fuisse spinis; sed intendis ulterius ejus impedire doctrinam tuo scelere! ô quàm incommodum in tuo corde domicilium præbes Deo, qui tam commodum in suo tibi paraverat, ut idu lanceæ ad illud tibi apperiri via permiserit. Rectè te affirmarem unum esse ex illis, qui seminaverunt triticum, & messuerant spinas.

QUARTA PARS.

276. Nisi vetus homo moriatur desperes de lætitiâ messis: ecce quid fecerit pro te Christus, teneris proculdubid ad sulcandam tuam terram, & ad rigandam eam lachrymis, ut ita tibi producat trigessimum, sexagesimum, centesimumque proventum: cæterum ad hps colligendos fructus; *quid faciemus?* Cum tolerantia expectes, amore te excites, divinarum rerum meditatione, doleas de commissis

277. culpis; time, quoniam *Beatus vir, qui semper est parvidus.* Nesis ex eorum numero, qui indormiunt custodiae Dei verbi; neque eorum, qui necessarios refugiunt labores ad salutem; neque de illis, qui seminant in cubilibus: sed habeas semper ob oculis Christi Domini egregias virtu-

tes, ac facinora, ut illum imitatus in hac vita, consequaris in altera æternam gloriam. Amen.

CONCIO XV.

In diem Cinerum.

Cum jejunitis, &c.

*Canticum
Quadragesimales
scripta in
Civitate
Portus ad
ostium
Darii.*

Ecce nunc tempus acceptabile: Hoc tempus assignatur à Christo Domino, (ut videtur) ad celebranda sibi parentalia. Si enim Israëlita defunctum Moysen deflexerint triginta dierum spatio; quanto potius deplorare debemus nostrum Moysen, nostrum Prophetam Christum? Nam si Moyses eduxit populum ex Ægypto; Christus ex tartareis regionibus nos eruit. Si ille sublevabat manus, ut populus obtineret palmas, & victorias; hic suas tenderat in cruce laturus opem universæ terræ. Si ille elicuit ex petra aquam, ut sui biberent; ex nostri legislatoris latere exivere dulcissima fluenta, quibus potati, mirà ditaremur salute. Si igitur illum lachrymis prosequutus fuit Populus Israëliticus triginta diebus; æquum erit saltem quadraginta nos nostrum Moysen deploraremus, Apostoli ducti consilio: *Hoc enim sentite in vobis, &c.* In nobis præsentiamus, quæ pro nobis tulit JESUS, ejusque sanctissimam Matrem deprecemur, ut in hanc rem suo nos donet favore. *Ave Maria.*

Cum jejunitis, &c.

Mirum esset, si Rex ad comitia convocatis subditis, primo tantummodò die nuntiaret de certitudine, quâ obeundæ omnibus angustia mortis. Id hodiè perficit summus cælorum Princeps ac Dominus. Omnes, omnes convocat jam mortales clangore tubæ: *Cantate tuba in Sion;* At hæc summa indè paræmia. *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem revertaris.* Domine, ad hoc solum tam universalis convocatio? Jam id satis innotescit; nam *constitutum est omnibus hominibus semel mori.* Nonne in singulos dies hanc veritatem nos experientia docet? ad hoc tamen convoco, dicit Deus. Videntibus enim tot funera vestris oculis, eaque fatente vestrà linguâ; manus tamen, vitæque tenor mortalitatem negare videntur: nam vivitis perindè, quasi nunquam morituri essetis. Dicatis, amabo, si lateret vos certitudo mortis; contenderitisne injurias ulcisci acriùs, vehementiori que curâ voluptatibus vosmetipsos mancipari?

Pla-

280. Placerne scire, quid vobis hac in re evenit: quando efferato equo injicitur frænum, ita potest illud terere suis dentibus, ut ex ore tandem excutiat. Mortem homini veluti frænum injecerat Deus; ille verò sui finis oblivione hoc frænum quasi minuit, (ut liceat ita dici) tam temerarius, & effrænis, ut cohibeatur nulla in re; ideoque Deus hodierna die asperrimum frænum ei inserit, monens de vicinorum exitu, & morte, ut iis quasi repagulis detineatur, juxta illud: *In campo & frano maxillas eorum.* O quot secum fert damna hujus rei oblivio? quid enim iracundum incitat ad vindictam, nisi oblivio mortis? si meminisses mortis, an tam incredibili audaciâ offenderes majestatem Dei, homicidiis, adulteriis, blasphemis, injuriis.

281. Vultis cognoscere, ad quid insuper vocemini hodie? ut mortis consideratione agatis, quod quotidie sine illa fit. Quid, peccator, exequeris, quando super caput tuum fastum collocas? cinere id aspergis. *Non sic impii, non sic; sed tamquam pulvis, quem projicit ventus à facie terra.* Hic optimè ut in cæteris provisum est à divina justitia; nam ut furi suspenditur aliquando ex collo res ablata, quando prodire cogitur ad sustinenda flagella, ne pœnæ causa ignoretur à præsentibus. Ita frontem aspergit tibi pulvere Dominus, ne ignores tuæ mortis, dico æternæ, causam fore tuam culpam, ni resipiscas. Hodie in Evangelio acerrima tibi potio sumenda proponitur: ante Missæ introitum tibi propinantur lenitiva pharmaca mortis memoriâ condita: utque videas, quàm amara sit hæc potio; hujus sæculi mundioli quibus maximè rebus oblectantur? Respondebis, epulis, calicibus, honoribus, autoritate & pecuniis, quæ cætera sustentant. Itanè? Scias autem, necesse esse, purgetur animus à tam nocivis humoribus; eoque proponi ab Evangelista, imprimis jejunium; *cùm jejunatis*: deinde *nolite fieri sicut hypocrita tristes*: tum denique: *Nolite thesaurizare vobis thesauros super terram.* Quid videtur de his medicamentis? Nonnullis sanè perquam amara sunt. Pergamus ulterius: in tribus deficiunt peccatores, ut constat ex sacris litteris: *quorum Deus venter est, &c. Ascendam in celum & ero similis, &c. Eritis sicut Dii, &c. Cupiditas, quod est idolorum servitus, &c.* At hæc mala indigent etiam suis remediis. Ut à primo incipiam, omnes tenentur ad jejunium, præter impeditos morbo, aut excusatos juxta regulas Ecclesiæ.

282. Cùm jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Pœnitentes ac mortificatos

nos vult Deus, sed non cum hypocritis. Hæc enim lachrymarum vallis non est locus fucatæ e mentitæque tristitiæ; sed cordis munditiæ ac pietatis. Undè infertur; quam remoti debeamus esse ab æstimatione propriâ, cum non permittatur, ut desideremus haberi pii aut sancti ab hominibus ob superbiam aut vanitatem. Magna dubitatio hic insurgit circa illud, quod de thesauris pronunciat Evangelium: quoniam si verum est, eos nobis interdici; omnis orbis, qui iis abundat, videtur incurere periculum damnationis. Respondeo imperari, ne collocemus nostrum finem in rebus hujus vitæ, sed earum usum referamus ad Deum. Redeamus iterum ad jejunium, quod viam salutis admirabili suavitate sternit, sublevat animam ad Deum; terret dæmones, firmat spiritum, placat iracundiam. Judicis contra nostras culpas & delicta. Jejunium est veluti propulsandis morbis spiritualibus regula à cælesti medico scripta. Intentantur tibi mala? Jejuna, ita enim Ninivæ imminentes calamitates evaserunt. Obsideris ab hostibus? jejuna, ita etiam liberatus Josaphat. Habes fortasse in votis adversarii tui caput amputare? jejuna, ita Judith suum obtruncavit Holofernem. Cupis à spiritu sancto gubernari? jejuna, ita ab Apostolis factum est; *Jejunantibus illis dixit spiritus sanctus, &c.* Desideras tuas subjugare cupiditates; tuam imbuere mentem optimis considerationibus? Jejuna; quia corporali jejunio mens elevatur, & vitia comprimuntur. Hacque ratione intelligitur, quomodo gula, licet ex se rarò sit tam gravis culpa, aperiat januas plurimis vitiis & peccatis; Idioque hæc porta hodie clauditur, ut spiritualis & cælestis pateat.

Quamvis hypocrita nemini malus nisi sibi ipsi videatur; saltem monetæ adulterinæ fabricator est: hoc autem delictum factis per leges punitur; quod si rectè pensetur res, Lucifer hypocrita fuit: sibi enim arrogavit quod proprium erat Dei. Hoc hominum genus infelix, & miserabile est, qui laborant, sed sine utilitate; transigunt in hoc sæculo operosam, & difficilem vitam, sed in futura infeliciorem agent! Itaque digni sunt omni commiseratione, ut tanquam qui à Deo errant defatigati in via iniquitatis, non excerpunt ex suis laboribus, nisi calamitates, & misérias. Longissimè removentur è conspectu Dei vanitatis mancipia: ideoque maximè dolendum, quòd cæci ac decepti non advertant ad gloriæ pretium, quod suâ stultitiâ amittunt. Res sanè notatu dignissima, ne qui jejunant pietative serviunt, id agant

imposterum sine emolumento & fructu. Restat jam explicandum dubium illud de mundanis divitiis: diximus possideri posse thesauros, ut bene expendantur: igitur si aliquis habeat divitias honestè operandi animo, iisque consequendi gloriam, securè obtinet illas; quamvis hujus vitæ non adeò fidendum securitati; Quoniam secundum omnes suas partes militia est; ultimaque victoria non comparatur, nisi in illius ultimo die. Præterea sciendum est, tres esse modos possidendi divitias. Quidam enim eas suis pedibus subjiciunt; ab aliis super ipsum caput collocantur; nec invenio paucos, qui eas in brachiis portant. Primi cæteris feliciores sunt; secundi infauitissimi; tertii nocteque dieque acie confligunt; quod si res suas dilapident vincuntur; at si ordinatè utiliterque insumant eas victores evadunt. Hi si mundum nimium diligunt, in aperto perpetuoque salutis periculo versantur. Qua de re intelliguntur illa verba Domini; *Va vobis divitibus*, &c. Ideò tot Sancti, ac Religiosi mundo remittentes nuntium amplexi sunt paupertatem cum Christo. Dicis, velim, peccator, si tibi fieret optio, aut per integrum diem observandi jejunii, aut leonum foveam adeundi, ut devorareris ab illis; quid eligeres? Primum illud haud dubiè: si autem violes jejunium devoraberis à vitiis, juxta illud: *Mors depascet eos*; perpende igitur jam, an melius sit abstinere à prohibito cibo, quàm incidere in tam crudeles hostes?

284. Si vix sustines temperare te ab inani mundi fastu & gloria, in memoriam revoces, quod scriptum est de peccatore; *Cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus*; Quod si peccatorem gloria hæc vana non sit comitatura ad decorem in altera vita; quid infelicius, quàm pro leviori palea perdere imperia æternitatis? Nisi aliundè tibi persuadere possum, ut restituas aliena, ac divitias injuriosè paratas suis Dominis; audias, quod dicitur de peccatore: *Cum dormierit, nihil secum afferet; aperiet oculos suos, & nihil inveniet*. Quid videbit quando aperiet oculos suos? O quàm infaustum est expectare illud tempus ultimum, quo velit, nolit aperiendi sunt oculi ad aspiciendum, quod emendare neglexerat in peracta vita. Quid fiet de miserimo illo, qui ita afflictabatur in vita ob jacturam unius vel alterius oboli, amissis per totam æternitatem tot gloriis, & deliciis? Huc simul vocaris ad solvendum debitum; omnia enim, quæ perficis cogitatione aut opere, Dei sunt; *Nonne est ipse Pater tuus, qui possedit, fecit, & creavit te?*

285. Vocaris ut executione mandes, quod

jusserat Dominus, per Jeremiam. *Filia populi mei, accingere cilicio, consperge cinere luctum unigeniti; fac tibi planctum amarum*. Idem, velim, & tu facias, dilectissime frater, effusissimè solvens habenas dolori, ac lacrymis pro morte Dei unigeniti filii qui pro te occisus est.

Vocaris, ut non solum scias te moriturum, sed jam quasi defunctum esse; nam Christo pro te mortuo, tuæ pro illo profundendæ vitæ debitorem te existimes. Servias ergo ipsi: restituatur pecunia aliena, quàm nisi suis dominis reddita, non absolveris à delictis: te totum præbeas Christo Domino usque ad ultimum spiritum; ut ita salutem obtinere possis. Vocaris denique, ut conspersus cinere, remedium invenias omnibus tuis laboribus, & cognoscas te nihil ex te habere, sed ab illo, qui ex nihilo te creaverat. Unde ad nullam rem jus habes; nec quod negatur, tibi debetur, quamvis valetudinis, aut pecuniæ potiore parte destituaris. O quàm efficax medicina hæc omnibus ærumnis! Impone ergo capiti tuo cinerem, & jejuna; uti jejunas quadraginta dies, quando medicus tibi præscribit Indorum lignum contra morbum gallicum; id saltem debes facere, ut per sanctæ crucis lignum infirmitatibus tuis medelam feras. Jejuna, ut recuperes res perditas: *Auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt*.

Jejuna, quia Dominus jejunavit: nam 287. qui renuit eum comitari in laboribus, non obtinebit cum ipso præmium. Ille per quadraginta dies nihil manducans, aut bibens, in deserto & inter bestias degerat; & tu vis singulis diebus refici exquisitis deliciis?

EPILOGUS.

Jejunate, Fideles; imponite vestris capitibus cinerem; quoniam per peccatum introivit mors, & ex eadem orietur remedium. Attendite, vos convocatos fuisse, ut faciatis sanâ, & rectâ mente; quod infanâ & stolidâ hætenus perfecistis: sumatis hodierna remedia, ut pharmaca lenientia, ut purgemini à gula, vanitate, cupiditate, flagitiis. Vestram Hierusalem spargite cinere; defleteque vestras manus, contemplati loca, ubi Christus passus fuit. Suscipite cineres, quia jam mundo emortui estis; & vita vestra jam non est vestra, sed ejus, qui pro vobis mortuus est. His absolutis, adhibete pœnitentiam, lachrymas, & jejunium, quandoquidem hæc remedia sint à cælesti medico præscripta, ut plurimam obtineatis gratiam in hac vita, & deinde sempiternam gloriam. Amen.

C O N-

CONCIO XVI.

In I. Quadragesimæ Dominicam.

Ductus est JESVS in desertum, &c. Matth. 4.

289. **N** Arratur in Reg. 1. lib. Davidem, cum revertisset ab ovium custodia, inivisse cum Philisthæo gloriosissimum prælium, eique caput non Saulis armis, sed ipsiusmet Philisthæi gladio, per Dei favorem amputavisse. Quem significabat David, nisi Christum Dominum? Hic ut Deus pascebat in cælo Patris æterni oves, Angelos nempe, propter zelum Israël providit conferturus manus cum Lucifero Philisthæo: *Zelus domus tua comedit me.* Lucifer verò tantam in orbe occupaverat tyrannidem, ut hujus mundi Princeps diceretur. Itaque Christus hodie descendit in arenam cum ipso; Ductus est JESVS in desertum, ut tentaretur à diabolo. Quod maximè nos compellet ad pugnandum cum hoste, est scire modum, & artem reportandi victoriam: securus autem prodit ad hoc certamen is, qui imitatur nostrum Imperatorem Christum. Qui ductus est à spiritu, hæc sunt aptissima arma, ut coronemur victoricibus fertis. Scitis, cur reportent tam pauci victoriam? hujus rei causa est, quia tam pauci sunt horum armorum studiosi. O stulte, qui velis Saulis armis, viribusque humanis fretus contrarios subjugare! Erras turpiter; non aded fragili subsidio tam strenuus hostis vincitur. Exit Christus ductus à Spiritu sancto, qui Dei amor est, ut ostenderet tibi obsequendum eidem amori, si vis vincere; hic amor sit tibi dux, & subsidium, quo destituti tam miserè vincuntur ab animæ Philisthæis & hostibus. Sed de industria desertum eligitur à Christo pro dimicatione locus: eligitur ad certamen, ut majus decus acrescat victori. Dæmon enim ambulat per loca arida; devicto igitur in propriis ædibus, Christo erit gloriosior triumphus. Prodit in desertum, ut satisfaciatur pro homine, qui per peccata remanserat, ut destitutus Dei gratia locus: *Ecce relinquetur Domus vestra deserta.*

290. Exiit ad desertum, ut ibi inveniret peccatorem: *Inveni te in loco horroris, & vasta solitudinis:* Ut edè suavius posset demulcere, alloqui, movere, & emollire ipsum, qui incedebat per nemora, & dumeta, inter bestias. Væ miseris & ingratis peccatoribus; quoniam Tygres & Leones erga suum creatorem, quinimo aliquando erga homines mitescunt; & tantummodo

homines crudeliores ipsis feris eum repellunt. *Susceperunt me, sicut leo paratus ad prædam.*

Detegamus jam inimici industrias: quia ^{291.} jacula prævisa mitius feriunt: Christum tentationibus aggreditur, jam esurientem, ut constet tentationes ex occasione sæpius suam originem trahere. Cavete fideles ab hujus vitæ delictis, ambitione, fastu, avaritia, libidine; hæc præcipuè tentationum fontes: Unusquisque tentatur à concupiscentiâ sua. Nam si Christum esurientem aggreditur, quia judicat, licet erroneè, quamdam sibi esse occasionem, quâ rabie invehetur in repletum peccatorem?

David interfecit Philisthæum ipsius ^{292.} proprio ense: idem fecit noster David Christus, ad primam invasionem hostis, dicens: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei:* haud quærenda temporalia, nisi juxta voluntatem divinam: insuper addere posset Christus.

Petis, ô dæmon, ut convertam lapides ^{293.} in panem: ego id efficiam, ejusque rei haud dubiè te pœnitebit; ad hoc veni in mundum, scilicet ut humana corda duriora lapidibus massæ triticeæ instar mollescerent, æterno Patri futura cibus. (Sic agebat sanctus Martyr Ignatius: frumentum sum Dei.) Ignoras quod petis: angularis ego lapis transubstantiabor in panem sacramentalem, quæ res tuo gutturi acutissimus ensis erit, & meis militibus panis vitæ æternæ. O quot pericula in hac vita? Quoniam si Christus tentatur in eremo; quid fiet de aulicis, & deliciosis? si Christum post jejunium invadit dæmon, fortè omittet impressionem facere in benè pransos & faginosos.

CONCIO XVII.

Alia in Dominicam primam Quadragesimæ.

Ductus est JESVS in desertum. Matth. 4. cap.

O Ptimo jure exclamabat David: ^{294.} *Quàm magnificata sunt opera tua, Domine, nimis profunda sunt cogitationes tue? Vir stultus non intelliget hæc.* Si non solum fatuum & amentem, sed sapientissimum quemque latent secreta & mysteria tuorum operum, Domine; quem non fugiant tua facta? Humanarum legum peritissimi pronuntiabunt, non decere tuum honorem, & auctoritatem congrédi hodie cum Dæmone: non videtur enim aded cedere in tuam gloriam victoriâ partâ tam superanti potentiâ. Quod omnes tuos inimicos

in pulverem redigas, quid erit tibi gloriae? Ad hæc, fatanas etiam superatus, jactabit tecum certavisse, unde si secundum honoris humani regulas, judiciaque hæc res decernenda esset, nullus non dissuaderet tibi hunc conflictum. Attamen, ô quàm magnificata sunt opera tua Domine? certissimum est, fatanam interrogatum, an reputet decore se affectum, eò quòd tecum iniverit singulare hoc certamen, respondurum potius inde sibi obortum turpissimum pudorem. Quis enim ignoret superbiori spiritui fore maximam confusionem, quòd post tam clara Scripturæ testimonia de divinitate tua erret, cum tamen postea Petrus ex rustico piscatore in Apostolatum adscriptus te confessus sit: *Tu es Christus Filius Dei vivi*. Si objiciet quis dedecere Regem cum servo & mancipio contentiones; respondetur id locum invenire apud hujus sæculi homines, qui solum de re temporali contendunt. Deus autem venit in hunc mundum ad redimendos homines; quid pulchrius? Devicit Dæmones pro fervorum salute; quid jucundius? Cum esset Deus, induit naturam hominis ad sustinendos labores, & certamina, ut homo obtineret læticias: quid mirabilius? Demisit semetipsum ad nostrum exemplum, cum esset cælorum altissimus Princeps; quid gloriosius? Non hinc tamen sequitur quærendas esse occasiones tentationum. Quoniam si Jesus secessit in desertum, ut tentaretur à diabolo; eo tamen loci ductus fuit à Spiritu sancto, quem qui strenuè sequitur, acie nunquam devictus occidet. Sed qui se ingerunt prohibente Dei numine vitiorum occasioibus, nempe illicitis deliciis, periculosis congressibus; superbiam, & avaritiæ nutrimento, divitiis, sunt qui turpiter subjugantur, juxta illud Apostoli: *Nam qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli*; quæ ducunt homines in interitum, & perditionem. Si ergo à tentationis occasione recedendum est, multò magis ab ipsa tentatione. Præterea cum Christus Dominus impeccabilis esset, atque adeò de eo dictum, fore, ut ambularet super aspidem & basiliscum; incolumis, tutusque valebat prælium adoriri cum hoste; at miser peccator natus de muliere, brevi vivens tempore, repletus multis miseriis, in peccato natus, ac enutritus: *In veteravi inter inimicos malos*; Iste evitet occasiones peccandi, & apud se statuatur neminem à Spiritu sancto exponi cadendi periculo, aut occasioibus tentationum, potius inde deduci, ut ait Propheta David: *In te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum*. Sed non minoris momenti

dubitatio se offert, quid innuit abire **JESUM** in desertum, ut tentaretur? Homines enim solitudinem semper exosi sunt; nesciunt vitam ducere, nisi temperatam aliorum consuetudine, & convictu: recedere à voluptate abhorrent. Quòd si antea adeò fugiebant vitam solitariam, majori eam imposterum prosequuntur odio, si intelligant esse tentationum seminarium. O mundi infelicitas! O cæcitas mortalium! Nonne videtis Dominum asserere: *Deducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor ejus*. Et alibi; *sedebit solitarius, & tacebit, quia levabit se supra se*: Scitote, si fortè, minus sentitis in sæculo tentationum jacula, quàm si viveretis in eremo, causam eam esse, quod hic inter occasiones adeò subditi estis dæmoni, & assueti ejus imperiis, ut nulla videatur contradictio, aut contentio cum illo; quod clarissimè ostendit, vos jam amisisse victoriam. Potius deberet inde inferri, eligendam esse vitam solitariam ad evitandum mundum, seminarium omnium occasioibus. Ad rem venit, quod accidit cuidam Cænobitæ, qui vidit maximam catervam dæmonum insidere cænobii pinniculis, & imbricibus, cum tamen unus solus occuparetur in obsidione totius civitatis. Hujus rei causam avidè desideranti, dictum fuit, ad expugnandam urbem unum dæmonem fore sufficientem; ad superandos autem Dei servos, utpotè qui liberi sunt à mundi tumultu plurimos requiri. Quare tentari homines, non est inter mala numerandum, nisi sui deditioem faciant: Beatus vir qui suffert tentationem; quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Aliud liceat mihi tibi dicere, mi sanctissime Domine; non minus me terret in hac meditatione, nempe post quadraginta dierum jejunium te pati tentationes. Hinc enim despondebunt animo peccatores, dum videant hoc esse præmium jejunii. Pacis potius & quietis spes erigit eos, ut alacriter ab esculentis, & poculentis abstineant; & tu Domine, tuo exemplo doces, loco desideratæ pacis, post jejunium, tentationis imminere tam furiosam procellam. Quis non absterrebitur à jejunio his auditis? O quàm altissimè explicas, in nullo vitæ spiritualis statu, & gradu defuturas esse tentationes, aut prælia; duabus præcipuè de causis; imprimis ut homo in sua humilitate ac demissione conserveatur; eoque Apostolo Paulo datus fuit carnis stimulus, ne magnitudo revelationum illum extolleret: deindè ut magnos in virtute progressus faciamus ad consequendam gloriam, quâ omnes præsentis donet clementissimus Deus. Amen.

C O N-

CONC IO XVIII.

In feriam Sextam post Cineres.

Diligite inimicos vestros. Matth. 5. cap.

295. **R**Es nova esset, si Philosophiæ magister inciperet studiorum curriculum à quæstionibus ad Methaphysicam pertinentibus; ita admiratione dignum est Ecclesiam Catholicam nostram matrem, & magistram, à difficilioribus exordiri suas disciplinas. Incipit enim ab inimicorum dilectione, difficillimâ materiâ. Videtur imitari medicos, qui statim vehementiora remedia adhibent ad mitigandam bilem, ne paulò sæviùs grassante hoc humore intereat infirmus. Aliquis fortè dicet si tanti momenti res sit, parcere inimico; cur ad hanc feriam rejicitur? nam poterat feria quarta hujus sanctissimi temporis exordio tam urgenti incumbi. Dico homines ex bacchanalibus evasisse sic saturatos, ut ad humanos penè usus torpescerent. Cui inconvenienti subveniendum erat jejuniò mortisque memoriâ, de quibus prædicatum primo die. Jam autem cum ad se redierit peccator, defæcatus ab intemperie, ac torpore sensuum & corporis, fit capacior hujus tam utilis doctrinæ, ut ita affirmet Apostolus: *Omnis lex in uno sermone impletur; diliges proximum tuum, sicut teipsum;* (nam qui diligit proximum, diligit etiam & Deum;) *Quod si invicem mordetis, & commeditis, videte ne ab invicem consumamini.* Perindè quasi diceret, nisi purgetis hanc inimicitiae bilem, veniet tempus, ubi vosmetipsos mutuis moribus devoretis. Nonne advertitis, quando proximos mordetis, vos ipsos dilaniari? Si vos, cum sitis cives, conamini urbis academias extinguere; quis præter vos sustinebit damnum? Monitos vos velim, ut ponatis odia & inimicitias: non enim potestis vicinis nocere, quin id detrimento sit vobismetipsis: nam occidendo proximum, recipitis lethale vulnus in vestris animis. Ideoque primo loco adhibenda remedia huic gravissimæ pesti; quæ si paulò altiùs reconderetur in visceribus, ad quid deservirent jejunia, ad quid lachrymæ, ad quid eleemosinæ, cæterave pietatis opera? Ad quid diverberationes aut flagella, dicente Apostolo: *Si tradidero corpus meum, ipsa ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Cum hæc ita se habeant, certissimum nostris morbis remedium est, quod hodie nostra mater Ecclesia proponit in Evangelica lectio-

ne: Quare obnixè omnes præsentibus rogo, obstant tempore nocivis humoribus. Orate pro persequentibus vos, inquit æterna veritas. ad hoc petamus favorem & gratiam per intercessionem sanctissimæ Virginis. *Ave Maria.*

Diligite inimicos vestros. Matth. ut supra.

Domine, nunquid non sufficiebat te dixisse in Monte; *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram;* quod si homines ita diligant terram, quid ulteriùs requirunt, cum hæc ipsis detur in mansuetudinis præmium? Deindè satis erat te pronunciasse: *Audistis, quia dictum est antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicii.* At ut altiùs firmetur hoc principium, cælestique Philosophiæ dignitas declararetur, hodiè dicis: *Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio; qui autem dixerit fratri suo, Racha, reus erit concilio; qui dixerit, fatue, reus erit gehenna ignis.* Nec solùm hoc assero, sed hominis salutem consistere in reconciliatione cum suo proximo, antequam ferat ad altare oblationem, aut munus. Nec dictis contentus, sub capitis finem ad eandem materiam redeo. *Audistis, quia dictum est: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Idem sanè repitis Domine, ut rem summi ponderis ac momenti, difficultatemque illius ob nostram naturam miseram & corruptam amplius declaras; uti solent medici facere, quando infirmus variis morbis afflicatur, applicare medicamentum sæpiùs graviori morbo, à quo magis impendet mors: cum verò hoc hominum contagium inter nocentiora, & periculosiora recensetur, cælestis medicus, divinusque animarum restaurator sæpius illi adhibet medicinam; nec satis judicat asseverasse, mites possessuros esse terram, ut hac promissione ægrotus amet mansuetudinem, & suavem cordis affectionem, sed post hoc remedium aliud timorem incutiens admovet, dicendo; *Qui autem irascitur fratri suo, reus erit judicio; qui dixerit, Racha, reus erit concilio; qui dixerit fatue, reus erit gehenna ignis.* Predicta sunt quasi lenitiva medicamina, ut jam sumatur potio, quâ bilis utique expellatur. *Diligite inimicos vestros.* O cælestis medice, quâ suavitate rem ad nostram salutem ordinas? Nam ut huic diligendi hostes sententiæ deficeret amaritudo, amoris & timoris præparas pocula; *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolantur;* Unaque connectis cum illis parcemiam omnî consideratione dignam, videlicet vitam nostram inimicorum dilectione niti; si

enim hæc absit, non erimus adoptivi filii Patris nostri cælestis, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos, & injustos. En Evangelii clausula omni æstimanda veneratione; sed proh dolor! quàm parvi fit ab hominibus. Si aliquis suo filio relinquat hæreditatem, quamvis alicui difficultati alligatam, filius tamen adamussim observabit conditionem positam à parente, ne amittat legatum, aut bona tali obnoxia obligationi. Æternus Pater decernit nos hæredes instituere sui regni, cohæredes autem sui unigeniti filii JESU-CHRISTI. Opus tamen est, conditionem ab ipso præscriptam observemus, nempè diligamus inimicos, & rogemus pro persecutibus nos, ne amittamus oblatam hæreditatem. O stulte peccator; non videtur tibi grave executioni mandare, quod temporalis pater disponit, cum hæreditas, quam ab eo capis, plerumque tuæ condemnationis æternæ causa sit; & ægrè fers observare à tuo cælesti Patre impositam conditionem, ut adeas hæreditatem æternam, affluentem tot gaudiis ac deliciis. Annexæ autem conditio nequaquam molesta, sed potius suavissima est, si res bene perpendatur. Quid enim dulcius, quàm evitare mortis periculum? æternam autem mortem evitas diligendo tuos hostes. Præterea hæc rationibus firmat Christus. *Si enim, (inquit) dilexeritis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & Publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt.* Perindè quasi diceret; quod discrimen intercedet inter lucis & tenebrarum filios, si tantum diligantur, & salutentur amici, hoc enim etiam exequentur Ethnici & Publicani: necesse est, ut illi, qui in die judicii tam diversi futuri sunt à peccatoribus, & ab idolorum cultoribus, in hac mortali vita illis eminentiores sint in operibus. *Estote igitur perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est;* utque hac emineatis perfectione; *attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Huic negotio vacandum est omni sedulitate ac studio; multi enim sunt, qui specie tenus amplectuntur virtutem; at non omnes sunt perfecti. Itaque cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt. Hi enim eâ vanâ ostentatione receperunt mercedem suam. Te igitur faciente eleemosynam nesciat sinistra tua, quod facit dextera. Nam qui occultè student hic perfectioni, palam recipient præmium in æterna gloria.

SECUNDA PARS.

Una ex difficultatibus, quæ à dilectione 297. inimicorum absterret maximè, est nativum odium, quo adversantia abhorremus; lupum ovis averfatur, non aliâ ratione, nisi quia ejus est contrarius, homini proclive est odisse illa, quæ ei nocent; hæc timet, & intolerabilia reputat. Deus, qui omnia fecit in sapientia, pondere, & mensura, non à te exigit, ut leonem non metuas, quando te adoritur; non à te petit, ne abomineris ea, quæ te invadunt, vitæque tuæ conservationi insidias parant; sed opus est, ut intelligas illam insitam aversionem, quâ te erga res contrarias munit natura, nihil nostro intento officere. Jus enim naturæ non contradicit juri divino, quod imperat dilectionem hostium. Quod si poteris te defendere jure naturæ; id tamen debet fieri defensione inculpatae tutelæ, rationi obediendum, non corruptæ inclinationi. Ducas, obsecro; si Rex tibi præciperet, ut diligeres hostes; idemque à te peteret vile mancipium; cuinam, ex his obedires? mancipio, an Regi? Regi sine dubio. Idem tibi accidit in casu præsentis. Monet Deus, ut diligas hostes; tua propria inclinatio vilissimum mancipium, persuadet, ut ames mundum, & carnem, tuos capitales inimicos: sed ô miserrimum te peccatorem! Propensus, & expeditus properas ad mancipii jussa; & tardissimè ad obediendum Deo. Perscrutemur modò, undè tanta cæcitas nobis oriatur, quâ obnubilati, non inimicos reputamus mundum, dæmonem, & carnem; si enim hos adversarios nostros esse judicarem, si detrimenta ab ipsis nobis provenientia pensarem, minimè illos tanto prosequeremur amore. Satis explicatum hoc habemus apud Prophetam Jeremiam, qui ita deplorat suam miseram Hierusalem; *vocavi amicos meos, ipsi deceperunt me.* Pace quondam fruebatur illa civitas, inito cum vicinis & finitimis fœdere, sed postquam Chaldæi advennerunt, ab eis decepta in hostium potestatem venit. Hoc idem tibi accidit, ô peccator: pro amicis habebas tuas delicias; sed illæ deceperunt te; durissimum te reddidere sanctitati, & virtuti. Vocasti amicos tuos fastum & ambitionem, cum tamen momento temporis disperisissent: *Univerfa vanitas omnis homo vivens.* Thefauros tuos amicos vocasti; sed hi etiam imposuerunt tibi, cum occasiones fuerint tantæ superbix, tot scelerum. Amicitiam iniivisti cum vanitate atque inani gloria. hu-
jus

ius mundi, cum loci, & officii dignitate, cum scientiarum curiositate, & inflatu; sed hæc omnia ferale tibi bellum, calamitosam cladem intulerunt eversa ratione, & spiritu. Hujus cæcitatibus causa fuit, quod Dei Majestatem, & excellentiam ignorares; si hanc probe novisses, non ita invehereris in proximos, & qui aliquâ injuriâ te læserant. Qui enim his renuit parcere, gerit inimicitias cum Deo, & Deus cum illo, ut notari potest ex Propheta Jeremia: *Tetendit arcum suum, quasi inimicus; firmavit dexteram suam quasi hostis, & occidit omne, quod pulchrum erat in tabernaculo filia Sion; effudit quasi ignem indignationem suam.* Quis videns hæc, audebit odisse inimicum? Quis audebit laceßere ad bellum omnipotentem Deum, cujus sagittæ nunquam aberrant à scopo? *Paravit vasa mortis, & sagittas suas ardentibus effecit.* Utinam gentes intelligerent, quàm immensum bellum Deus suis inimicis infert. Occidit, (inquit Jeremias,) omne quod pulchrum erat visui, effuditque, ut ignem suam indignationem; omne, quod venustum est, & formosum, cultissima prædia, ornatas tapetibus ædes, contextam mirâ elegantiam, & Phrygio opere supellectilem sæpius demolitur Deus, aut in manus hostium tradit ob possessoris culpas. In hunc modum loquitur Jeremias; *Omnes thesauros tuos in dejectionem dabo, & excelsa tua propter peccata in universis finibus tuis:* Saltem in æternum peribit decor, ac venustas animæ ni resipiscat. Ecce quantum damnum est, gerere inimicitiam cum Deo. O quàm facilius esset condonare injurias, quàm amissa salute ac fortunis dilacerari tormentis æternis? Nonne dementia est provocare ad certamen tantam fortitudinem? Quid aliud efficit peccator suis vitiis, nisi seipsum obcæcare pulvere, quæ manu colligit, suamque lethali vulnere fauciare animam propriis armis. Ad hæc, si videremus, quantæ foret nobis utilitatis diligere inimicos; id sine dubio exequeremur: ut autem hoc assequamur, expedit primo incognitionem propriam venire; quia si verè quis comprehenderit, qualis fuerit, qualis sit, & quæ merita habeat; ita se prosequetur odio, ut multis incommodis se exponi velit in vindictam, eò quòd tam barbarè defecerit à Creatore. Quare cognoscens veterem hominem tanti damni fuisse causam, putabit ipsi imprimis inferendum bellum ad id petita ope à sociis & amicis. Quando aliquis cogitat vindictam sumere de hoste; rogat amicos, & cognatos suppetias ferant, quas consecutus, grates ipsis pro tam opportuno sub-

sidio rependit; ita cum frigus nos premit, hyems urget, calor adurit, æstas vexat; dedecus, contemptus, & detractio molestant; tenemur gratissimos esse his cunctis rebus, quæ nos adjuvant, ut reportemus à nostro inimico, nempe vetere homine victoriam. Itaque gratulari debemus soli in æstate, nivibus hyeme; detractoribus, & maledicentibus, quippe qui auxilio sunt, ut comparemus victoriam à tam ferale hoste. Hinc orietur tibi oblectatio in paupertate, quâ tam mirè deprimitur adversarius, qui tuam animam spoliat spiritualibus divitiis: quamobrem cum te conspexeris nudum, aut lacero & squalido amictu vestitum, dicas; justum est, Domine, veste disruptâ indui illum, qui tam asperè & inconsideratè loquebatur contra proximum. Cum fueris sitiens aut famelicus, edicito: fame, inediaque enecari debet vetus ille homo, qui mihi cibum animæ tam impiè hucusque subtrahebat; eoque Propheta David dicebat Domino; *Deus, qui das vindictas mihi, & subdis populos meos sub me, liberator meus de inimicis meis iracundis, & ab insurgentibus in me, exaltabis me, propterea confitebor tibi in nationibus, Domine.* Animæ quibus hæc incunda sunt faciliè inimicos diligent. Imo eos reputabunt pro verissimis amicis, perspectâ tot malorum suorum origine. Hoc remedium applicandum est, ut diligas inimicos; procures ut de te dicatur, quod pronuntiatum fuit de Rege David: *Inveni hominem secundum cor meum.* Si induas mansuetudinem Christi, videbis, quàm suavis sit Dominus, qui nihil odit eorum, quæ fecerat. Sed potius lætatur in omnibus operibus suis. O Domine maximum sanè fuit miraculum, mutari amaras aquas in dulcissimas undas; at non minus est crudeles inimicitias in suavissimos amores converti, ut tua gratia quotidie perficitur; unde de justo dicitur: *Justus lætabitur, cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris.*

E X H O R T A T I O.

Supereft, ut exploratâ jam nostræ cæcitatibus causâ, recedant vetera, & omnia nova sint. Dei enim jugum suave quidem est, nec excutiendum pro mundana ac vilissima æstimatione. Id velim interrogare; si quis fratrem haberet, quem toto corde diligeret; si is transiret per viam, quâ explodendum esset tormentum bellicum in adversarium; fortè adhiberes ignem interfectorum fratrem? Non id credendum. *O filii hominum usque quo gravi corde?* Cur vos cum cælesti fratre non geritis, ut cum terreno?

reno? Amice mi, dignatus est Christus vocari tuus frater; ab æternitatis periculis te liberavit; coram ponit se cum adversario infidias tendis, ut prius recipiat ictum, quam hostis. Tam durum te ostendes, ut velis vulnerare Christum? Quid tibi mali fecit hic sanctissimus Deus? Qua in re tibi molestus fuit, ut minus amanter illum velis tractare, quam carnalem fratrem? Cur non consideras pietatem debitam tanto Deo? Cur tam sceleratè offendis eum, qui te creavit & redemit? Avertas iram ictumque ab hoste, ut ea avertas à Deo. Cave ne tibi dicat Dominus, quod Samueli: *Non te, sed me abjecerunt*: Perindè ac si dixisset; non te, sed me, neglexerunt; non in te, sed in me inveci sunt. Vis audire optimum modum ulciscendi injurias? (Crudelioris inimici votum non ulterius procedit, quàm ut vel subdatur contrarius, vel palinodiam veluti canat; vel ad summum, ut devictus intereat:) sustine patienter ipsum, ipsi condones injurias, & sine dubio actum erit de feritate, quâ damnum tibi inferebat. Scriptura loquitur: *Si inimicus tuus esurierit, ciba illum, & carbones ignis congeres super caput ejus*. Quid amplius desiderare potes? Roga Deum pro illo, & vivus capietur. O quàm felices vindictas sumpserunt eximia sanctitate viri de suis adversariis. Saulus Stephanum persecutus est; hic statim pro inimico precationem fudit, atque ad eò carbones super caput ejus congeffit. Nam Saulus in Damasci itinere Dei gratiâ devictus est, visum corporeum amisit, dicta retractavit, ex persecutore fit Apostolus. Hac ultione quid gloriosius quæri potest? Descendit in hunc mundum vindex nostræ salutis; crucique affixus, tot laboribus, & injuriis lacessitus, rogat æternum Patrem pro hostibus; quia nesciunt, quid faciunt; illicò quidam inflammati his carbonibus, exclamarunt; *Verè filius Dei erat iste*. Ecce effectus hujus nobilissimæ vindictæ: *Revertebantur percutientes pectora sua*. Quæ major de inimicis ultio potest exoptari? Dicas, obsecro cur desideras ultionem sumere de inimico? ut ille sententiam mutet, quam antea contra te firmaverat. Nonne vides ad idem inconveniens te ipsum adigi sumendo eam vindictam; nam promiferas per omnia obsequi Deo, & una ex ipsius legibus est, ut remittas injurias erga hostem? Procurabis fortè, ut adversarius mortuus ad tua genua succumbat in vindictam? Sed non potest id fieri nisi ad tui veri inimici pedes, videlicet Dæmonis, te ipsum etiam & tu prosternas. Si vindictâ honorem aucuparis, eo indecorus eris; eo enim modo eum

consequi summa amentia est. Gaude in salutari tuo; supercede tragœdiis, & rixis inutilibus, ut lætissimè dicas: *Dilatatum est os meum super inimicos meos, quia latatus sum in salutari tuo*. Deinde considera statum tuæ litis; scias te decertare absque ulla spe victoriæ, dum cogitas ultionem. Decus affectas; sed omnes creaturæ, tum quæ in cœlo sunt, tum quæ in terra, testantur ab his inimicitis nihil aliud procedere præter infamiam, & dedecus. Idem miseri, qui apud tartara cruciantur affirmant. Quis ergo à te stabit? solum mentis & rationis impotes, scilicet mundani tuam causam defensabunt. At hi ipsi privatim suo suffragio te condemnabunt. Pergamus ulterius secundum leges, quæ honestioribus viris probantur, si amicitia fœdera incas cum aliquo, pro amicis oportet habere ipsius amicos, & pro inimicis ejus inimicos. In baptisate in amicitiam admissus es Christi, tum primùm pacis fœdera iniisti cum summo Deo; promisisti ad amicum observaturum te ejus sanctissimas leges. Cur ergo recedis à promissis? cur inhibente Domino, divexas hostes? Quid facies, si tibi ostendat sua vulnera, dicens: in manibus meis scripsi te; ut te amicum meum facerem; eoquæ dedi dilectam animam meam in manus inimicorum ejus. Qua fronte detrectabis exequi, quod à te peto, pro tua salute actus in durissimam crucem? O meæ creaturæ! ô mei discipuli! diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui oderunt vos: exemplum enim dedi vobis; ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Perpendite me ita facere, cum ita jubeo fieri. Non enim dico, & non facio. Cœpi facere, & docere. Si ego non diligerem meos inimicos, quales essetis vos, qui toties rupistis initam mecum pacem? O quàm infauti essetis, si vestra non moverem corda, nisi vos emollirem, & allicerem ad meam dilectionem! O quàm felix debet esse vobis nuntium, quando dico: Diligite inimicos vestros. Qui enim his meis suasionibus obtemperaverit, mihi adhærebit ut amicus: meus erit discipulus; plurimam obtinebit gratiam & quietem in hac vita, & perennem gloriam in altera. Sed proh dolor! innumeri sunt qui feriendo hostes me gravissimè offendunt. Cum tamen me opposuerim inimicorum telis ut eos eriperem è damnationis periculo, plenum vulneribus, obfessum spinis, irrisum & flagellatum: ipsi autem loco mei defensionis quam deberent in se recipere, si essent amici; *super dolorem vulnorum meorum addiderunt*. O crudeles, quam partem mei corporis percutere vultis? caput

Caput ꝑ ecce coronatum spinis. Aures ꝑ Itane grates persolveretis tolerantiae, quã talia pro vobis impropria, & convitia audiveram. Oculos ꝑ en lachrymas, quas pro vobis effuderant. Faciem ꝑ ecce onerata fuit alapis, conspurcata sputis passionis tempore. Humeros ꝑ Nonne eis imposueram perditam ovem, ut sic eam eriperem è tartarei lupi faucibus. Brachia ꝑ At ea extensa habeo ad vos recipiendos in meam gratiam, cum ad eam redire placuerit. Manus ꝑ ecce quot miracula in vestram salutem patraverant. Latus ꝑ ecce apertum illud habeo pro vestro refugio. Pedesne, quibus perigrinabam ad instruendas animas, ut consequerentur gloriam ꝑ Quod si abstinere vultis ab inferendis injuriis vestro Deo, diligite inimicos vestros. Infinito amore vos prosequor, summè desidero vestram salutem, ne abnuatis jam præstare mihi hoc obsequium in gratitudinis tesseram, ut obtineatis gratiam in hac mortali vita, & beatitudinis gloriam in æternitate. Amen.

CONCIO XIX.

In secundam Feriam post primam Dominicam quadragesimæ.

Cum autem venerit filius hominis in Majestate sua. Matth. 5.

299. **E**cclēsia Catholica in hoc Evangelio peccatoris conversionem maximã curã, & studio suscipit: itaque festinat in eo ædificare per Dei gratiam, quod peccatum destruxerat; in hunc finem perficit, quod Faber ferrarius in chalybe aut ferro, quod ut flectere possit, sæpè igni subjicit, malleoque eousque tundit, dum emolliatur habileque reddatur ad componendum ex eo, quod libuerit. Ad hæc alludens Dominus per Prophetam Jeremiam, dicit: *Verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petram.* Itaque Feriã quartã Cinerum verbi Dei malleus peccatorem pulsare cœpit, imponens ejus capiti cinerem, quo revocabat ipsi in memoriam, undè conflatus erat: quod si hic ictus fuerit vehemens; haud mitior fuit sequentis feriaz quintæ, quo ipsi reduxit in mentem Centurionis demissionem, quando dixit: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Quo facto ostendit initium cujuslibet conversionis ab humilitate auspiciandum esse. Nam ex hujus defectu plures oriuntur culpæ, ut ait Propheta: *Prusquam boniliarer ego deliqui.* Proximã feriã sextã aliud infixit ictum, docens parcendum ef-

se inimicis ei, qui esse & nominari velit Dei filius. Primo Sabbatho quadragesimæ, iterum tundit peccatorem, demonstrans hujus sæculi vita quàm plena sit periculis instar procellosi maris, quale discipuli experti fuerunt dum coorta illã tempestate, (de qua Evangelista,) jaçtarentur. Heri etiam malleus non cessavit; siquidem Christum Dominum vidimus jejunasse, tentatumque fuisse ad Dæmone, ut nullus dæmonis incurfionibus aut corporis maceratione absterretur à virtute. Si autem ictus præteritis diebus incussi fuerint tam vehementes, hodiernus omnes excedit, quippè qui agit de Judicio universali. Quis verò esse potest, qui tali conflictatione non emollescat? durior sanè erit lapidibus & ferro; infractior silice, qui his auditis aliquod signum mitioris animi non ediderit. Ne verò sancti Evangelii lectio nostrã culpã cedat in majorem nostram condemnationem, & non potiùs ad omnium utilitatem, & remedium, dum imploremus Judicem, Patronam apud ipsum habeamus ejus sanctissimam matrem, dicentes cum Angelo, Ave Maria.

Cum venerit, &c.

Tantã hoc Evangelium pollet vi, ut ^{300.} non solum illius integra lectio, sed aliqua etiam ejus pars sufficiat ad peccati sananda vulnera, ulceraque; nec tantum fragmentum, sed vel unicum ejus verbum huic damno subsidium ferre potest; minima particulaejus profundè considerata sat est, ut nobis spiritualem impertiatur vitam. Deus bone! quid erit cum venerit filius hominis cum Majestate, vivorum mortuorumque Judex. Si ejus adventus ritè pensaretur à mortalibus, quis aliena rapere auderet? Quis detrahere proximo? Quis vanitatem intueri? Creditis, si hæc sibi peccatores persuasissent, eos tam lentè perseveraturos in suis culpis? Si quando Christus introivit in templum sine tanto apparatu & comitatu, quæ ostentarent majestatem Judicis, assumpto dumtaxat flagello ejecit indè ementes, & vendentes, maximum ipsis incutiens timorem: quid erit de adulteris & homicidis, quando jam non armatus tali flagello, sed circumdatus irã contra insensatos, copiisque Angelorum stipatus venerit? Quid tum fiet de agricolis, qui eousque non reddidè vineæ Domino suos fructus? Quid de illis, qui nec oculis, nec manibus, nec linguã, nec corde aliquem Deo proventum retulerunt? Quid de illis, qui injecerunt manus in filium Virginis, dicentes: Venite,

Z oc-

occidamus eum, nostraque erit vinea, & hæreditas? Quibus suppliciis hi omnes latrones punientur? O infelicissime peccator, cum Deus ita venerit, quâ ratione mitigabis ejus rigorem? Qui ad agni nuptias invitatus renuisti venire, quam excusationem tum obtendes tuæ negligentiae, cum te jufferit ejici in tenebras exteriores, in quibus futurus est luctus & stridor dentium, æternumque tormentum? Dicas, pulvis & cinis, quid facies cum ita venerit Dominus? Si Adamus in originali justitia creatus solo uno peccato commisso, & non ipsi in sua Majestate apparente Domino, nec pro tribunali, sed solum interrogaturo ab eo, ubi esset, se absconderit præ timore, quin sciret, quo se verteret, quid delictorum multitudo in te efficiet? Quid erit, cum Dominus, non quaesiturus jam, ubi sis, sed quibus operibus, aut verbis te exercueris, quibus cogitationibus vacaveris; & an necessario, aut superfluo somno te dederis? Quid fiet, dum eum videris venientem Angelorum legionibus septum? Si Israëliticus populus, quamvis favore admissus, ut audiret Deum amicè loquentem cum Moyse in monte Sinai, ubi primum cæli fragores & fulgetra sensit, tanto terrore fuit correptus, ut dixerit: *Non nobis Dominus loquatur, sed Moyses.* Tu verò vocatus ad judicium, non ab omnino tum indulgente, sed à graviter plectente Deo; quid putabis faciendum? At dices, maximum discrimen esse inter Judaicum populum, & Christianos. Dicas, obsecro, quid pollicere vellebis quando Petrus, Jacobus, & Joannes, Patris æterni auditâ voce, tanto terrore fuere consternati, ut in terram ceciderint; Si illa vox tam suavis & propitia, quæ pronuntiabat; *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite*, hæc operata est, quàm terribilis erit illa; *Surgite mortui, venite ad judicium?* Noluistis audire Deum placidissimè loquentem: modò audietis eum cum amaritudine & tremore. Si fortè opponas in veteri Testamento nondum effusum fuisse Christi sanguinem, & postea in lege gratiæ non edidisse Dominum tot, & tanta iræ suæ signa: audi, quid accidit Evangelistæ Joanni in Insula Patmos, cum vidisset ibi similem filii hominis, cecidit ad pedes ejus tanquam mortuus. Quid autem tu facies in die Judicii coram tuo creatore spirante terrores, & iras. Hæc sola consideratio sufficeret ad emolliendam cujuscumque duritiam, quantumvis lapidea, aut ferrea esset. Quid facturus es, cum sedens Dominus in sede Majestatis suæ imperabit omnes congregari gentes, separaturus oves ab hædis? quo dolore

avelleris à tuo amico, cognato, familiari, fratre, parente, cæterisque creaturis, tuis deliciis? Si absentia unius tantummodo amici satis esset, ut transigeres vitam luctuosam, & lugubrem; quàm durè cruciaberis separatus ab omnibus? Si paulatim deficerent, minor esset dolor; at uno temporis momento à cunctis divelli, quis luctus? quæ tristitia? Quali autem cruciatu torqueberis, cum subeat menti, te ab illis separandum in æternum; futuraque tibi æternæ poenæ causam, quæ fuerunt hic tua oblectamenta; & æternæ amaritudinis, quæ hic tuæ serviebant voluptati. Ingratissimum quid videre discedere à te justos, ut reficiantur Mannâ abscondito, alanturque Angelorum deliciis, te descendente ad inferos, devorandum moribus sempiternis. Attamen velis, nolis, fiet hæc separatio, oves separabuntur, ut pascantur in montibus Israël, in pascuis uberrimis & amœnissimis, ubi sustentabuntur fructibus floreque delicatissimi, & suavissimi saporis: hædi verò, nempe peccatores, mortis alimonia erunt.

Quid erit, cum audieris hanc Judicis lo- 301.
quelam; *Esurivi, & non dedistis mihi manducare:* Ego, ô miserrime peccator, pro te in deserto jejunavi; tu meos pauperes enecasti fame, onerasti injuriis. Sitivi, ubi in cruce, dixi, *Sitio;* & adhuc recusas mihi præbere lachrymarum guttulam, ut extinguam, quâ pro tua salute flagro, vehementissimam hanc sitim: peregrinabam & non recepisti me. Erubescè haud immemor plurimos à te invitatos ad tuum hospitium, me solo deserto. Pulsavi tuas januas, nec respondisti mihi. Vocavi te variis modis, jam adversis, jam deliciis, sed nihil profuit, ut mihi aperires tuum ostium: cum supplicarem, ut me exciperes tuis ædibus, non debebas tam impiè pati, ut repulsam ferrem; non debebas proprio domicilio à me extructo, & redempto me tantâ barbarie ejicere. Pro te natus fui in nuditate, & pauperie, ut humilitatis exemplum indè sumeres; non dubitavi proditori Judæ abluere pedes, exutis vestibus: alligatus columnæ fui; ibi diverberatus, & flagellatus; deindè in Calvariâ inter duos latrones actus in crucem, quasi Reipublicæ capitalis hostis, aut parricida. Nudus pro te natus, & nudus pro te mortuus; ita ut in me adimpletum fuerit, quod pronuntiavit Job; *Nudus egressus fui de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* Attamen tantæ nuditatis non tantum non te miseruit, sed ne amicare quidem me curasti, nec dum essem in carcere, me visitasti, nec meis vul-

vulneribus medicinam addidisti; potius novis tuis culpis & sceleribus super dolorem vulnerum meorum addidisti, & quantum in te erat, plagarum renovasti dolorem; tuorum vitiorum, quasi vinculis meas ligasti manus, ne te liberarem ab inferno, quamobrem jam discedas cum tuis fociis: discedite à me maledicti in æternum ignem. Tum oborto clamore & lachrymis, respondebunt peccatores: O Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministravimus tibi? Inferet Dominus, scitote, quando noluistis, & prætermisistis opitulari meis pauperibus, servis, & discipulis, me tum spretum, & contemptum fuisse: illis non receptis, me exclusistis. Ubi illis cibum & potum negastis, eadem mihi negastis. Ideoque discedite in ignem æternum. Quales eritis, miserimi Peccatores, cum venerit filius hominis in sua Majestate? Quis poterit hanc tragædiam, qualis tum futura est, explicare? Quis vestrum metum, pudorem, angustias & calamitates exponere? Quædam à longè horum umbra, quam Propheta ante oculos proponit, horribilis cogitatu est: ita enim pronuntiat: *Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet, desiderium peccatorum peribit.* Primum dicit; *videbit*; O bone JESU! Quid videbit? Creaturas in se concitatas, dæmones suos accusatores, se ipsum sibi infensissimè contrarium: ei occurret, quòd frustra dilapsus est tempus, ut testis produceretur ad ejus damnationem; itaque effusis lachrymis, impletum videbit, quod habet Propheta Jeremias: *Vocabitur adversum me tempus.* Tempus tum præsens illum urgebit tormentis & miseris; in futurum conjiciet oculos, sed manere se punitionis æternitatem videbit. Quid insuper videbis peccator? Iratum Judicem, amissam gloriam, apertos inferos, ferocientes in te Dæmones; O quàm impiè tum maledices diei nativitatis tuæ; parentibus, qui non injecere tibi aliquod frænum tam præcipitato in culpas; dæmonibus, quia te cruciabunt tormentis; Angelis, & Sanctis, Principibus gloriæ, ipsi Deo, & ejus sanctissimæ Matri, ob eorum majestatem & excellentiam. Tunc probè intelliges, quid significant ea Christi verba: *Qui amat animam suam in hoc mundo perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, custodit eam*: Utinam eam hic odisses odio sancto, ut eam tunc posses diligere amanter & beatè. Considerate Fideles, qualis erit peccator in cognatos & amicos, cum tam malè affectus

fuerit in ipsum Deum; desiderabit vivos devorare, eos precipuè, qui præbuerunt ipsi occasionem peccandi; quo furore in cæsum jam mundum commovebitur, cernens ejus insidiis & laqueis captum se, atque inferis destinatum? Desiderabit aliquam requiem: sed ejus desiderium peribit. Dicas, obsecro, miselle, quid sine tuis desideriis tunc facies? Si quando hic vitam degebas sine illis, ne vel ad unam quidem horam valeres vivere; quid de te fiet, quando ab omnibus recedendum est in æternum? si, ubi supplicem Regi libellum dabis, & fortè respondebat, non esse petitioni locum; licet aliis beneficiis ac muneribus donatus, vix tamen eam poteras sustinere repulsam. Quid facies, cum tibi dicet Rex cælestis oclusum esse jam aditum omni subsidio, & petitioni in æternum? Quid ages æternâ clave obsecrato aditu levandæ famis, aut sitis, aut cruciatus, aut pœnæ, aut sempiternæ mortis? O infelix peccator, quàm acerbitate senties perire tua desideria; nam cessabunt tunc tuæ cogitationes; illæ mundanæ fabricæ ad nihilum redigentur; voluptatibus valedices; deturbanda est tua vanitas, quæ aliquando se levabat usque ad nubes; evertentur rotæ, quibus auream tibi putabas decurrere fortunam: peribit omne tuum solatium, & gaudium; *Desiderium peccatorum peribit.* O quàm graviter dolebis de tanta rerum jactura, de intercluso tibi reditu ab inferis; cum tamen angustissimus ibi futurus sit tibi locus? Nam damnatorum corpora nimis arctè inter se stringentur, undè quantumvis optes tibi spatium, quo aliquantulum te laxes, nunquam id concedetur. Ad has angustias adducunt te tua scelera, ni respicias. O filii Adam! O tenebrarum filii! Quid facietis cum venerit filius hominis? Dicite, quis ostendet vobis fugere à ventura ira? Quid respondebitis; vivorum & mortuorum Judici? Et tu delitiose, qui lustras hujus vitæ viridaria & plateas ad voluptatem, quàm fronte te ostendes irato Judici? Tu, qui bona aliena retines, qui tibi satis esse judicas, si testamento relinquis Dominis, quod injustè comparaveras; quis ostendet tibi fugere à ventura ira: quis enim ambiget, quin eam suppellectilem retinere semper velles, si semper concederetur tibi vita? Et tu, qui lite & controversiis implicas Rempublicam, qui tot tumultus excitas tuis odiis & ultionibus, quo te vertes? Et tu detractor, morumque censor, qui tuæ linguæ gladio scindis ab utroque latere, quid in die judicii dices? Qui sibi viridarium componit ad recreationem, maximè doleret id taxari

ab aliis alicujus defectus, aut vitii. A quo autem conditi homines? Ab ipso Deo: cur? ad suam recreationem; quia ejus deliciae sunt, esse cum filiis hominum: quo igitur dolore praesentiet, (nisi quod dolere non possit,) ab aliis dilacerari has delicias? Et vos o terrarum gubernatores, Dominatores gentium & populorum, quis ostendet vobis fugere à ventura ira? Si Dominus tam severè castigabit, qui pauperi non porrigunt cibos, quo supplicio torquetur illos, qui sua tyrannide ab eo auferunt alimoniam? Si condemnabit, qui egenos, aut miseros non vestiunt, quo rigore plectet eos, qui nudant illos? si rigidè procedet in eos, qui non excipiunt pauperem, quàm severè se geret in omnes, qui ex proprio suo domicilio illum ejiciunt, aut exulare cogunt? Si de iis queretur, qui opem & subsidium negant aegrotis, & ulceratis, quas excitabit querelas contra illos, qui indignè eos tractant, lædunt, percutiunt, aut persequuntur? Qui ea omnia faciunt quomodo in reddenda ratione se protegent? *Gemmina viperarum, quis ostendet vobis fugere à ventura ira?* Optimè vyperas vocat eos: vipera enim pariens disrumpitur, vitamque finit; sic peccator, qui in lucem producit cordis, mentisque malignos affectus, perversos filios; necesse est, in gravissimas poenas dividatur, dilaceretur.

302. Quid ergo faciemus cum venerit filius hominis in Majestate sua, fierine potest, ut nullum quæramus remedium tanto malo? Ad quid tot consultationes & deliberationes de levioribus rebus hujus sæculi? Cur tot quærantur media ad peragendam vitam, & nulla deliberatio circa rationes, quibus in æternitate vivamus? O Domine, quid faciendo vitam æternam possidebimus? Si vultis, ut vobis exponam, quid faciendum; perficite, quod agerent homicidæ, qui moniti de periculo, evitarent vias publicas, ubi comprehendi possent à Ministris justitiæ. At si ipse Rex allectus eorum amore, moneret eos de hoc eodem periculo, nonne maximi æstimandum esset? Hodierna autem die cælestis moderator te monet, ut in tutum te recipias: incedis enim per vias, perinde quasi nullius reus esses flagitii, aut nullum tibi impenderet periculum à divinæ justitiæ Ministris. Tempestivè caveas; nam cum venerit filius hominis in Majestate sua, scias nullum tibi ad vitam fore misericordiae locum, sed tormentis plectenda esse tua scelera; quoniam nec precibus tunc, aut donis divinæ justitiæ rigor flectetur. Ergo referendæ grates cle-

mentissimo Principi, qui tam amanter te monet de futuro eo judicio, & consecutura æternitate. Jam verò, ut his monitis correctus impunitatem obtineas, in Missæ introitu modum tibi tradit Ecclesia nostra mater, si vis eum insequi; dic cum Propheta David: *Sicut oculi ancilla in manibus Dominae suae, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri, miserere nostri, Domine; miserere nostri.* Id est, si vis fugere imminencia discrimina, intende oculos tuos in Dominum; ejus ubique praesentiam cogita, ut timeas offensas, quæ æternum te amoveant à tuo Judice in universali judicio.

Imitandi, qui fugiunt à Magistratu, & 303. ad alicujus templi aylum se conferunt, ut inde convenient cum personis à se læsis, veniamque impetrent à Rege: idem faciendum tibi; pia loca, & opera frequentanda, peragenda poenitentia, dum Deo satisfacias pro illatis injuriis, quibus absolutus, cum venerit filius hominis in Majestate, non timebis supplicium; imo potius amplissima expectabis præmia: plorantibus hædis, tu ridebis, ut destinatus Agnus deliciis sempiternis. Quoniam si de peccatore dicitur: *Videbit, & irasceatur;* de justo pronuntiatur: *Tum videbit, & affluet, & mirabitur, & dilatabitur cor ejus:* Peccator enim intuetur sua supplicia; Justus autem suorum laborum finem, & initium suæ gloriæ: premetur peccator fervitute, at justus gaudebit libertate filiorum Dei. Peccator fremet, & sæviet in semetipsum ob patrata scelera; Justus quidem afficietur lætitiâ propter manuum suarum opera, ob sui cordis charitatem & amorem. Peccator æternum amovebitur à rebus desideratis, nihil Justo deficiet ex iis, quæ in optionem cadere possint. Improbis dicendum est: *Ite maledicti;* electis verò: *Venite Benedicti;* Improbis inuretur infamia ob crudelitatem erga pauperes: Justis autem dicetur: *Esurivi, & dedistis mihi manducare, sitiivi, & dedistis mihi bibere.* Meam nuditatem operuistis, mea vulnera curastis, in carcere me visitastis, hospitem me recepistis; ideoque vobis dico; siquidem desideratis à me refici; fore, ut vos aliam sustentem haud unquam deficientibus conviviis in meo regno. Si lineam veste me induistis, ego gloriæ trabeis vos tegam, quas non corrumpit neque demolitur tinea. Si vestris ædibus me excepistis; ego vos excipiam inter Angelos & Sanctos ipso Empyreo. O quales erunt Justi, cum venerit filius hominis in Majestate sua. Tunc videbunt, & affluent, non enim solum videbunt Christi Domini.

Domini sanctissimam humanitatem, sed etiam essentiam divinam; dicentque cum Apostolo: *Vidimus arcana Dei, qua non licet homini loqui.* Aspiremus Fideles ad tantum honorem & felicitatem: consulamus ocyus nostræ salutis, ut hic inveniamus gratiam, & ibi gloriam. Amen.

CONCIO XX.

Feriæ tertiæ primæ Dominicæ.

Cum intrasset Hierosolymam, commota est universa civitas. Matth. 21.

304. **E**vangeliū hodie agit de ingressu Christi Domini in templum: sed quia sanctissima Virgo vocatur Dei templum, Spiritus sancti sacrarium, in quo nunquam obscuratum fuit, aut decidit puritatis, aut cælestis gratiæ aurum, aut decus; eam jam imploremus submisso genu cum Angelo. *Ave Maria.*

Cum intrasset, &c.

305. Primum, quod in Evangelio legimus, est: *Commota est civitas:* Cætera enim usque ad ingressum in urbem ad Dominicam Palmarum pertinent. Audire à te velim, mi amantissime frater, postquam hoc Quadragesimæ sacrosanctum incœpit tempus, an obtinuerit tua anima aliquam renovationem interiorem; an etiamnum potius libeant Ægypti ollæ? Nam si in statu veteri adhuc persistis, haud injuriâ poteris dicere; *Verberaverunt me, sed non dolui: Traxerunt me, & non sensi.* Si adhuc aridus es, timeas; nam de arido palmitis pronuntiatur: *Arescet, & in ignem mittetur.* Quid autem faciendum Concionatori? *Ossa arida audite verbum Dei: ecce ego intromittam in vos spiritum, & vivetis; & inferius: Factus est autem sonitus: & ecce commotio, & accesserunt ossa ad ossa:* ossa è loco suo divulsâ deductaque. Si ossa arida moveantur, quiescesne tu, ipsis mortuis insensibilior? Ecce à facie Domini mota est terra; eâ tu immobilior esse vis? Ne hac stupiditate noteris, dicas omnibus tuis potentiis ac sensibus: *Quis est hic? quarite Dominum, dum inveniri potest;* Implorate Dei misericordiam; ne præ ariditate spiritus, sustineatis flammam æternam. Hominis anima quasi templum est, quo debet excipi Christus. Quod autem signum adventus ejus ad hoc veluti sacrarium? quomodo incedit anima? an erecta in Deum, aut demissa in terram suæ corruptionis? An aspirans ad cælestia, aut prona in terrenas delicias? Si hoc ultimo modo incedit; nondum decenter paratum est hospitium tanto Prin-

cipi: si autem primo modo versus patriam ascendit, lætetur de maxima sua felicitate. Res est admiratione digna, quod Christus Dominus nunquam contra Publicanos, aut adulteram sumpsisset flagella, uti contra Simoniacos; & jure quidem, quoniam qui in terra sanctorum iniqua gerunt, non videbunt gloriam Dei; ni desinant malitiam. Imitandi sunt, qui impedire curant falsos nummos: diligenter quærunt & demoliuntur sigilla, quibus iterum cudi possent adulteratæ monetæ; ita omnes amovendæ rationum apparentiæ, quibus introduci possit hoc vitium, ne velimus dicere: *Hæreditate possideamus sanctuarium Dei.* Attendite, qui curam geritis animarum, ne hanc viperam vestræ domi foveatis; aut enim adimet vobis vestram quietem, quod malum est; aut cum ea securè dormietis; quod deterius est, & majoris periculi: ut ut res fuerit, ni caveatis, assumetur flagellum, tundetur vestræ falsitatis immanitas. Nam domus Dei, domus orationis vocabitur, & non spelunca grassatorum, aut latronum. Non desistendum, dum restituantur injustè ablata. Instat enim flagellum; quod si flagellat & castiget Deus frequenter suos filios; quam impunitatem sperent, qui subduntur culpis, nisi ad ampliores pœnas? Ex nostra ignorantia totum oritur damnum. Qui angustiores res sunt, audacior dicit: *Vidua non sum, Regina sedeo, & nullius ego;* Sæviente tempestate non satis sibi ipsis provident mortales, nec recordantur eorum, quæ fieri conveniunt. O miselle, si videres, quâ jactaris procellâ, diligentius curares effugere periculum; velocius ad tutissimum orationis portum appelleres, pœnitentiâ & lachrymis oraturus Deum, subsidium inter tot ventorum, fluctuumque concursus. Alii forent nostri mores, si invenirentur, qui orationis thuribulum sublevarent. Acceres certissimè fore, ut vacares orationi, nisi videres neganda tibi petita. Dicas, obsecro, si nobilis peteret à Principe equum, sed Princeps eo negato, juberet illi dari mulam; posteaque instaret orans, ut concederetur equus; tum autem loco equi petiti exhiberetur vectarius cum centum aureis, & tandem ipse equus antea negatus: Nonne hic majore donaretur beneficio, quàm si principio daretur ille equus, quem tunc petiverat? Nemini potest esse dubium. Sic autem evenit in oratione, quam effundimus ad Deum: tandem obtinemus petita, & eis ampliora beneficia. Idèò autem tam lentè differuntur, ut discas communicare cum tuo Creatore, cujus deliciae sunt, esse cum filiis hominum; hos amat

& fovet, quasi omnium esset amantissima mater, jam blanditiis, jam terrore eos alliciens ad suæ protectionis ubera. Quædam tam salutifera sunt balnea, ut statim restituant salutem ægrotis, qui illis abluuntur. Sic animabus evenit, quæ sæculi negotiis distractæ languent, & ferè marcescunt, sed orationis balneis recreatæ vigorem ducunt & respirant.

306. Scitis, cur tam pauci addicti sint orationi? quia exiguo numero inveniuntur tam mundo corde. *Iniquitatem aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus*: At non exauditi, illicò frigescent, ab orationeque desistunt.

307. Alii quoniam Ægyptum incolunt & ejus nebulas, orationis fructus non percipiunt; at veri Israëlitarum degentes extra tenebras & nebulam, dum orationis notitiam obtinent, ei vigilantius assistunt.

308. Alii, licet orent, nihil aliud petunt, nisi quod dæmon postulaverat; *Dic ut lapides isti panes fiant*. Isti clamitant, non posse sustineri tot labores: nihil amarius quam jactari tot procellis, obrui tam turbulentis calamitatum undis. Hi non exaudiuntur, quia parùm conformes divinæ voluntati, nihil minus cogitant, quàm ita elevare suam vocem: *Fuerunt mihi lachryma mea in panem*, sive in dolore, sive in lætitia; nihil aliud peto, quam ut Deifim.

309. Non desunt alii, qui in oratione exercentur propter voluptatem, quæ in illa fruuntur, eaque destituti, ab oratione etiam desistunt: solum oblectamenta in orando quærunt. Hi proponere sibi deberent Christum Dominum orantem in hortu, qui confortari voluit, ad majora toleranda. *Apparuit illi Angelus confortans eum*. In hunc finem ordinari debent consolationes; non verò, ut in eistantummodo sistamus. Alii oleum & operam perdunt, utpotè qui non imitantur Moysen, quando ex monte descendit: velavit enim faciem suam; qui enim ob devotionem æstimari cupiunt ab hominibus non ritè orant coram Deo. His omnibus de causis plures sunt ignorantés, & pauci perfecti: quamobrem omni submissione, ac puritate cordis vacandum orationi, ut suavitate suæ divinæ gratiæ corrigat Deus omnes tuos defectus; illuminet tuam cæcitatem, cohibeatque errores; ne eos sequutus incidas in mortuorum foveam, ubi pœnarum æternitas, & afflictio spiritus. Laborantibus visu, ubi est tantum unicum lumen, duo apparent; sic peccatori duplo major videtur hujusmodi fragilitas, quàm in se reverà sit; honores exigui momenti ei tanquam maximi ponderis apparent: si

videret rem prout in se est, ejus lucidiores radios cum Apostolo haberet ut sterco-ra, eoque conculcasset imis pedibus ad lucrificandum Christum.

Nullum manifestius signum, Christum occupasse templum vestræ animæ, quàm ibi restaurari virtutes; iterum refici, quæ ruinam patiebantur: *Quousque claudicatis uno pede, dicitis & non facitis*. Hujus rei aliud signum est, quod hilari corde dicitis: *Benedictus qui venit in nomine Domini*; Non tantum, dum benigna aureaque decurrat fortuna; sed etiam dum premat adversitas paupertate, infirmitate, dolore, & contemptu, ad imitationem Job, qui de suis malis legebat benedictiones, quibus Deum dilaudabat: *Dominus dedit, Dominus abstulit; sit nomen Domini benedictum*. Aliud etiam signum ostendit Christum ingressum esse vestras animas, nimirum si oboritur aliqua turbatio in dilapsa corruptaque natura: Sic Pharisei indignati sunt adventu Christi Domini, quia eos exauthorabat, & privabat lucris: sic vetus homo quasi irascitur, & indignatur, quod spoliatur inani fastu, & male partis divitiis, quod adigatur ad restitutionem, cæteraque necessaria ad salutem. Michol indignata est contra David, eò quòd festivè comitaretur Arcam; sic cum eligis animi demissionem ad tuum spiritualem profectum, tum pars sensualis, tuique ejus generis cognati contra te irascuntur: sed quid iis respondendum est? nimirum nihil stultius, quàm obsistere Deo. At eò magis plectendus est fastus illius veteris hominis, quò magis indignatur, & irascitur, ut possimus asserere cum novo homine ac secundo Adam: *Indignatio mea ipsa auxiliata est mihi*: Ejus beneficio castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ut subjiciatur rationi, & Deo, ut tandem possim dicere: *Nunc clarificatus est filius hominis, nunc incipio discipulus esse Christi*.

EPILOGUS.

Qui nullum ex his signis in se inven- 311.
rit, infaultissimus est: *Ergo apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus*: Qui nullum in se ex his, inquam, signis invenerit, heu in quanto periculo versatur! *Cum perierint peccatores, videbunt*. Aliud felicissimum signum est, quod superius omisimus, si postquam Christus in vestram animam introierit, cum illo Bethaniam petitis, nempe obedientiæ domum. Peccator, & multò magis hæreticus excutit obedientiæ spiritum, qui Ly-

Lydius lapis est uniuscujusque valorem indicans. Qui autem motus doctrinâ Christi in Quadragesima progressus facit in sanctitate, & perfectione, haud injuriâ potest dicere: *Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini*; lætetur, sed non penitus sit contentus, donec omninò foras ejiciantur, eementes, & vendentes, ut ejus anima dulcissima fiat orationis domus: nam tum illuminabitur, quod antea tenebrosum erat; sanabitur quod claudicabat, ut lætabundus dicat: Benedictus qui venit in nomine Domini. Quod si Phariseus, nempe homo vetus indignetur, illum sæviùs castigabit, ut pronunciare valeat; *Indignatio mea auxiliata est mihi*. Punito enim & subjugato vetere homine, gratiam divino favore merebitur amplissimam in hac vita, & deinceps sempiternam gloriam. Amen.

CONCIO XXI.

In Feriam Sextam primæ Dominicæ.

Erat dies festus Judæorum, & ascendit JESVS Hierosolyman. Joann. 5. Cap.

312. **Q**Uam verè dixerat Moyses; *Nec est alia natio tam grandis qua habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris*. Postquam eduxit suum populum ex Ægypto, vario favore ei indulserat divina clementia, ut constat ex victoriis, quas reportaverat Gedeon. Ibi mirabilia, & in piscina mirabilia. Pro explicatione tot, mirabilium, mirabilis mater, quæ simul est virgo imploranda & salutanda est cum Angelo. Ave Maria.

Post hac, &c.

313. Dicit sanctum Evangelium: *Erat dies festus Judæorum, & ascendit JESVS Hierosolyman*, ut legem adimpleret, ut doceret, & majora patraret in diebus celebrioribus. *Est autem Hierosolyms super probatica piscina, &c.* Maxima fuit Dei sapientia, & bonitas in detinendo ibi languidos, qui expectabant sanitatem, ut eò melius disponderentur ad salutem, de eaque jam recuperata liberaliùs gratularentur Deo. *Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua*; sed postea obediens Christo Domino ambulabat. Quid hæc commune habent? multum; nam si illic Angelus aquas movebat: hic Angelus pacis, & Angelorum Rex commiseratione motus integræ saluti restituit hunc infirmum. Illic pro opportunitate temporis aqua movebatur; At jam, cum illuxerit Evangelica gratia, in quacunque hora ingemuerit

peccator, sanus fieri potest. Ibi octo & triginta annis non recuperavit ille infirmus salutem, modò offertur sanitas, imo antequam petatur; *vis sanus fieri?* Ibi opus erat, ut quis immergeretur aquis; jam dummodò dicat: *Hominem non habeo*: & ex corde sanari velit, liberabitur à suis miseriis. Si ibi Dei potentia ostendebatur: non minus hic manifestatur ejus patientia, & tui arbitrii libertas: *Vis sanus fieri?* Doctrina est hæc valde necessaria precipuè his temporibus: ostendit enim spirituales morbos à peccatoribus non depelli, nisi spiritu contrito ac principali firmentur. Nam peccatoris anima, *est spiritus vadens & non rediens*, quatenus potest gratiam amittere, sed non recuperare, nisi divino adjutorio & auxilio.

Si ibi misericordia nitebat; sanavit hic ipse salutis author tantam ignorantiam. ^{314.} Nesciebat enim ille infirmus, quis esset JESVS. Deindè non prætermisit Dominus hoc opus misericordiæ, etiam si videret indè detrahendi ansam sumendam ab hostibus. Quo facto docemur, nunquam omittenda bona opera ob detraktionis timorem.

Hic maximum habemus exemplum hu- ^{315.} militatis. JESVS autem declinavit à turba, ut ostenderet vanæ gloriæ occasionem esse vitandam, rebus egregiè factis, & gestis. Si in piscinæ loco peccati effectus ostendebantur; homines enim claudicabant paralytisque laborabant; non minus hic dum dicatur; *Ecce sanus factus es, noli peccare, ne deterius tibi contingat*: perindè quasi assereret; propter peccata ingruunt & divexant infirmitates; si vis liberari à languoribus, cave ne prolabaris in culpas. Undè perspicuè constat hominum amentia, ex quibus haud pauci conantur dilatare sua imperia, susque deque habitâ lege & justitiâ. Alii prosperam vitam traducere sumptu miserorum, & pauperum, cum tamen nullum altius medium possint eligere ad seipsos evertendos. *Occidit Dominus omne, quod erat pulchrum visui. Dirumpetur spiritus Ægypti in visceribus suis. Noli peccare, ne deterius tibi contingat.* Sic cum Pharaone Deus se gessit; severiùs illum puniebat. Promisisti ad Confessarij pedes fore, ut ne admitteres iterum peccata; sed minimè ea evitas: vide ne deterius tibi contingat. Etiam atque etiam recorderis velim illorum verborum: *Thesaurizas iram in diem vindictæ; noli peccare, ne deterius tibi contingat*: Et quandoquidem habes talem Angelum, & medicum, qui aquas tui cordis movet, ne prætermittas gaudere tanto bono; solum enim Christiano-

stianorum qui Domini vestigiis insistant, hæc felicitas est.

S E C U N D A P A R S.

316. Apostolus ait: *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt*, &c. Sic Dominus salutem spiritualem invisibilem per corpoream visibilem monstrat. Vultis scire quomodo restaurare possint sanitatem peccatores? Contritionis aquas movendo, ac projiciendo semetipsos in pœnitentiæ piscinam salvi fient.

317. Si quæretur, cur sint tot infirmi, cæci, claudi, &c. Id provenit, vel quia Angelus non descendit: vel quia non se in piscinam mittunt ipsi: Prima tibi non deficit; quoniam in promptu sunt Dei subsidia. Quando vicinus tuus moritur, illâ memoriâ Angelus movet aquas: quando fortunæ turbationes inundant instar diluvii per tuam domum; Angelus de cælo venit ad movendum tuum cor, ut à paralyfi sis immunis. Cur non finis temetipsum moveri? Defectus ergo salutis ex tua negligentia provenit.

318. Quare homines nunquam ad corporalem salutem recuperandam non se libenter in piscinam demittere vellent, & peccatores renuunt ob salutem spiritualem se committere pœnitentiæ aquis? Ea causa est; quia peccator haud rabido cani absimilis est. Nam ut hic à rebus salutaribus fugit, ita peccator à pœnitentiæ medicamento.

319. Hebræi cernentes se corporali morbo tentari, ut restituerentur sanitati, non detestabant mittere se in aquam; at peccatores, veluti cæci, non vident sua vulnera: *Trepidaverunt timore, ubi non erat timor*: Timent pœnitentiæ aquam, & non vident se tot scelerum diluvio esse immerfos. Ut prodesset piscina, descensus requirebatur; nam qui prius descendebat, recuperabat salutem. At illa, quæ humilitatem redolent, haud rarè deseruntur à peccatore, qui non se demittit, nisi quando offeruntur honores. Hodie autem descendat; quoniam nisi humiliaverit semetipsum, non exaltabitur.

320. Recuperabant infirmi salutem, quia expectabant aquarum motum; sed peccator fugit, venientem Angelum, nempè concionatorem, aut viros religiosos, ne quid moneant de salute. Huic accidit, quod Israëlitis, qui non acquieverunt Moyfi, eò quòd à Pharaone occuparentur. Peccator ita implicatur suis flagitiis, ac sceleribus, ut non remaneat ipsi tempus audiendi de rebus divinis: hominem non habet, quia eum renuit admittere, qui posset

ostendere angustam semitam, quæ ducit ad vitam.

Convertitur peccator in salis statuum, imitatus uxorem Loth quæ Sodomam respexerat: maximè dolendum est, onerariam navem, quantumvis magnam, ferreis quibusdam instrumentis impelli posse in mare, cum peccatores, ne terrore quidem divini Judicii moveantur ad pœnitentiam.

Adjicies aliquando videri peccatores præcipites ferri in aquas, quippè qui transmittunt in Indias auri & argenti amore. Id verum est; sed etiam & idem miserrimum, nempè eos tot suscipere labores pro rebus terrenis, cum ne movere quidem se velint pro cælo; Submerguntur autem æternis suppliciis, eò quòd leviores pœnas hic recusent; *Pro eo quod abiecit populus meus aquas Siloë, quæ vadunt cum silentio, propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes, & multas, & fluent super omnes ripas ejus, & ibit per Judam, inundans, &c.*

Quid calamitosius quàm ab Angelo malo malas moveri aquas occasionum, atque illic eò trahi peccatores, cum tam pertinaciter resistent motioni Spiritus sancti, qui non allicit ad mundi illecebras, sed ad spirituales delicias; non ad culpas, sed ad venustatem gratiæ; non ad mortem, sed ad sempiternam vitam; Quid periculosius, quàm huic respondere; *hominem non habeo*; neque animum recedendi à mea illicitâ voluptate; in aquas, quæ alicujus mundanæ suavitatis speciem haberent, potius me immitterem, quàm susciperem cruces & labores pro virtute.

T E R T I A P A R S.

Justus dicit, non habeo hominem & verum dicit, quia veterem non habet. Eum, (inquit,) severiori verbere castigo ut cætera sint in pace. Experimentiâ enim didici mecum veterem hominem non posse vivere; sed nunc cum possim affirmare cum Apostolo; *Vivo ego, jam non ego*; vitam habeo.

At in alio admodum diverso sensu affirmatur à peccatore; *Hominem non habeo; quia non quod volo, bonum ago*. Non habeo hominem, sed conscientiæ vermem, qui me pungit & rodit: non habeo hominem, sed dæmonem, qui me captivum ducit ad necem & damnationem. Attamen nihil minus ago, quàm tractare de mea libertate. Caveant omnes à tanta paralyfi; pro vita res est. Qui velit militare Christo, & coronam recipere pulchritudinis æternæ, crucifigat suum veterem hominem, domet libidinem, declinet ab inferis, recto tra-

tramite tendat ad gloriam, respiciat sudores, quos humani generis causâ profuderat JESVS; respiciat ejus passionem, & mortem, ut cum sequatur ad cælestem felicitatem. Dicente Apostolo: *Qui sunt Christi, carnem suam Crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Quod qui fecerit, haud injuriâ dicere potest; Hominem non habeo, qui me vexet, fatiget, conculcet, & cruciet.*

maximi cujusdam ponderis esse documentum, cum tam sæpe fuerit inculcatum à Christo. Cæterum cum de humilitate dicendum sit, imploremus favorem illius, quæ humilitatis palman obtinuit inter omnes, quæ sunt puræ creaturæ, dicentes: *Ave Maria.*

Qui autem, &c.

Ut magis cognoscatur Domini benignitas, altius repetemus principium ab interrogatione, quam fecerat Christus Dominus Cap. 20. *Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, &c.* Tanto fuerunt pudore hac interrogatione correpti, ut nemo posset ei respondere verbum; neque ausus fuerit quisquam ex illa die eum amplius interrogare. De eis jam devictis dicit sub initium sequentis capituli: *Super cathedram Moysi sederunt Scribae & Pharisei; omnia ergo quaecumque dixerint vobis, facite; Quia nimirum non sunt sicut Saducæi & Galilæi falsis opinionibus imbuti. O quàm ingens modestiæ exemplum! Ex alia parte, quia malo omnibus erant exemplo, adnectit; Secundum opera eorum nolite facere: Unde nihil non explicatum manet: etenim iniquum esset, ut lueret lex pœnas debitas ministrorum culpæ. Non sufficit ad rejiciendum Regis mandatum, venire litteras, quibus defertur, oblitus cæno, aut luto ob incuriam tabellarii. Sic quamvis doctor scateat vitiis, aut peccatis, non inde obtendi potest excusatio violandæ legis. Nostris temporibus utilissima doctrina. Medici peritia in nulla alia re melius exploratur, quàm in assignandis medicinis, quæ succurrant absentium infirmitatibus. Christus autem Dominus tum præsentis, tum futuros instruxerat eâ salutiferâ doctrinâ: O quàm cælestis medicus!*

Juxta hæc omnia, quaecumque dixerint vobis, facite; licet qui ea proferunt, sint, qui dicunt, & non faciunt; licet sint ex illis, qui dilatant phylacteria sua, & magnificant fimbrias; & ex illis, qui amant primos recubitus: & primas cathedras, & vocari ab hominibus Rabbi. Argutior putatur, qui sine ductore rectâ incedit viâ, quàm ille, qui à perito ductus eam sequitur: sic laudabilior est, qui sine magistrorum bono exemplo, solâ divinâ gratiâ illustratus, generosè graditur ad gloriam.

Quis majora facit; an herus malæ vitæ ministrum sufferens, ne doctrina tibi deficiat? An tu ejusdem magistri monitis obediendo? Estne aliquis, qui thesaurum negligat, quamvis oblatum in marsupio coriaceo? Ita quamvis malus sit minister, dummodò vera doceat; attende doctrinæ, omitte exemplum; recede ab ejus culpis;

Aa sed

EPILOGVS.

326. Ne molestè feras demittere te in piscinam: Quoniam si vis ascendere, ad beatitudinis lætitiâ, opus est, ut descendas ad amaritudinem pœnitentiæ. Ne dicas deficere tibi hominem, cum in promptu sit gratia Christi, ac proinde tua conversio in arbitrii tui potestate. Excita temetipsum è tam profundo torpore, quo jaces: ne sis gravior ad æternam tuam salutem, quàm onerariæ naves, ut immittantur in mare: ne terreant te tempestates, aut laborum impetus, aut aquarum turbidi fluctus, cum ita questus fuerit pro te Christus in sua sanctissima passione: *Salvum me fac Deus, quia intraverunt aqua usque ad animam meam; infixus sum in limo profundo, & non est substantia.* Sequere hunc tuum ducem per cruces ac dolores in hac vita, ut coroneris cum ipso in æterna gloria. Amen.

CONCIO XXII.

In Feriam tertiam post Dominicam secundam.

Super Cathedram Moysi sederunt Scribae, & Pharisei; omnia ergo quaecumque dixerint vobis, servate, & facite. Matth. 23. Et paulò inferius. *Qui autem se exaltaverit, humiliabitur; & qui se humiliaverit, exaltabitur.*

327. Antiqui plurimum tribuebant aliquibus suis proverbii ac sententiis; aded ut ea sculpere solerent in suis imaginibus, valvis, stemmatibus, & annulis, uti sunt hæc: *Nosce te ipsum: Sustine, & abstine: Ne quid nimis:* Sapienter quidem id fecerunt, ne obliviscerentur sui officii: sed non minori jure, aut sapientiâ debemus nos in nostro imprimere corde hanc Christi Domini sententiam de excellentia humilitatis. Per similem invenio diversis in locis per Evangelium. Nempe in Publicani successu: Lucæ 18. Cap. & in convivio Principis Phariseorum: Lucæ 14. Et in hodierna Evangelii lectione. Unde infero

sed recipe thesaurum quem per eum ad te mittit Dominus. Sic scribitur Numerorum capite 15. 37. *Dixit quoque Dominus ad Moysen; loquere filiis Israël, & dices ad eos, ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas; quas, cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas.* Hodierni verò Pharisæi è converso faciebant; mente obliterantes Dei mandata suam auctoritatem magnificabant. O Sacerdotes, ministrique altaris, vobismetipsis caveatis alieno periculo: considerate harum vestium significationem; ne quæratís plausus, aut vanitatem in Sacerdotali veste, quæ donatur, ut recordemini mandatorum Dei. Auscultetis potiùs quid persuaserat Christus Dominus suis discipulis, quorum officium erat profiteri Evangelicam perfectionem. *Vos autem nolite vocari Rabbi.* Nemo sibi adscribat scientiam dicendi; donum Dei est. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Omne bonum de fursum est à Patre luminum.

331. Quidam pius homo per vias, & compita notabat, si quæ dicerentur secundum Dei legem, ut ea mandaret executioni; nempe probè noverat nihil dissonans provenire à deo, aut contineri lege; *Quia unus est magister vester.* Si Christus inquit: *mea doctrina non est mea;* quid tu proferes? Si tuâ tantum opinione differas, undique obduceris erroribus. Si autem doces fretus Dei luce & auxiliis; cur tibi attribuis doctrinam? Nonne vides hoc latronis esse officium? Omnes vos fratres estis, una est vestra fides, & unum vestrum baptisma. Cunctis quoad naturalia, par in mundum ingressus, & par exitus; quem despicias, quem persequeris, nisi tuum fratrem? Quod si autem omnes fratres; quare tu superbire velis præ cæteris.

332. *Nec vocemini magister.* Ne aspiret sine scientia ad magisterium. Quod si, ne sartores quidem, nisi periti suæ artis vocentur magistri; quid iniquius quàm in altioribus scientiis haberi pro doctoribus, qui vix rudimenta intelligant. O quis enumerare, ac refarcire posset damna, quæ illata sunt ab occupantibus doctorum sedilia sine vera auctoritate, & litteris.

S E C V N D A P A R S.

333. Unum ex suppliciis inflictum ædificantibus turrim Babel fuit idiomatum diversitas, ut scias elatum, & superbum, & qui propriæ studet æstimationi, odio haberi à Deo; ab hominibus deferri; expugnari à

dæmone. Nusquam invenitur locus superbo: altiùs ascendere vellet; sed exturbatum fuit è cælo tam metuendum vitium. Ero (dices) similis altissimo: ut fieres altissimi dissimilis nullum potuisti aptiùs medium invenire; nam homo cum in honore esset per superbiam similis factus est jumentis. Dices; saltem dissimulanter, & occultè, potentiam, & dominium appetam. Vis cuncta ad tuum obsequium moveri, quin tantillum movearis; vis gubernare sine labore, & omnia tibi obedire, quin vel ipsi Deo obedias? Non scitè procedis: ut ascendas, vis ascendere. Cùm è contra sancitum sit lege à Christo Domino. Nam qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur. Ergo quid faciam, inquires, hanc secundam elige tibi partem; nempe qui se humiliat, exaltabitur. Libenter hoc exequerer, nisi præmium humilitatis ad aliud differetur sæculum; mallet mediocri nunc stipendium, quàm eximia alterius vitæ: Dei muneris est de eis providere. O quàm vilis, ac sordidus animus, ac viro Christiano indignissimus!

Dicas, obsecro, cur cum Deo non te geris eâ saltem submissione, quâ cum hominibus? Terreno Principi diu noctuque obsequia præstas, cùm tam serò, aut nunquam satisfaciatur pro exhibito officio: quod si præmium aliquod solvat, id accidit, postquam tabueris querelis, & suspiriis. Quod si ipse sis Princeps, dum fueris superbus, lætari nunquam poteris verâ aliquâ, aut solidâ lætitiâ. Nam vel dives es; vel nullæ tibi sunt divitiæ. Si hoc ultimum: nunquam satisfactum videbis tuæ superbiæ: quoniam inopia superbis mors est. Primum esse non potest, consideratis expensis, quas ad luxum, & vanitatem faciunt superbi: quoniam posito fastu, & illæsis thesauris etiam opprimeretur dolore, ac mœstitiâ elatio superbiorum. O miselle, si te cognosceres haud absimilem Patri, stipato plurimis filiis, quibus urgente rerum caritate succurrere non potest! tuis cupiditatibus, tot, tantaque exigentibus, nunquam satisfacere valebis, atque aded semper infelicissimus vives.

Descendamus jam ad singularia: conferamus virum humilem cum superbo. Superbus amicitur nitidè, & lautè; at licet indutus pretiosis vestibus elatiùs se ostendet; animum tamen demittit, si respexerit suos pedes, nempe fundamentum, quo vita humana nititur. Vir autem humilis si induatur viliori sago, memor tamen divini amoris; poenarum inferni, quas existimat mereri suas culpas, eò quod exucrit gratiæ stolam lucidissimam; nuditatis,

tatis, quâ prodiverat in hunc mundum, Christi mortis & passionis; statim judicat multò pretiosius se tegi, quàm meretur. Edit opiparè superbus, cibisque nocet stomacho: sed vescitur parcè, & sobriè pauper, & benedictione repletur. *Aperis tu manum tuam, & imple omne animal benedictione.* Sedeat superbus in elato solio; at non potest negare se vivere in carne fragili, cujus decor aut venustas nunquam in eodem statu permanet; sedeat autem pauper, & dicat cum Job: *Infernus domus mea est.* Intelligens tamen è suis miseriis se eductum, liberatumque beneficio divinæ gratiæ, judicabit omnia hujus vitæ loca superiora esse suis meritis, æternas sed firmissimâ spe consequendi altitudines. Horum corda perscrutare; & invenies à creaturis superbum torqueri, vel quia eas relicturus est, aut quia non omnes possidet: at humilis dulcissimis affluit deliciis: *Delectasti me in factura tua.* Quare vel etiam hic videtur inchoare ejus felicitas, & placidissima quies. Miserum est superbo superbiorum delectum facere, ut ab eis plausus sibi quærat: At Dominus quærit pauperes spiritu, humileque corde, ut ex eis componat cælestia agmina suæ gloriæ.

T E R T I A P A R S.

Superbi cur tanto sint numero, & humiles adeò pauci? non invenio aliam rationem, nisi quia frequenter, quales sunt conceptus, tales eduntur partus; ut accidit ovibus Jacob, quæ pariebant agnos, secundum objecta quæ videbant conceptionis tempore; sic cum superbus judicat se esse fortem, edit in lucem leunculum, à quo omnes fugiant; hinc dimanat voluntas discernendi omnes, quibuscum agit: quando verò fingit se prudentem, aut conspicuum stemmatibus, parit draconem: *Statuverunt consilia quæ non potuerunt stabilire: stultorum infinitus est numerus.* Quamvis putent se concepisse montes; parturiunt tamen ridiculos mures. Nihil enim abjectius superbo. Quoniam quid accidit Herodi? quid antiquis Cæsaribus, & Augustis? delati sunt ut nubecula matutina, cujus nulum exstat vestigium fervere sole.

336. Videamus modò conceptus humilitatis. Moses judicavit se esse balbutientem; sed confortatus à Deo, eduxit populum ex Ægypto. David; *quis sum ego, ut fiam gener Regis? substantia mea tanquam nihilum ante te.* Dominus; *juravi David servo meo, &c.* Baptista: non sum Christus, nec Elias, nec Propheta: ex his verò conceptibus quis partus? Inter natos mulierum non sur-

rexit major Joanne Baptista. Paulus; *non sum dignus vocari Apostolus.* Vas electionis est iste. Beatissima virgo sua humilitate meruit fieri Dei mater, quâ nihil potuit clarius infra Deum excogitari.

O Christe JESU, noster magister, & 337. pastor, deduc nos tuas oves ad tuæ passionis clarissima flumina, ut ibi nos videamus & cognoscamus. Respice, peccator, respice tui ipsius indignitatem: respice creatoris amorem, & misericordiam: respice ipsum nudum in cruce, suspensum in aère pro tua superbia, & culpis. Nonne vides, uti coronatur spinis ob tuos fastus, ut apertum tenet latus, quia tu tuum aperuisti scorpionibus, & draconibus, nempe vitis, & peccatis? Ut non est in eo fanitas, quia non est pax ossibus tuis à facie peccatorum tuorum? Ut bibit fel Dominus, quoniam vinum tuum fel draconum, vinum amarissimum, abominationis & miseriarum? ut humilis factus est usque ad mortem, ut tu humiliter vivendo reciperes coronam æternæ gloriæ. Amen.

C O N C I O X X I I I.

In Feriam tertiam Dominicæ tertiæ.

Si peccaverit in te frater tuus, &c. Matth. 18.

H Odierna lectio difficillima est, sed 338. necessaria: parum intellecta, sed utilissima. Confluamus ad ipsius Sapientiæ sedem, Dei sanctissimam matrem, ut nos regat, & gubernet in re tantæ difficultatis, sed summi ponderis, ac momenti. *Ave Maria.*

Si peccaverit, &c.

Christus Dominus instar sapientissimi 339. medici, ut nulla infirmitas, sine medicina relinqueretur, postquam in hoc capite egit de iis, qui scandalo aliis sunt; modò assignat regulam, quâ nos geramus erga eos, qui nos scandalizant: *Si peccaverit, (inquit) in te frater tuus; vade, & corripe eum, inter te, & ipsum solum.*

Dices, non opus esse, ut hæc res firme- 340. tur aliquo præcepto, quia passim correctores, & censes seipos offerunt, qui nihil aliud faciunt, nisi fugillare alienos mores. Scire velim antequam publicares defectum fratris, an correxeris eum? An observaveris ordinem Evangelii? quoniam si in hoc defeceris, minimè correxisti fratrem, sed potius infamatorio libello ejus bono nomini, si quid habuerit, intulisti notam. Petes, an ubique servandus hic ordo? Aliquando eo omisso teneris denunciare Ecclesiæ, præcipuè ubi nul-

lum aliud speratur remedium, aut iustum præceptum urget legitimi Superioris, ob periculum quod oboriri posset in omiffione. Quod genus supplicii est excommunicacionis vinculo innodare delinquentes? Separatur à communicacione sanctorum excommunicatus. O gravissimum supplicium! Undè magnâ circumfpectione utendum in ejusmodi ferenda sententia. Lege illud Ezechielis Prophetæ decimo tertio capite: *Violabant me ad populam meam, propter pagillam hordei, & fragmen panis, ut interficerent animas, quæ non moriantur.* Aliibi autem disces quomodo ex alia parte procedendum; quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua, pro anima ejus.

341. Ut intelligas hoc quantum supplicium sit, considera, quanta sit authoritas Ecclesiæ, & eorum, qui ab illa constituuntur pastores, ut inde colligas quàm horrendum sit incidere in manus Dei viventis. *Amen dico vobis, quacumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in celo.* Ex potentia magnitudine, quæ toto fulmine suæ iracundiæ educit hic terribilem suum gladium, conjice gravitatem vulneris, ac supplicii; atque ex hujus gravitate, quanto timore debemus omnes concuti, ne suamus talem pœnam. Qui hac maximâ potestate utuntur, elevent oculos ad Dominum, quem spectatorem habent in usu hujus officii, & toto mentis affectu dicant ipsi. *Sicut oculi ancilla in manibus Domine sue; ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.*

342. Ne obliviscantur adesse quoque Angelos, Principes gloriæ, qui facitè offenduntur quacumque subversione rei tam sublimis; *Quacumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in celo.* Utinam sentiremus aliqua eorum, quæ Christus Dominus præfensit, quando pronunciavit hæc verba; sed his calamitosi temporibus, ubi tot surgunt hæreses contra nostram sanctissimam matrem Ecclesiam, multi eis nullam fidem adhibent. Alii non intelligunt illa; alii suo tantum ductu explicant; plures non æquè venerantur, ac fas est. Cæterum etiam post resurrectionem, iterum fecit mentionem hujus ejusdem potestatis Christus. Amplius ergo quis potest de rei veritate dubitare? statim subjungitur indulgentia, quâ Christus nos tractat. *Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quacumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in celis est.* Hominum congregationes veluti cera sunt, cui imprimitor imago juxta formam sigilli: quando celebra-

tur ad Dei gloriam cælesti signantur sigillo: si ob terrenum luctum; mundi sigillo: si autem ob dæmonem, dæmonis figuram recipiunt: quoniam quod natum est ex carne, caro est; & quod natum est ex spiritu, spiritus est.

Tunc Petrus, quippè qui faturus erat 343. Christi vicarius, interrogat: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? usque septies? optimum exemplum, præbet Petrus cupiens scire ea, quæ futura sunt pastoralis officii. At quò solatio nos recreat Deus? Non dico tibi usque septies; sed usque septuagesies septies. Dicas jam nonne dulcissima Dei clementia, & suavitas. Quid necis moras accedendi ad ipsum? imiteris ipsum. Nam singulis qui aspirant ad gloriam, sequenda Christi Domini vestigia; remittendæ injuriæ; satisfaciendum officio in congregationibus; quærenda Dei gloria; obediendum Prælati, ne aperiantur aditus ad temporalia supplicia, & post ea ad æterna.

SECUNDA PARS.

Si peccaverit in te frater tuus, &c.

Cur tam pauci observant hoc præceptum 344. cum adeò conducat ad sempiternam salutem: nam fulcitur Dei, & proximi charitate? Defectus ejusdem charitatis dispellit curam obsequendi huic præcepto, eoque monuit Christus Dominus de studio perfectionis: perfecti estote, sicut Pater vester cælestis perfectus est.

Non tantum defectu charitatis Dei, sed 345. etiam proximi marcescit hæc eadem observatio. Cæterum si quando nuntiatum fuit Heli in captivitatem venisse Arcam Domini, ceciderit mortuus; saltem dolore debemus nos corripere ob nostrorum fratrum lethales culpas: his enim expugnat Dæmon plurimas arcas Domini, nempe animas, quæ ex statu gratiæ deveniunt in tristissimam peccati captivitatem. Et nihilominus, ita totus mundus in maligno est positus, ut alii excusent se, eò quòd adulatorum sint; alii, ne contristent, ut Adamus; alii ob respectus humanos, ut Herodes; alii ut Cain affirmant se custodes fratrum non esse, ut passim teneantur eos corripere. Aliis videtur rem adeò publicè circumferri; ut superflua sit denuntiatio. Omnes alloquitur Dominus: *Vos dispersistis gregem meum, eiecitistis eos, & non visitastis eos; ecce ego visitabo super vos multitudinem studiorum vestrorum.* Jerem. 23. Singuli enim singulorum saluti prospicere tenentur nacti opportunitatem temporis.

locique, præcipue dum id fieri possit sine rei propriæ incommodo aut detrimento.

346. Tria personarum genera in hac obligatione maximè periclitantur, nempe Gubernatores, Concionatores, & patres-familias. Undè fit, non feliciter evenire correptionem, cum aliqui hoc munus obeunt, qui potius indurant corrigendos, quàm emendent; nempe qui non observant correptionis regulas præscriptas à Christo, neque expectant aptum correptioni tempus; sed vel inflammati irâ utuntur illâ, vel pharmacum temperant non secundum proximi indigentiam, sed juxta suam voluntatem, aut passionem. Corripientibus autem maxima patientia necessaria est, immò cum amore & humilitate id perficiendum: quoniam in correptis haud rarè deficit animi amaritudo, quâ parùm leniter respondeant tanto beneficio. Educturus sanguinem, vittâ ligat brachium, & non nisi tentatam aperit venam. Ita qui corrigit, debet facere; prius disponere ægrotum fratrem suavitate, ac blanditiis, ut eò securius accedat ad scissionem. Passeres sonante crepitaculo fugiunt; sic correpti vocem corripientis, si nimis, modumque ultra fervescat reprehensione: quapropter acrius medentur, quàm sit opus, utentes novaculis pro scalpellis; ac proindè cum sanaturi veniant, occidunt ut immanes carnifices. Corripientes alii nihil emolumentum ægrototo afferunt, eò quòd veniant, tamquam nox nocti indicans scientiam, ut sanctus Bernardus ait: Dæmon nox erat, mulieremque adiit quasi eam scientiam doceret divinitatis: *Eritis sicut Dei, scientes bonum, & malum*, ejus autem consilio Eva obscuritatem, & confusionem sibi conciliaverat. Rogavit fatuus amentem, cur insaniret? Quid magis ridiculum? Sic tamen Pater concubinarius hortatur filium, ut contineat se à libidine, *sed nox nocti indicat scientiam*: correpturus aliorum vitia ab iisdem sit ipse immunis: opus est Episcopum irreprehensibilem esse.

347. Denique alii correptione non profunt, quia statim defatigantur, & deficiunt, nisi videant fructum, obliti Christum Dominum correxisse, ac reprehendisse sæpissimè, quin fructum tunc ex correctione colligeret, eum postea lecturus in Caluaria. Ibi enim ipsi dictum fuit: *Verè filius Dei erat iste*. Expecta tu simili modo correptionis fructum, & eum colliges, vel saltem erit satisfactum tuo officio, ac muneri: quod nisi lucratus sis fratrem, lucraberis teipsum.

TERTIA PARS.

348. Ut correctione proficiam, quid facien-

dum? considera multum te corripienti debere. Nonne inter amicos numerares eum, qui videns tuum vultum fuligine sordatum, cæterorum risu, eam tibi abstergeret maculam? Si sciret amicus nexas tibi ab hostibus insidias, nonne queri posses de illo, nisi ostendisset periculum. Quid autem aliud efficit, qui fraternè te corripit? Etenim te eruitè mortis æternæ periculo, interveniente & auxiliante divinâ gratiâ. Equum ergo est, ut ei rependas grates, qui studet, ut à te amoveatur tam mortifera vispera. Quando corripieris; vel maculatus es, vel nullam habes culpam? Si hoc secundum, non erit tibi parùm fructuosa correptio, si eam noveris patienter sustinere. Si verò sis in culpa, evitatur, & redis ad amissam gratiam, quo quis jucundior, aut suavior fructus? Velis tibi dicam, cur correptus tam asperè respondes? Quia existimas te despici, aut pati notam in tuo honore, cum multò vilior esses si permaneres in culpa.

349. Quis rejectâ dulcè ac suavissimâ medicinâ, eligeret amaritudinem cujusdam acerrimæ, & calamitosissimæ mortis; hic mitiora respiciens, eligis tormenta æterna. Si jam non valēs ferre unum tantummodò verbum conditum dulcedine charitatis, & ad tuam salutem; quomodo sustinebis tartareum vermiculum? Vermis eorum non morietur.

350. Quid potius eligeres, constitui aurei velleris Equitem, an infami alicui indumento addici? Haud inficias ibis, illud primum fore convenientius. Quando corripieris, si patienter toleras correctionem, prædestinatorum signo decoraris. Si verò correptione obdurescis, indicium est militare te sub Pharaonis vexillo. Satius ergo est sequi consilium corripientis, quam eo rejecto notari infamiâ. Adverte, à Domino corripiri severius aliquando quos ardentius diligit: nam Joanni, & Jacobo aliquando dixit: nescitis cujus spiritus estis; & Petro: vade Satana, &c. Judam tamen mitius excepit, cum non æquè diligeretur: *quod facis, fac citius*. Quare pro beneficiis reputandæ acriores reprehensiones, quia secundum multitudinem dolorum sic erunt & consolationes. Contemplare quid dixerit Pilatus Christo Domino. Corripiam eum, & sic dimittam. Christus Pilati correptionem tam patienter pro te sustinuit, & tu non patieris à Domino corripiri; de quo Job, beatus homo, qui corripitur à Domino? Eligant ergo ex utraque sorte, quòd melius & salubrius est: nam si respicis Domini correctionem, venturi estis in Dæmonis, tenebrarumque

potestatem : At si sustinetis placidè, & patienter reprehensionem, recuperabitis vitam : *Multa flagella peccatoris ; sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.* Donet omnibus clementissimus Deus, in hac vita suam gratiam, & in cælo perpetuam gloriam. Amen.

CONCIO XXIV.

In Feriam Sextam post Dominicam tertiam.

Si scires donum Dei. Joann. 4.

351. **D**onorum Dei, ignoratio est unum ex maximis detrimentis, quibus mundus vexatur; ideoque dicebat dilectissima Sponsa : *Exultabimus, & letabimur in te, memores uberum tuorum.* Deficit spirituale gaudium, quando hæc recordatio deficit. Undè Propheta dicebat : *Cogitavi dies antiquos, &c. Et hac consideratione exercitabar, & scopebam spiritum meum.* Quis auderet Deum offendere, consideratis bene ejus favoribus, & beneficiis? Quid habes, quod non accepisti? Quis Deo negaret, quæ petit, si memor esset donorum, quibus ab eo fuerat donatus? *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Quis cessaret amare illum, *Qui prior dilexit nos ante mundi constitutionem?*

352. Antequam incipiamus agere de divinis muneribus, haud abs re erit videre, quomodo eis obstitimus, cum certum sit de liberalitate divina in iis distribuendis. Hujus rei grave impedimentum est defectus humilitatis. Hæc enim virtute destituti arrogant sibi munera divinæ gratiæ; quare melius foret ipsis tum ea non accipere. E contra movet divinam misericordiam ad ampliores favores humilis, & qui obligatum se fatetur tot beneficiis. Ut ea consequi valeamus, supplici prece contendamus à sanctissima Virgine, ut nobis ferat opem, & auxilium. *Ave Maria.*

Si scires donum Dei.

353. Venit **JESVS** in civitatem Samariæ; reliquit Judæam. Sed quid mirum? quod multo magis fuit, reliquit domum suam, & hæreditatem suam; tanto nos prosequabatur amore. O inexplicabile munus! O admirandum beneficium! pudori sit jam peccatoribus ingratitude tam barbara, quæ vilescunt, cum tam liberalis sit Deus.

354. **JESVS** fatigatur ex itinere; quia tu non te fatigas. Miserum est, quod tam ardentem diligas hanc vitam, cum sit tibi peregrinatio, & exilium extra tuam patriam.

355. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Mi sanctissime Domine, video non tantum

te parcere peccatori, cum ad tuos pedes devolutus petit veniam, sed etiam eum expectari à te, Majestate infinita, quod est admirabile donum. Paralyticus expectabat Angelum, & modò plus quam Angelus paralyticam expectabat, mulierem contaminatam gravissimis culpis, cælorum Princeps peccatricem foeminam, Creator suam creaturam.

Sed notandum est ubi præstolabatur Do- 356.

minus, nempe juxta aquam; quia peccator opertus tribulationum fluctibus plerumque aptior fit ad recuperandam salutem. O si unusquisque sciret donum Dei, & quæ tolerantia, & amore nos expectat hic animarum dulcissimus sponsus? Dum ægrotaamus, dum convalescimus, sive quiescimus, sive laboremus, ubique expectat nostra suspiria, ac petitiones. Ecce, quam citò invitat Samaritanam : *Da mihi bibere.* Domine, videtur parumper expectandum, dum ipsa prius salvet. Infelicissimi forent peccatores, si expectandum esset, dum ipsi prius loquerentur. Cæterum rogavit ab eo foemina; cur, cum Judæus esset, aquam peteret à Samaritana? Quæ interrogatione nactus occasionem. **JESVS** explicandi sua dona, ostendit se habere aquas cælestes, salutiferas, vivas, clarissimas ad satisfaciendum pauperibus, & miseris, ut ipsa ita allecta disponderetur ad recipiendam salutem. O quot, quantasque gratias debemus referre Deo, qui ita nos disponit, antequam petimus, vel laboramus pro nostra felicitate, ipsi debetur initium, conatus, & perfectio: ipsi omnis tribuendus honor & gloria: *Domine, neque in quo haurias, habes;* infert mulier. De hoc miraris Samaritana? Quid, si illum deambulantem super aquas videres? Existimas ei defutura, quibus hauriat aquam? nullus in inveniendis mediis peritior unquam fuit. Artes & vias invenit ad conciliandos cum Deo homines, uniens divino supposito humanitatem; & dubitas de modo hauriendi aquas sine fune & lebetè? O quanta cæcitas peccatoris! nam quæ Dei sunt, carnalis homo non percipit. Omnis qui bibit ex aqua hac (nempe hujus fontis) sitiet iterum. Eminens est ista declaratio, quæ instruimur, quantumvis honoribus, divitiis, & voluptatibus affluamus, numquam satisfactum iri nostræ siti iis tantummodò liquoribus. Dum lapis ad suum centrum perveniat, nullam habebit requiem. Hydrope crudelissimo avari, mundanique torquemur; sed inquietum erit semper cor nostrum, donec perveniamus ad Creatorem. Ad rem aptissime Gregorius Magnus: nihil laboriosius, quam ter-

terrenis desideriis æstare; nihil quietius quàm in sæculo nil appetere.

357. Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam: si forsan dicas, futurum ut etiam sitiant, qui biberint ex hac aqua; respondeo eam sitim tanto fore refrigerio, ut summè oblectet, & recreet: quod si ita satiari incipiat in hac vita, quàm erit dulcedine, & jucunditate, cum apparuerit gloria Dei. Usquequò piger dormis; Cur non exuis temetipsum tot insidiis, & erroribus? Nonne maxima amentia est, quære-
re aquam turbidam, cum possis plenâ voluntate bibere è cristallinis undis illius nectarei fontis, qui simul oblectat, & vivificat; expellit tristitias, & sanat; nutrit, & firmat in sanctorum clivo, quo pervenitur ad gloriam? *Domine, da mihi hanc aquam*: Omnis cura adhibetur in excusando labore; atque in hoc solertissimi sunt peccatores nostræ ætatis. Samaritana petebat, quo expelleret sitim: nostri temporis Samaritani postulant, & quærunt, quo amplius eam irriterent: quàm habent luxus, ac stultitiæ. Sufficit diei malitia: ne appetitum irriteremus injectâ materiâ, ut elatius feratur incendium.

358. Christus Dominus secundum infirmorum dispositionem variis unguentorum generibus utitur. Quare cum Samaritanam motam vidisset, subjunxit: *Voca virum tuum*. Nihil potius Deo de mortalibus, quàm ut cognoscant suas misérias, & culpas, easque eluant salutarî pœnitentiâ. Cur igitur frigesimus aded in exhibendis Deo nostris obsequiis? Christus statim vult, ut de tuæ conscientiæ discussione tractes, utque doleas de tuis culpis: sed qui sub Dæmonis vexillo militant, nihil minùs agunt, quàm de delendis peccatis; quàm de procuranda, ac molienda carnis maceratione, aut pœnitentia, aut salutaribus lachrymis. *Propheta tui viderunt tibi falsa, & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent*. Sed dices; etiam dæmon aliquando menti offert admissas culpas. Verum est: sed eâ recordatione ad desperationem instigat, teporiquè spiritus unicè studet. Verùm spiritus sanctus admirabili suavitate nos movet, ut inflammemur incendiis divini amoris. O quis erit tam parùm generosus, atque urbanus, qui tam benignæ invitationi obsistat?

359. *Domine ut video Propheta es tu*. Aliud jam est hoc Samaritanæ idioma; tanti ponderis est ad Christum, & ad sanctam cum eo consuetudinem accedere; atque ipsius doctrinam audire. *Accedite ad eum, & illuminamini*. Jam quærît, an sufficiat cultus Sa-

maritanorum; an necessarius sit cultus Judæorum? Si loquela uniuscujusque manifestat, quis sit; jam mundus pænè mortuus est; cum tam rarò agat de rebus divinis.

Scio quia Messias venit. Ad Messiam se remittit; sed statim declaravit se Dominus. Si bonæ arbori adhæreas, faustè obumbraberis. O quàm velociter respondet nobis Deus, ubi purè ac sincerè eum quærimus. *Ego sto ad ostium; ego sum, qui loquor tecum*. Jussit Moyse, ut calceos exueret, antequam illi diceret; *ego sum*. A Pharisæis ita interrogatus: *Usquequò animam nostram tollis?* Non respondet ipsis, *Ego sum*: quod tamen huic Samaritanæ dicit: & tibi, ô peccator, quin interrogas, dicit, quis sit. En tibi concedit etiam hoc amoris privilegium. O si scires donum Dei, quanti æstimares illud? O felicissima Samaritana, quàm rectè Christus Dominus potest tibi dicere; quod Joseph suis fratribus: Pro salute vestra misit me Deus ante in Egyptum. *Oportebat enim eum transire per Samaritiam*, ut hoc mirabile opus perficeret tui causâ.

Ubi primùm audivit; *ego sum, qui loquor tecum* 361. Reliquit ibi hydriam, altiores divitias, si haberet haud dubiè relictura. Ecce signum conversionis; reliquit illicò, quod in promptu possidebat. Restat, explicandum donum quoddam, quod silentio præterire non debemus, nempe quid responderat Christus Dominus suis Discipulis, quando accesserant. Interea rogabant eum Discipuli, dicentes: Rabbi, manduca. Ille autem dixit eis: ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. Dicebant ergò Discipuli ad invicem: nunquid aliquis attulit ei manducare? Dicit eis Jesus: meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus. Ecce Christiane tua salus cibus est Christo: quas gratias ipsi referes pro tanto beneficio? Quàm sanctè oportet vivere, ut condiantur tua opera eo sapore, ut mereantur degustari à Deo? quanti debes temetipsum æstimare, & non demittere ad rerum terrenarum vilitatem, cum æterni Patris voluntas ità complacat in tui progressus perfectione? Quoniam sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. Quare teritur à te tempus in rebus vanis & inutilibus, cum ita diligaris à Deo?

Jam videtis, quot, & quantis debitis apud Christum Samaritana teneatur; & pœnas quas meretur, si fuerit ingrata: Qui habet aures audiendi audiat. O peccatrix anima, si scires donum Dei: ditaris enim

am-

amplissimâ hæreditatis portione : quoniam pro te Christus fatigatus fuit in acclivi ascensu versus Calvariæ montem, ibi actus in crucem, atque in aere positus aperuit tibi fontem aquarum viventium, ut haurire tibi posses salutem cum æterna vita.

363. Si dicas, quomodo possum reficere sitientem JESVM, cum nihil aliud habeam, nisi miseras & culpas, potum plurimo felle, acetoque conditum? Effundas foras tam corruptam, pestiferamque saniem, & propinabis ei potionem dulcissimi liquoris. Sitit enim munditiem à culpis; ardentè optat pœnitentiæ lachrymas, quibus laveris à peccatis. Amice, si hunc potum Christo renuis concedere, quid illi dabis? Quis non pestilentiam, & grassantem lepram fugiat? Si tuo conditori neges, quod tibi ipsi cedit in tantam salutem, quomodo sperabimus futurum, ut illi offeras divitias, honores, sanguinem, aut vitam? Si aliquis manu teneret præparatum veneno cyathum, nonne eum à se amoveret? Peccator oblati, admissisque peccati occasionibus, gerit manibus amaram inferni potionem, quam bibes toto pectore, ni citius te expedias illis. Hanc à te potionem petit Christus Dominus, nempe ut tibi prospicias in re tam gravi, apertoque periculo. Audebisne adeò sordescere, ut ne morem geras servatori, tam ardentè flagranti tui amore? Persuadeas tibi, si peteret bibere à Samaritana, postquam dixit: ego sum, qui loquor tecum; minimè recusaturam fuisse illam, vel proprium sanguinem pro eo profundere: quid ergo etiamnum torpescis in tua turpitudine, cum tam repetitis monitis suam tibi voluntatem manifestet?

364. Voca virum tuum, nempe tuum intellectum; sed jam eo destitutum te video; nam obnubilatus es tuis vitiis, ne pessimam vitam corrigas, & cupiditates domes, ut meritò exclames: crucior in hac flamma. Libereris per Dei misericordiam, ut consequaris in hac vita plurimam gratiam, & in altera sempiternam gloriam. Amen.

CONCIO XXV.

In idem Evangelium.

Si scires donum Dei. Joan. 4.

365. **O**ptimè noverat Dei dona fortissima illa Judith, quandoquidem à Domino confortata Holoferni caput amputaverit. Ostendit Deus amplissimum donum, cum sterili Saræ concesserit filium: sed quid hæc cum donis, quæ Reginæ cælorum largitus fuit Deus? Quis comprehen-

det horum magnitudinem? Quantò majores fuerunt Deiparæ vires fortitudine Judith: quoniam si Judith vicit Holofernem; hæc ita triumphavit de dæmone, ut ne minimâ quidem maculâ unquam contaminata fuerit. Si Sara peperit filium in senectute; hæc concepit, atque in hunc mundum edidit Deum in sua virginitate. A tanta Principe, ac tam admirabili matre petamus gratiam, ut possimus percipere hodierni Evangelii dona. *Ave Maria.*

Si scires donum Dei.

Si vis scire unam ex præcipuis causis malorum, quæ per mundum grassantur, invenies esse defectum cognitionis de divinis donis, ac beneficiis. Hæc ignorantia hominum corda obdurata habet, & obcæcotos mentis oculos. Quis enim ea ritè considerans, non applicet utique aures suas ad audienda Dei præcepta, & suam linguam ad ejus explicandas laudes, & suam mentem ad eum contemplandum, & suum affectum ad eum diligendum? Si ergo hujus rei detrimentum provenit ex prædicta ignorantia, totius incommodi remedium erit ex frequenti memoria cælestium munerum; ut excitemur igitur è nostro tempore, ac socordia, audiamus quid dicit nobis Evangelium de misericordiis Domini. *Venit JESVS fatigatus ex itinere.* O peccator, si scires donum Dei. O si intelligeres, quàm grande beneficium sit Christum fatigari, ne tu fatigeris: & peditem in itinere, fameque laborantem lassari, ut tu placidior rota inveharis ad gloriam! Sed ampliora adhuc sunt ejus beneficia, quamvis dicta sint amplissima. Ad fontem expectat pauperulam Samaritanam JESVS. O clementissime Domine, nonne sat esset, si quid quæreret, ipsi respondere, quin ita toleranter expectares venientem. O si intelligerent homines præstantiam tanti muneris, haud tam lenti forsitan delitescerent in sua negligentia aut vitiis. Mulier da mihi bibere, inquit: bene noveras, mi sanctissime Deus, futurum, ut illa obtenderet excusationem, eò quòd esset Samaritana: Quare ergo prius incipis eam alloqui, quàm ipsa rogat? Audi Christiane, quid posset respondere Dominus; quia velim, ut omnes cognoscant boni operis principium à me incipere, id facio; quia meo amori, infinitæque bonitati convenit, quærere peccatores, à quibus acceperam injurias, qui infelicissimi sanè forent, si expectarem, ut illi inciperent.

Veniamus jam ad aliud donum admirandum singulare. Licet Samaritana asperè, ac parùm comiter respondisset; attamen noster benignissimus Redemptor respiciens, non

non ejus inurbanitatem, sed suæ immen-
sæ charitatis pelagum, dixit: Si scires do-
num Dei, & quis est, qui dicit tibi: *Da
mibi bibere*; tu forsitan petisses ab eo! O mu-
lier, si scires quàm magna res sit, tantum
Dominum hùc venisse te alloqui, & ro-
gare; non tantum ipsi propinares aquam,
sed etiam peteres ab eo supplici genu ne-
ctareos, ambrosiosque liquores, quibus ex-
tingueres tuas angustias. Hic qui te rogat,
ille est, qui format nubes, & distribuit
flumina; qui eduxit montes, & textit val-
les suâ viriditate, & nitore; qui venusta-
vit firmamentum eo ornatu, quem admi-
rantur oculi, & terras tot, actam variis
regnis, ac imperiis. Tam dives est, ut An-
gelorum gloria ex ipsius thesauris sit; &
tam formosus, ut ipsius sit ipsa gratia, &
pulchritudo. Qui bibit tuas aquas, ô Sa-
maritana, sitiet iterum; sed quem hic pota-
verit in sua gloria, nullâ laborabit egestate,
aut pauperie in æternum. O peccator, qua-
re tam ardentem sitis mundanas divitias, &
vanitatem, prætermittis deliciis hujus Prin-
cipis? Quis enectus siti, pro aquâ vellet su-
mere fæces pro fontis dulcedine æquoreas
amarities? Hanc electionem, nemo, nisi
amens, amplecteretur; cur tu asperpatus
claritatem æternorum fluminum, decurris
ad terrestres sentinas, & turpitudines?

368. *Domine, da mihi hanc aquam, ut non si-
tiam, neque veniam huc haurire.* Ne pereas,
amice, ardore tuæ libidinis, quâ, veluti graf-
sante incendio inflammaris, petere debes
cum Samaritana hanc Salvatoris aquam.
Cæterum procul te habes ab hujusmodi pe-
titione; quoniam non solum desideras, ne
extinguatur tua sitis; sed varias etiam quæ-
ris artes, quibus amplius augeatur in tan-
tum animæ tuæ damnum, & ruinam, mo-
litiæ vestium, ciborum lautitiâ, illicito te-
pore in colloquiis, & salutationibus, comœ-
diis, saltatione, intempestivis conviviis,
lascivâ societate, & circulis.

369. Videamus autem quibus remediis sanat
hanc infirmitatem Deus. Peritiores medi-
ci ægritudinis principio leniora quædam
adhibent; & deinde cætera medicamenta,
prout morbus, vel vulnus exigit. Statim
ac Christus Dominus videt infirmam inci-
pere aquam, quam memoravimus, jam
desiderare, oculosque aperire ad intuen-
dam suam miseriam, dicit: Voca virum
tuum, & veni huc; respondit mulier, &
dixit: non habeo virum. Dicit ei Jesus:
*Bene dixisti, quia non habeo virum: quinque enim
viros habuisti; & nunc quem habes, non est
tuus vir. Hoc verè dixisti. Dicit ei mulier:
Domine, video, quia Propheta es tu.* Jam in
numero Prophetarum habet eum, de quo

Paulò ante dubitabat, an posset sine fune,
& amphorâ habere aquam. Detegit ergo
ei Dominus, quàm misera, & vulnerata sit;
nactus tam bonam occasionem, suavissi-
mè eam flectit ad Dei amorem. Solità suâ
mansuetudine, & sapientiâ respondet:
*Mulier, crede mihi, quia veniet hora, quan-
do neque in monte hoc, neque in Hierosolymis
adorabitis Patrem.* Verba hæc dignissima
sunt, quæ ab omnibus notentur. Quod
si peccatoribus sint terrori, justis præbent
maximum solatium. Spirituales vult Deus,
non carnales, aut proclives in voluptatem
viros. Quis autem vivere possit sine Deo?
Domine, (infert statim Samaritana,) *scio
quia Messias veniet, qui dicitur Christus: cum
autem venerit, ille nobis annuntiabit omnia.* O
si scires donum Dei! Advertas Samarita-
na, Incarnationis mysterium diabolo ce-
latum fuisse, & te jam monitam esse de ad-
ventu Messiae. *Ego sum, qui loquor tecum.*
His verbis aded commota fuit Samarita-
na, ut relictâ hydriâ velocissimè repeteret
civitatem, invitatura suos oppidanos ad
eos thesauros, quos invenerat; venite,
& videte hominem, qui dixit mihi omnia,
quæcumque feci. Non viderat alia mira-
cula; sine alio signo, aut testimonio Sama-
ritana peccatorum conversiones aggredi-
tur, ut pudori sit omnibus, qui credentes
non tantum Christum esse Messiam, sed
etiam mortuum jam, & passum esse pro no-
stra salute, non modò non eum prædi-
cant, sed in suis etiam membris persequun-
tur, & spiritualiter quasi cruci iterum af-
figunt suis atrocissimis vitiis, & culpis. O
sanctissime Deus, qui ita laboras de nostra
salute, qui de petris educis aquas, & de du-
ritie humanorum cordium divina enco-
mia, concede propitius, ut tibi obsequa-
mur in hac vita, ut te consequi possimus
in gloria. Amen.

CONCIO XXVI.

In illud Joann. 7. cap.

*Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognos-
cet de doctrina, utrum ex Deo sit; an à me
ipso loquar.*

Multi sunt, qui quotidie dicunt Deo: 370.
fiat voluntas tua, sicut in cælo, &
in terra; & fortè pauci sunt, qui sciant,
quid sit, voluntatem Dei fieri. Ad hoc au-
tem explicandum, aptissima est, & mira-
bilis hujus Evangelii materia. Petamus fa-
vorem ab Altissima Dei matre, quæ ita
ad amissim perfecerat, nempe adimplerat
memoratum jam voluntatem, ut infra ip-
sum

B b sum

sum Deum haud parem habeat. *Ave Maria.*

Si quis voluerit voluntatem ejus facere, &c.

371. Christus Dominus peragrabat Galilæam, eò quòd expeteretur ad necem in Judæa; tandem verò cum eò ascendissent ejus fratres, (ut loquar cum Evangelio) *Tunc & ipse ascendit ad diem festum, non manifestè: sed quasi in occulto.* Ascendit, ut pastoribus præiret exemplo, ostendens suum officium esse animam ponere pro ovibus; ascendit, ut timidiore agnelli animos tollerent; vinctus suæ charitatis alis ascendit. O peccator, quid times tolerare labores pro Christo, quos non omittis sustinere pro dæmone? pro Christo renuis vel minimam acerbitatem delibare; & pro Satana amarissima devoras: non habes pedes, ut templum adeas; & habes, ut in tartara quàm velocissimè descendas: detrectas pro Christo subire labores, qui ad requiem te ducant; sed parui pendis cum dæmone damnari ad æternos cruciatus.

372. Ascendit JESUS in templum, & docebat; & mirabantur Judæi, dicentes: Quomodo hic literas scit, cum non didicerit? O si intelligeres, Christiane, excellentiam doctrinæ, ac magisterii, quibus indies te monet tuus conditor de ineundo itinere ad gloriam per Evangelicos prædicatores, ocyus forsitan in melius emendares tuos mores. At perpende simul ejus divinum amorem, cujus dulcedine allectus voluit per experimentalem scientiam discere laborem, famem, & sitim, ut te doceret viam, quâ adeunda ea felicitas, quæ per æternitatem beat.

373. Respondit ipsis Dominus; *mea doctrina non est mea; sed ejus qui misit me.* O quàm salutare, altumque documentum iis qui nimium fidunt sui ingenii, ac mentis acuminis. Nec minus prodesse valet humilioribus animis, quibus electa voluptas demissionis studium, & exercitium omnibus utilissimum est. *Mea doctrina non est mea:* Sic aliquando Baptista, non esse se Prophetam, cum Propheta esset: quia non erat ille Propheta, de quo Deut. cap. 18. 15. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus.* Sic Christus quamvis ea doctrina ejus esset; dixit tamen non est mea: quia uti ipse procedit ab æternò à Patre; ita quidquid habet est à Patre: veluti dixisset: non est mea, quin eam acceperim à Patre; atque ita asseruit; à meipso facio nihil; hoc est sine Patre: ita Doctor ne doceat, nisi quæ Deus, vel Ecclesia docet.

374. Suam doctrinam ita confirmat: *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscat de*

doctrina, utrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar. Postea convertens orationem ad ipsos, dixit: Nonne Moyses dedit vobis legem; & nemo ex vobis facit legem? Quid me quæritis interficere. Perinde quasi diceret; cur mihi tenditis insidias, quasi falsò aliquid persuaserim in observatione legis, aut Sabbathi, cum sim Dominus ipse Sabbathi, & qui vos doceo veram ejus, totiusque legis observantiam. Adhæc, cum nemo vestrum legem custodiat, quo jure interficiendum putatis eum, quem dicitis tantum in observatione Sabbathi deficere à legis custodia, quod falsò objicitis mihi. O sæculi Magistratus cavete ne prætermisistis facinorosis, & amicis, referatis verbera ad innocentes, propter respectum alicujus odii, aut avaritiæ. Cavete, ne vobis dicatur in mortis articulo: *Nemo ex vobis facit legem;* cum sitis implacabiles carnifices, funditus evertentes omnem observantiam legis. Cæterum cum deberent suffundi suiipsum pudore intuiti benignitatem Servatoris, ferocius sævierunt illi, plusquàm impiè, ac barbarè dicentes ipsi: *Dæmonium habes.* Quando David expulit à Saule dæmonem, ridiculum esset illi objici, fuisse obsessum à dæmone. At quantò major amentia est dicere de nostro Davide, Dei que unigenito filio habere dæmonium, cum omnium dæmonum sit terror, & victor. Christus Dominus tanto opprobrio nihil commovetur: ut suavissimus medicus segerit cum amentibus infirmis: mansuetè prosequitur orationem: *Unum opus feci: & omnes miramini; propterea Moyses dedit vobis circumcisionem: non quia ex Moyse est, sed ex Patribus, & in Sabbatho circumciditis hominem.* Quod si in Sabbatho circumcidatis, ne Moysis solvatur lex, cur indignamini mihi, quia sanaveram in Sabbatho? Nervosissima sanè, & digna tam sublimi numine argumentatio.

Sed considerandum est, non solum Pharisæos persequutos fuisse Christum: sed indies quoque in eum invchi cum Hæreticis plures, qui Christianorum potius nomen, quàm pietatem obtinent, susque deque ferentes universa Dei præcepta, violatis jejuniis, exutà obedientiâ, puritate, mortificatione, justitiâ. O si delibarent hi de dulcedine spiritûs, de nectareis fructibus perfectionis, nihil sanè tam ex corde à semetipsis amoverent, ac vitia, vitæque lasciviam: mitius diligerent, quod jam tam gravatè sustinent, Sanctorum officium. Magni faciunt mundanos splendores, quia primâ facie rutilant. Cæterum non omne quod foris nitet, aurum est; ideoque Dominus ait: *Nolite secundum faciem judicare, sed*

sed justum judicium judicare. Ego novissimus sum virorum: at si vobis faciem meam manifestarem, ut Apostolis ostenderam in transfiguratione, non ita forsàn oneraretis me opprobriis. Sciant quòd veluti sub viliori panno possunt latere margaritæ, & adamantes; ita sub humilitate quæ apparet in hoc meo corpore, summa continetur Majestas, summæque Majestatis decor. Offendebantur Judæi humilitate Servatoris; nec pro Messia habere cupiebant, tam pauperem, quamvis floreret tot virtutibus, & miraculis. Sed nisi torpescerent suis culpis, & delictis, ex sacrâ Scripturâ clarissimè ediscere possent pauperiem Dei promissi quoad usum rei terrenæ: *Ecce Rex tuus venit tibi pauper:* Nisi spissimis cingerentur tenebris, agnoscerent quem tam protervè respuebant: At aspernati Scripturas, quærebant eum ad mortem. Quin recordarentur protectionis, quâ defendit altissimus justos, & rectos corde; quod si hos aliquando deprimi permittit ab hoste, simul eis addit etiam sustinendi animum, atque incredibilem in omni labore fortitudinem.

S E C U N D A P A R S.

376. Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de Doctrinâ. Hæc verba ingenti solatio fidelibus esse possunt: nam si vultis scire, cur sint tot Infideles, Ethnici, & Hæretici; sciatis Christi doctrinam à paucissimis percipi, quia à paucissimis divinæ voluntati obeditur. Si Ethnicus observaret naturalem legem, ad Dei notitiam duceretur; si Judæus piè perscrutaretur Scripturas, ex illis cognosceret Christum jam venisse; si hæreticus non discessisset à Dei præceptis, Christi que doctrinæ veritatem à veris Pastoribus quæreret; eam intelligeret, ejusque intellectus divino fulgore illuminaretur; si peccator non se tradidisset vitii, & peccatis, illicò cognosceret verum honorem non niti in ultione, & vindictis, sed in charitate erga proximum, dilectioneque hostium. Sed ad huc clariùs explicemus, cur sint tam pauci qui morem gerunt divinæ voluntati. Pauci sunt, qui calcatis terrenis ad cælestia aspirant. Mirum ergo non est, quòd sint tam pauci, qui in Dei dilectione generosè persistent: pauci sunt dominatores suæ libidinis, atque aded pauci sunt amatores virtutis. Multi sunt, qui nimis terrentur pœnitentiæ verberè, & ided tam multi, qui decurrunt dimissis habenis ad inferos.

377. At dices, sub Dæmonis etiam vexillis multos militare, & non sine labore. Id certissimum est, & aded vexari angustiis,

ut digni sint omni commiseratione. Cæterùm isti milites sunt veluti Sichimitæ, qui non se circumciderunt ob legis observantiam, sed ut obtinerent pulchritudinem Dinæ: quod si patiantur labores, eos ad voluptatem, non cælestium amore ferunt. Itaque non possunt vocari strenui milites, aut Dei promptissimi famuli. Aliud homines retardat à virtute, nempe quod nolint intelligere, quanti interfit divinis præceptis obsecundare: necessarium enim est, vel omittere lethalia scelera, vel æternum perire.

Quis non eligat potiùs servi mortem, 378. quàm filii? Quis unquam pro mancipii obitu atratâ veste se induit; & nitidâ, & eleganti ubi intereunt filii? Hoc autem stylo passim utitur peccator, qui lugubri pallio se vestit, mœrore ac tristitiis obrutus, deficiente occasione ad culpam; festosque dies agit, quando amittitur gratia. Dic, si Abrahamus maluisset filium Isaac occidere, quàm oblatum arietem; nonne omnium opinione crudelis videretur Pater? Quid ergo te immanius, qui tantam pulchritudinem repellis pro tam inani delicio.

T E R T I A P A R S.

Ut amœniùs, ac suaviori tractu possis 379. Christi vestigiis insistere, considera quot, quantosque labores pro te sustinuit hic sanctissimus Deus; quàm acerba fuit crux, in cujus brachiis se obtulit æterno Patri pro tuâ salute. Adhæc, discurre per omnes creaturas; & invenies illas suo modo beneplacito divino obsequi: cave, ne ipsis sis deterioris conditionis; cave, ne contra te insurgant in judicii tremendo die ad accusandam tuam malitiam, & negligentiam. Si scires, ementitam, & vitream esse aliquam gemmam, pro eâ forsàn expenderes omnes tuos thesauros? Quid aliud autem efficis, quando exuis sanctitatem ad induendam culpam? Ne ponas in Egypto; id est, in tua voluntate tuas opes, ac facultates; imò omnes ejus affectus frangendi sunt, ac summo, atque inseparabili amore diligendus Deus, ut exemplum dedit Apostolus, dicens: *Quis me separabit à charitate Christi?* Tanta erat firmitas amoris, tam arcta charitatis unio, quibus adhærebat amato.

Explica, amabo, in quâ regione vis vitam 380. transigere? In aere? frigore enecaberis, nec stabilitatem habebis. In ignis plaga? torquebunt te calores. Inter amœnitates hujus terrestris orbis, affluens bellissimis deliciis? nisi in Dei gratia vivas, occupabunt te angustia mortis. Nunquam nisi in Deo

tuo requiem invenies. Quamobrem vae illis, qui transferunt in affectum cordis.

381. Vis pretiosissimam timoris gemmam invenire? Meditatione descendas ad infernum; considera diligentius, quinam sunt, qui ibi discruciantur iis poenis; adverte nihil plurimis ipsorum defuisse ad voluptatem, dum vixerint in hac miserabili vita. Attamen flagrant eâ inextinguibili flammâ ob pauciores fortè culpas, quàm sunt tuæ. Quid ergo tam dissolutè rides, si terreris eo luctu?

QUARTA PARS.

382. At quod signum dabimus inventi jam thesauri? Vade, & vende universa quæ habes, & da pauperibus. Tunc veluti excitatus è somno intelliges amentiam esse ulciscendi legem, cordis duplicitatem esse malitiam, nihil vilius libidine, ac vanitate: Dicesque tecum ipso: *Scio, quod misit Deus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis.* O quàm deceptus vitam hætenus traducebam; nunc intelligo, quare ingressu Domino Ægyptum commota sunt simulacra à facie ejus.
383. Nunc venit in mentem illius, quod dixerat Propheta: *Domine, ut scuto bona voluntatis tue coronasti nos.* Benedicant te Angeli, æternumque te laudent Sancti, eò quòd dignatus sis respicere paupertatem hujus vilissimæ creaturæ. Quoniam quòd me correxerim, quòd poenitentiam egerim, debetur tuæ divinæ misericordiæ: futurumque spero, ut per eadem contexatur mea corona cum æternitate gloriæ. Amen.

CONCIO XXVII.

In Feriam sextam post Dominicam quartam.

Lacrymatus est JESVS. Joann. 11. 35.

384. **A** Mantis proprium est, idem sentire quod amatus, tum in adversis, tum in prosperis, & nullius alterius rei ductu, nisi amoris. Ergo lacrymante Christo, lacrymandum est verè amantibus. Cæterum ut durities nostra melius emolliatur, accedendum ad matrem misericordiæ pro subsidio. *Ave Maria.*

Lacrymatus est JESVS, &c.

385. Inter alias causas, cur defleverat Jeremias, fuit defectus lacrymarum in reliquis: Viæ Sion lugent, nimirum quia non deflent homines: jam Propheta sancte, satisfactum video tuis votis: nam lacrymatus est JESVS, qui valet pro omnibus:

lacrymatus est, & suis lacrymis ostendit mundo, quot suppetant rationes deplorandi. Inquiramus jam, cur lacrymatus sit JESVS: non solum deflet præsentia, sed etiam præterita, & futura. Deflet mundi lasciviam, mortalium duritiam, tam abominabiles culpas, tot descendere ad infernum, tam paucos appetere gloriam; tui, omniumque peccatorum ruinam, & damnationem deflet; quia ambulatis in tenebris, quin consideretis præcipitium, in quod ferri incipitis. Nescit stultus, quod ad victimam trahatur. Aliter res eveniret, si Dei legem servaretis. Attamen cum duodecim sint diei horæ, nemini desperandum de salute: incipiant adornare iter, quod ducit ad vitam, & videbunt, quàm suavis, & amabilis est misericordia Domini. Deflet Christus, quia non callent homines sensum illius idiomatis, quo loquitur ipsis; uti alicujus scientiæ, aut artis magistro dolor est incititia discipulorum. Etiam deflet, quia homines non ita se disponunt ad mortem, ut ad quandam placidissimam quietem, & somnum: vivunt in deliciis: unde fit, ut tam vehementer timeant transitum illius horæ. At cum justorum vita sit continuus labor, & vigiliæ, mortem vocant somnum, & suum solatium: *cum dederit dilectis suis somnum.*

*Dixit ergò Martha ad JESUM; Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Sed & nunc scio, quia quacumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus. Dixit illi JESVS: Resurget frater tuus. Dicit ei Martha; scio, quia resurget in resurrectione, in novissimo die. Dixit ei JESVS: Ego sum resurrectio & vita. Ubi cumque in Scriptura sacra invenitur dixisse Deum; Ego sum, magnum ibi latet mysterium. Instruxerat Christus Martham, ut fidei actus eliceret, qui mirè disponunt ad miracula, tum etiam eos, in quorum gratiam patrantur. Indè abiit Martha, & silenter vocavit sororem suam Mariam, quæ audiens de adventu Domini, cæteris omisissis, surgit citò, & venit ad eum. Signum magni in Deum amoris est cunctarum rerum renuntiatio: contemplerur paulisper Mariam, quam adèd dilexerat Dominus. Repetit idem quod Martha: *Domine, si fuisses hic, non fuisset mortuus frater meus.* JESVS ergò ut vidit eam, & Judæos, qui venerant cum illa plorantes, infremuit spiritu. O lacrymæ! quæ polletis vi, sed quàm parùm ab hominibus cognoscitur vestri valoris dignitas! O quoties ira summi Numinis ob vestram dulcedinem superfederat suppliciiis!*

Infremuit spiritu, & turbarit seipsum: quòd fremuerit, fortitudinis erat mysticæ 387.

&c

& fortissimæ divinitatis; quòd autem eodem fremitu turbatus fuerit, pertinebat ad hominem. Fremitus erat indignatio quædam adversus malitiam peccati: turbatio autem commiseratio erat miseræ hominum. Congruè ergò utrumque expressit Evangelista, ut ostenderet Christum odisse peccatum, significatum per fœtorem, tenebrasque mortis; sed tamen amare peccatores, significatos in resuscitando Lazaro. *Ubi posuistis eum?* Placuit Christo Domino pergere ad sepulchrum, ad hujus rei spectaculum invitat Christus, & non ad mundi vanitates, & insidias, quas tanti æstimat cæcitas hominum. *Et lacrymatus est.* JESVS. Mors peccatoris, effectus est peccati. *Mors intravit per peccatum.* Gravissimum imperium Christus erat exercitaturus erga Lazarum, vocans eum ad hanc vitam. Severiùs erat, quàm illud aliud, quo Apostolorum missionem fecerat: *Ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos.* Quoniam hoc ultimum præceptum impositum fuit, ut disponerentur ad hujus calamitosæ vitæ exitum: at Lazaro imponebatur, ut ad mundum rediret. Lacrymatus est JESVS: deslebat mortem peccatoris significatam morte Lazari: deslebat inertiam Judæorum, qui, quantumvis scatebant scelerum fœtore, & vermibus, quasi immobiles videbantur ad pœnitentiam.

388. *Tollite lapidem.* O quàm difficile est obstinationis lapidem removeri à peccatore. Adducantur ad confirmationem Moyse, & alii, quorum officium fuit procurare hanc emolire duritiam in Israël's populo. Dicas, velim, quanti steterit hoc opus Christo Domino, cujus humeris impositum lapideum onus nostrorum scelerum. *Posuerunt super me lapidem.* Quanti steterit ipsi à mortalium cordibus obstinationem avertere; & *auferam à vobis cor lapideum.* Permisit suo corpori aperiri latus Deus, ut pateret via ad vincendum tui cordis pervicaciam. Quare non hæc respicis peccator, inclinante tuam miseriam versus tantâ misericordiâ suavissimi Numinis? Nonne stultus esset infirmus, qui nollet salutem, eò quòd tantummodo ab ipso peteretur, ut de gravitate morbi merneret medicum: At tibi oblatâ æternâ salute, eâ solùm lege, ut aperias tua vulnera confessario, etiamnum renuis, & obfistis. O maximam stultitiam! ô execrabilem amentiam.

389. Tulerunt ergò lapidem. JESVS autem elevatis sursum oculis, dixit: *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me.* Id fecerat, ut tam aperto miraculo ostenderet se esse Filium Dei; clariusque pateret orbi efficacia ejus

orationis. *Lazare veni foras.* Ipse dixit, & factum est. Quid, quando dicat: *Surgite mortui. Multi crediderunt,* & propterea quoque dixit: *gratias ago tibi.* Alii autem abierunt, ut significarent Phariseis tam stupendum miraculum: hinc sumpta occasio congregandi adversus eum concilii; & pro his infremuit, & lacrymatus est.

SECUNDA PARS.

Evangelica lectio longa est. Strictim attingam aliqua, præcipue solatium, quo Martha, & Magdalena fuerunt affectæ ob resuscitatum fratrem; fidei augmentum, cujus beneficio roborata Magdalena; tam constanter præfuit morti, ac passioni Dominicæ, visitavitque sepulchrum. Vides hæc Christiane, & nondum debitas gratias exhibes Altissimo Deo ob tot beneficia, quot indies ab eo recipis, tuorum toties depulsâ delictorum morte, gratiæque restitutâ vitâ.

Lectio hujus Evangelii facit ad lacrymarum æstimationem; quamvis non effundendæ sint ob res admodum abjectas, & viles, ut sunt momentaneæ, ac temporales: sed pro offensis admittis contra Deum: ducenda nostra suspiria pro consequendo Dei amore, ad obtinendam gloriam. Stultus esset, qui adornatâ navigatione in patriam; eò secum vellet transportare res, quæ ibi nullius essent ponderis, aut momenti, aliis omissis summæ æstimationis. Quid autem efficiunt mundani? Corrogant divitias, tandem relinquendas summo cum dolore in hora mortis, & omittunt virtutes, quæ sunt regii nummi, quibus comparatur æternitas. Quæ amentia, quæ barbaries?

At quomodo se gerunt justii, suas naves onerant doloribus, & ærumnis patienter toleratis pro Christo; illisque ditissimi mercibus ad lucis portum lætabundi appellent, ubi absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, utpotè qui ex initis præliis cum dæmonio, mundo, & carne, triumphatores ascendent ad recipiendam coronam, quæ nemini adulto, usumque rationis nacto, exhibebitur, nisi qui legitimè certaverit.

Cæterum consideranda modò differentia, quæ intercedit inter Lazarum mortuum secundum vitam temporalem, & Lazarum ut typum peccatoris extincti secundum spiritualem vitam. Lazarus Mariæ frater primo modo defunctus, ubi ei dictum fuerat à Christo Domino, ut veniret foras, statim obedivit; sed lethaliter vulnerati, ac mortui peccatores, sepulti que in suis vitiis, quantumvis

elevet suam vocem Christus, non obediunt. Quid lacrymosius, quam eos videre promptissimos ad obsequendum vocitanti dæmoni: venite foras ad culpas, venite ad occasiones, currite ad avaritiam, sequantur libidinem, adhæreant vitiis, cum tamen tardissimi sint, immò quasi plenis sensibus sopiti ad aspirationes divinas ob peccandi consuetudinem?

394. *Lazare veni foras*: & tu, ô miserrime peccator, veni foras è tuis vitiis, & culpis; veni foras ab occasione & periculo; exi foras ex negligentia & pigritia; funditus ovelle horum omnium radices, voluptates, & blanditias, ne postea clavis tibi foribus ad gloriam, rejiciaris in ignem æternum, à quo nos defendat Deus, ejusque sanctissima Mater. Amen.

CONCIO XXVIII.

In Feriam tertiam post Dominicam
Passionis.

Ambulabat Jesus. Joann. 7. cap.

395. **Q**ui sumus homines, timeamus necesse est, discernentes, quæ machinati sunt homines in suum conditorem, & Deum. Herodes ad mortem eum, dum adhuc infantulus esset, tyrannicè quærebat: apud hodiernum Evangelium idem ipsi exitium desiderabant Judæi; atque adeò nolebat permanere in Judæa, ne suâ luce, ac sanctissimâ vitâ occasionem præberet tam obstinatis peccatoribus majoris odii, aut furoris. Nihil enim tam gravatè ferunt superbi, quam aliorum laudes, & encomia. Quare non desistit redire in Judæam alicujus rei timore; quoniam omnia dedit in ejus manus Pater; sed ut Pharisæorum bilem, ac noxiam voluntatem, & affectum posset mitigare. Degit vitam instar exulis, ut ab æterno exilio liberareris tu, Christiane, à terrenisque cupiditatibus jam tandem eripereris! Sed proh dolor! tam terrenus es, mundi que illecebris tam irretitus, ut nihil cogites minus, quam obedire ipsi in via salutis. Formam servi accipiens solvit pro hominibus gravissimas pœnas; at pro tam egregio beneficio, quærebant eum interficere: quæ immanitas! Quod si hæc deploranda sint; at non angustiorem lacrymarum rivulis deslenda, quæ obveniunt in nostro sæculo. Christi enim fides relegatur ab Anglia, & à plurimis Gallis & Germanis, & quamvis floridiùs vigeat in his nostris Regionibus; attamen tam horrenda sunt aliis in rebus nostra scelera, ut

procul habeamus à nostris domiciliis dulcissimum JESUM. Tot hic injuriæ, tam petulans lascivia; ubique palam grassatur vitium per nostras urbes, ac populos, ut compellat recessus, & angulos habitari à Christo Domino.

Tempus meum nondum advenit: Nam an- 396.
tequam gloriam resurrectionis obtineam, Crucis ignominiam subiturus sum; ut nemo sibi persuadeat patere aditum ad felicitatem gloriæ, nisi per crucis labores. Hinc inferendum, quam desipiant mortales, qui cum vitiis, & voluptate, (quin succedat pœnitentia) conjungere velint splendores æternitatis. Suum tempus vocat, tempus patiendi, & laborandi; tanto enim amore nos prosequutus fuit hic animarum bellissimus sponsus, ut sua vocaret, quæ præcipuè ad nostram salutem conducebant, licet sibi videret inde provenire intensissimos dolores, & tristitias. Non ascendit manifestè Hierosolymam, sed occultè; nec primo die, sed mediante festo. Sic olim Deus dixit Moyse: vade, duc populum tuum, ego non pergam vobiscum. Postea verò rogatus à Moyse, & hoc, (inquit,) verbum quod loquutus sum, faciam. Judæi quærebant eum in die festo, & dicebant: ubi est ille. Noluerunt eum nominare, videntur cavisse sibi dæmones à pronuntiatione illius sanctissimi nominis, quod oblectat sanctos, & terret infernum. *Et murmur multum erat in turba de eo.* Angeli, (Advertite ad illorum verba) Christi bonitatem, ac virtutem in dubium vertunt. Quid mirum jam, Adami filii, quod tibi tui adversarii detrahant, cum invehantur maledici, ac ferocientes nebulones in ipsum Deum. Quare adimpletum est, quod alibi dictum fuit: *Ego redemi: ipsi autem de me falsa loquuti sunt.* Nemo palam tamen loquebatur de illo propter metum Judæorum: O respectus humani, atque attentiones ad temporalia, quot damna intulistis vestris Alumnis! Quot indies turmatim, plenisque viis deducitis ad abyssum.

SECUNDA PARS.

Ambulabat Jesus, in Galilea; non volebat 397.
enim in Judæam ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere. O filii hominum usquequò gravi corde. O Israëlità usquequò duræ cervicis eritis? Quare vultis eum interficere? Ideone quia vestros patres eduxit è servitute Ægypti? Ideone quia hostium vestrorum primogenitos interfecerat, desideratis eum perimere? An quia aperuit mare rubrum, ut transmittere possent vestri majores ad tutiores ripas; ma-

manus injicere vultis in celsissimum Deum. In quare vos offenderat? An quia saluti restituit vestros infirmos? An quia resuscitavit vestros mortuos? An quia invitat vos, ne pereatis sempiterno interitu? Hæc maxima beneficia sunt, non damna, quæ mereantur supplicia.

398. O Christiane, ô peccator; Dic, obsecro, quare contendis tuis peccatis offendere creatorem? Nonne mirabile quid esset, si in benignissimum herum conspiraret famulus, plurimis, atque amplissimis ab eo cumulatus beneficiis? Quid autem aliud molitur peccator in suum conditorem, & vindicem?

399. Mirabantur antiqui Romani, quod aliquis auderet conspirare in Rempublicam, aut ejus Principes. Et tu ingrâte arripis arma contra cælum tuam patriam, & ejus altissimum Imperatorem, Principem Principum, & dominatorem universi. A tuo clementissimo Rege deficiis tuâ malitiâ: nam tuus est. *Ecce Rex tuus venit tibi*: Et miserors venit, quia ad te redimendum suo pretiosissimo sanguine venit. Dices differri à te pœnitentiam causâ honoris, aut æstimationis. Explica planè temetipsum, quem honorem aucupari desideras? An plurimi fieri à magnis Principibus? Quis major Principe gloriæ? An nomen obtinere apud vulgus? obediâs Deo; & tua fama dilaudabitur inter Angelos. Optas forsân videri sapiens, sequendo mundum, & ejus assecras? Nihil stultius, quàm amittere æterna, pro momentaneo: Nihil vilis quàm convertere contra benignissimum servatorem ea ipsa arma, quæ acceperas ab illo, intellectum, divitias, honores, & salutem.

400. De qua re doles miselle. An quia Dominus aliquando subtrahit tibi sua beneficia? quod si ipsius sint, nonne jure suo potest disponere de illis? An quia in creaturarum usu prohibuit tibi solitam dulcedinem? Sed quis dudum iis talem saporem indidit? Nonne Dominus? Ne excites ergo tam intempestivas querelas, quia Dominus tuæ potius salutis prospicit, ne cum castanea cupulam manduces. Creaturæ enim non defæcatæ, quales sunt, quas voluptuose devoras, enecant potius, quàm profunt. Quod si eis frui velis: juxta divinam voluntatem, & cum gratiarum actione, salutem continebunt. Oppones: quid de me oppresso laboribus vult Deus? peramicè rogo; nonne toto pectore optas, & desideras ad cælum pervenire? Scias autem eò loci conscendi per occurrentium laborum tribulos, & spinas: non enim coronabitur, nisi qui legitimè certaverit. Dic obsecro, perditæ, an quia Christus te à noxiis, oble-

ctamentis removet, vis in tua anima eum extinguere? Ecce quando Deus posuit Adamum in paradiso, solum ei vetuit unam tantummodò arborem, traditis tot suavissimis fructibus ipsi ad delicias; nonne hæc fuit maxima liberalitas? Cur ergo non veneraris tantam liberalitatem? Ratio sine dubio est, quia tam barbarè gaudes delitescere in Ægypto, in tuis vitiis, & sceleribus. Cæterum advertere deberes nihil amentius, quàm offendere Deum; quàm nihili facere eum, qui tot pœnas, & labores soluit pro te in durissima cruce; quàm ejicere foras ab hospitio tuæ animæ, qui te liberalissimè invitat ad æternitatis convivium.

401. Quid respondebis ipsi, si fortè sic interrogaverit; *cur me cadis*? Cur me voluisti interficere? quid feci tibi? En ego ejus nomine idem à te rogo; Cur despicias Deum? Utinam intelligeres, quàm miser sis futurus sine illo, quot tormentis addicendus amisso creatore: sed nihilominus eum despicias, quia renuis ipsi exhibere obsequia digna Deo. Sed ni resipiscas persolves meritas pœnas cum Juda, maloque latrone, quorum primus, si eum vendiderit, & secundus habuerit eum opprobriis; tu tuis peccatis, quasi cruci eum iterum affigis, dilacerasque spinis, ac vulneribus; quippè committis causam de se aptam, ut subiret iterum tantum supplicium, nisi antea solutum esset. Ad hæc minori pretio à te rejicis dominum, quàm eum vendiderat Judas. Ille enim triginta argenteos receperat: tu autem sæpissimè nihil amplius, quàm breviusculam libidinem, aut voluptatem. Ut autem meliùs cognoscas tuam vilitatem; scias, cum perditæ te deorsum agis per præcipitium culpæ, de nulla alia re æquè te gaudere, ac de gladio, quo ferrare contendis Salvatorem. Quid autem diceres de sponsa, quæ tam ingrâte afficeretur erga amabilissimum sponsum, ut unicè diligeret arma, & injurias contra ipsum. Ultrò à te abjecisti Christum; mirum est: sed adhuc mirabilius est, quod diu vivere sine ipsius divina gratia, & amicitia possis. Quid mirabilius, quàm quòd uno & altero mense, uno, & altero anno, velis inimicitias gerere cum Deo, ac persistere in tam aperto periculo tuæ æternæ damnationis? In procinctu stant carnifices dæmones præstolantes eam ultimam tuæ vitæ horam; quæ tantummodo ex Dei nutu pendet; & vis nihilominus movere iram huic potentissimo Domino, qui dimittere te potest jam jam in tam horrendas misérias? Quid hic ad stuporem deest? O si videres animæ tuæ desolationem! O si intelligeres, quos

in-

induisti squalores, & quibus te disponis flammis; aliò haud dubiè flecteres vitæ tuæ habenas; prudentiùs viveres; & non tam cæcè rueres ad mortem. Non esses, ut Israëliticus populus eligens potius Barrabam, quàm Christum. Sed potius statureres non recedere à Deo, nec deficere à gloria nostri populi: sed imitandum convenienti modo putares, quod ipse quondam dixerat de rebelle Ephraim; *quomodo dabo te Ephraim, quomodo dabo te? Conversum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea: non faciam furorem ira mea, non convertar, ut disperdam Ephraim, Deus ego, & non homo*: Ita oblatâ occasione pro dendi Christum Dominum, in ejuſque locum sufficiendi peccati Barrabam, potes dicere: Quomodo dabo te, aut pro qua re te dabo, mi gloriosissime Deus? Nam si fortitudinem quæram; de tua admirantur Angeli; si divitias, tui sunt cæli, atque æternitatis gazæ; si dignitates, & honores; Principibus gloriæ, nempe Choris, & Dominationibus constituis munera. Si gratiam, si vitæ sanctitatem, sine te nihil valemus facere: quomodo ergo, aut quo pretio te dare possum? Nunquam te amitam, meum gaudium; non inferam animæ meæ tantum detrimentum; sed ita tibi serviam in hac vita, ut merear te videre in tua gloria. Amen.

CONCIO XXIX.

In Feriam quartam post Dominicam Passionis.

Facta sunt encania in Hierosolymis. Joann. 10.

402. **H**odiernum Evangelium agit de festo dedicationis templi, quod renovatum fuit, postquam illud destruxerat Antiochus Rex. Nam licet magnificum, & amplissimum fuerit; attamen ejus destructionem promeruerunt ejus sacerdotum vitia, ac delicta. Acturi jam de hoc festo, accedamus pro gratiâ ad sanctissimum, innocentissimumque sacerdotem Christum; petamusque ut apud ipsum pro nobis intercedat ejus gloriosissima mater, illud ejus templum tam magnificum, tam immaculatum, tam purum, ut nihil ejus unquam fuerit peccati tyrannide perditum, aut destructum: sed semper opulentissimum, semper venustissimum cælesti gratiâ, ac pulchritudine. *Ave Maria.*

Facta sunt encania, &c.

403. Dum adesset Dominus festivitati renovationis templi, cingunt eum Judæi, & interrogant: *Quousque animam nostram tollis?*

Si tu es Christus, dic nobis palàm. Antequam discurramus de responsione, quam intulerat Christus; videamus, quid comprehendit interrogatio. Quid rogas Judæe? Scire desideras, quisnam est Christus? Interroga Angelos, qui descenderunt ad celebranda ejus natalitiâ, & suâ melodiâ ostendent esse Altissimum Deum. Interroga Reges Magos, & respondebunt se obtulisse ei munera, ut cæli, terræque Principi. Consule Prophetam Isaiam, ediscesque ex ipso, esse verum Messiam promissum in lege, & per Prophetas. Adito Baptistam, & manifestè declarabit, quisnam est; *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Cæterum, quia fraude, ac malitiâ laborabat interrogatio, ita respondit Dominus: *Loquor vobis, & non creditis: opera, qua ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* Si à me peteretis puro, humilique corde, ut explicarem vobis mea mysteria, audiretis me, & simul perciperetis ea, muniti meis præfidiis, ac muneribus. Etenim *Oves mea vocem meam audiunt; & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum.* O quàm mirabilis est Deus, & quàm mirabilia ejus opera! nam quamvis intimè penetraret eorum malitiam; Nihilominus tamen se ipsum manifestavit illis: *Ego, & Pater unum sumus.* Quid clarius, aut dulcius dici potuit? Quòd Josephus se manifestaverit fratribus, clementiæ fuit; sed quòd Deus tam suaviter se declaraverit suis hostibus eos salvandi animo, summæ misericordiæ fuit, divinæque virtutis.

At nobis, non solum defendæ alienæ 404. miseræ, Judaicæque malitia; defectus quoque nostros, & nostram pervicaciam, ac duritiam plangamus necesse est; quia timeo, ne nostrâ etiam hac ætate, ac tempore possit nobis dicere Christus: loquor vobis, & non creditis. Loquor, per Prælatos, Leges, & Concionatores, & non creditis mihi. Revocate in memoriam, quot, & quàm salutaria monita ab initio Quadragesimæ audivistis, & quàm parùm obediens fuistis ipsis. Loquor vobis, per interiores voces, & inspirationes, & obsurdescitis utrâque aure: non potestis negare conscientiæ morsus, ac stimulos, qui sufficientissimè ostendunt turpitudinem vitii, virtutisque claritatem, ac nitorem. Cavete, fratres, ne hæc vestra incuria indicet, vos non esse ex ovibus Jesu Christi: ac futurum proinde, ut non obtineatis vitam æternam; quo malo nihil tristius, nihil terribilius. Sed quodnam invenimus signum, utrum simus ex ovibus Christi, an non? Id dilucidè cognosces ex modo agendi

agendi cum Deo, cum hominibus, & tecum ipso. Si cum Deo te castigat, dicis: In manus tuas Domine, commendo spiritum meum; fiat voluntas tua sicut in caelo, & in terra: Si affectus injuriis petas ab aeterno Patre, ut ignoscat hostibus, si in omnibus ita temetipsum submittis, ut accuratè serves divinam legem; proculdubio eris ex ovibus Christi, quibus promissum est, per infalibilem veritatem; ego vitam aeternam do eis, & non peribunt in aeternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Te imponet ut sanctissimus Pastor suis humeris, si fortè defatigeris ab itinere, te dolentem curabit, aberrantem reducet, cadentem eriget, deficientem confirmabit suis donis, ac praesidiis; donec transactis hujus vitae tempestate, ac turbinibus, te collocet in praediis aeternis, ubi nullius jacturae timor, aut periculum: sed videamus modò, quam gratitudinis significationem edidère Judæi hoc eventu. Sustulerunt lapides, ut eum obruerent illis. O faxit Deus, vindicemur à passionum impetu, ac ruinâ, quam secum trahit feralis culpa! Ex tyrannide enim vel unius delicti haud impotentius sternitur via ad horribiliora praecipitia. Cæterum benignissimus Jesus ne propterea quidem se continuit à beneficiis. Nam cum jam parati essent ad conjiciendos lapides, verborum efficaciam, ac dulcedine placare eorum amentiam, contenderat, dicens: *Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo; propter quod eorum opus me lapidatis?* Lapidatis me forsân quia cæcis lumen vestris largior; quia vestros leproso sano; quia revoco ad vitam vestros mortuos: *Popule meus quid feci tibi, aut in quo contristavi te?* Tibi etiam, ô miserrime peccator, ferè idem potest dici à Deo; ego creavi te; toties dissimulavi injurias; constitui vigilem, qui te custodiret; conservavi tuam vitam; quæ causa tantæ ingratitude? Amice, cur me offendis? Cur te perdis? Verùm Judæi pro beneficiis rependunt maleficia, pro mansuetudine furias, pro dulcedine blasphemias. *De bono opere, (inquiunt,) non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum.* Pessimè operati sunt; sed haud meliorem exhibuerunt sceleris sui causam, & rationem; ut aliquando evenit in Sacramentali confessione peccatoribus, qui post offensam, ejus obtundunt excusationem, omittuntque specificationem culpæ.

SECUNDA PARS.

405. Duo hominum genera quærunct Christum Dominum, quidam, ut eum appre-

hendant, ut Judæi; vel ut eum occidant, ut Herodes: alii, ut adorent eum tanquam viri fideles, & Christiani. Prætermisiss primis, à quibus maximè cavendum, agemus de secundis licèt diverso modo. Multi Christiani, quamvis aliundè ob suam imperfectionem elati, ac superbi, quærunct Christum, ut eum venerentur, & adorent: sed oblatâ vanitatis, aut alicujus falsi honoris occasione, non dubitant offendere, suisque offensis perdere eum ipsum Dominum, quem consequi proposuerunt. Ita avaris accidit, dum audiunt de tremendo Dei judicio: *Sitivi, & non dedisti mihi bibere, &c.* excitantur ad quærendum Jesum: sed ubi obvius fit pauperculus, laborans fame, ac nuditate, aded dolent de minuendo marsupio, ut claudant sua viscera invitanti misericordiae.

Non tantum divagatur inter seculares 406. viros hoc vitium inconstantiae in susceptis bonis propositis, sed pervadit etiam, quamvis in rebus levioribus, Religiosos coetus, ac coenobia. Proponit regularis perfectionem, silentium, observantiam regulæ ad imitationem sui Domini, ac Magistri, qui obediens factus fuit pro nobis usque ad mortem, immò mortem crucis. Sed pellectus, nescio quâ aurâ alicujus leviculæ tentationis, omittit optatam mortificationem, ejusque præmium, ac meritum. Videmus dissolutiores Catholicos majori hebdomadâ lacrymis, & confessione delere suas culpas, firmissimo ad speciem sumpto animo nunquam redeundi ad præterita delicta; & nihilominus vix delibant de hilaritate Paschatis, quando jam expugnantur alicujus libidinis insidiis, & oblectatione.

Superbe, vis scire, cur te deserat Christi- 407. stus? quia non tibi temperas à luxu, & ambitione per strictiores habenas. O si paulò attentius videres, quàm arctè, densatisque agminibus te cingunt tui hostes, abstineres proculdubio à tam nociva elatione, à tanta crudelitate in innocentes, egenosque, à scandalis tam publicis, & tam apertis. Te deserit Christus, ignave, ac delitiose; quia tu deseris ipsum tam laxatâ conscientiam per vitiorum lethiferas blanditias. Tibi excidit è manibus Christus, ô miserabilis avare; quia manus tam tenebrosæ non recipiunt tam supernam lucem: neque tu retinebis Christum, qui semper moliris ultiones, ac vindictas, juxta illud; *Cum extenderitis manus vestras, non exaudiam, quia manus plena sunt sanguine.*

Quales igitur debent esse manus, quæ 408. aptæ sunt ad retinendum Jesum? ad alia debent esse clausæ, & ad alia apertæ. Exem-

plum declarabit sententiam. Sacratæ litteræ monent avarum, ut pauperibus aperiat manus: *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem*: uti & sponsam, ut eas claudat apprehenso Domino; *tenui eum, nec dimittam*; sint liberales, ac proxi in virtutem opus est, & quàm parcissimi in mundanis deliciis, qui maximo amore velint tenere, diligere, amplecti, & comitari JESVM.

E X H O R T A T I O.

409. Summa fanè dementia foret, terere tempus, nobis concessum ad nectendam æternitatis coronam, in puerilibus tricis, ac næniis. Stultius autem consumitur à peccatoribus, quibus non tantum elabitur sine fructu, verum etiam cum tam gravi damno, ac detrimento. O stultitiam ultra omnem dementiam! ô dementissimam stultitiam! quàm satiùs foret brevi sustinere cum paupere Lazaro, & gaudere in æternum; quàm induere fucos divitis, & torqueri perpetuis flammis? Qui aded stolidè perdunt Christum, quamvis sint ditissimi, in vita speciosi, facundi intellectu, & indole, & filiis, & amicis felicissimi; attamen in hora mortis, quæ citissimè adventat, ea omnia amittent summa cum tristitia, qui in eis nunc collocant veluti ultimum finem: *Dormierunt somnum suum viri divitiarum, & nihil invenerunt in manibus suis*. Magni interest ducem habere Christum in mortis conspectu: Quoniam si dæmon vobis objiciat vestros defectus, & culpas; celfo eritis animo muniti laboribus Christi: si difficultatem consequendi gloriam; respondebitis, nihil esse difficile Deo, qui verè poenitentibus nunquam denegat præsidium suæ gratiæ: si cæli tramitem angustissimum esse, inferetis nullo ambitionis, alteriusve criminis pravo affectu vos oneratos per eum inaccessisse: si pauciores esse electos, & plurimos condemnatos; dicetis vos reductos esse à Christo meritis suæ sanctissimæ Passionis ad eos pauciores.

410. Quare nî velitis inermes fieri sine Christo in hora mortis, induite jam Christi gratiam, & arma in discursu vitæ: Attendite, quid dixerat Deo Patriarcha Jacob! *Non dimittam te, donec benedixeris mihi*: nunquam te derelinquemus Domine, nunquam deficiemus à tuis mandatis, & præceptis: te enim amisso, perderemus nostram benedictionem, privaremur nostro lumine, abiret nobis nostra intelligentia, viscerumque nostrorum gaudium, atque animæ gloria, quæ æternum donemur per tuam misericordiam. Amen.

C O N C I O X X X.

In Feriam sextam ante Ramos Palmarum.

Collegerunt Pontifices, & Pharisei concilium adversus JESUM. Joann. II.

Cœtibus, & Conciliis mirum est quàm ^{411.} subveniatur Republicæ: At ex hoc Pharisæico, mirum est, quanta promanaverit injustitia, ut metuamus nobismetipsis perspectâ fragilitate hominum, ut admiremur de patientia Christi, doleamusque de ejus sanctissima morte, ac passione, quam jam jam instare videmus. Pro cælesti favore adæmus matrem misericordiæ, ut suâ intercessione impetret nobis plenissimam gratiam, atque affectus maximi momenti, ac ponderis. *Ave Maria.*

Collegerunt Pontifices, &c.

412. Maxima fuit eorum dementia, qui turrim Babel erigere contenderunt. Frustra laborarent, qui vellent Soli, & Lunæ imperare, ne his creaturis inferioribus opem ferrent suo decore, & influentiis. At quid hæc habent cum eo, quod hodie moliuntur hi ferissimi Judæi, qui concilium inierunt contra Christum: contendunt suæ dementiæ turrem erigere, rejiciendo Messiam. Obstare vellent, ne suis influentiis, & miraculis mundum præservaret à morte author ipsius vitæ.

413. *Quid facimus, (inquiunt Pontifices,) quia hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum; & venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem.* Hæccine causa occidendi Christum Dominum, quia vitæ restituit mortuos, sanat infirmos, ab inferorum faucibus liberat peccatores, operatur mirabilia? Si hanc sufficientem judicatis causam mortis; quam judicabitis vitæ, ac libertatis? Unde tanta perversio vestri judicii? Quia timemus, ne veniant Romani, & tollant à nobis nostrum regnum. O scèdissimam avaritiam! O diabolicam cæcitatem! potiùs dicendum foret obediemus Deo, poenitentiam agemus de nostris culpis, demitemus superbiam, ne obruamur ab externo hoste. Nullâ enim tutiori viâ defenditur Respublica, quàm impetratâ à Deo protectione, & tutelâ. Quòd si tanti faciatis signa, ac prodigia, quæ ediderat Moyfes animo educendi suos ex Ægypto, cur obsistitis iis, quæ perficit JESVS, ut evehat suos ad æternam gloriam? Quid velit hoc; si dimittimus eum? Si justus est, si sanctus est, si Dei filius est; quare non dimittetur, & cum laude, & decore

decore ꝑ Venient Romani. Venient, & adorabunt ipsum, si eos suâ efficaci gratiâ moveat, & invitet. Venient, & repellentur, si vim moliantur contra Deum. O infelicissimi mortalium, quid agitis ꝑ Festinatis inducere vestro concilio eandem ipsam destructionem, quam avertere desideratis. Sic enim alloquutus est Dominus vestram civitatem obortis lacrymis, & miserante corde: *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui, & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt. Et non relinquent in te lapidem super lapidem, eò quòd non cognoveris tempus visitationis tuæ.* Quid agitis ꝑ Persequimini Deum, uti Rex Saul Davidem: perficitis in Messiam, quod in Josephum ejus fratres; aut protervus Absalon contra suum Patrem. Ruinam desideratis justitiæ, destructionem innocentiam, exitium sanctitatis. Unus autem ex ipsis Caiphaz nomine, cum esset Pontifex illius anni, dixit eis: *vos nescitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit nobis, ut unus moriatur homo pro populo.* Quid profuit Caiphaz prophetaisse, cum scateret vitii, & sceleribus ꝑ Hinc eliciendum, nihil prodesse injustis dignitatem, aut malevolis officium; quin imo ea cedere ipsis in calamitosius supplicium. *In hoc ipso excitavi te, ut ostenderem in te fortitudinem meam.* Venustat Deus officium, sed juxta gravitatem culpæ punientur mali ministri. Visis, & consideratis actis hujus concilii, fursum sublevemus oculos. O cælestis Pater, ô Dei filii, ô sanctissime Spiritus! ô Altissima personarum trinitas, & divinitatis unitas, ecce quid hodie fit in terris! Haud inscius sum æterne Pater, olim à te dictum; *Descendam, & videbo.* Si aliquando descendendum esset ad videndum, quid gereretur ab hominibus; jam se offert occasio, cum ausit surgere ingratitude hominum contra sanctitatem tui unigeniti filii, splendorem tuæ gloriæ, & imaginem tuæ substantiæ, qui cum tam sublimis esset Deus, se fecit hominem, natum ex virgine ad salutem etiam suorum hostium, si vellent eam recipere. O clementissime JESU! accinge te, Abel sancte, ad mortem. Jam enim Cain præparat instrumentum, quo te interficiat propter invidiam. Isaac benedicte, sterne humeros ad ferendum lignum ad locum sacrificii. Noster fortissime David, sume tuorum vulnerum lapides, ut tollas de medio superbum Goliath, nempe Luciferum. Propheta Jona maeste animis: etenim jam immanis hujus concilii cetus os suum aperit, ut te devoret. Sanctissime Moyses, disponaris necesse est, ad extendenda brachia, ut tuus devincat populus, dum ele-

veris in cruce. Ea strenuissime Sampson: nullâ enim interjectâ morâ adorientur te Philisthæi, tuaque sponsa Synagoga tuis te prodet adversariis. Jam tempus est, mi Deus, dicendi cum Propheta Jeremia: *Inventa est conjuratio in filiis Juda: Et filii collegerunt ligna, & Patres accenderunt ignem.* Jam hi Pontifices suæ invidiæ accenderunt flammam; & eorum subditi te portare cogitant ad supplicium. O Spiritus sancte æqualis Patri, & filio in majestate, & potentia, quid facis? Tuæ bonitatis partes sunt, domare tantam immanitatem: tu, cum infinita sis bonitas, corrige horrendam hanc malitiam, & obstinationem, quam maximè abhorres; emenda hoc concilium sine consilio, hos Pontifices sine conscientia, hos Principes sine lege, sine luce doctores, sine urbanitate viri. O Dei clarissima mater, quid facis? Quod si visceribus tuæ misericordiæ significaveris filio in nuptiis Cana defecisse vinum; jam accelerat hora, quâ convertet nostræ frigiditatis aquam in suæ charitatis dulcissimum vinum; nunc pro summo gaudio, quo afficiebaris, quando eum edidisti in lucem ex tuis visceribus purissimis, ô sanctissima virgo, inundaberis lacrymarum tristissimo rore, videns crudelitatem, ac tyrannidem horum dementium Sacerdotum. Quod si interiorit Heli, cum audivisset de captivitate Arcæ; mœstissimum tibi, haud dubiè nuntium erit devenisse in potestatem Pharisæorum tuum bellissimum filium, atque Arcam thesaurorum Dei. Si dulcissima fundebas suspiria, dum eum cerneres in præsepio tam pauperem, & humilem inter animalia bruta; quo doloris gladio transfigeris ad pedem crucis intuita ejus passionem; conficieris quidem mœrore, & angustis, quòd suspendatur è durissimo ligno inter duos latrones. Si dicebat David occiso Absalone; quis dabit mihi, ut ego moriar pro te, fili mi Absalon; quo, quantoque sensu doloris deplorabis tu virorum formosissimum, tuum suavissimum Deum? O Angeli Paradisi quid expectatis? Jam accelerat tempus, quo impetum facturi sunt hostes in vestrum Imperatorem, ac Ducem; ne ipsum deseratis in tam cruentis angustis. Dormiente Jacob volitabatis per scalam: jam citò requiem habebit defunctum cadaver vestri cælestis Jacob sub marmore frigidi sepulchri; custodite summâ veneratione illud, dum iterum resurgat ad triumphos immortales, & æternitatis vitam. O Israëlitate popule, quid facis? Ille te ex Ægypto eduxit; & tu vis eum mundo expellere? Ille suavissimo te pavit Mannâ, & tu ei præparas felle, &

aceto conditum potum? O miseri, quid facitis? Sanguis ejus veniet super vos: ira in vobis deserviet divina, o inferorum dæmones, quid inducitis hos cæcos ad tam calamitosam tragædiam? Quoniam hic Deus, qui ducetur ad mortem, aperiet cælos, exulesque peccatores restituet vitæ. Sed pergamus in texto. Ab illo ergo die cogitaverunt, ut interficerent eum. Quales remanserant ab illo die? Fædi, abominabiles, Dei hostes, & homicidæ. O quam horrendam speciem induunt peccatores delibatâ culpâ? O si viderent suam miseriam, & ruinam! Abominabiles fiunt, iræ filii, tartarei captivi accendendi perpetuis flammis, ni dolere velint de delicto. Notandum est, quod evenit arci, aut præsidio redacto in potestatem hostium; quàm miserè tractantur devicti milites, à quibus prius defendebatur. Tua antea Regina voluntas cum suis ministris potentiis per Dei gratiam firmata, ac munita, te defendebat bonis suis operibus, & victoriis ab impressione dæmonum; sed expugnata per culpam, è Regina fit turpissima serva; è victrici, cingendâque æternæ felicitatis corollis, fit rea mortis, perennisque damnationis; pro conscientiae tranquillitate, & pace accipit turbidissimas omnium passionum furias; pro venustate gratiæ tenebras, & foetores culpæ.

S E C V N D A P A R S.

414. Quâ poenâ judicatis dignum hoc concilium Pontificum, & Phariseorum, fideles auditores? Nemo non affirmabit, gravissimam deberi poenam, gravissimo delicto. O peccator cum gravissimum sit tuum delictum, quare non metuis gravissimam poenam? Cum reum te constituas læsæ infinitæ Majestatis, cur non times supplicium æternæ damnationis? Tu, qui moliris insidias, & exitium tuo proximo, cum


proinde etiam offendatur erga Deum charitas; quare non contremiscis animâ, & corpore, siquidem tormenta, quibus castigatur ejusmodi peccatum apud inferos, sint sulphureæ flammæ; rodens vermis, sed nunquam moriturus; aspectus, & societas dæmonum, qui nunquam abstant suis furiis; incendia, quæ penetrant quidquid est in homine, sed quamvis semper torqueant, nunquam consumunt; perpetuum exilium è patria, æternæ maledictiones, & opprobria, indeficientes tenebræ, foetores, & miseriæ. Jesum condemnarunt Judæi, timentes, ne amitterent suum Regnum: sed id maximè ipsis accidit: funditus enim eversa, ac deleta fuit clarissima illa Hierosolimorum civitas, obnubilatâ omni ejus venustate, ac pulchritudine. Quod planè exprimit, quæ tibi, amisâ Dei gratiâ, obveniunt. Times jacturam famæ, aut honoris, si omittas illicita lucra, & ambitiones; Utrumque perdes, ita permittente Deo, in poenam tuæ stultitiæ: voluptatem quæris in libidine; infirmitatem invenies, dolores, & tristitias, & forsitan angustias cujusdam repentinæ mortis. Non fores primus, qui ita perierat. Alieno periculo cautus sis. Remedium sit, quod convoces tuas potentias, & sensus, atque in eorum cœtu præcipias, ut moriatur pro tranquillitate Reipublicæ vetus homo, tuus exitialis hostis, qui mundi seductor est, Patriæ parricida, everfor virtutis, infamis turbator Reipublicæ, pernicies, ac pestis totius honestatis. Ille in te moriatur, non Christus; *Paveant illi, & non paveam ego*: Quod si reportemus victoriam de vetere homine, vivemus Christo JESU, latûri palmas sempiternæ gloriæ, quas vobis, & mihi tribuat clementissimus, atque omnipotens Deus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Amen.



S A N C T I
F R A N C I S C I
B O R G I Æ
O P E R U M
L I B E R Q U A R T U S.

De Oratione, & ejus utilitate; ac simul de impedimentis, quæ ei obstant:

P R O O E M I U M.

1.  *Dèo necessaria est cum Deo communicatio; siue ea, quæ in mente sistit; vel eâ, quæ mente, & voce constat, ut affirmaverit aterna veritas, oportere semper orare, & nunquam deficere; quamobrem rei tam proficua, atque utili, adversarius toto conatu nititur obsistere, atque eam amovere à fidelibus, ne ex tam incomparabili germine legantur salubriores fructus. Unde videmus haud paucos, quamvis penitissimè sciant de hujus exercitii nobilitate, & commodis; reuere tamen ei vacare, quia nunquam libarunt, de ejus suavitate, ac dulcedine; alios autem, quia variis occupationibus distracti, in suscepto exercitio non perseverare; quosdam defatigatos labore, ac vi, quam inferunt menti, & capiti, dum orant, statim in ipso ingressu deficere, antequam ad optatas orandi delicias perveniant, aut saltem ad sua victoria, & constantia meritum, & fructum; nec desunt qui omittunt mentalin, in exterioribus omnem consistere perfectionem rati. Necessè quidem est hæc agere, sed non debent illa prætermitti: imo veluti germana sorores, sibi inter se singula præsidio sunt ad absolutissimam perfectionem. Quamobrem methodum, & ordinem hic trademus, qui ab omnibus observari debet, qui huic sanctissimo exercitio navant operam: ita enim accipimus ab Ecclesiastico: Ante Orationem præpara animam tuam: Et meritò; animus enim Deum convenire ambiens, præparandus; & disponendus est non segniter ad tam immensam aggrediendam rem. Postea autem proponemus aliquas industrias valdè conducentes huic utilissimo negotio, cupientes depellere obstacula, quibus debiliùm imbecillitas præpeditur, & laxatur, vel quæ orationis progressui detrimento sunt, ut longius in opere patebit; ibique aperientur variæ proficiendi semitæ. Via enim Domini multa sunt, ad unam, eandemque pertingentes metam pro varietate personarum, & occupationum. In his explicandis brevitatè consulam, ne obscurius dicam, molestusve sim. legentibus. Tum quoque præscribam ab ipso initio, capitulum de summa utilitate, quæ ex Oratione nascitur, ut eò firmitus, atque animosius appetatur, fore sperans, ut brevi tempore, labor sit ad ditissimam messem, uberrimosque fructus, quos nobis concedat potentissimus Deus, pro infinita sua clementia, ac misericordia. Amen.*

C A P U T P R I M U M.

De Orationis utilitate.

2. **C**Um clarissimi Authores scripserint de Orationis excellentiis, & utilitate, abs te videtur esse, munus ad egrègium, atque omnibus probatum, à tam rudi lingua, uti est mea, cumulari laudibus; eoque remitto Lectores ad eorum, quos jam memoravi, authoritatem. Tantummodo subjungam quædam exempla, quibus ejus pretium declaratur in sacra pagina. Sic scribitur de Elisæo: *Ite, (inquit*

fervis suis Rex Sirix,) & videte ubi sit (nimirum Elifeus) ut mittam, & capiam eum. 4. Reg. Annunciaverunt ei dicentes, ecce in Dohan: 6. 13. misit ergo illuc, equos, & currus, & robur exercitus; qui cum venissent nocte, circumdederunt civitatem. Consurgens autem diluculo minister viri Dei egressus, vidit exercitum in circuitu civitatis, & equos & currus: nunciavitque ei dicens; Heu, Heu, Heu, Domine mi, quid faciemus? at ille respondit: noli timere, plures enim nobiscum sunt, quam cum illis; cumque orasset Elifeus, ait Domine, aperi oculos hujus, ut videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit: & ecce mons plenus equorum,

Cc 3

& currum igneorum in circuitu Elisei : hostes verò descenderunt ad eum : porro Eliseus oravit ad Dominum, dicens : percutite, obsecro, gentem hanc cecitate. Percussitque eos Dominus, ne viderent. Quid amplius, aut prodigiosius dici potest in favorem orationis; quippe per eam videbatur Elisæus quasi manu tenere clavem visus, ac cæcitatibus, ut eâ uteretur ad nutum, aut imperium. Bellissima Judith, præmissâ oratione, terribili Holopherni amputaverat caput. Ut præmittam Moysen, & Eliam, aliosque clarissimos viros veteris Testamenti; quot mirabilia operati sunt Apostoli oratione, & sanctitate? Quale exemplum dedit nobis hac in re nostræ salutis Assertor, & Conservator, cui ad eum cordi fuit mortalium devotior oratio, ut domum suam domum orationis vocaverit. Quis rem tam sublimem despiciat? Quis despiciat tot morborum medicinam, restauratricem salutis, clarissimum lumen ad expellendas imperfectionum tenebras, charitatis nutricem, conciliatricemque divinæ gratiæ, in periculis præsidium, in afflictione solatium, pœnitentiæ magistram, patientiæ, atque humilitatis gymnasium, favorabilem auram, contra ardorem libidinis, terrorem dæmonum, inferni que fraudum, ac machinationum expugnatricem, suavissimam Deo, & Angelis, utilissimam hominibus. Timeat ergo, quem non venustat hæc pretiosissima Margarita. Audiat quædam ex Proverbiis Salomonis: *Gemma gratissima, expectatio prestolantis : quocumque se vertit, prudenter intelligit.* Nihil prudentius, quàm submissius orare, & expectare misericordiam. Et in eodem capite versiculo 24. traditur: *In facie prudentis lucet sapientia: Oculi stultorum in finibus terræ.* Quippe stultissimi sunt, qui de aliis rebus non cogitant, nisi de terrenis, & fragilibus. Distracti enim, ac parùm devoti huic sanctissimo exercitio, in continuo versantur labendi periculo; uti per Dei gratiam illud evitant, qui ferventiori sunt spiritu, impensiusque vacant novissimorum, Christi que sacratissimæ mortis, ac Passionis meditationi.

C A P U T I I.

De Aliquibus orationis obstaculis, cum quadam congruente methodo ad examinandam conscientiam.

3. **S**unt aliqui ad eum exiguo, pusilloque animo, ut deterriti potiùs suis culpis, quàm credentes semetipsos divinæ clementiæ, non audeant frequentare collo-

quia cum Majestate Dei; ut contingit quibusdam reis, qui iudicis præsentiam adire non sustinent. Eos tamen corripit spiritus, quia tam vehementer timent, ubi nullâ est causa timoris; & quod deterius est, sub demissionis, atque humilitatis specie, recto, ac plano itinere se proficisci judicant. Attendant, quod pronunciaverat Propheta: Nisi quod lex tua meditatio mea est, fortè periissem in humilitate mea. Humilitas quidem in orando saluberrima, atque omninò necessaria est. Ideò Publicanus gratior divino Numini, quàm Pharisæus. Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles, inquit Beatissima Virgo. At tamen opus etiam est, summam habere fiduciam in misericordia divina, altiùs elevare interiorrem vocem, ut ferat Deus opem tam perditio peccatori. Sciant hoc sublime opus non deberi suis viribus, sed subsidio divinæ motionis, & gratiæ. Nemo enim venit ad filium, quem non trahit Pater; nemo amat divinam illam perfectionem, ac pulchritudinem, quem supernè non excitat eadem ipsa pulchritudo, & perfectio. Animo igitur, & solatio tibi opus est. Quæ ut eò feliciùs obtineas, discutias diligenter tuam conscientiam, dele tua crimina: *quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis,* inquit Sapiens. Quare facilem hic trademus methodum, quâ anima à nocivis herbis, & radicibus purgetur; ut floreat, quæ jucundi sunt odoris ad venustandam illam.

Dispositio ad Animi examen & expiationem.

Quis tu, ô celsissime Domine, ut digneris me vocare? & quis ego abjectissimus vermis, ut à te inviter? En Domine, præstosum, quid me vis facere? Sed quid in me utilitatis esse potest, ut serviam tam admirabili Deo? quid norunt meæ manus, nisi patrare scelera, & turpissima delicta? quid meæ aures, nisi auscultare obtrectationes, & infamias? quid mea lingua, nisi proscindere venustatem Reipublicæ? quid mei oculi, nisi videre vanitatem? quid palatum meum, nisi oblectari noxiis, ac superfluis deliciis? quid meus intellectus, & memoria, nisi sibi ad perniciem exprimere, & cogitare illicitas voluptates, & probra? Mea voluntas haud gravatè spernit amorem, quo me prosequeris, suaveque alimentum, quo me inescare curas: hæc talia opera scitè exequi calleo, Domine; talia meæ manus concinnant; ejusmodi ex meis sensibus, & potentiis virus redundat; & tamen me quæris, acceris, & rogas, ut te conveniam. Sed quoniam dignaris me vocare,

care, suavissime Deus, fove mea vulnera; sana meos pestiferos morbos; para salutem huic miserissimo peccatori: à quo enim alio speranda vita, nisi ab ejus auctore? A quonam speranda gloria, nisi ab eo, cujus perfectio infinita, cujus bonitas summa, cujus clementia divina? Ergo quamvis ego vilissimus sim; virtute tamen tanti Numinis plurimum valere possum. Eia ergo, suavissime Domine, hinc humiliter coram divina tua Majestate prostratus te rogo, atque oro, ne respicias multitudinem, & gravitatem meorum scelerum, sed immensitatem amoris, ac misericordiam, quibus mihi, ut spero, parcis, ac prospicis. Jam propter te ipsum peccasse me poenitet toto corde, & animo, firmissimè proponens, numquam amplius incidere in tam horrendam miseriam, debitamque poenitentiam agere de omnibus, quas huc usque admiseram culpis, & pro quibus nondum satisfeceram; sed interim dissolve me, ô mi sanctissime Deus, à ferreis vinculis, quibus ligatus sum, cujuslibet pravè, ac turpiter admissi per meos sensus, aut potentias, impurè maculantis meam mentem, aut voluntatem. Concede, quæso, ut omnium meorum delictorum distinctè cognoscam numerum, & malitiam, ut ea fateri possim, odisse, & imposteum evitare. Hic percurrat conscientiam diligente, prudenteque discussione: Quo peracto, repetat prædicta, iterum ab initio eodem sensu doloris, ac pietatis, & adjungat, quæ jam sequuntur. Recordare, obsecro, tuas manus durissimis transfixas clavis, lanceæ cuspide pro me apertum tuum latus, coronatum te spinis, dilaceratum verbis, mortuum in ligno crucis, ut me vindicares à meis culpis. Misere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, & spiritum rectum innova in visceribus meis; ut imposteum tibi obsequar & serviam, roboratus tuâ gratiâ, dum consequar æternam gloriam. Amen.

C A P U T I I I.

De impedimentis, quibus retardantur à divina consuetudine ii, qui eò quòd de se nimis presumant, nesciunt orare; & quâ ratione ea auferri poterunt.

5. **V**T sunt quidam pusillanimi qui suâ timiditate à rebus spiritualibus deterrentur; ita aliquando etiam reperiuntur, qui cum eas desiderent, ab incepto tamen resiliunt, quia non tam auspiciatam ingrediuntur viam. Hi sunt, qui sibi ipsi, proprioque judicio, nimium adhærent;

Spiritualem Magistrum non eligunt, nec expertorum monita observant. Parum submissè se gerentes, cognitionem propriam, viamque ordinariam novissimorum, Passionisque Christi omittunt; aspirantes ab ipso initio tyrocinii ad altissimos raptus, & illuminationes, cum persuadere sibi deberent hæc non convenire superioribus, fructusque aliquando esse maximæ humilitatis, simul ac puritatis, & mortificationis: aliquando verò solius Dei misericordiam, ac liberalitatis dona, qui pro suo absolutissimo nutu ea propinat singulis, quos eligere voluerit ad tam sublimia secreta. Unde fit, ut eorum penitus indignos se constituent, qui humilitatem contemnunt, aut contumaciam amant. Alii autem à meditatione abstinere, quia quid sit, aut quis modus in ea tenendus ignorant. Ignorantiæ excusationem obtinent, ne incumbant in rem tam proficuum, tantæque efficaciam ad corrigendam vitam, & mores. Eos rogo, si laborarent, aliquo periculoso morbo, aut inferretur ipsis injuria in possessionibus, aut fortunis; an omitterent consulere medicum, aut jurisperitos, eò quòd ipsi nihil unquam didicissent de jure, aut medicina? Imo eadem ipsa de causa eorum se submitterent consilio; cur ergo hi imprudentes, & ignari, cum infestentur tot hostibus, & morbis, non accedunt ad divinum Magistrum, Principem, & medicum JESUM pro salute? cur non detegunt ipsi sua vulnera? cur non ei proponunt suam inopiam? cur non manifestant impressiones inferorum? Cur non implorant sibi auxilium contra tot insidias, & pericula, quot obvia sunt in hac vita? Si tantæ sint ipsis curæ terrena, cur tam hebetes se exhibent ad æterna? Cæterum eos moneo de facilitate adeundi Christum, declarandique ipsi sua secreta: ipse enim impensius optat eorum perfectionem, & salutem; eos suavissimè invitat ad suas delicias; nihil ipsi incognitum est, ex eorum miseriis, aut delictis; potentissimus est ad obstandum inimicis, sapientissimus ad sanandas infirmitates, ditissimus ad sublevandos pauperes, summâ præditus luce, & scientiâ ad docendos ignaros. Quid ergo hæsitant? quid expectant? Cur ocyus non currunt ad recipiendas tam pretiosas gazas, & thesauros? Ecce, plurimos habes titulos, amice mi, adeundi JESUM, teque recipiendi ad ejus protectionem, & Asylum. Tuus enim Servator est, & Conditor, tuus parens, tuus frater, tuus Pastor, & Magister, & Dominus, & Patronus, & medicus, & amicus, supre-

mus

mus tuus Rex, & Princeps, qui te elevare potest ad gloriam per suam gratiam, aut detrudere ad infernum propter tua delicta. Aspice ergo attentiori consideratione hunc bellissimum Deum tuum coronatum spinis, obtectum vulneribus, suspensum ex crucis arbore pro tua vita, & salute, & proculdubio non omittes habere excellentissimam orationem pietatis, & commiserationis. Nisi intrabis per ostium JESVM, non pervenies ad vitam. Hic enim non tantum est salvationis janua; sed etiam clavis David, qua claudente nemo aperiet aditum, & qua aperiente nullus poterit eum claudere. Quare qui velit ingredi ad percipiendam dulcedinem secretorum Dei hac clavi referet sibi portam, necesse est. Prius devotè percurras, & mediteris, purgatus jam à tuis culpis, & delictis mysteria sanctissimæ humanitatis Christi, & divinum Numendum conveniet, elevabit te ad delibandum ex altissimæ divinitatis deliciis. Tria autem observanda: Primo loco, ut per tui ipsius, & tuorum novissimorum considerationem tibi sternas viam ad conscientiae puritatem, ad Dei sanctissimum timorem, ad pietatem, & devotionem, & charitatem, cæterasque virtutes; ut conformari possis cum tuo capite Christo. Quæ singula, quoad capere possis tuum in virtute tyrocinium, per divinam gratiam consequutus, accedes ad dulcissimum vulnus lateris Christi; atque ibi summam humilitatem, & venerationem miscebis dulcissima colloquia cum tuo Conditor, & Domino, tanquam cum optimo parente, & amantissimo Principe, ab ipso contendens supplici prece, ut tibi inermi filio paret refugium in suo aperto, ac vulnerato corde. Hic incendes in te ipso erga eum affectus flagrantissimi amoris, videns nullam creaturam, quantumvis filiorum amantem, aperuisse sibi pectus, ut eos ibi foveat; quasi in molliissimo nido suorum viscerum: Christum verò Dominum permisisse, ut sibi tale inferretur vulnus ad te excipiendum sui cordis suavissimo hospitio. Jam tertio, & ultimo loco nactus sedem in Servatoris tui pectore, lentè, & devotissimè, mente, & affectu considerabis labores, quos tui causam tulit divinus Jesus in præsepio, in Ægypto, in pueritia, & juventute, prædicando, & orando in horto, & tribunalibus Judicium, in Calvariae cruce; cum tamen esset altissimus Deus, & tu vilissima creatura. Empyreï Rector, & Imperator, & tu terrestris vermiculus, pauperimus homuncio: ille innocentissimus; tu reus horribilium scelerum: ille amantis-

simus, tu ingratiſſimus. Tum irrumpes in suavissima suspiria pro tuis culpis, & peccatis, servato semper non tantum motivo attritionis, verum etiam excellentissimæ contritionis, cum firmissimo proposito emendationis vitæ, semper obsequendi Deo, futurum sperans, ut consequaris gloriam per ejus passionem, & merita, qui pro te mortuus fuit. Amen.

C A P U T I V.

De impedimentis, quæ eis obſistere possunt, qui nimis in Oratione per intellectum discurrunt. Deinde ostenditur quæ viâ incumbendum meditationi.

HAud parum ariditatis, laborisque præſentiunt multi in oratione, eod quod plus justò intendunt in mentales discursus, prætermiſſis, quæ præcipua sunt, affectu, & operatione voluntatis. His accidit, quod D. Petro in captatione piscium; Domine, per totam noctem laborantes nihil cepimus: ut autem fructum percipiant, diligentius auscultent, quæ jam dicturus sum. Qui suavissimè frui desiderat cum Deo colloquiis, reputet se ipsum pro lasso, defatigatoque agricolâ, qui è diurno labore redux jam domum sub occasum solis, confidet cum uxore, & filiis refectionem aliquam, aut quietem captaturus post molestissimam diei defatigationem. Haud secus faciendum mortalibus, qui totâ die implicantur curis, & negotiis, aut necessariis, aut quæ ipsi ultro sibi assumunt ad voluptatem, secularesque recreationes. Nam his defatigatur spiritus, tepescit devotio, infirmatur anima, contrahuntur innumeræ imperfectiones, atque in virtute maculæ: fusissimè obtentur eorum potentiae sudore, ac pulvere inertiae in re divinâ, garrulitatisque in humanis. Accedant ergo ad dulcissimas ædes orationis, ut recreari possint à vanitatis molestiis. Appellent ad hunc tutissimum portum, ut possint restaurare, ac reficere suas naves, iterum redituri ad licita negotia, navigationemque. Non dubito quin initio, qui tyrones sunt, aliquam habituri sint difficultatem adeundi ædes orationis pro refectione, & subsidio. Omnia enim etiam dulcissima videri solent inexpertis difficiliora. Accedant tamen debitâ humilitate, & zelo, & videbunt Servatoris liberalitatem, & favores: meditentur ejus misericordias, & quid de nobis fieret sine illis; hacque cogitatione moti solvant semetipsos in amoris, & gratificationis affectus, in poenitentiae suspiria, & lacry-

lacrymas pro admittis sceleribus, & latissime aperientur ipsis proculdubio cælestes portæ, unde defluent deaurati rores divitiarum Dei; proponant amantissimo Creatori omnes, quas passi sint miseras, & obtinebunt remedium: ostendant ipsi, quàm pauperes, atque imbecilles sint, & munientur saluberrimis præsiidiis contra vim, & impressionem hostium: ament, & amabuntur: obediant, & consequentur hic gratiam, & postea coronam gloriæ. Devotissime coram Deo hos, aut similes affectus elicies. Agnosco, Domine, meam infirmitatem, & miseriam; agnosco tuas misericordias, & favores: agnosco infinitatem tui amoris, & turpitudinem meæ ingratitude: innumeras solvo grates pro tuis beneficiis, & amarissime doleo de meis culpis, & delictis. Parce, mi Deus, parce huic miserimo peccatori, qui jam pulsat januas tuæ liberalitatis pro elemosyna. Concede propitius vires meæ infirmitati, salutem meis morbis, diligentiam meæ ignaviæ, ab omnibus vitiis, & imperfectionibus absolutionem meæ conscientie, firmissimum propositum nunquam iterum recedendi à tua gratia, dum consequar æternitatis gloriam. Amen.

C A P U T V.

De impedimentis ignorantia, quâ aliqui laborant sua indigentia; & de remediis, quæ adhibenda sunt tanto damno.

7. **R**atio, cur aliqui abstinant ab hac cælesti refectioe, haud obscure se offert, quia ejus utilitatem, ac dulcedinem ignorant: quod si ejus salutiferos fructus, ac delicias perciperent, non aded remissè forsitan appeterent illa. Fame pereunt, & nolunt tam nectareos cibos: refugiunt algidos, salubres, cristallinosque liquores aridi, & sitibundi: respirare omittunt liberimas, vernalque aurâs penè suffocati vitiorum flammis, ac turbinibus. O gravissimam ignorantiam; ô deplorandam stultitiam! quid calamitosius, quàm quassatos tot fluctibus, & periculis, non appellere ad portum, ubi tutissime possint recipi, & quiescere à feriente tumultu?

8. Ad orationem accedendum eâ curâ, ac diligentia, quâ faucii milites, inito jam prælio, se committunt manibus Chirurgi; aut laborantes gravedine alicujus morbi, studio, & consiliis medicorum: quoniam haud certius indigent illi curatione corporis, quàm omnes, qui onerantur imperfectionibus, & culpis, animæ fomentis, ac medicinâ ad salutem. Hinc infero,

potius indigere hac salutari medicinâ majores peccatores, quàm iis necessaria sit, qui levioribus maculantur culpis: quo enim gravior est morbus, eò citius petendum remedium; quo profundius est vulnus, eò diligentiori studio sanandum est. Unde constat de eorum amentia, qui cum gravissimis infirmentur delictis, existimant secum non loqui orationis documenta, ac præcepta. Immo potius his altiori voce clamandum pro Dei misericordia. Submissiori affectu detegenda animæ, cordisque vulnera, effusioribus lacrymis efflagitandum remedium; ferventiori amore dicendum Domino: miserere nostri; immense Detti exercituum; ecce lassati, atque inermes sumus, emens difficiliora itinera. Quò confugiemus pro subsidio, nisi ad te fontem totius clementiæ, ac misericordiæ? Restaura modò, Domine, nostras ruinas, ne pereamus in æternum: refice, quod laxatum est hujus nostri spiritualis ædificii; fove, quod in nobis faucium est; corrige, quod est devium, ut mundati ab omni malitia, & protervia, frui valeamus pulchritudine gloriæ. Amen.

Adhæc considerandum est, peccatores suis imperfectionibus, quasi emortuos, ac marcidos esse flores, qui ut iterum recipiant vigorem, cælesti rore, influentisque rigandi sunt; has autem dulcissimas pluvias, aperiente ipsis aditum oratione, huc defluere ad rigandas nostras animas, ad fovendum spiritum, ad expellendam inertiam, ad nutriendam jam antea collapsam pietatem, ac devotionem certum est, vel si libentius audias; sunt quasi flagrantæ ædes, quibus nisi summâ velocitate infundantur aquæ, maximum imminet ruinæ, eversionisque periculum: aut sunt veluti expositi homunciones sine telo, aut clypeo ferocissimis tauris, quos nisi solo cursu superent, adituri proximum asylum, eorum furis haud dubiè perituri sunt. Quot autem habes defectus, & passiones, tot ardes elatioribus flammis, tot infestis tauris, & leonibus, qui te devorare festinant. Festines ergo tu prius ad orationem, ut ibi lacrymarum flumina haurire possis ad extinguendos tuos ardores; ut in ipsius munitissimo sinu te protegas ab illata vi, & crudelitate hostium, atque inferorum impressione, & tumultu.

C A P U T VI.

De impedimentis inutilium cogitationum, eorumque remediis.

Quidam, dum student meditationi, prolixas, molestasque patiuntur cogitationes.

Gen. 15.
7.

tationes, quibus absterrentur ab incœpto opere, nihil rati fore sibi utilitatis in cœtera oratione; in hunc maximè modum superantur à vasfro, dolofoque adversario, cujus insidias, ac fraudes ut evitare possint, notent quæ acciderunt Abrahæ, cui ita significavit Deus in Genesi: *Ego Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldaorum, ut darem tibi terram istam, & possideres eam. At ille ait; Domine Deus, unde scire possum, quòd possessurus sim eam? & respondens Dominus; sume, inquit, mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam, qui tollens universa hac, divisit ea per medium, & utrasque partes contra se altrinscens posuit; aves autem non divisit, descenderuntque volucres super cadavera, & abigebat eas Abraham. Cumque sol occumberet, sopor irruit super Abraham, & horror magnus, & tenebrosus invasit eum. Dictumque est ad eum: Quid? de ipsius, ejusque seminis futuris successibus procedente tempore. Idem fiat, & à te dum obtuleris tui amoris sacrificium in oratione, descenderintque tentationum volucres ad consumendum illud: abige illas, constans sis in oblatione, & audies divina monita, ditatus plurimis, & sanctissimis inspirationibus quæ te promoveant in salutis certamine, ac studio. Inprimis ex hac mentis divagatione intelliges, qui, & quales sint fructus, qui propriæ sint messis. Non enim sumus potentes cogitare aliquid boni ex nobis, teste Apostolo. Si igitur vanæ cogitationes id innuant, haud exiguum emolumentum erit, ut nosmetipsos, nostramque imbecillitatem ex iis cognoscamus; indeque proveniet odium sanctum, quo diligentius incumbemus nostræ mortificationi, dum haud ignoremus acerbiter fructuum, quos nostri sensus, & caro producant. Cæterum non est, quòd aded tibi pariant dolorem, aut tristitiam tentationes; quod si paulò antea haud impotentius oblectareris illis, & jam molestiæ sint, eò quòd incitent ad culpas; potius divinæ majestati referendæ grates, quòd tam strenuè dimices, laturus inde tuæ coronæ venustatem, ac decorem; toties enim reportabis victoriam, quoties harum volucrum morsus toleranter, sed sine consensu sustinueris. Vicies eas rejecisti; vices etiam tulisti victoriæ palmam, quâ insignitus, Deo, & Angelis perpulchrum edidisti spectaculum, æternumque referendum, si deinceps tam generoso fueris animo, ut obtinueris gloriam. Hinc dilucidè patet quorundam error, & stultitia, qui nimium affligantur ingruentibus scrupulis, & tentationibus, & parum,*

aut nihil curant de emendatione vitæ, aut morum; cum potius angere deberent de culpis, & peccatis, quam de materia sui meriti; quamobrem hilari animo, & majori quodam spiritu obfistendum illis, ubi impuritatem, turpitudinemve objiciunt, suffundenda memoria odore castitatis, virginumque suavissimis liliis. Dum alliciunt ad ultiones, & vindictas, prolixius orandum pro inimicis; & sic pari modo servetur in cæteris tentationibus, ut expugnetur hostis iisdem ipsis armis, quibus ille accingitur ad prælium. Nec remedium est, quo devincas tentationes, interrumpere orationem, & lacrymas, quibus annuere solet lætissimos triumphos, & victorias Deus. Quis abjiciat arma, ut detruncet vires hostium? Quis removeat aquas, ut extinguat irreperentes flammæ? Quis respirare omitat, ut possit vivere? Hujus autem arguitur stultitiæ, qui recedit ab oratione, ut se immunem servet à vulneribus, quæ negligentibus infliguntur in hujus vitæ itinere, & certaminibus. Ut ergo quoad fieri potest, inoffenso pede eò dulcius transeamus hanc difficillimam viam, singuli clamemus cum Augustissimo Propheta: *Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi totâ die; la-* ^{psalm.} *tifica animam servi tui; quoniam ad te Domine, animam meam levavi; quoniam tu Domine, suavis, & mitis; & multa misericordia omnibus invocantibus te. Auribus percipe Domine orationem meam: & intende voci deprecationis meæ. In die tribulationis meæ clamavi ad te. Intret spiritus tuus bonus, mi clementissime Deus, in cor meum, atque ibi summâ suavitate, ac dulcedine moneat me de ineundis consiliis: Liberet me ab immundis, & noxiis cogitationibus; muniat me firmissimâ tutelâ, ut omnes recedant hostes, qui me persequuntur, ut superentur, qui me perdere festinant. Amen.*

C A P U T V I I

De iis, qui nihil presentium suavitatis, aut dulcedinis in Oratione.

TErribili crudelitate, & ferociâ prohibere nos moliuntur ab oratione maligni spiritus, jam carnalibus blanditiis, & voluptate; jam secularium rerum tumultu; jam cordis ariditate, vanisque timoribus objicientes difficultates, ac sudores, ubi reverà expectari possent solatia, ac deliciæ; saltem ea conscientiæ tranquillitas, quam secum adfert fiducia potiundi per initas pugnas æternitatis lauro, & coronâ. Caveant ergo omnes, qui timore cer-
tami-

taminis, aut propter defectum alicujus voluptatis, quam præsentire vellent; intermittunt meditationem, ne incidant in pauperiem, inopiamque filii Prodigii, qui consumptis paternis divitiis summam laborabat egestate. Qui enim fugiunt pabulum meditationis, proclives in mundanas vanitates, & pompas; paulatim dissipant, si quæ antea obtinuerant spiritualia subsidia; ut transmittere possent hujus vitæ turbulentissimum Oceanum, ac tutè appellere ad salutis portum, quem per Dei gratiam occuparent, si paulò devotius secundis meditationis, ac poenitentiae velis adornarent navigationem. Sed in summam inopiam rei spiritualis veniunt, dum hujus ditissimi exercitii affectus, & lacrymas aspernantur. Ut autem tanto occurramus damno, opem ferent sequentes considerationes. Qui breviori tempore corrogat sibi Thesuros, quos alii plurimis annis vix cogere, coaccervareque possunt, opinione omnium felicissimus judicabitur. Unde fit, multò feliciores esse, qui unâ horâ majores faciunt proventus in oratione; quam qui lentiori tempore, pluribusque horis ei insistant sine tanto fructu. Quidam ferè omne meditationis tempus insunt in mentali discursu, voluntatisque affectus rejiciunt ad ultima momenta, ubi jam absolvere constituunt. Alii autem statim ab initio cum mentis discursu miscunt amorem, & contritionem, & si qui sint alii pietatis affectus, ad quos moveri se sentiunt consideratione. Hi breviori spatio plures metunt fructus, quam cæteri etiam aliquando prolixioribus horis; tum quoniam discurrendi meritum nititur libertate, quæ immediate est voluntatis, tum ob charitatis affectus multò præstantiores operationibus intellectus; tum denique quia affectus amoris, nunquam elicitur sine mentali consideratione, quoniam nihil dilectum nisi prius sit cognita ejus convenientia, aut bonitas. Adhæc multi integrè se offerunt Dei nutui, ac voluntati, æquè contenti prosperis, atque adversis, prout disposuerit divina providentia. Alii verò sui oblationem faciunt tantum in præcis, & facilioribus. Quis autem dubitare possit, quin his præsentent illi dispositione ad altiores, atque utiliores contemplationes? Quid ergo mirum, quòd etiam excellant devotione, ac merito; ac nitidiorum ostendant amorem breviusculo tempore, quam illi alii longioribus, ac repetitis horarum intervallis? Unde infero quàm necessarius sit viris Religiosis observantiae, ac mortificationis spiritus, ut generosè proficiant in meditatione. Quòd si velis, ut in te summè benefi-

cus, ac liberalis sit Deus, ne parcas liberalitati erga ipsum Deum. Nam intensiores amores flagrantiori amore digni sunt. Jam ad capituli titulum? Aridiorum te vides in oratione? Amasne summè tuum conditorum, & vindicem? An integrè ipsius divinæ providentiæ committis tuas fortunas, animam, salutem? Quòd si in hunc modum tui oblationem facias, eamque repetas toto meditationis tempore, èd quòd diligas JESUM; altissima sanè, atque excellentissima erit tua oratio, quamvis aridum te judices; & sine lacrymarum, similiumque motuum dulcedine. Egregiè Christum diligas, proponas imitari ejus sanctissimam vitam, moreque, licet correptus tua siccitate, & labore, gratissima erit ipsi proculdubio tua meditatio; quoniam sic reportabis victoriam à ferociori hoste: quæ res plurimum valet ad præmium; & gloriam.

CAPUT VIII.

De impedimento rerum visibilium, atque earum remedio;

TAm parum attentos se gerunt, aliqui in oratione, ut præter res corporeas, & visibiles de nulla alia cogitent. De his affirmari potest, quòd dixerat Apostolus, nimirum animalem hominem non percipere, quæ Dei sunt. Calamitosa quidem conditio hominum. Quoniam tam lentè confidunt in externorum quadam voluptate, ut nisi longo usu, singularique Dei gratiâ ab eis avocari non possint. Accedendum ad Deum tanquam ad animæ nostræ centrum: quidquid ergò impedit ab eo obtinendo sedulo removendum est. Divini Numinis similitudinem; atque imaginem gerit in se nostra anima; æquum ergo est recidere, quidquid delet; aut deturpat pulchritudinem hujus imaginis. Quòd ut èd felicius consequamur, deservire poterunt sequentes considerationes. Prima consideratio sit; omnia sensibilia haud plusquam corporea; & materialia esse: materiam autem si comparatur cum pulchritudine formæ, præcipue hujus humani spiritus, mortuam quandam esse congeriem sine activitate, & decore. Quòd si tam vile sit corpus respectu animæ, quantò viliora debent esse cætera accessoria, quæ ipsi adhærent, splendor vestium, externa venustas, nitor purpuræ, equorum apparatus, deaurati currus, adamantes, & blanditiæ, quorum singula minus necessaria sunt ad nostram conservationem, quàm corpora, quibus deserviunt. Et nihilominus in his constituis tuam felicitatem, & honorem?

De orandi difficultate, ejusque remedio.

O humanam stultitiam! O spississimam cæcitatem. Idcirco, (inquit Ecclesiastes capite secundo versu 17.) Teduit me vitæ meæ, videntem mala universa esse sub sole, & cuncta vanitatem, & afflictionem spiritûs. Hinc elicies despectum, & contemptum horum visibilium, maximamque æstimationem æternitatis. Firmiter propones amovere fragilitates humanas, & tantummodò insistere rei divinæ, aut punctis, quæ jam antea, dum te parares ad orationem, meditanda constitueras. Quòd ut facilius, dulciusque peragas, adverte, quàm stolidus esset, qui, cum laboraret visu non adhiberet optima, & quæ in promptu haberet perspicilia, sed vel nulla, vel alia obscurissima, quæ potius impedimento essent, quàm subsidio. Hoc autem idem illis evenit, qui in oratione feruntur per imaginationes nocivas, & inutiles. Deponunt rerum cælestium, & perennium considerationes, quæ solida, claraque sunt perspicilia, quibus cæcutiens voluntas adjuvetur ad videndum sibi proficua, & salutaria, quibus generosè pergat in cælesti clivo, & itinere, suffectis in eorum locumaliis perspicillis lutosi, ac terrestribus, nocivisque puritati spiritûs, qualia solent esse mundana prologia, imaginationes vanæ, perniciosæque: non enim bene inter se cohærent, neque in una sede pacificè morantur, quæ ad cælum dirigunt, & quæ deprimunt ad seculares delicias, & vanitates; unde hæc purissimè, & ob Dei amorem exuenda, ut pervenirent induaris illis. Quis nexurus sibi formosissimas corollas ad celebritatem alicujus festi, seligeret urticas rejectis floribus nitidissimis, ac venustis. Verùm quid aliud efficiunt, qui se distrahi permittunt in oratione? ad texendam æternitatis coronam accedunt; omittunt tamen lucidioris virtutis actus, qui sui diadematis ornatui mirè deservirent; & colligunt carduos, & tribulos, qui huic rei usui esse non possunt; nonne hic est intolerabilis error, calamitosa amentia? Quapropter his, aut aliis hujusmodi suspiriis petamus à Deo favorem, & gratiam. Tu qui misereris omnium, sanctissime Domine, & nihil odisti eorum, quæ creaveras, subveni nostræ imbecillitati; quoniam tu clementissimus noster Pater, ac Deus. Aufer à nobis iniquitates nostras, & Spiritûs sancti flammam accende in his tuis filiis, ut prætermittis rebus fluxis, & caducis, te super omnia diligamus, te ubique sequamur per cruce, & ærumnas, ut æternum te fruamur in pulchritudine gloriæ. Amen.

CUM Deus vellet educere ex Ægypto ^{13.} populum Israëliticum, permisit Pharaoni, ut gravius ei imperaret: sed populus culpam retulit in Moysem, & Aarone. Ita enim narratur in sacro Textu: *Videruntque se præpositi filiorum Israël in ma-* ^{Exod. 5.} *lo, eò quòd diceretur eis, non minuetur quic-* ^{19. &} *quam de lateribus per singulos dies. Occurre-* ^{20.} *rumque Moysi, & Aarone, qui stabant ex adverso, egredientibus à Pharaone; & dixerunt ad eos, videat Dominus, & judicet quoniam fatere fecistis odorem nostrum coram Pharaone, & servis ejus, & præbuitis ei gladium, ut occideret nos.* Sic clamitant multi, qui mundo, & vanitati cum nuntium remisissent, ut deservirent Deo in orationibus, & pœnitentiis, mœstissimè præsentunt mortificationis dolores; gravatè incipiunt ferre vitæ spiritualis prælia, & certamina, quæ sub initium terræ solent inexpertos tyrones; gemunt, & sudant in convellendo veteres mores, & consuetudinem; nimium divexantur superbi Pharaonis, nempe dæmonis insidias, & tentationibus; passim invitantur ad mundi illecebras, & blanditias, quas jam deseruerant. Ut autem medicinam paremus hujusmodi damno, suadere ipsis velim haud devictum iri hostem ommissione armorum. Pretio sudoris, & sanguinis emenda est tam insignis victoria. Agas semel triumphum de tuis contrariis, & incipient ipsi remittere suas vires, mitiusque in te sævire. Quòd nisi claritate spiritûs eorum percipias fraudes, atque insidias, multò minus eas videbis inter peccati caligines, & tenebras: Quis nisi barbarus, & insipiens, cum se munire possit fortissimis muris, & aggeribus, aperiat portas ferocissimo hosti, eique haud invitus exhibeat gladium, quo se occidendum cognoscat. Meditationes sanctæ cum jejuniis, & pœnitentiis, munitissima præsidia sunt, quibus te defendere, acturi vales ab impressionibus inferni; illicitæ voluptates, ac delicia acutissimi sunt enses, quibus illius furiosæ regionis tartarea agmina te cingent, & interficient. Hæc nihilominus vis eligere, prætermittis illis? O crassissimam barbariam! O execrandam stultitiam! O stupendissimam cæcitatem, & ignorantiam! Scias is, qui omittunt orationem, & pietatem propter difficultates obsequendi Deo, haud ab simile quid accidere ejus, quod populo Israëlítico, haud procul à monte Sinai ob-

tige-

Exod.
20.19.

tigerat. Nam cum audivisset tonitrua, nubiumque fragores, concussus maximo pavore Moyſi dixit: *Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Quid aliud faciunt pusillanimi, qui territi disciplinâ, ac mortificatione, de quibus monentur per divinas inspirationes, dum orant, & vacant meditationi? Nollent audire de tanta humilitate, & pauperie. Certum tamen sit ipsis, non possidendam coronam nisi ab iis, qui eam promeruerint, rebus egregiè, ac strenuè gestis. Pudeat ergo concidere animo, aut deditio-nem facere tam iniquâ lege: ne commutes virtutem cum vitiis, pulchritudinem cum dedecore, cum tenebris lucem, cum morte vitam, cum inferorum tormentis æternitatis gloriam. Summâ animi humilitate, ac submissione, te divino Numini sistas, totoque cordis affectu, supplicique prece contendas ab ipso opem, & auxilium in hunc modum: O sanctissime Domine, refrigerium pauperum, infirmorum salus, afflictorum solatium, da mihi fortitudinem, ac virtutem, quibus persistam in pietatis officiis, dum consequar perseverantiæ victoriam, & coronam: Dulcissime Deus, sana palatum cordis mei ut sentiam jucunditatem amoris tui: sana illud ab omni inertia, & languore, ut mihi semper amaræ sint, quæ non propinantur à te dulcedines; & dulcia, quæ erga te possunt esse obsequia; munda me ab omni inquinamento corporis, & spiritûs, & animarum castissime sponse JESV tibi Domine, plagas meas ostendo; tibi secreta cordis mei re-tego; propter mea delicta, amor, & tremor venerunt super me, contexerunt me tenebræ. Nunquam iterum te derelinquam fontem aquarum viventium, procul à me repelle insidiantes hostes, ne mihi noceant tartaræ legiones, generosè expugnem meas passiones, inveteratæque consuetudinis vitia; undique per te munitus recto tramite incedam, dum obtineam pulchritudinem gloriæ. Amen.

C A P U T X.

De obstaculis, quibus retardantur ab oratione mæsti, tristesque, & eorum remedio.

14. **E**X præcedentibus satis perspicuum est, innumeris dolis, atque insidiis obsideri nostram imbecillitatem à dæmone, quas inter locum suum obtinent mœrores, ac tristitiæ, quibus satis bellicè in nos, ubi videt cæteros sibi præcludi aditus, explodit hostis sua tormenta; quorum ut evitentur terribilissimi ictus, adverten-

dum, quomodo solebat liberari Rex Saul agitatus malo spiritu. Quotiescumque enim incidebat in eam miseriam, *David tollebat Citharam, (inquit sacrata Historia.) Et percutiebat manu suâ, & refocillabatur Saul, & levius habebat; recedebat enim ab eo spiritus malus.* Sic iis faciendum, qui aliquâ obnubilantur mœstitiâ in hujus vitæ itinere, lentiùs audienda, & consideranda illa cælestis musica, quâ nos demulcet ex crucis arbore divinus ille David, mitissimus JESVS. Quòd si bene pendatur amor, quo motus fuit ad ferendos tot cruciatus, & dolores pro nostra salute, is tantum sufficet ad mitigandam nostram tristitiam, & ad roborandum nostrum confectum animum: quoniam qui tantum potest, & amavit, quomodo nos deseret, si, quantum in nobis situm est, sequamur virtutem, committamusque nosmetipsos ipsius protectioni, & clementiæ. Hinc fit ut, quo se mœstio-rem quis viderit, eò magis vacandum meditationi hujus benignissimi Domini passionis, ac mortis: hac enim de re instituta oratio dulcissimum vinum est, quo lætificantur mortalium viscera, paratum convivium, quo nostri cordis turbulentissimi fluctus, & tempestates convertuntur in suavissimas malacias, & serenitates. Unde sponsa Sancta, *sub umbra illius, (dicebat,) quem desideraveram, sedi: & fructus ejus dulcis gutturi meo. Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.* Simul percurrenda divina beneficia, quibus indies ditamur, & protegimur à temporum inclementiis, ab ingruentibus morbis, à periculis, & miseriis. Quàm dudum dæmonum faucibus traderemur, Inferorumque æternis pœnis propter nostras culpas, ni provideret divina clementia de meliori salute? Quid igitur abjicienda lætitia, & animus tam benigniter exceptis ab amantissimo Domino? Quid mœrendum adoptivis Dei filiis conservatis ad gloriam? De nulla alia re dolendum, nisi de offensis contra Deum, peccatorumque ruinis. Exemplum sequantur Christi Domini, si qui fatigari se viderint hac molestissimâ passione: Ille enim bellissimus Deus in horto Getsemani, tristis, & suspirans, devolutus in faciem, humique prostratus prolixiores, ac repetitas preces fuderat apud æternum Patrem. Nam quicumque afflic-tatur tristitiis, non medetur sibi abstinen-do à pabulis sacratæ orationis, ubi solèt dispellere Deus internas nubeculas, quibus cingit aliquando hostis inter lacrymas hujus miserrimæ vallis mortalium corda, ne potiantur cælesti claritate,

1. Reg.
16.23.

Cant. 2.
3.

aut lucē, divinæ consolationis delicias. Ibi roborantur infirmi, edocentur ignari, rigantur aridi, exhilarantur mœsti, & pusillanimi. Strenuè igitur ad hanc lassorum requiem, tribulorumque asyllum accedendum. Atque ex intimo corde dicendum optimo Numini: Undique convellor doloribus, & angustiis, mi sanctissime Deus; sed quò me recipiam pro remedio, nisi ad te fontem totius consolationis, & salutis? Cui detegam mea vulnera, nisi vitæ medico? Cui meam pauperiem, nisi cælorum ditissimo conditori? Ad quem confugiam plenus immunditiis, nisi ad infinitam misericordiam, cæcus ad æternitatis splendorem? A tanta Majestate humiliter peto, & oro munditiem mentis, & corporis in hac vita, ut obtineam hilaritates, & lætities æternæ gloriæ. Amen.

C A P U T I I.

*Frequentanda sacra Eucharistia, penitentia-
que Sacramenta ad fovendum con-
templandi spiritum.*

15. **P**ercipere desiderabis, cur aliqui tam tepidè orent, tamque remissi sint in exercitiis virtutum, cum alii opem ferente Deo, gratiæque auxilium, ad eò in ea proni, ac proclives sint. Aliis prætermittis causis, tibi dicam plurimos nimium diu abstinere à Dominica mensa, medicinaque penitentiae: unde non mirum, quòd in re spirituali tam languidi, & imbecilles sint. Etenim quis miraretur implumem avem, & quæ esset sine alis non volare; navem sine remis, & velis non impelli; non ardere lampadem sine oleo; non vincere militum copias sine viribus, & armis; non vivere mortales sine cibo? Quòd autem avibus ad volandum sunt alæ; ratibus ad navigandum vela; lampadi ad arandum oleum; exercitui ad dimicandum arma; hominibus ad vivendum cibi; hoc idem sunt fidelibus, præcipuè viris devotis, & contemplativis ad veram pietatem Sacramentalis confessio, ac perceptio sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, Dicente ipso Domino, per suam Evangelistam. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quòd si deficiat divinæ gratiæ vita, deficiet etiam proculdubio ille devotionis fervor, & perfectio, quâ sancti veluti regii Aquilæ volatum elevant ad pulchritudinem gloriæ. Hucusque tractare omisimus de devotione hujus admirabilis convivii, quoad roborat, & conducit ad ineunda colloquia cum Majestate Dei, quia omnia orandi

Joan. 6. § 3.

impedimenta, de quibus hætenus differuimus, dissoluuntur, & pereunt virtute, ac dulcedine hujus Angelici cibi. Quoniam qui orare nesciunt, hic invenient Magistrum, qui non solum demonstrat cælorum aditum; verum etiam ipsemet est via, veritas, & vita: hic timidi, & pusillanimi sumere sibi poterunt robur, & auxilium. Quòd si fortè seducantur mundi illecebris, hic reducentur, mirèque excitantur ad sequendum Christum; si tædeat rigoris penitentiae, aut mortificationis, hic quasi per transennam exponentur illis gratiæ, favores, auxilia, incitamenta; dulcedines, consolationes; ut pleno sinu seipos ditare possint: si ad ea hebetent, quæ Christianis viris peragenda sunt; his mysteriosis deliciis cæci vident, surdi audiunt, infirmi convalescunt, mortui excitantur, & vivunt. Si laborent adversitatibus, angustiis, aut tristitiis, hujus mensæ inexplicabilis est suavitas, & lætitia. Si eos devexent cogitationes, aut hostes, nihil firmiter ad debellandos inferos præsidio hujus tam immensæ Majestatis, quæ ipsum Empyreum regit, ac venustat. Beatissimi, qui ritè, ac dignè recipiunt candores hujus gloriosissimi panis, splendorem hujus æterni luminis, divinum hoc incitamentum amoris, hujus dulcedinis felicitatem, has divitias magnitudinis Dei. Ut eò clariùs penetretur efficacia hujus sanctissimi corporis Christi Sacramenti ad conciliandam vitæ puritatem, devotionemque ad orandum, duplici utemur exemplo. Primum erit de navi agitata ventis, & tempestatibus. Quàm ferè jactatur hæc navicula vi ventorum, & fluctuum? Quàm imè fertur ad profundum desidentibus undis? His autem superbiùs erectis per colles, & montes eam ferri dices. Tum quâ solent teneri formidine nautæ, & navigantes? Singulis horis, & momentis, ne tradantur mortis faucibus, timent. Quid penderent pro securitate vitæ, pro aliqua tranquillitate, & pace à tam immani elementorum certamine? Quàm ardente flagrare solent desiderio appellendi ad portum, & patriam? Per hujus vitæ fluctus, & tyrannidem jactamur, obruimur, fideles. Hinc insultant foedissimæ passionēs, quibus deprimimur, & sepelimur; illinc ad nubes usque extollimur vanitate, & blanditiis; ab uno latere cingunt nos trucissimi demones, ab alio nostra scelera, & impuditiæ: ex adverso ad devorandas nostras miscellas animas aperitur infernus. In hoc tamen distinguimur à prædictis navigantibus, quòd illi timeant suum periculum, nos autem rideamus, & ludamus, quasi jam essemus

in portu : quòd illi impensius optent salutem, cum nobis ne minima quidem cura sit de æterna vita : quod illi, quoad fieri licet, in tali eventu, & conflictu defendant navem operis levamine, submissioneque velorum ab ardentibus fluctibus : at à nobis potius accendatur tempesta nostrà cæcitate, & stultitiâ. Quòd si in tam aperto periculo negligamus ipsam salutem, haud dubiè perdemus quoque necessariam pietatem, ac devotionem ad eam consequendam. Ubi autem invenièmus remedium tam stupidæ negligentiae ? Si vis saluberrimum, ac divinum, frequentes sacrosanctam synaxim, quâ nihil efficacius, promptius nihil ad sedandas tempestates, moderandas passiones, tuendas animas, debellandos dæmones, consolandos afflictos, ad obsistendum vitiis, & decorandum gratiâ. Secundum exemplum ad firmandam hanc veritatem brevius est, & sumi potest à diligente agricola, qui ut pinguem, ac fertilem reddat campum, declinante jam anno, eum incendit flammis ; sic singulis, qui serere cupiunt ad gloriam, faciendum est ; absumentis peccatorum tribuli, passionumque nocivæ herbæ incendio divini amoris. Sed hic amor, undè melius hauriri potest, quàm in suo fonte Christo Jesu, in mysterioso, ac venerabilissimo altaris Sacramento ? Accedamus ergo submissio corde, humilique spiritu ad authorem nostræ vitæ, ut accensi ipsius flammis mundi reddamur à nostris vitiis ; ut hic possimus meditari ipsius beneficia cum fructu, & affectu, & postea pervenire ad æternitatem gloriæ. Amen.

C A P U T X I I.

De Oratione vocali, & ejus mediis.

16. **I**ta contemplativus debet vacare mentalibus, ut non despiciat vocales ora-

tiones, externaque colloquia cum suo conditore, ac Deo ; & ita laborare in vocalibus, ut cum iis jungat attentionem mentis. Ut enim animam accepimus à Deo, ita & corpus ; corpore, & animo dilaudandus, honorandusque tam amans, ac potens benefactor : mente simul, & lingua referendæ grates clementissimo Numini, pro tot, tantisque muneribus quibus indies nostram imbecillitatem, sublevat, eam tandem ditaturus pulchritudine gloriæ. Summa perfectio hujus nobilissimi exercitii petenda est ex attentione eorum, quæ inter orandum dicuntur, ; atque ex elevatione mentis in Deum, puritateque affectûs, & amoris, quorum impulsu suavissimè percitus orans, movet sua labia, pronuntiatque vocem ad efferenda Creatoris mirabilia, & encomia, sibi que impetrandos favores quibus doleat de culpis, obtineatque salutem. Hujus autem exercitii præcipua media sunt eadem, quæ assignavimus pro oratione mentali. Nemo enim aptior ad implorandum Deum lingua, & voce, quàm is, qui corde, & animo generosissimè afficitur erga ejus bonitatem, & magnitudinem ; quoniam ex abundantia cordis os loquitur. Tam fortis est affectus amoris, ut amans, quod suspicatur vigilans, etiam somnians pronuntiare soleat. Mundus ei vilis est, cui Deus bene charus est. Qui autem despicit mundum, suspirat opere, & voce pro divinis, ut aliquando vix se cohibere possit, raptus interiori impulsu. Quamobrem removenda hic impedimenta ad rei divinæ, & cælestis contemplationem ; studendum iis exercitiis, quibus illa per Dei gratiam acquiritur, ut pii, diligentes, morigeri, assidui in utroque orandi genere, amantissimi Dei, & proximi, humiles in hac vita, consequamur alterius triumphos, & victorias. Amen.



S A N.

S A N C T I
F R A N C I S C I
B O R G I Æ
O P E R U M
L I B E R Q U I N T U S.

Meditatio Passionis Christi juxtà septem horas Canonicas.

P R Æ F A T I O.

1. **R**adix è qua omnium nostrorum malorum noxi surculi sese trudent, est nostri cordis remissa custodia; cum per summam desidiam cogitationibus licentiam facimus, ut eò disfluant quò voluerint: quam rimam improbè à nobis deductam humani generis adversarius curiosè speculatus, extemplo ingreditur, ut nos profliget; vel quod idem est, in omnem vitiorum licentiam effundat. Ut igitur commissisa à nobis culpa penitentia respondeat, & qui pravis cogitationibus nostra mentis januam aperuimus, iis tandem abactis, salubriores concipiamus in posterum, hanc Christi Domini Assertoris nostri meditationem in compendium redigere sum aggressus, ad mecum semper circumferendam, tanquam pretiosum amuletum, quo meum cor suo ingenio per humanas res disfluens, pristino sanitatis vigori restituam; & extinctum in eo Divini amoris ignem, quasi novo pabulo dato, hoc frequenter perlecto libro, deinceps accendam. Verùm enim verò ad acuendos Divini amoris stimulos per nostram negligentiam obtusos, nullum est presentius remedium, quàm qua pro nobis amanter tulerit Deus attentà mentis lance assidue pensitare. Divina etenim germina, nostrarum libidinum horrenti sylvà suapte naturà luxuriante, penè oppressa vulnere Christi caelesti imbre suffusà, ut caput emergant, magnas concipiunt vires, cum ipsa dent animos plagæ. Quàm pulchrè ad rem Divus Ambrosius! Plus Domine (inquit) injuriis debeo, quas pro me patienter tulisti, quàm divitiis, quibus me profusè creasti, quid enim nisi essem redemptus, mihi profuerit esse creatus?
2. Si ergò, mens mea, Divini amoris astus in te deserbuit, ad còtemplanda tormenta, qua tui ergò passus est Christus, te impiè accinge. Nulla enim res unius amantis cor fortius urget, quàm qua sui causà aliùs tulit, ob oculos habere. Vel vile mancipium aliquando ferventius amas, cum apud te tacitus ãstimas aliquam, quam tui in obsequium navavit operam. In amorem ergò tanti Domini haud agrè incumbere, attentè considerans, quàm tibi sedulo inservierit, donec ipsam efflaret animam; ut pro te servi formam acceperit, assidue cogita: ut in aliena Patria venundari voluerit, ad te è miserabili peccati ergastulo eruendum. Vide quod ad tua libertatis soluendum pretium opus fuerit in corpus, quo calorum moles fulcitur, acerbum flagrorum nimbum per summam inhumanitatem depluere, rudiumque clavorum, & immitis lancea foraminibus debiscere: qua vulnera pro te ferre adèò domino fuere dulcia, ut in stemmata, & sua gloria insignia illa libenter acceperit, eorumque cicatricibus, veluti characteribus, utpotè tui amantissimus voluit in posterum manere notatus, paratus semper errores tuos delere, & si velis respiscere, tua tibi condonare peccata.
3. Scriptum est, usquequaque oculos Domini circumferri, ut noxi aquè, atque innoxii, placido, & sereno intuitu beentur; qualis strictior stimulus ad sanas semper cogitationes concipere nos subigendos, quàm videre, suo visu nostri cordis penitiora latibula Dominum penetrare, & ad nos videndos tam attentè ferri, ac si illum nulla alia torqueret cura, nisi ea, qua vel agimus, vel cogitamus animadvertere? Ad rem ergò erit, si coram ipso nunquam nos sistamus vacuos; sed Christo Cruci affixo mentis aciem semper figamus, tanquam speculo immaculato, quo nostra vita navos, ac noxas studiosè tentemus, ut nos reddamus meliori frugi, & ablutis, qua nos inficiunt sordibus, tanto conspectu fiamus digni. E cruce enim, tanquam è suggestu, si attentas illi dare aures non recusamus, haud tacitè oratione in nostros invehitur errores, illosque & arguit, & castigat; & si pe-

si penitus in nobis mens non hebescit, & Domini angorum utcumque viget sensus, ipsum sic è cruce pendentem videre nobis est manifesta correctio. O suavissime JESU mea mentis dulcissime Praceptor, quam acriter, & severè sic abjectè habitus (cujus nutibus calum, & terra subsunt,) pro mea superbia, & inani tulisti pœnas gloriâ: qui ambitionis illecebris tactus orbem terrarum meo subigere imperio avidè cupio! Tuum mitissimum caput horrenti veprium obductum, sub triumphali titulo collapsum, quasi mundana gloria, & hujusce seculi vanitatis inane pondus non sustinet. Cum duo sydera (qua collectas calo nubes fugant, & extinctum diem reducunt,) tua inquam lumina, à lacrymarum imbre pro meis ablucendis sceleribus effuso, nativo fulgore mortis injuriâ penè corrupto, marcescere contemplor; oculos meos per inanes, & fluxas res caduci istius mundi procaciter vagantes, invenio reprehensos.

Cum video Domine dulcissimum os, quod Hybleo melle suaviora verba, & omni dulcedine conditam proferebat doctrinam, fellis aceto diluti, inhumaniter propinato pharmaco amarè infectum; mei oris gulam, & mea lingua procacitatem objurgatam haud obscure deprehendo: Oris gulam; quippe quod lautioribus dapibus, & exquisitis ferculis avidè inhiat; lingua procacitatem; quippe qua tanquam effranis equus in omnem licentiam sese precipitat. Cum mentis oculis tua nuditas recurrit, quando exutis vestibus Sacratissimum corpus (per quod agri lilia, & cali aves plumis conteguntur,) è duro pependit ligno; tunc mea me pudet avaritia, & luxus, cui satis non est vestes habere sericas, & holosericas, quarum adhuc superfluas, amoris tui ergò, pauperibus avara manus rigent erogare. Cum Domine contemplor apertum lateris vulnus tanquam omnibus peccatoribus patefactam cali portam, & quòd vel ipsi Longino sevâ hastâ vulnus infligenti, profluente è latere sanguine, lumen reduxeris; meam duco damnatam invidiam, siquidem meis proximis fores pectoris occludo, & de illorum bonis doleo, ipsorumque infelicitates haud agris oculis introspectio.

Cum Virginei corporis, Domine, illibatam pudicitiam perpendo, hinc Beatissimâ Matre, illic amato discipulo ad crucis pedem cingentibus latera, qui virgines cum virgine ad finem usque perseverarunt, & de quibus tibi vel in ipsis mortis angoribus fuit cura; in negligentiam quâ me gero in anima, & corporis castimonia custodienda, à te acriter animadversum iri in me existimo; & illud in primis me alitius torquet, quòd justis verberibus in corpus meum non saviam, ob multitudinem peccatorum meorum, cum tuum innocuum sic malè flagris acceptum, crudeli damnatum trabi conspiciam. Cum trabalibus clavibus perforata divina manus occurrunt, & pacatus animus inter tot injuriarum grassantem procellam, qui licet tunc justo, nullo tamen concepto furore, pietate firmâ, illatorum sibi scelerum planè oblitus, de se tam malè merentibus blandâ oratione Paternas iras deprecabatur; tunc faciles anima mea, vel levibus de causis in savitiam motus, vehementer portatus, respiscere in votis habeo; cui utique valdè proclive ad percellendum manus, & dictæriis laceffendum linguam semper in promptu habere.

Cum video, Domine, Sacrosanctos pedes mortarium ad commodum semper olim ire paratos; nunc ferro transfixos funesto ligno harere; ab imoque planta ad verticem usque, non nisi uberem dolorum segetem in te inveniri, & te mea utilitati intentum, nec ipsâ morte defatigari; de negligentis erubesco, quibus frequenter in tui obsequio laboro, & nimis doleo adeò pigrè in tuo famulatio me haberi, & quòd inchoata à me bona, per meam nimiam mobilitatem perseverantiâ non absolvam. Itaque amantissime Deus à pedibus ad caput usque, tanquam mundissimum speculum meos mihi aperi navos, & ut piissimus Pater correctionem, & penitentiam à me summo perè desideras, & patienter expectas, cum nolis mortem peccatoris, nisi ut convertatur, & vivat. Ad omnia evertenda peccata, hoc, extrâ dubium, efficacius remedium inveniri non potest. Ab iis Salvatoris fontibus, Divinis vulneribus spiritualis consolationis nobis hauriendi sunt latices ad tribulationes ferendas, & hujusce vani seculi exantlandos labores. Sed ignorare non debet, si quis hanc scientiam, (qua omnes scientias latè antest,) velit experiri, pulchrum illud Divi Bernardi dictum: Consolationem Divinam nimis esse delicatam, & cum humanis consolationibus coherere non posse. Quapropter si Divina solatia tuo cordi velis succedere, seculares ab illo voluptates sedulo abigere necesse est; omni igitur studio evitandum tibi est, fugare blanditias, effusos frangere cachinnos, ludibriis abstinere, non interesse ludis. Carnalis enim voluptas, & vulnere Christi contemplatio, eodem loco figere castra non possunt. Debes igitur nunquam vacuus Divino amore inveniri, solitudinem amare, studere silentio, propius enim Deo accedes quò longius ab hominum recesseris commercio. Et si fortè adhuc id, quòd pridem optabas gaudium, & eam, quam jam diù desiderabas dulcedinem in evoluenda Christi passione non captas; & adhuc tibi cor ferreum est, ne propterea cadas animis, & cave ne desperationi succumbas, sed majori cura, & frequentius molire hanc cogitationem tuo corde, datâ operâ exprimere, nam Passio, & extrâ omne pretium Salvatoris sanguis, ejus sunt natura, ut tanquam effusum oleum vel Caucasæis cautibus duriora corda possint emollire. Nonne audisti ipso Passionis tempore lapides frangi, & præ teneritudine dissolvi? Et ut alius dixit: Gutta cavat lapidem, non vi, sed sæpè cadendo; quantò id fortius agent vivi San-

guinis ferventia flumina, quae à sacratissimo Christi corpore Divini amoris igne inflammato uberri-
me micant. Superest ergo ut aliquid de hoc aggrediamur dicere, & ut id munus attingamus (con-
templari nimirum tam sacrata mysteria) considerandum nobis est, nos coram Christo, & inteme-
rata Matre assistere; quippe qui Angelorum agminibus stipati orantium medio sunt, audientes,
videntesque quicquid cogitamus, & dicimus, & precibus à nobis fuis in nostram utilitatem ver-
gentibus ultro paternas aures inclinant.

Hanc Methodum sequenti opere compendiarie observabimus: In septem Mysteria, juxta septem
horas Canonicas, exercitii diurni, Christi Passionem subdividemus, ut nulla sit hora qua nobis
novum motivum non suggerat, ad excitandum cor ad tam sanctam meditationem captandam. Ali-
quot Passionis mysteria tantum obiter perstringam, horum maturiorem considerationem, tanquam
ditissimum spicilegium, amicorum Christi devotioni cedendo, quibus tam amanter cor suum aliquan-
do patefacit, ut id exprimere nulla vox humana sit satis. Pro premio hujusce opella sit, ut qui
hunc aliquando legerint librum, me apud Deum enixe commendent, cum illis dulcium lacryma-
rum copia fuerit, quas dolorum Christi meditatio ab oculis extruderit; cui perfectus sit honor, laus-
que pro omni opere bono à nobis patrato, Amen.

C A P U T I.

A D C O M P L E T O R I U M.

8. **C**ompletorii tempore, non abs re erit,
si Christianus religiose, & sanctè con-
sideret, ut Salvator noster Dominus JESUS,
vitæ curriculo per multos labores, &
ærumnas ferè absoluto; veteris Testamen-
ti umbris, & figuris voluit tandem finem
imponere, & adulti jam in nos amoris
experimentum aliquod nobis dare. Ultri-
mæ igitur cœnæ munere cum Discipulis
ritè peracto, post cunctorum pedes muni-
dissimo lavacro per summam humilitatem
deterfos; corporis sui, & sanguinis sa-
cræ Synaxin instituit; quam nobis in sin-
gulare illius, quo in genus humanum ex-
stuat incendii, speciem, & pignus reli-
quit; & in omnium nostrorum laborum so-
ladium, remediumque. Pro tanto beneficio
illi à nobis immensæ haberdæ sunt grates,
qui in hac lacrymarum valle extorribus,
Angelorum panem, ad iter beatæ vitæ ro-
bustè capeffendum nobis tam lautâ fregerit
manu.

9. Post cœnam, solemnem illum sermo-
nem, de quo amatus Evangelista meminit,
coram Discipulis habuit; in eo pacem,
concordiamque quantâ maximâ potuit
instantiâ Christianorum gregi commenda-
vit, quos in hoc ab infidelium turba dig-
nosci voluit, si mutuo charitatis vinculo
strictè teneantur. Æterno Patri gratiis
de more peractis, ad Olivarum montem
comitantibus Discipulis emensus est iter.
Illuc tendentis si ponè vestigia sequamur,
nostræ obligationis munus explebimus;
ut quæ in nostram salutem edidit opera,
mentis oculis attentè videamus; & illum
qui Angelorum est gaudium, & Beatorum
jugis lætitia, tristitiæ fluctibus cernamus
turbatum, cum imminentium jam jam
dolorum in orationem effuso dira patuit

acies; quas animi angustias tum palam
expressit, cum in illud prorupit, *Tristis est
anima mea usque ad mortem?* Quæ verba
amaritudinis, & doloris scatent sensu, &
assultu quodam occulto illius concutere, &
frangere possent viscera, qui moerentem
Dominum non tam de suis poëtiis, quàm
de nostris flagitiis ritè contempleretur;
quippe qui ut Assertor humani generis om-
nia hominum peccata, ad quæ redimenda
è cælo in terras peregrinaturus descende-
rat, tum temporis, habebat mente præ-
sentia, & aded anxie torquebatur, viden-
do noxas, quibus in Deum frequenter de-
linquimus, ut id solum ipsi enecando esset
satis, nisi ejus humanitatis fragilitas Di-
vinitatis robore muniretur; & ut nobis
tristitiâ correptis, ad moeroris impetus
expugnandos orationis armis daret exem-
plum, dixit Discipulis: *Tristis est anima mea* Matth.
usque ad mortem, sustinete hic, & vigilate me-
cum. cap. 26.
vers. 39. Et ab eis avulsus ad lapidis jactum ex-
cessit, procidentisque in faciem suam ean-
dem orationem Patri dixit: *Pater si possi-
bile est, transeat à me calix iste; verumtamen
non mea voluntas, sed tua fiat.*

O miram unigeniti Dei obedientiam, 10.
dignam sanè, quæ ab omnibus ipsius secta-
toribus studiosâ curâ imitetur! Quàm hu-
militer æternum Patrem effusis precibus
deprecabatur, ut ab ipso, si vellet, amari-
tudine plenum calicem diverteret! Sic ta-
men Patrem orabat, ut expeditum sem-
per animum ostenderet humanæ suæ na-
turæ doloribus cedere, quàm à voluntatis
Paternæ nutibus vel ungue latius deviare.
Et ut nos orandi assiduitatem dato edoce-
ret exemplo, (quo ad persuadendum nul-
la vis fortiùs agit,) fervoris, & devotionis
affectus identidem augendo orationem
tertiò repetiit, & sic ultimò vehementer,
& diu incubuit precibus, ut agoniam mortis
manifesto symptomate usquequaque ange-
retur, & sudor ipsius tanquam sanguinis
guttæ

guttæ ad terram usque decurrerit. Ingenti amoris æstu divinum pectus per id temporis proculdubiò conflagrabit, tamque præcipiti ferebatur affectu, operi Redemptionis finem faciendi, ut pretiosissimus sanguis, inter venas contineri non patiens, impatienter ebulliret, & portam sibi quæreret, quâ prorumperet; apertisque venarum repagulis & poris delicatissimi corporis resolutis tandem emicuit, sydereum frontem, & decoram faciem latè profundens, imbutisque vestibibus, undique rivis labebatur in solum, ut nostri cordis sterilis ager imbre illo cælesti in vitæ æternæ uberrimos fructus fœcundaretur. Tanta erat vis sanguinis, quæ à Domino profluebat, ut paulatim amissis viribus veluti deliquio correptus, è terra, cui facie procubuerat, quasi non posset surgere. Angelus ad ferenda auxilia præpetibus alis illuc convolavit, & adhibitis suavissimis, & amorem redundantibus verbis Dominum sublevavit; qui quantumvis Deus à creatura sibi oblatum solatium non detrectavit accipere, ut tali nobis constaret exemplo, in oratione perseverantibus nunquam non futurum, quin Deus spirituales consolationes, saltem promptas animi vires suppeditet, ad qualemcumque laborem viriliter sustinendum. Hic patentes sibi portas, & temporis opportunitatem pia Christiani anima inveniet ingrediendi ad Salvatorem, ab illoque petendi salubria Spiritus dona, & integram peccatorum condonationem.

II. Post hæc convenit Dominus Discipulos, ut eos suæ caulæ ovium charissimum gregem, solerti curâ piissimus Pastor inviseret, in altum tamen soporem solutos invenit; solus Judas rapacissimus Lupus ejus morti invigilabat, qui perduellium raptim collectâ manu ferro instructâ, & ad aperiendam viam, dissipantibus noctis caliginem latè funalibus collucentibus, tam atrocis agminis Ducem agebat, ut improbam cordis rabiem Agni mitissimi cæde expleret. Quibus ingenti animi alacritate obviam ivit Dominus, & suâ sponte flagitiosorum arbitrio sese commisit, verba illa, quæ adamantina corda flectere valebant, tranquillo, & sereno proferens ore: *Tanquam ad latronem existis cum gladiis, & fustibus comprehendere me. Quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis; sed hæc est hora vestra, hæc potestas tenebrarum.* Extemplò viperinum agmen humani generis Assertorem, factò impetu, circumvenit; crebris furentium vocibus, & clamantium, ut vinculis premeretur, omnis circumquaque locus latè resonabat.

Matth.
26.v.
55. &
Luc. 22.
v. 53.

Instant hi colaphis, cruoris desiderio non minus ebrii, quàm impietate; alii per capillos deprehensum in terram dejiciunt. Qui vestri, sydera, fuerunt sensus, cum stellarum Dominum, infamis turbæ pedibus protritum vidistis? Hi vestes lacerant; illi Salvatoris brachia torquent; hi vincula manibus injiciunt; illi formosissimum collum informibus funibus induunt; omnes denique plagas plagis ingerunt, & ut ferocissimi Molossi innocentissimum Agnum usquequaque dilacerant, qui omnia pro nostrâ salute plusquam humano pectore sustinet, ut faces in nostrum exitium comparatas, suo cruore restingueret. O nos felices, si tunc laboranti Domino in aliquo suppetias ferre possemus! si illi utcumque solatio essemus! si quid vinculorum, & catenarum ponderis, quo dirè premebatur, in nostrum dorsum subduceremus. Rationi enim consonum esset, ab illo Domino vincula auferre, qui ut nos è captivitatis Ægypti vinculis liberaret, nostri amoris stimulis actus, sibi injici vincula passus est. Nulla vox est, quæ possit comprehendere furorem, sævitiamque, quâ nefarii illi tortores toto viæ decursu, donec Anæ domum pervenire, Salvatorem mundi vexarunt. Omni humanâ ope destitutum, ipsi etiam deseruere Discipuli. Innitæ grates, immensaque laus pro omnibus, quos in nostram utilitatem impendit laboribus, ipsi æternum habeantur Amen.

C A P U T I I.

A D M A T V T I N V M.

SI Matutino tempore cogitatione nostrâ domus Pontificis Anæ pulsaverimus fores, Redemptorem intus inveniemus; ibi qui sine culpa est, supplicis plectitur, qui nunquam deliquit, ad examen vocatur; & alias tacendo injurias, vultus ille, quo Angelorum oculi veluti gratissimo pabulo recreantur, à vilissimis, & sordidis tortorum manibus crudeliter colaphis cæditur; ibi nequam ille Malchus omnium furiarum diris obnoxiam attollens manum, expansis digitis venustissimo vultui grandem ictum procaciter infixit. Et ut dignâ æstimatione tam enorme dedecus, & execrabile facinus perpendamus, hominum diversa studia erga afflictum Dominum, sub idem tempus videnda sunt nobis. Improba circumstantium turba, (inter quos ipse Pontifex) illata publice Christo probra effusissimo risu excipiunt, & mordacium vocum in eum spississimè

injectionum Aulam totam strepitu implent. Econtra verò silebant ii, qui Christi doctrinam piissimo colebant studio, & aded vehementem non ferentes dolorem (Christum nimirum tot tormentis videndo lacesitum) cum alia arma in expeditu non essent, recurrerant ad lacrymas, promptum miserorum solatium, & complorationi largè indulgebant. Quò melius dignitatem, & innocentiam oppressæ Christi personæ agnoscebant (quibus rationibus injuriæ, & infortunia in grandius crescunt) eò vehementioris pœnæ stimulis, ipsorum fodiebantur præcordia. Poterat tunc, si vellet potentissimum Domini brachium de tot insolentiis justissimam illicò capere vindictam; vel subtus dehiscente terrâ, præaltis voraginibus nefarios haurire; vel sursum horrificâ tonitruum, & fulminum procellâ quassatos in cineres dissoluere. Cæterum ut patientiæ nos præiret exemplo, divinæ potentiæ impetum, innatæ mansuetudinis adductis habenis temperavit; & voce amorem undique spirante, qui illi honestissimam faciem perculserat, sævum tortorem, sic blandè objurgavit: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem benè, cur me cadis?*

13. Ab Anæ domo ad Caiphæ Aulam in vinculis deducitur Dominus; ubi à Phariseis, & Pontificibus quàm apud Anam nil mitius habitus; & ut mendacio constaret fides, falsis testibus ad id vaferrimè conquisitis, de somniatis ab eorum furoris ebrietate criminibus accusatur; quibus Salvator ne hiscere quidem; ad tali nos silentio edocendos, obtrectatorum ut mussitantium muscarum murmur contemnere. Interim surrexit Caiphæ, feralique, & faucibus orci erutâ voce, dixit: *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei.* Æterni Patris nominis reverentiâ pulsus Salvator, respondit: *Tu dixisti*: Etenim verum est, me unigenitum à Patre procedere. Pro blasphemia ab iniquis iudicibus tam manifesta veritas habita: pari consensu, & præ iracundia elatiori voce dixerunt, Dominum esse reum mortis. Instar leonum in dulcissimum JESVM ruunt postea Judæi: probris onerant eum; sævè dilaniant; colaphorum, sputorum pluvia, in faciem illam Angelorum delictum, ut recens in Anæ palatio, iterum recrudit; nec modestiores ab avellenda divini Absalonis cæsarie profanæ parcebant manus.

14. O bone JESV, Patris Æterni gaudium, & Angelorum singularis voluptas, quàm magnum amoris hominum per tua viscera grassatur incendium! Sic enim lætus inju-

rias spontè sustines, ac si illarum deformitas te lateret; solum præ oculis habes, sic te nostrarum animarum captivitatis pretium solvere, cum ipsæ solvendo non satis essent. Pro illis tibi vitæ jactura lucrum, & dedecus honor est ingens; si solus peteris his probris, de his libentius taceres; sed cum per te Divinum feriant Patrem, haud dolere non potes. Si cum te percutiunt homines, peccato non manerent obnoxii, quantumvis acerbissimi ictus, te nullatenus tam acerbè cruciarent: de vulneribus, quæ sibi infligunt, cum te tam sævè percellunt, mœrore magno corripere; quòd cum te cædunt, ab illis illata vulnera ipsorum saluti impendas, ingenti afficeris gaudio. Haud modicè etiam perjurium Petri pulsabat Divina præcordia, qui cujusdam mulierculæ vocibus, tamquam fulmine afflatus, ter Dominum negavit; misericordiæ plenos oculos, ad pecudem errantem, ad ovile reducendam deflexit statim piissimus Pastor; cujus intuitus præfulgido fulgore percussus, infortiate criminis detectâ, Petrus ad pœnitentiam, & lacrymas festinus cucurrit; *Et exiens foras flevit amarè.* O ter felices, Domine, queis tali aspectu beari contingit; illius enim calore, licet obdurati cordis præfrigidum gelu, ut appetente jam vere glacies dissolvitur, & ejus munere corruptæ jam vitæ fœditas patet, errorumque caligine dissipatâ vident, quo recta ponant vestigia peccatores. Ut me frequenter aspicias, à te suppliciter peto, ut sic malorum societate valere jussâ, noxiis à me contractas sordes luculento lacrymarum lavacro detergam, & peccatorum meorum dignam faciam pœnitentiam. Amen.

C A P U T I I I

A D P R I M A M.

Veneris die, qui sacer est cruci, ipso tenebrarum, & lucis confinio, adversarii Domini mortem illius urgere incumbentes, surgunt tempestivè, & in domum Caiphæ seduli coeunt. Rursus catenarum pondere oppressus coram ipsis Author vitæ sistitur, ut pridè inchoatum examen, tandem absolvatur. Cogita, ô anima mea, te vinculorum Domini participem, cum antelucano tempore, fremente luporum agmine circumcinctum eum cordis tui oculis videris prodeuntem: justâ comploratione illum prosequere; & postquam spontè primus lacrymarum turbo concesserit, & fervens gemitibus placaveris peccatus,

Math. cap. 26. v. 63.

ctus, (nam verbis luctus obstabit) conceptissima hæc verba illi dices. Quid faciam Domine, quò jam abeam, hæsito; omnia usquequaque mortem minitantur. Quocunque oculorum aciem flecto, non nisi funesta, & lugubria simulacra recurunt, nec levis est conjectura te victimam morti parari. Tui itineris comitem agam, an afflictam Matrem conveniam, ut infasta illi nuntiem? Certè utrumque munus obire, licet piissimum sit; attamen si tuis vestigiis hæream, majori ponderi, quàm solatio me timeo tibi futurum; nam si mea deinceps peccata adjiciam, pro remedio vulnus imponam. Si Matrem adeam, & tibi mortem imminere dixerò, tam atrocis nuntii ingenti tumultu anxium animum, & materna præcordia concutiam. Ecquid absurdus, quàm qui filio propinavit venenum, de filii mortis periculo Matrem consciam facere? Nam ego (si nescis amantissime Domine, benè scis equidem) te occido. Quid tibi cum morte, nisi propter me est? Sanè si quod est crimen, hoc meum est; me dedant morti, & noxium caput puniant. Parce paululum Domine, matris tuæ dolori. Qui JESVS es, esto misericors Lunæ ut Josue; nonne Josue cum cursus solis suo imperio frænavit, Lunæ etiam præcepit, ut cælo sisteret? *Sol ne movearis contra Gabaon, & Luna contra vallem Ajalon.* Non indigebat fulgore Lunæ validissimus Dux ad debellandos ferro hostes; ut ictibus paterent, sat suis radiis Sol illos indicabat; sed ne penitus Luna obtenebresceret, veluti Lunæ misertus, tali imperio usus videtur Josue. Cum enim Luna suam claritudinem à Sole mutuam accipit, ut pleno colluceat orbe, Solem semper videre necesse est. Si Sol sistat, & Luna moveatur, viduata Luna sydere suo offusa tenebris inhorrescet; si Sol incedens terræ succumbat, Luna quantumvis cælo fixa, caligine venustum vultum deturpabit. Si hæc viâ pergis, ô animæ meæ formosissime Sol, intra paucas horas sub terra delitesces, & Mater quæ pulchra ut Luna à tuo lumine vivit semper, Tui luminis carens obtutu, moesta languescet in tenebris.

16. Ingredientem iterum divinum Agnum, verborum, & operum renovatis pridianis injuriis turbulenti Judices excipiunt; & inter alia quæ quæsierunt ab eo, illud in primis fuit: *Si tu es Christus, dic nobis palam.* Queis reddidit Christus: *Amodò dico vobis, quia videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cali.* Tam sancto responso, pro blasphemia iniquè habito, non imperantes furori suo, totum injuriarum plaustrum in Salvato-

rem rursus exonerant; & duro fune post terga, quæ cælum condiderant, revinctis manibus: formosissima illa cervix (è qua Matris dulces pendent deliciae) deformibus injectis laqueis innectitur. Hic furoris æstu incallescens multitudo, momento totam urbem tumultuario strepitu implevit: vociferantes undique confluebant, & rapta, quæ quisque potuit arma ferentes, medium Dominum per plateas latè stipabant, Pilato urbis Præsidi deducunt, ut sententiâ prolatâ eum capite plectat. Dum apud Pilati Prætorium Dominus immobilatur, afflictæ Matris domicilium, ô anima mea, adeamus; & quid ipsi dicat Discipulus amatus audiamus. Is in domo Anæ Divino relicto Magistro, noctis silentio fretus, & præ nimio fletu turgentibus oculis Virginis penates ingreditur; ibi vario curarum æstu agitatam invenit; adhærebat ægræ fida sanctarum fœminarum manus; de Joannis aspectu rata id quod erat, Sanctissima Mater, (jam dudum enim anxie de Filio cogitabat,) eum sic affatur: Scio venire te de Filio meo dicturum; age modò, vivonè, an cum ipso pereò? Non tulit Joannes diutiùs lacrymas; crebris igitur singultibus interturbantibus vocem conversis omnium in se vultibus, auribusque respondit: & verò Filium adhuc vivere, ab eo se ad Matrem venire; & nihil circuitu usus, totam tragœdiam sic depromit.

Haud quisquam deslere potest, quod voluit; etenim pavet animus, horret; 17. magna utique perniciès adest: vellem tacere, sed dolor, ut corda laxem, cogit dicere; à quo tamen incipiam? Non in promptu oratio est. Usque aded enim multiplici ærumnarum varietate vidi laborantem, ut mens ipsa hæreat. Ad hortum Gethsemani, processimus mater. Illic in genua provolutus filius, sublatis ad cælum manibus orabat Patrem, dicebatque: *Tristis est anima mea usque ad mortem;* Pressusque agoniâ sudabat sanguine; orantem cum sæva Cohorte turbavit Judas, ruensque in amplexum, sacram fœdo osculo conspurcavit faciem, & sub pacis signo bellum crudele indicens, mitissimum Agnum atrocibus lupis indigitavit. Currunt ad prædam celeres, & funibus alligant; jam vinctis post tergum manibus, laniata veste miserandum spectaculum ducitur, nec probris, nec manibus abstinent, omnibus sævientibus, nullo miserante; pronus ad impietatem cunctorum genius omnem misericordiam abstulerat. Præceps in ora Natus cadit in via; premebant vincula manus, ne posset erigi, pro surgendi auxilio auferunt-

sævi comas, oraque pulcherrima duræ populantur manus; & moritura statim membra devolvunt pedibus. Multâ jam nocte domum Anæ ingressus, clamore seditiosorum, & procacium circumstrepitur; illinc tunicam alius lacerat; hinc alius audaci manu crinesprehendit, ac trahit; unus etiam dux, ac magister sævitæ non dubitavit venerandam faciem armatâ illidere manu, nec fatiatus defunctorio ictu ad crudeliora immanitatis auxilia recurrit. Convocat servorum fordidissimam partem, & in cælestem faciem conspuunt omnes, impositaque venerando corpori alaparum signa sputis diluunt; neque hic finis miseriarum, adhuc timetur malum majus timore; nisi Æternus Pater iras componat, sine scelere, & sanguine non abibit crastina dies; & cum tam atrociam sint quæ audis, crudeliora supersunt videnda, cum hæc futuræ Tragœdiæ sint tantum antecœnia. Citò occidit Natum, si vivum vis aspicere, curre, festina, Mater, matura, propèra.

18. Heu chara proles, diceret forsitan Beatissima virgo, & unicum afflictæ Matris dulce solamen! Heu suave pondus, quod mensibus novem visceribus hinc tuli, quos te ferendo olim dolores non habui, hos nunc ferendos mihi dant dolores, quos pateris! Sic tenera membra finient, quæ brachiis pressi, sic amabile caput, & flos meus pulcherrimus? Ibo, ibo, me objiciam morti, ut te defendam; in hoc sæviant corpus tortores impii, dum incolumis serveris, pro te occumbam. Semper tibi acerbam mortem chare Nate timebam, sed quæ nunc procella, quod nunc fulmen celerius destinatos cursus exequitur? O quis daret nefastos cursus posse pervertere! *In laboribus semper Nate, à juventute fuisti, & cum vitæ telam, tot, tamque duris successibus inchoaveris, iisdem coloribus textam ad finem usque perducis. Adhuc Materno utero præclusum, quasi majoribus ærumnis proludens, pro Patriis penatibus habere stabulum, profanus Imperator edicto compulit. Vix lucem delibaras, cum ad manifestum bellum Herodes classicum cecinit, & vagientis tenero adhuc jugulo, durissimus mucro substringitur; ut tempestati vela subducerem, & in tua vitam meam fervarem, unâ tecum à Patrio solo per Barbaricas Terras fui coacta peregrinari; distuli tamen mortem, at verò non abstuli; quos averteram scopulos, in eos nunc impingo. Sic plorantem matrem hinc Filii amor, illinc generis humani Redemptionis desiderium, absimiles affectus, & vario cursu tendentes, quasi alterno*

quassatam salo, huc traherent. & illuc. Jam Redemptionis utilitas ad desiderandam mortem gressus ferebat, jam timor perdendi tam charissimi pignoris, non tam tardabat, quam referebat euntem. Ergo in tot curas distracta, ad petenda auxilia sui doloris, ad æternum Patrem confugisse, & gemitibus præeuntibus vocem sic orsa consideretur.

Pater Omnipotens pro crediti mihi¹⁹ Filii salute, ad pedes tuos supplex accuro. Cur me nascentis lætitiâ perfudisti, ut nunc tam immaturâ morte lugere doceres? Quid amorem mœrore commutas, quid ex amore lamenta concinnas? Nati vita, mea est, cum conformi spiritu utriusque corporis moles agatur. Si ille occumbit, quomodo superstes manere possum, aut eodem fato non perire? Ne pereat æterne Pater tam crudeli tyrannide, vivat diutius mea vita, atque oculorum lumen. Hanc nunc repende gratiam Matri Pater. *Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.* Finitâ tandem oratione, collectis viribus, divinisque auxiliis obfirmata, sanctarum foeminarum mœsto, & silenti agmine insequenti ad videndum filium Mater progreditur; licet tacerent omnium ora, oculi tamen uberrimè perorabant; præter luctus, & gemitus nihil audiebatur in viâ: quærentes cælestem animarum sponsum per totam Hierosolymam errabant; ad Pilati Prætorium tumultuantem effusissimâ vociferatione furentem populum percipiunt; accedunt, inveniuntque divinum quem quærebant Magistram. Ut ab truci ligno penderet, inter confusum strepitum, omnium clarè voces resonabant: antequam aures mitissimæ ovis desideratissimi sui Agni balatus percuterent, efferorum luporum ululatus pervenit; incondito fremitu latè perstrepebant, & coram Judice innocentem accusabant, clamantes, furore temulentii: *Si non esset hic malefactor, non tradidissimus eum tibi.* Quæ virgo, ni spississimi singultus vocis usum intercluderent, æque poterat respondere: Quid dicitis cæci, & cæcorum vesana progenies, in quo, in vos, filius meus, qui peccare non potest, unquam deliquit? Si beneficia pro sceleribus reputantur, flagitiorum plurimum factus est reus, fateor equidem; cæcis enim ipsius operâ relaxit dies, surdis restituit auditum, claudis pedes firmavit, manibus captis solvit manus, leprosos mundavit, fugavit dæmones, mortuos tandem quamplurimos ad vitam revocavit. Si legum vincula non dissolvit, sed fortioribus revinxit nodis, si Regnum cælorum prædicavit,

Nam S. Brigitta tradit B. Virginem inter se flagellatiōni f. l. i. Lib. 1. Rev. 10. cap.

cavit, si peccatorum sordibus bellum indixit, cur eum turbatorem; cur eum malefactorem ore pleno vocitatis?

Hæc, & alia hujusce generis poterat sanctissima Mater in eos jactare, & si audiri vacabat, non tamen poterat exaudiri: Usqueadè cunctorum aures pietatis vocibus erant occlusæ; ubi enim debacchatur furor, haud affinis pietas exulari consuevit. Conuersis iterum ad Natum plorantibus oculis, & illum videns ab amicis desertum, & aduersariorum globis latè circumdatum, ab omnibus accusari, à nemine, nec à se defendi; considerans cælestem illum decorem ingestis contumeliis penè consumptum; nec mihi dicere promptum, nec vobis percipere facile est, quæ tunc tormenta, qui tunc angores materna extimularent præcordia: pallescebat mœstissima Mater metu filii, & ejus morte futurâ trepidabat; in fletus oculi liquecebant, solvebantur ora in gemitus, & ni divinâ firmaretur manu, collapsum totum corpus laberetur in terram; intermortuis tantum vocibus illud audiretur frequenter: hei mihi, quia lumen oculorum meorum extinguitur, hei mihi, filii mi Jesu, Jesu fili mi! Torquebatur Mater dolore filii, & filium plus dolores Matris, quam sui torquebant. O bone Jesu, quam multiplici tormentorum congerie undique anxie premeris! hinc tua te vexant tormenta, illinc angores Matris agmine facto divina viscera confodiunt: usquequaque mortalium scelerum sarcina, cui pro nobis libenter succumbis, te oppressum fatigat; fac nos tecum, & Matre tantorum dolorum participes, ut habeamus, quod pro nobis offeramus æterno Patri. Amen.

21. Pontius Hebræorum pro Romanis Præses, Redemptoris innocentiam speculatus, & quod solâ invidiâ pulsus Pontifices illius mortis causas conquærent, ne unâ cum ipsis effuso innocuo cruore manus fædè commacularet, ut imminente periculo se cautè subduceret, vinculis oneratum impiori se Herodi transmisit. Adulta erat jam dies, quare undique major concursus: fervebat atrium, & Regia area hominum undis, & ubique fremitus, & tumultuantes voces reboabant. Impellebant hi, trahabant alii, ut omnes collato studio mœrentem Matrem à charissimo Nati arcerent contuitu, nec à longè ipsius vestigia legere permetterent. Non nisi ii, quibus (ut me ita explicem) Hircanæ Tygres admoverunt ubera, poterant mitissimum Agnum ab uberibus balantis ovis avulsam sine fletu videre. Frangebant cautes gemitus,

& suspiria, cum Matris, tum Magdalenzæ, & aliorum, qui dominum ponè sequebantur; sola insanientium grassatorum, omnibus saxis duriora corda, emolliri non poterant. Tanquam insanientem, & fatuum Herodes cum omni suo exercitu irriserat Dominum. Illius silentium stultitiam judicabant; postremò albenti veste per ludibrium amiciunt, & sic factus opprobrium hominum, & abjectio Plebis, qui Majestas est Dei, rursùm deducitur ad Pilatum. O Clementissima virgo, qui tibi tunc sensus, quæ afflictæ animæ angustia, cum eum, quem Divini spiritus adjuvante consortio genuisti, sic malè habitum inter parricidales hostium manus plorans videbas! Eò sævioribus pœnis agebaris; quò tibi laborantis Domini Majestas, & sapientia erat notior. Per hæc opprobria piissime Domine, quæ mel ergò patienter tolerasti, à te peto, ut mihi concedas contemptum omne æquo animo amplecti, & quidquid perpeffu durissimum est, haud nubilâ frontè accipere; da ut hinc tuis convitiis eruditus gaudeam irrideri, atteri, contemni, abjici in hoc mundo, ut iis merear unâ tecum gaudiis æternæ Beatitudinis interesse. Amen.

C A P U T I V.

A D T E R T I A M.

22. S U B horam tertiam coram Præsidente stare considerari potest Jesus, & depressis ad terram oculis magnum silentium observare. Cuncti mirabantur tacentem, sed potior admiratio tenebat Pontium, quippè qui undique calumniis laceffitum videbat, & à nemine, nec à seipso stupebat defensum. Innoxium ergò tam manifesto argumento conjiciens, ejus innocentia coram plebe non dubitavit testimonium ferre, palam obtestans, se, et si curiosè investigaverit, nullam mortis causam in homine invenisse; superaddidit que secum judex: puniam prius, & liberum manu mittam postea. Tortoribus igitur tradidit vapulandum; haud cunctanter develatur statim virgineum corpus, & scisso templi velo ante hunc diem abscondita, divina illa propalatur pulchritudo. Juxta martorea surgebat columna; huic ligatus fuit Dominus, quò facilius pateret verberibus corpus. Huic manus illæ, quæ cælum lunâ formosis syderibus comitatâ, tanquam argenti, & auri bullis ad universi pulchritudinem cælarunt, ac si impiæ, & sceleratæ essent, ab impiis, & sceleratis variis

riis implicitis nodis adstrictæ sunt. Dolebant manus funibus pressæ, sed altior dolor pungebat Dominum, nudatum corpus inverecundis barbarorum aspectibus patefieri: mimicum eorum risum durissima flagra excipiunt; alternantes igitur vasta lacertorum pondera immanes attolunt, & flagris depressis multum, diuque divina membra dilacerant; iis fessis recentiores succedunt, & ad numerum ictibus ictus imponunt; crepitabant artus verberum grandine collisi, & ad terram undique rivis extrâ omne pretium pretiosus sanguis fluebat. Fatiscit usquequaque corpus, laceratisque artubus ossa ipsa recluduntur. *A planta pedis usque ad verticem capitis* non nisi hiantia vulnera, aut protuberantes videres vibices. O mi bone JESU, ô mi Agne, omni mansuetudine mansuetior, ut tam crudeliter puniaris, quod unquam incurristi peccatum? Video Domine equidem, & est cæcus quisquam qui non videat, ad hæc ferenda meum te impulisse amorem; ego feralem luem contraxi, & tu, ut bonus medicus, ut me à morbo sanares, absynthio conditum pharmacum hausisti interritus. Ut clarius dicam: meum est crimen, & mei criminis poena tua est. Da mi bone Deus, ut pro me dolente tecum doleam; & ad non peccandum in posterum uberem mihi largito gratiam. Amen.

23. Jam scelestorum militum cædendo Domino defensâ cohorte, missio datur sacris manibus à columna, sic nudus coram plebe defertur ad Prætorium, clamide tantum coccineâ nimis attritâ indutus per ludibrium; utque personati Regis benè scenam expleant, consutam raptim ex præacutis spinis coronam venerando capiti imponunt. Quidquid furore plenum menti occurrerat, non omittebant crudelissimæ manus statim exequi; ergò tam sævo, & immiti corymbio obducto capite, vepres sacrata tempora altè præfodiebant: quales in Gethsemani rubicundæ ro-rabant stellulæ, hic fluminum instar inflati torrentes micabant cruoris; sanguineâ nube pulcherrima facies confunditur, & ni purpurea esset vestis, tanto murice de novo tincta Tyria fieret. Ludicrum ex arundine sceptrum inserunt manui, & sedentem in medio deflexis genibus, incompto verborum apparatu, & soluto risu, ut Regem salutant, & ingeminant: non verbis facta cohærebant; dum enim genua hærent solo, non hærent implacabiles carnificum manus; ne enim otio confenescerent excussissimas palmas identidem vultui impingebant, & diris fustibus, ut

vepres altiùs figerentur, tundeant caput. Proh dolor! quod, licet ex adamante constructum cor, labefactum, & resolutum in aquas non flueret per oculos, videndo tot injuriis dehonestatum eundem ipsum Majestatis Conditorum? Quis non iret in lacrymas videndo mansuetissimum Agnum tot lupis obambulantibus obsessum, qui feralibus (horrendum) apertis rictibus, in eum avidè inhiabant. Nullus porrò eorum miserebatur afflicto, omnes innoxio sanguine suo studebant furori parentare. Pallebat formæ divinum decus, & qui Paterni imperii clarus, & certus hæres, jam non syderum ut olim fulget modo, sed laborantis adinstar solis, horrido tenebrarum peplo undique obruitur, quocumque figit pedem expressa vestigia figurat, nam latè cruentat terram effuso sanguine, cum restinguendo, & obligandis vulneribus linamenta defuerint. Duriùs veluti morte gressus ferre, ictibus enim scissæ venæ ad singulos passus aperiebantur, & obtusis nervis acrior dolor reviviscebatur. Tot affectum doloribus absque dolore videntium existimans Pilatus videri non posse, quo insanientium, & lymphatorum rabiem compesteret, sic calamitatis speculum producit ad populum; & commiseratione dignum spectaculum indigitando clarâ voce proclamat: *Eccæ Homo*. Erige mentis oculos, ô quisque Christianus es, & Regem Salomonem, pacificum animarum sponsum, contemplare; qui spinarum diademate insignitus, quomater Synagoga (Novercam veriùs dixeris) eum coronavit, sistitur coram populo. O mi Deus, ut omnia mihi mea arguas peccata, totum te volo circumspicere; porrò spinæ, quæ tam divinum pungunt caput, meam superbiam, & inanem gloriam expungunt. Laceræ vestes, quas indueris, magis movendo risui, quam amovendo frigori aptæ, per tot ora, quibus fatiscunt, totidem prolatis sententiis, meum immoderatum luxum condemnant: genæ æquè affusæ, & suffusæ sanguine, me effrontem videndo, in tantum ruborem venere: jejunum os, & cruore à vulneribus prolapsodumtaxat depastum, et si non loquatur, haud tacitè esculentis, & poculentis ingurgitatam meam immodicam carpit gulam: flagellorum vestigiis, quibus totum corpus fulcatur, mea luxuries vapulat, & ut impudico amori bellum indicam, audio mihi suaderi ab ipsis: ad tam graves injurias devinctæ manus, effrænis meæ iracundiæ acutam aciem obtundunt, & inconsideratos furoris impetus ponere docent. Totus denique à pedibus capite tenens, ulceribus ple-

plenus, meam me ignaviam expugnare erudis, ut posthabitis mundi illecebris, voluptatibus carnis, & fluxæ gloriæ inutili curâ, uni tantum solidarum virtutum studio incumbam; & quidquid mihi corporaliū virium est, omne id tuo obsequio sedulus impendam.

24. Heu me! & quàm atrocibus stimulis Materna viscera pupugit dolor, cum charissimum Natum, commendatissimâ virtutis pulchritudine penitus deformatâ conspexit! Inundavere amabile pectus lachrymæ dolore paratæ, gemitusque suspirio tectus animam penetravit; cæterum clamabant tortores: *Crucifige, crucifige*. Non detumuit perduellium rabies tam miserabili specie commotâ, sed divino inescata cruore, quò plus effundebatur, plus haurire ardentius optabat, quarundam belluarum in morem efferati, quæ, luminibus sanguineo fulgore percussis, in omnem sævitiam asperantur, & quò conceptus furoris impetus impellit, ruunt præcipites, cæduntque. Tum demum exhaustâ omni industriâ, quâ usus erat Præses, ut manumissionem Salvatori daret, placuit tandem cum insanientibus furere; & ut illis morem gereret, induit se in laqueos, à quibus tantoperè se expedire sudaverat; prolatâque illâ INFANDA, HORRIBILI, & ab oriente seculo INAVDITA SENTENTIA, infernis imaginibus turbatus, authorem vitæ per summum scelus, infami ligno præcepit affigi. Currunt expediti carnifices ad prædam rapiendam, vastoque, & informi crucis pondere delicatos opprimunt humeros. Toto pectore amplexus suos Christus mittit in crucem, in cuius amplexus pro nobis iturus erat statim; circumfluunt undequaque horridi milites, & Tribunus ad feralem pompam deducendam, suos in ordines totam explicat legionem. Renidenti ferro omnes plateæ latè fluctuabant, obliquisque, ac trucibus omnium oculis lugubres mortis errabant imagines. Quantæ commiserationis esset, ô anima mea, partem istius Crucis tibi imponere! vide quanta sub sarcina Divina solvantur latera, & ad terram fluant imposito onere Redemptoris cervices. Quantumvis animos non despondeat, ut pro te tantum pondus sustineat, languescens viribus concidit, & subibit, quæ ad Redemptionem explendam adhuc supersunt ferenda, tormenta. Vide ut dulcissimus animarum sponsus cruciatibus obrutus, & immanis arboris mole premente in arcum deflexus operosum, & molestum ad Golgotha suscipit iter; vide, ut inter duos

cruciarios servilibus probris conspersos feratur ad supplicium, qui plurimis latrociniiis famosi, unâ cum eo (ut ab omnibus latro credatur,) damnantur ad crucem. Vide, ut infontis cum nocentum involuta causa, crebræ præconum insonent voces, tres illos facinorosos tam infami, ad quam ibant, morte ob sua flagitia dignos esse. Miserere igitur anima mea, Salvatoris tui pro te tot angores, & tormenta amanter fubeuntis; & ab illo expedita gratiæ auxilia ad pœnitentiæ crucem constanter sustinendam ferventibus precibus deprecare, & sic orationem adorire: O mi bone JESU, qui tot ludibriis ad crucem deferris; per viam mandatorum, & laborum tuorum me ire concede, ut post multas pro te à me in hac vita toleratas ærumnas; possim postea æternæ gloriæ deliciis frui, unaque tecum beatè conquiescere. Amen.

C A P U T V.

A D S E X T A M.

25. Collecto spiritu, & mentis oculis in cælum intentis, cum jam ferè esset hora sexta, cogitabis, per quos dolores, per quæ ludibria, & per quas injurias tandem ad Calvariæ rupem pervenerit JESVS; nec abs re erit, si cruentatis vestigiis insistas, & ibi videas, ut deterrimi lictores, & atroces carnifices nullâ prorsus pudicitiam habitâ ratione, sed exoculati, suæ tantum avaritiæ litantes, rursus vestes deponantur immaculato Agno, præcipiunt. In animo erat decertare aleis, ad quem vestes spectarent. Milites irruunt celeres, & per summam crudelitatem, uti positus vestimentis nudus in crucem ageretur, & suâ nuditate, tanquam albentibus gratiæ stolis divinum convivium ingressuros nos pulchrè exornaret. Velleris exuviis Paschalis Agnus spoliatus, vulneribus plenus, irroratus sanguine, vibicibus undequaque obductus apparuit; & quòd immanius est, excoriatus; cum enim agglutinatæ corpori vestes unâ cum ipso coalescerent, has detractas, summo totius corporis cruciatu adhærentes carnes sequebantur; tam lugubris prospectus omnium amantium Christi altè corda concusserat; sed præcipuè matris clades erat, quæ præ dolore lacrymis, & suspiriis vacabat. Affigitur cruci JESVS ferreis, atque acutissimis clavis; in altum sublevatur tremente toto corpore, lamentabili fletu plorabant mulieres, ut ex ipsis silicibus extorquere possent miserationem. Sola sceleratorum carnificum rabies, nescia mansuescere, innocentissimi cruoris avida, semper crudelius

ferociebat. O mi bone JESU, animarum nostrarum dulcis Redemptor, quàm pro no in nostram salutem affectu tam graves sustines dolores? Quàm charitate totum corpus ad recipienda vulnera expansis brachiis exponis? Quàm patientiâ acrilum Luporum sustines morsus? Plus tibi dolent membra hoc modo habita, quàm si millies moribus fuissent discerpta. Jam non vulnera membris, sed vulneribus quasi membra in te deficiunt, ut nova vulnera ingerantur, vulnere vulnus infligitur: sed licet deesset corpus tormentis, latissima pateret injuriis patientia, hanc immensus laborum non obruet cumulus, quò plus aquarum tribulationum potaverit, eò vehementius sitiet nostram salutem. Pro nostris sceleribus supplicium tuum est. A nostris voluptatibus, ut ab intentis arcibus, quæ te transigunt, acutæ torquentur sagittæ. Da lacrymarum fontem, ut te plangam; da gratiæ auxilia, ut deinceps non delinquam; da jugem amorem, ut tecum semper cohæream; da propitius, quod peto, & quod tibi placet, faciam, adimplebo. Amen.

26. Haud laxatâ custodiâ invigilant milites. Ad pedem crucis Deipara, & Joannes cum reliqua sanctarum foeminarum manu non nisi lacrymis indulgentes assistunt. Te comitem iis adjuge, ut cum iis anima mea in obsequium tanti Domini aliquam sedula naves operam, seu ut illum cum plorantibus desleas; seu ut eos adjuves, qui cruce Divinum cadaver velint subducere. O incomparabilem Domini pietatem! O immensum divini pectoris amorem nullis uspiam terminis circumscriptum! Expende, anima Christiana, eximiam salvatoris patientiam, & condonare injurias ab illo disce. Torquetur crudeliter ab hominibus, & positâ irâ tortoribus ignoscere Patrem exorat; Etsi talis patientia à nemine, nisi à Christo possit expleri; nefas tamen esset, si nemo eam imitaretur. Pro tua tenuitate Christi patientiæ adhære vestigiis; iram in amorem converte, pro injuriis beneficia repende, convitia alacer sustine, & pro te persequentibus iteratas orationes Domino, ut illis parcat, effunde. Nam condonatis in te ab hominibus commissis sceleribus, commissorum à te in Deum piaculorum veniam facilius impetrabis.

C A P U T V I

A D N O N A M.

27. **F** Ervidam Christi, & in immensum continuo crescentem charitatem contemplare; quem tot tormentorum acerbitate conflictatum tui miserendi nulla, vel minima subit oblivio; id septem verba, quæ

jam jam moriturus, dixit in cruce, manifestò testantur. Post hominum memoriam nullum atrocius facinus, morte Christi à mortalibus editum; quem in conspectu Patris immanes carnifices in furorem acti, tot ab ipso præsertim beneficiis devincti, per summum scelus fœdè trucidant: quantumvis aliis olim divina patientia fœdissimis hominum asperata sceleribus totum tamen furoris, ipsâ moderante clementiâ, ignem concoxerat; sed jam unigenæ funere, ad expetendas pœnas cucurrit. Prioris iracundiæ ictus in proximiores creaturas irata consumpsit; nam ab hora sexta usque ad nonam tenebræ factæ sunt super terram, omnes collucentes cæli radios inumbrante veluti spississimâ nocte.

Ecquid, tu Christiane, dicere jam poteris, (cui fortè id videtur, cum tibi per labores male est,) te à Deo desertum iri? Considera ex omnibus iis majus tibi emergurum gloriæ pondus, si tam felix fueris, ut tibi in hac vita contingat, Christi ærumnarum esse participem; si fixus ad crucem unâ cum ipso pendeas, dum vixeris, merebis postea, cum eodem ipso beatitudinis compos fieri.

Clamans autem voce magnâ JESUS, 28. dixit: Pater in manus tuas commendo spiritum meum, quo dicto, expiravit; sed unus militum lanceâ latus ejus aperuit. Ad tam impium facinus doluit Mater. In corde filii maternus animus videtur percussus; sub filii pectore, cor afflictæ matris per dilectionem latitabat; unde cum immitte telum nati cor sauciat, eodem ictu matris cor doloribus perstringat, necesse est. Vis ergo sanguinis, & aquæ è Christi latere statim erumpit; in lacrymas etiam resolutum cor matris totum. In lacrymarum pelago eam considerare poteris, quasi per has voces queri: Heu quàm sævè ferrum penetravit sobolem! Quid hoc est filii mi? Quid hoc? Etsi dolorum filius; charissima tamen mihi proles. Qui tibi laborum finis, idem mihi pœnarum fœcundum exordium est. Qui tibi defuncto inferitur ictus, me vivam contorquet. Nullus tamen tuâ morte mihi acerbior cruciatus; nam tecum gaudia mea, tecum mea solatia corruerunt; in te lucis meæ lucerna extincta; in te meæ lætitiæ fracta corona; tecum deliciæ meæ periire; & cunctorum dolorum, te extincto, ampla mihi seges renascitur. In hunc modum illa lacrymaretur virgo, & ut solent matres cum amissos filios deslent, quibus ornati erant; eorum gratias referre; sic virgo dicere poterat; O animæ meæ dulce germen, & pulchrorum omnium pulcherrime? Nemo filius suo obitu tm orbam matrem desti-

destituit, ut tuâ tu me nunc morte nate, relinquis. Cæteræ matres natorum morte solam filiorum jacturam patiuntur; ego in te ultra filii jacturam, sponsi, & amici dulcissima perdo consortia. Nunquam extra meos nutus pedem extulisti: semper mihi humilis, nunquam inobediens, quibus indigebam, operas sedulus impendisti; nullam usquam mihi molestiam intulisti; & si aliquâ curâ aliunde laborabam, tuo gratissimo aspectu, quasi nutrimento quodam prædulci, oculorum acies mirè reficiebatur.

30. Et tu Christiane, qui alto torpes sopore surge, age; surge è tuo somno, ut cum matre tui amantissimi magistri, pro tua tenuitate funeri quoque ejus debitis lacrymis parentes; & dum oculi fletibus vacant ita in terram fusus Dominum precare. O mi bone JESU, qui ad crucem fixus mortem pro peccatoribus obiisti, & qui tui doloris gladio ipsam quoque matrem penetraſti; tui amoris ardenti telo meum percute pectus, ut tuæ charitatis ictibus perstrictum, largos lacrymarum rivos effundat, perpetuò devoluens ingentes dolores, quos pro me patienter tulisti. Amen.

C A P U T V I I.

A D V E S P E R A S.

31. **C**Um valdè provecta esset jam dies, ulteriores anxium matris animum torquebant curæ. Sed interim adsunt Josephus ab Arymathia, & Nicodemus pietate insignes viri, qui tam sancto operi moliendo se magno amore accingunt. De cruce sacrosanctum Corpus, gratissimumque pondus haud gravata accepit sanctissima genitrix; pressumque ad pectora piè meditari potes, amore juxtâ, ac dolore conditis osculis hiantia vulnera verberare; collapsum caput tenèri à Joanne; pedibus jam sibi notæ prædæ Magdalenam incumbere, usamque lacrymis pro lymphis, & pro linteamine crinibus: tam lugubre spectaculum omnes prius habuisse attonitos, deinde spontè in lacrymas euntes largè fletibus indulgisse: inter complorationem, hæc aut similia matris verba fuisse perceptas: Hei mihi, fili mi! hei mihi; dulce meum delictum, & oculorum meorum extincta lux; quis mihi daret, ut te superstite ad mortem irem? Quis hoc pectus vulneribus pro tuo obijceret? heu qualem te nate mi, accipio? Quantum ab illo mutatum, quem hisce toties brachiis florentem compressi? Hæcine tua species est? Hicce radius solitæ Majestatis? Ubi vultus numine plenus?

Ubi frontis decor ad suavitatem compositæ. Quis turbo genarum rosas demessuit? Quæ nubes oculorum fulgorem corrupit? Quis Boreas cælestes gratias in ista facie renidentes, & oris abstulit venustatem? Ubi nativi stabuli concinentes suaviter Angelorum chori? Quis eorum symphoniam mutavit in luctum? Ubi Apostolorum grex? ubi discipulorum semper tibi fidelissima manus? Quò abière tot à te sanati infirmi? quò tot cæci restituti ad lucem? quò tot mortui ad vitam revocati? Omnes amici tui, fili mi, omnes te tribulationum fluctibus obrutum deseruère! Hæc aut alia æquè amara verba meditari possumus Virginis, quæ omnium audientium oculos contraherent ad lacrymas. Consumpto paulisper fletu, Josephus, & Nicodemus à virgine rogasse videntur, ut sibi locum faceret ad ungendum corpus, syndone obvolvendum, & supremo tandem mandandum officio. Fasciculus myrrhæ, responderet anxia Mater, dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur: sine dulcissimo corde vivere quî possum? Absque his exuviis, quæ mihi cordis loco sunt, quomodò vitam pertrahere diutiùs valeo? nati sepulchrum fiat hic matris sinus, & tumuli vices agant hæc præcordia; huic iterum reddite natum, & quas habuit cunas cælo elapsus, has demùm sepeliendus habeat urnas. Cæterùm tum demùm syndone, & aromatis ritè perunctum efferunt corpus, & parato mandant sepulchro, ubi obruentibus singultibus ultimum vale, & quidquid amantes decet, dixit virgo. Marmore igitur sepulchrum muniunt: adhibitis etiam à Præsede custodibus, ne de subducendo corpore aliquid familiares cogitent.

Expecta paululùm Christiane, & Dei- 32. paræ interdum comitem age: à tam sancto cœtu errare noli: fac, ut cum ipsis laborum, & dolorum Passionis Christi particeps fias, si postea Resurrectionis gaudiis velis interesse. Toto corde in hunc modum ora: Domine mi, JESU Christe, qui pro redemptione generis humani non omisisti tot acerbas pœnas, & ipsum crucis subire tormentum, te per eandem Passionem, quam pro me peccatore patienter sustinuisti, peto suppliciter, ut animam meam tuâ misericordiâ prosequaris, & peccatorum meorum multitudini benignus veniam tribuas: auxilia quoque concedas efficacia, ut in tuo obsequio animosus perseverem, tuæ Passionis semper insectando vestigia, ut sic tandem tecum in æternæ tuæ Resurrectionis gloria securus conquiescam. Amen.

S A N C T I
 F R A N C I S C I
 B O R G I Æ
 O P E R U M
 L I B E R S E X T U S.

Meditationes in præcipua Evangelia pro diebus Dominicis, & Feriis totius anni, & quibusdam ex principalioribus Fæstis, quæ occurrunt in primo Tractatu. Hic Liber dividitur in duos Tractatus, quorum primus incipit à prima Dominica Adventus usque ad diem Pentecostes; secundus autem à Pentecoste usque ad Dominicam vigesimam quartam, quæ deinceps sequitur.

P R O O E M I I C A P U T I.



Ructus, qui ex sancti Evangelii Meditatione reportetur, per quod Lege Gratia sumus donati, nullâ omninò probatione indiget, cum vir ille, qui dies, noctesque in lege Dominica meditanda transigit, Beatus nuncupari mereatur: sed id desendum est, quosdam reperiri, qui tepore quodam velut obruti, hoc opus numquam exordiantur; alios verò, qui cum curiositatis levitate laborent, aliquantum licet in eo habeant exordium, tantum abest tamen ut ullam inde utilitatem referant, ut potius majore caligine mens eorum obnubiletur. Enimverò divinæ Majestatis scrutator, gloriæ illius fulgorem ferre non valens, eâ potenter opprimendus est; undè ad ejus gratiâ potiundum, illi animandi sunt, hi verò officiosâ pietate corripiendi. Magnam vim ad excitandum fervorem præ se fert Propheta, dum dicit: Divini amoris ignem in meditatione suscitari: cum ergò arcto obligationis vinculo amare adstringamur, magno sanè etiam meditari compellimur: quodenim malè intelligitur, haud benè diligi potest: quod si meditatio lignum sit, quo ignis iste succendatur, isque eâ mediante ab omnibus Sanctis suscitatus sit; qui illâ haud exercitatus fuerit, ne mireretur, si nullo calore hujus ignis sit excitatus. Eheu miserum illum, qui ex hoc seculo migrans, absque eo inveniendus sit! Quâ fronte infelix ille, & tepidus, ex hujus

vitæ deplorandæ somno, nebulis que experrectus, oculos aperiet, siquidem his haudquaquam exercitatus fuerit? Admonentur itaque curiosi, eos magis ad contendendum, quàm operandum, magisque sese ostentandum, quàm deprimendum, sancti Evangelii lectioni insudare. Unum id ad tales confundendos sufficiat: Dominum scilicet, dum in monte legem Moysi præscriberet, imperasse, ut populo notum faceret, ne sub capitis pœna, ad montem ullatenus accederet: idque diro mortis genere cautum erat; ut nempe lapidibus obrueretur, vel certè jaculo transderetur, ut inde indicaret populo audaci, cujus muneri discere incumberebat, non autem docere, ad Legem Domini minimè esse temerè, & intempestivè accedendum; sed Moyses, qui Christus noster est, vel Pater spiritualis; vel Concionator, qui ejus vices in terra gerit, præstolandus est; alioqui lapidum jactu mori talis compelletur. Et non rarò advertimus homines id genus ex tali lectione, multò magis induratos evadere, longè majorem cordis duritiem inde consequentes; vel lanceâ transfossos, tentationibus scilicet, quæstionibus, & dubiis, quibus dira iis vulnera dæmon infligit: infelicem animum exhalare, & hoc divinâ sic disponente justitiâ, eò quod ad montem, ubi lex, quæ sanctum Evangelium est, recipitur; indebitè accesserint. Ea de causa quisquis vitæ animæ suæ consulit, humilitatem affectet, mandataque (monti nullatenus appropinquans) diligenter custodiat: sed Moysen suum, qui est

est Pastor proprius, expectet, ut mysteria, quæ hac in sacra Lectione continentur, sibi enodet: ad quod facilius assequendum, sequentes admonitiones exhibentur.

1. Inprimis potissima est intentio, quæ pura, simplexque esse debet, atque illius, quod sibi convenit, sciendi avida, ut bene operetur, vitæ melioris fructum referat; & quam longè ab eo, quem sequi debuerat, virtutis tramite aberraverit, dignoscat.
2. Quantum ad materias meditationis, meditantis non sinuntur optioni; verùm ad majorem ejus securitatem eas sibi assumat, quas Ecclesia Romana, quæ Christi sponsa est secundum Evangelia selegit, quæ in Dominicis, cæterisque Festis eadem Ecclesia proponit: si quidem ut discreta, & alma Mater cibum, qui clientibus suis conveniret, majori curâ elegerit. Quam ob causam de his solis meditationibus, in hoc opere agetur.
3. Quoad puncta, quæ meditari oportet, (quia eò securius procedetur, quoad Sanctorum doctrinam propius accessum fuerit, vel ad id, quod bona eorum infert consequentia;) hic signata habentur: admonitumque insuper desidero, fructum meditationis, communiter non ita consistere in sublimibus punctis meditandis, sed eorum sensui moraliter inhærendo, & factis, de quibus in sancto Evangelio fit mentio: ut ex illis imitatio ad bonum, à malo verò alienatio, timor, gratiarum actio, humilitas, vel id genus virtutes obtineantur: nam *Factores verbi, & non auditores tantum, fallentes nosmetipsos; &c.*
4. Advertendum etiam est circa modum orandi, quòd multum proderit conscientiam examine discutere, antequàm meditatio incipiatur, sicut postea docebimus; quia scriptum est: *In malevolam animam non intrabit sapientia.* Etenim perspicuum est radios solaris justitiæ haud bene reverberari posse in speculum, quod terræ luto, ac pulvere fuerit volutatum: adde, quòd peccatorum pulvere visus spiritualis multò magis obfussetur, quam corporalis visus pulvere terræ lædi possit, ad quòd non parum conferunt candor, puritasque conscientia, quam ipsum etiam examen expedit.
5. Sciat quoque contemplator quòd quò majori reverentiâ processerit, eò amplio-rem humilitatem, & notitiam sit relaturus: & quò minori fiduciâ fulcietur in propriis viribus, eò etiam majorem in Domino reportaturus sit victoriam. Quòd si veram spirituales profectus cupit habere probationem, attendat postea quam parvam de se conceperat opinionem in ingressu ad medi-

rationem; advertat insuper in exitu, si vilius sese æstimet, vel minus scire sibi videatur; aut si pluris alios faciat, quam antea fecerit, si verò contrarium experiatur, timeat; majoremque iis passionibus edomandis adhibeat cautelam, usquedum veræ humilitatis, sui que demissionis thesaurum detexerit.

Ne deficiat in perseverantiâ, aridum se licet nonnumquam experiatur: orantium enim hæc est probatio; elaborat igitur in exercendis amoris actibus, quamvis ad id cor debile existat: iis namque consolationis, devotionisque tempore exerceri facile est; & innixum his utribus, natare. Sed vera probatio est absque dulcedine scire natare, cui affine est, actus absque devotionis sensibilis auxilio elicere: quæ sanè cum auxilio Domini fieri non omittuntur, qui nonnumquam ad majus bonum nostrum occultus accedit: uti Joseph à fratribus aliquoties non cognosci expedierat usquedum sese illis manifestum præberet, dicens: *Ego sum Joseph frater vester.*

Item attendatur ad orationis dispositionem, nostra ex parte summa cum diligentia, & judicio esse procedendum; quemadmodum ille se gereret, qui à Rege accerferetur, sciretque ad mercedes recipiendas se ab ipso vocari, & nihil præter consensum suum ad eas sibi elargiendas Regem exigere. Hoc idem præstat Deus, dum nos ad orationem accersit.

Sicut ille stultus planè haberetur, qui facta à Principe thesauri effusione, re abjecta, & vilis pretii contentus abiret. Pari ratione magnus est judicii defectus, quòd cum Rex Regum thesauros suos oranti aperiat, solâ rerum intelligentiâ, vel orationis suavitate contentus sit; hoc seponens, reportes quod reportare maximè expedit, propriam scilicet tui notitiam, atque animi demissionem, & vivum pro Christo patiendi, & in omnibus voluntati ejus obsequendi, eique complacendi desiderium propter ipsum.

Quemadmodum magna laboraret ignorantia, qui cum aream nugis, quisquiliisque plenam haberet, has abjicere renueret, ne margaritis, gemmisque pretiosissimis sibi impleretur. Ita sanè magnæ inscitia imputandum est, quòd amoris proprii miseriam mundare recusemus; cum Dominus glorioso suo amore nos replere desideret.

Illud etiam advertat, qui sanctum Evangelium meditaturus est, quòd novum vitæ genus assumere debeat: siquidem cibo, à quo vitam accipimus, frui desideret, & ut non terreatur, nec malè affectetur com-

pressionem, aut macerationem passionum suarum; ad hoc insuper attendat, quod in Arca Testamenti fieri præceperat Deus, signando lignum, de quo erat extruenda; mensuramque, quâ constaret. Quod admonet de perfectione, quâ anima fulgere debet, in qua sedem, ac domicilium ipse Dominus habiturus est.

11. In tres partes dividitur meditatio, idque fit, ut orans in iis memoriæ mandandis faciliteretur; quod si fortè multa puncta ipsi videantur, tantisque suam haud sufficere memoriam; inter ea, pro devotione sua habeat optionem. Hoc unum etiam sciendum est, personarum diversitatem, propensiones, atque officia meditantium, adauxisse punctorum numerum, ut, quod statui suo, vel virtuti, quam affectat, aut defectui, quem emendare cupit, maxime conveniret, eligeret: ne hebdoma elaboratur sine aliquo spirituali exercitio, singulis septimanæ diebus puncto quodam meditationis exercendus est. Deinde die Sabbati omnia repetere licebit, ea loca adnotando, ubi majorem consolationem fuerit consecutus, vel illa ad emendationem præsignando, de quibus conscientia eum maxime arguerit: animo perpetuò revoluens, quod strictissimam à se exigent rationem de desideriis suis, inspirationibus, sanctisque propositis, quæ elicuerit, si ad opus ea non redegerit: *Melius enim esset viam virtutis non agnoscere, quam post agnitam retrocedere.*

12. Ad majorem in meditatione facilitatem consequendam, imago menti objiciatur, quæ Evangelii mysterium repræsentet: & ita priusquam meditationem incipiat, iconem præfatam attentius conspicietur, & quod in ea maxime occurrit attendendum; specialiter ut in hoc perfectius inter meditandum inhæreat, majoremque inde fructum consequatur: quia munus, quod obit imago ista, est velut condimentum cibis, qui sumendi sunt, imponere, ita ut nihil nisi eorum comestio supersit; aliàs intellectus discurrens, & distentus, magno cum labore vagabitur circa ea, quæ meditanda sunt. Præterquam quod longè securius est; quia imago ista attentè formata est, & appositè ad Evangelicum sensum delineata: & qui meditationi incumbit, facile errare potest, unum pro alio sibi assumens, sanctique Evangelii vestigia sequi desinens, quod seriò, ac diligenter in omnibus est observandum, & sic nec ad dextram, nec ad sinistram declinabit.

13. Loci compositio mentalis, in quo mysterium aliquod peragitur, non parùm confert ad reminiscenciam, & ad cogitationes, atque affectus cohibendos, memo-

ria illius loci, ubi homo versatur in oratione: *Quia locus, in quo stas, terra sancta est; ideoque: Laudate servi Dominum, qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.* Sic magis confunditur anima, dum distrahitur, citiusque redit ad sese.

Quod petitur, idem & Romana Mater 14. Ecclesia petit in Dominicis, & Festis diebus: ipsa enim melius fit, quæ petere debeamus: quia id petit mediante divino spiritu, qui nec fallere potest, nec falli.

Finitur meditatio cum colloquio, ut 15. anima divini amoris ardore incensa, eò validior sit adversus tentationes, humiliorque, & tolerantior ad persecutiones; & majoribus viribus polleat, ad iter suum prosequendum, *Usque ad montem Dei Oreb.*

C A P U T I I

Meditationum exercitium sequens modus docet, ut qualibet dies anni suam meditationem habeat, quod diversimodè præstabitur.

Ab Adventu usque ad ultimam Dominicam ex viginti quatuor post Trinitatem, meditationes ex Evangelio depromptæ pro earum quâlibet præsignantur, & pro hebdomada, singula puncta ad dies singulos: quemadmodum ex iisdem patebit. Præter hæc, sunt etiam meditationes pro quâlibet die Quadragesimæ, sicut & pro festis præcipuis: ut sunt Christi Nativitas, Circumcisio, & Epiphania Domini, &c.

Alio etiam modo Meditationes dividi 2. poterunt, & is ordo est: scilicet ut diei Dominicæ, ejusdem Dominicæ meditatio adaptetur; feriæ secundæ, meditatio sanctissimæ Incarnationis, pro quâ aliquam Meditationem Sabbatorum Adventus seligi potest: Feriæ tertiæ, Nativitatis, pari modo, quo Meditatio ejus Festi habetur; Feriæ quartæ, Præsentationis, uti & in hunc diem incidit; Feriæ quintæ, sacrosanctæ Eucharistiæ, ut in Festo Corporis Christi; Feriæ sextæ, una earum, quæ in diem Veneris sanctam usque ad Nonam incidunt: Sabbatho autem, Meditatio Vesperarum, & Completorii prædictæ diei Veneris sanctæ. Et ita unusquisque dies propriam sibi adsciscit Meditationem, assumptis vitæ Christi Servatoris nostri mysteriis. Quod si velit aliquis Dominicâ die, Resurrectionis Meditationem habere, id præstare minime incongruum videtur, cum hoc ipso die magnum illud repræsentetur mysterium.

Cum sint aliqui Christi Passionis devo- 3. ti,

CAPUT III.

ti, qui in eâ meditandâ majus solamen, profectumque reportent; idem in Dominicis agere possunt, quod in hoc libro præcipitur: tum Feriâ secundâ hortum meditari, quæ Meditatio Martyrum est. Feriâ verò tertiâ, sumere Meditationem Primæ; Feriâ quartâ, Tertiæ, Feriâ quintâ, Sextæ; Feriâ sextâ, Nonæ; & Sabbatho, Vesperarum, & Completorii. Hoc pacto pro quolibet die hebdomadis Meditationes suppetunt: ut in majori hebdomade continetur; sed Feriâ sextâ crucis Meditationi inhærendum est, & in hunc finem Meditatio ipsa extenditur.

4. Alius modus est, quo juxta officii divini ordinem dirigimur, ut nempe in Dominica sic fiat meditatio, quemadmodum liber hic tradit: & eadem ratione Feriis, festisque diebus procedatur juxta commune Sanctorum, ut est separatum de Martyribus, Confessoribus, & Virginibus; & secundum hæc fiet Meditatio, quæ in quemque diem incidit.

5. Et quia nonnunquam contingit quosdam peculiari devotione ferri in certa Christi Domini mysteria, & sanctissimæ ejus Matris. Feria sexta Cruci, ut dictum est de Meditatione ejusdem Feriæ in Parasceve, applicabitur; Sabbathum autem Incarnationi Domini; Dominica secundum Dominicas. Item Feriis secunda, tertia, quarta, & quinta, modò nullum Festum Sancti alicujus intercesserit, de Dominica; sin autem Festum occurrerit ad Meditationem communis Sanctorum procedendum est.

6. Sunt etiam qui ad Christi Domini Sanguinis effusionem magis propendeant, quibus sua pro quolibet die hebdomadis effusio statuenda est: primam Circumcisioni attribuent, secundam horto; tertiâ Columnæ; quartam Coronationi; quintam cum juxta Crucem denudatus fuit Christus; sextam clavis; septimam lanceæ: quæ septem Meditationes Feriâ itidem sexta in Parasceve, habentur.

7. De homine scriptum est, quod *nonnunquam* *in eodem statu permanet*: quia mox consolatus, mox item desolatus exstat; idèd, quæ ipsi inter meditandum dispositio maxime arriserit, eidem in hebdomade infudabit. Qua de causa, variæ ex Evangelio ad solamen variarum ægritudinum, quæ miserum hominem lacerant, meditationes exponuntur.

Quomodo Meditationes, pro necessitatibus, quæ offeruntur, variis in casibus sint exercenda, ad ampliorem ex iis profectum consequendum.

1. **S**I quis liberiori vitæ licentia, atque effrænata libidine, absque ullo Domini timore vixerit: è judicii meditatione, (quæ est primæ Dominicæ Adventus,) fructum exhauriat.

2. **D**um sanctæ inspirationes, vel Christi insequendi oriuntur desideria, poterit tunc meditari; quomodò Pastores, & Reges eum in Natalibus ejus quæsierint; sicut postmodum gloriosa ejus Genitrix eum in Templo invenerit.

3. **D**um se tristem, tepidumque notaverit, ac arte diabolica desperabundis cogitationibus vexari; tunc magno erit emolumento vineæ meditatio in septuagesima; & advertat quod Dominus vocet, seroque etiam venientes persolvat.

4. **C**um tentationum congerie penè obrutum se adverterit: tunc Evangelium primæ Dominicæ Quadragesimæ meditetur; quo pacto Christus Dominus tentationibus superior evaserit.

5. **S**i verò anxie urgeatur, quòd orationes suas haud exauditas videat, Cananeæ oranti, quæ feria quinta post secundam Dominicam Quadragesimæ incidit; intentus sit, & cognoscet nunquam perseverantiam indonatum remitti; quin potius majorem inde fructum reportari.

6. **S**i quando magnum in terrorem cum veniæ diffidentia peccata sua eum induxerint: meditetur Evangelium de Magdalena, feria quinta Dominicæ Passionis; & de Piscina, feria sexta post secundam Dominicam prædictæ Quadragesimæ.

7. **S**i superbiâ, & mentis elatione tentetur, Mandati meditationem exerceat; vel decimæ Dominicæ, quæ est Pharisei, & Publicani.

8. **S**i amoris Domini consequendi desiderio exæstuet, ad Spiritus sancti receptionem sese componat, cum meditatione infra octavam Ascensionis, in qua dicitur: *Cum venerit Paraclitus.*

9. **C**um sacrosancta Synaxi fecici cupiverit, sit meditatio ejus de Festo Corporis Christi, vel certè una octavæ ejusdem.

10. **C**um autem induratum ad injurias condonandas cor suum advertèrit, feriæ sextæ, post primam Dominicam Quadragesimæ, vel Dominicæ vigesimæ primæ post Pentecosten meditationem amplexetur.

Quant-

11. Quando tribulationibus, aut amaritudinibus fuerit immersus, Dominicæ secundæ post Epiphaniam, meditationi incumbat, ut aquam lacrymarum in vinum gaudii Spiritûs sancti Dominus transmutet.
12. Cùm adverterit se ibi zizania spargere, ubi doctrinam salutis feminaverat Deus, meditetur Dominicam quintam post Epiphaniam; ut inde advertat, quomodò deinceps se gerere teneatur.
13. Si cura ovium Christi ei sit demandata, veriçue Pastoris, ac mercenarii officium scire desideret; fiat meditatio secundæ Dominicæ post Pascha: *Ego sum Pastor bonus.*
14. Si afflictus, tepidus, ac siccus existat, ipsum meditatio tertiæ Dominicæ post Pascha: *Modicum & videbitis me*, non leviter allevabit.
15. Si cupiditate, ac ambitione molestetur, in hujus ægritudinis remedium, divitis avari meditationem sibi assumat: quæ feriâ quintâ post tertiam Dominicam Quadragesimæ, incidit.
16. Si verbum Domini inaudire spernat, scireçue cupiat quantum afferat fructum, & quæ impedire possint, videat Dominicam Sexagesimæ: *Exit qui seminat*, vel Dominicam in Passione.
17. Si ad divinæ voluntatis conformationem in hujus vitæ laboribus exantlandis, induratum habet animum, meditatione horti in Feria sexta in Parasceve utetur.
18. Si orationis pretium magnum, quæçue præstet officia ad se in ejus exercitio devotè adhibendum, sciendi sit avidus; quintam Dominicam post Pascha meditetur, quæ sic habet: *Si quid petieritis Patrem*, &c.
19. Si paratam animam reddere cupiat ad Christum in ejus adventu spirituali excipiendum; meditatio Dominicæ Palmarum ad hoc non modicum inserviet, vel certè Feriæ quintæ post primam Dominicam Quadragesimæ.
20. Quòd si percipere nitatur, quomodò tres potentia animæ sint præparandæ, ut trium Personarum divinarum dignum habitaculum effici mereantur: fiat meditatio Dominicæ Trinitatis, & quæ circâ hoc in diebus ejusdem hebdomadæ habentur.
21. Vel si modum intelligere cupit, quo in correptione proximi utendum est; videat Meditationem: *Si peccaverit in te frater tuus*; quam feria tertia post secundam Dominicam Quadragesimæ subministrabit.
22. Si voluptates, ac vitæ hujus illecebræ oculos versentur, & scire velit, in quo vera beatitudo sit sita; videat Evangelium Festi omnium Sanctorum.
23. Si vocationis suæ dubietate tentetur;

fit objectum ejus Meditatio Evangelii: *Am- Luc. 9. bulantibus illis.*

Si affectuum, & passionum animi mortificationi incumbere desiderat, consulat Meditationem Evangelii: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum*, &c.

Si audire desideret, quantum ipsi conferat inferi viti, quæ Christus est, per gratiam; cavens ne inde deinceps putetur propter peccatum mortale; videat meditationem Evangelii: *Ego sum vitis vera*, &c.

Si solitudinibus, & superfluis vexetur curis, adeat meditationem Dominicæ decimæ-quartæ post Pentecostem.

Si advertere cupiat, quantum sibi convenit in rebus spiritualibus sese paratum, promptumque exhibere, non autem in iis stertere; videat meditationem Evangelii Confessorum, quod incipit: *Vigilate, quia nescitis*, &c.

Si nosse desideret quomodò à lepra peccati ad perfectam sanitatem restitui possit, utatur meditatione Dominicæ tertiæ post Epiphaniam.

Si in tribus votis Obedientiæ, Paupertatis, atque Castitatis intemeratè cupit conservari, attendat ad meditationes, quæ de iisdem habentur.

Si è spirituali ægritudine, quæ posita est in non audiendo in anima sua Domino, æquè laudibus ejus obmutescendo, cupiat resurgere, recurat ad meditationem undecimæ Dominicæ post Pentecostem.

TRACTATUS PRIMUS.

Prima Meditatio prima Dominica Adventûs.

PRIMA PARS.

Primum præambulum erit oratio præparatoria, Spiritûs sancti gratiam efflagitando, ut ignis amoris in meditatione succendatur, quo grata illicò reddatur.

Secundum erit historia sancti Evangelii: *Erunt signa in Sole, & Luna*, &c. considerando, quomodò Romana Ecclesia Christi sponsa divinæ Majestatis adventum in die Judicii universalis nobis repræsentet: ut de præsentis ingratitude, peccati consideratione sumptâ, homines à suis sceleribus resipiscant, sese sancto timore prævio, ad celebranda sacratissimæ Nativitatis Filii Dei mysteria paratos exhibentes, ita ut ad amorem introducendum, à timore sit exordiendum. In hujus amoris, ac timoris figuram Dominus Deus manna, & virgam jussit asservari.

Oratio: *Excita quasumus Domine potentiam tuam, & veni, ut ab imminentibus pec-*

catorum nostrorum periculis, te mereamur protegente eripi, te liberante salvari. Qui vivis, &c.

3. Tertium præambulum erit loci compositio, sibi ob oculos obijciendo vastam illam ante diem Judicii terræ superficiem, cæli, Solisque, & elementorum signa considerando; utque nullus, quod confugiatur, futurus sit locus securus, quique terrorem vel tantillum minuat. Et in ipso iudicii momento loci compositio effingetur, totius mundi in vallem Josaphat concursum memoriæ repræsentando.

SECUNDA PARS MEDITATIONIS.

Punctum I.

Considerandæ sunt personæ, quas prædictum Evangelium commemorat, quid item dicant, vel agant, uniuscujusque illarum advertendo qualitatem, ut fructus aliquis referatur; sed præ cæteris Dei Filii persona impensè consideranda est, de quo dicitur: *Pater, omne iudicium dedit Filio, ut honorificent Filium, & sic magnâ auctoritate stipatus, iratiq̄ue vultus sui rigorem peccatoribus exhibens, venturus est: Et Dominus de Sion rugiet.* Convertantur item oculi considerationis ad peccatores, qui illo tempore improvisi, sicut in diebus Noë, deprehendentur: *edentes, & bibentes, & nubentes sine timore;* quamobrem eò intensior futurus est cruciatus, quando eis erit magis inopinatus. Nec prætermittenda ipsorum dæmonum consideratio, qui rabiosi sævient, tempus filios Dei persequendi, sibi subripi, haud valentes ferre. Ingens item, ac diversus mortuorum numerus ante oculos obversetur, qui corpore, & animâ suscitati, præsentés in valle Josaphat comparebunt: horum insuper, illorumque dispositio, sicut & aliorum aspectus terribissimus, & aliorum gratissima pulchritudo. Justorum etiam personæ considerentur, ut in hocce tempore erunt *spe gaudentes, orationibus instantes, spirituq̄ue ferventes.*

2. Considerandum quid peccatores dicturi sint, visis signis, quæ præcedent iudicium, dum creaturas, quas amabant, animadvertent propter sui Creatoris oblivionem de se vindictam sumere: quâ ratione valent dicere: *Mercedes hæc mea sunt, quas deriderunt mihi amatores mei.* Quò devenient, cum Sol iis obscurabitur; *Qui dilexerunt magis tenebras, quàm lucem?* Luna ipsis convertetur in sanguinem, indicatura, quòd in carne, & sanguine toti fuerint immerfi, ac volutati; & virtutes cælorum adversus eos movebuntur, quia ipsi in cælos ipsos moti sunt: *Quia posuerunt in calum as suum.* Horribili terrore maris sonitu percellendi sunt: *Quia cum essent mirabiles elationes maris, per Apostolorum conciones; doctrinæ eorum surdas aures præbuere.* Etiam terra horrendè admodum illos est territura, quòd vitam absque timore traduxerint; nec pressura gentium mitiora minitabitur, eò quòd fugerint laborem, non considerantes ad hunc hominem natum fuisse.

Quid facient, cum sese alterutrum spectantes, insigni se deformitate larvatos advertent: *Arescentibus hominibus præ timore, & expectantibus ea, qua supervenient universo orbi.*

Si visà è monte erumpentia fulgura Israëlitas in tantum terruerint, Legislatore, non Iudice sese iis exhibente Domino; quid peccatoribus fiet, visis tonitruis, & fulminibus, in poenam suam, ac vindictam evibratis, & ad demonstrandam Filii Dei in vindicando potentiam: id sanè humanis viribus exprimi haud potest: *Sed cum perierint peccatores, videbitis.*

Præterea, animo revoluendum est, ut, quid iusti dicturi sint: *Fidelis Deus in omnibus verbis suis, & Sanctus in omnibus operibus suis, &c.* Ut ad litteram omnia, quæ assignant adventus ejus indicia, adimplenda sint; quanto afficientur solamine recordantes, quòd sibi à Domino nunciatum sit: *His fieri incipientibus, levate capita vestra, quoniam appropinquat Redemptio vestra.* Et sic erunt: *Expectantes Deum suum, Lampades suas accensas præ manibus gestantes, expectantes sponsum, & considerantes quia propè est.*

Tum Iudicii momento jam jam ingruente, consideretur, quomodo quidam dicturi sint: *Montes cadite super nos;* alii verò abstrusissima quæque antra subituri, *& voragine terra à facie formidinis Domini.* Si item eodem Domino Adamum ad eum curandum in Paradiso terrestri vocitante, se absconderit, cum ei dicebatur: *Adam ubi es?* Quid faciet peccator accersitus ad iudicium? Quid faciet, dum conscientia stimulus ipsum interrogabit: *Ubi es? ubi fuisti?* Quòd si *justus vix salvabitur, impius, & peccator ubi parebunt.*

Quid ipsi faciendum putatis, (quando apparebit signum Filii Hominiis,) cum integro vitæ suæ cursu, carnis blandimentis, suisque oblectationibus totus immerfus extiterit: & e contra macerationibus, crucisque perpetuè sit adversatus. O quàm horrendè eà, nimirum cruce terrebatur, quemadmodum, & immundi spiritus, illam ferre non valituri. Quanta illo die confusio est futura, crucis, & crucifixi exaltationem intuentium? Quid respondebit Lutherus, quid Ecolampadius, cæteri que

ofsa 20.

hæresiarchæ; qui à pœnitentia alienissimi, hanc oculis propriis conspicerere non poterunt? *Quando apparuerit signum Filii Hominis.* Dum justos viderint in Crucis mortificatione, Sacramentis, & obedientiâ erga sanctam Romanam Ecclesiam, victoriam esse consequutos.

O quales planctus, quàm amari gemitus erunt? Quando se plangent omnes Tribus terræ, atque uberrimas lacrymas effundent, eò quòd non fleverint antea per pœnitentiam, nec ex effuso è cruce sanguine fructum reportare voluerint; quibus minimè profuerat: *Quia descenderunt in corruptionem.*

Quàm intimus doloris erit sensus, cum separabuntur oves ab hædis, *segue à suis oblectamentis avelli, & corda sua in frustra disseccari videbunt.*

Quid sentiet ille, qui totus superbiâ tumescens, sedes, locaque sublimia ambiverat: *Quando non est inventus locus ejus?* Quid aget? enimverò, si cælos suspiciat, Judicem advertet iratum; si se in terram convertat, in ea se deliquisse observabit: si sub terram, videbit quomodò infernus dilatavit animam suam, ubi sunt dracones apertis eum faucibus devorandi, & hæc verba sanè horrenda pronunciantes: *Venite, & occidamus eum,* quæ & ipse olim in Christum suo modo protulit. Si item in se oculos conjiciant peccatores, & opera manuum suarum, linguæ suæ mendacia, & blasphemias, cordiumque nefandam malitiam animadvertent; quid dicent? Si aëra circumspiciant, justos videbunt exaltatos, qui ad sponsum excipiendum egressi sunt; ideoque feliciter admodum ab ærumnis suis erepti. Acutissimo sanè cum dolore exclamabunt miseri: *Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum.*

Ad hæc, quàm gravis doloris sensu compungentur: *Quando videbunt Filium Hominis,* venientem in nubibus cæli, & quem aliàs habuerant in derisum, tantâ fulgère Majestate, tantisque opibus affluere, quem ut pauperem sequi noluerant. Quid faciet Pilatus? quid Pharisei? quid cæteri peccatores, his verbis minitanti- bus: *Amodo videbitis Filium hominis,* &c. Tunc implebitur illud Prophetæ: *Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet,* &c.

Quid tandem agent, cum tremendæ illius definitionis decisionem in sese advertent pronunciantiam: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare?* Tum quali fremitu, atque cruciatu dicturi sunt: *Domine, quando te vidimus esurientem?* Omni confusione pleni hærebunt, cum ipsis respondebitur:

Quandiu non fecistis uni de minimis meis, nec mihi fecistis. Sed quod his omnibus gravius longè futurum est, hæc erit sententia: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est, &c.*

Considerandum, quomodò implebitur, quod de Justis vaticinatum est: *Dicite Fratri, quoniam benè.* Quandoquidem ex his omnibus sceleratorum cruciatibus, consolationem, ac lætitiâ sunt consequuturi, & adventante judicii die, quasi in ipsis cæli limitibus sese animadvertent: *Quia ecce Hæreditas Domini.*

Crucis item vexillum, quod peccatoribus erit terrori, in spem illis, solatiumque convertetur: *Quia in hoc signo vicerunt.* Dumque à peccatoribus segregabuntur, ipsis desiderii complementum adimplebitur, secundum quod scriptum est: *Cum occiderit Deus peccatores, viri sanguinum declinate à me.* Et è buccina personante, (*Surgite mortui;*) animum, roburque resument, quòd dilecto, ac Domino fruendi hora appropinquet; sicque in Crucem cum tanto fulgore, & majestate in nubibus cæli, inspicere venientem, ipsis futurum est gaudii principium, cum his omnibus Dei gloriam adaugeri percipiant: quamobrem gaudium de damnatorum ejulatu reportabunt, proprias manus in illorum abluentes cruore, eò quòd divina indè Justitia exaltetur; eorum item lætitiâ, his sententiæ motivis amplianda est: *Esurivi, & dedistis mihi manducare.* Qua de causa, profunda cum humilitate, & grati animi significatione ob recepta beneficia, subjicient: *Domine, quando te vidimus esurientem, & pavimus,* &c. Quibus supremus judex subdet: *Amen dico vobis, quandiu fecistis uni de istis fratribus meis minimis, mihi fecistis, &c.* Ad hæc insuper, hoc dulce melos audient: *Venite benedicti, &c.*

Considerandum, ut persoluto judicio, s. latâque maledictionis in peccatores sententiâ, ululatus, planctus, & maledictiones orientur dicentium. *Quid profuit nobis superbia, & divitiarum jactantia. Ergo erravimus à via veritatis.* O nos miseri, quàm citò effluxit nobis vita: *Et in momento ad inferna descendimus.* Quid tum agent, tam ferox sententiæ executoriæ principium advertentes, ubi ipsis dabitur *pro odore fator, & pro zona funiculus, & pro crispante crine, calvitium, & pro fascia pectorali cilicium.* Quid agent quando manducabunt linguas suas. Cumque quod in Apocalypsi scriptum est, exequendum videbunt: *Quantum se glorificavit in deliciis, tantum date illi tormentum, & luctum.* O quid sentient! *Quando mors depascet eos,* eò quòd vitam morte peccati gravem sustentabant, pari vicissitudine persol-

solvendam : quàm horribiles eruclabunt planctus, dum viderint : *Quod cecidit Babyloniam magna, & facta est habitatio demoniorum, ubi cruciabuntur die, & nocte, in secula seculorum, ubi erit fletus, & stridor dentium.* Quid facient, cum nihil præter visiones illas horrificas dæmonum ante eorum oculos obverfabitur; auditus nihil percipiet præter maledictiones, & gemitus; nihilque sapiet gustui præter felleam illam calicis dæmonum amaritudinem! Quid tandem miserando corpori faciendum, cum totum se æternis incendiis sentiet devolutum?

6. Perpendenda justorum lætitia in executione ad eò mitis erga se sententiæ, quam in sui favorem consequuti sunt, dum se advertent vocatos ad cœnam nuptiarum Agni, & quòd abstergit Deus omnem lacrymam ab oculis eorum; quoniam non erit amplius luctus, neque clamor, & videbunt faciem ejus, & Deus illuminabit eos in secula seculorum. Quàm hilares erunt videntes parùm durasse labores; futurum verò gaudium sempiternum, & quod per Isaiam Prophetam traditum est, adimpleri: *In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordiâ sempiternâ misertus sum tui?* Quantumque ipsis pariet gaudium Sententiæ executio: *Quando dabitur eis Corona pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris, & vocabuntur plantatio Domini ad glorificandum?* O quantâ implebuntur hilaritate incipientibus illis cantibus cœlestibus; *Et exultationes Dei in gutture eorum:* quanta eorum oculis lætitia: *Quando videbitur Deus Deorum in Sion?* Quid erit ipsum victoriæ palmarium præ manibus gestare, vel quid dicturi sunt insipientes amorem, quo eos Dominus tantæ gloriæ destinavit? tunc sine internissione dicturi sunt: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere fortitudinem, & divinitatem in secula seculorum.* Amen.

TERTIA PARS MEDITATIONIS.

Quod est Colloquium ad Christum Dominum, ab eo petendo, quod in Meditatione pertractatum erat.

Quis monstrabit nobis fugere à ventura ira, nisi ipse indices, Domine: in eam incidere hominum est; sed ab eâ liberari misericordiæ tuæ est effectus: cumque cupias ut nostra ex parte operemur, orando, *ne fuga nostra fiat in hyeme, nec Sabbatho*, supplex te exoro, Domine, quantum amore tuo nostra succendatur tepiditas, ne quietis Sabbatho in terra gaudeamus; sed in ea toti laboribus insudemus,

ut in cælis quiescere mereamur. Ad quod præstandum, ne patiaris, Domine, ut *graventur corda nostra crapulâ, & ebrietate.* Etenim non parùm extra se vagatur, qui ab ipso Creatore propter creaturam elongatur; operum tuorum excellentias anima mea consideret, ut laboribus tuis gaudens, de tua justitia in extremo Judicio timorem reportet, amoremque de admonitione, quam dedisti, consequatur. Laudent te Angeli Domine, ob inventionem medicinæ, per quam mundum sanasti; siquidem vel solâ ostensione, & odore potionis, stomachum commoves, dum sancto timore eum afficis, quo sanum eundem reddas. Tuaque mihi in carnis resurrectione manifestetur potentia, unde meam jam tui amoris impulsu macerare merear: quandoquidem eò amplius mirifico illo claritatis dono est coruscatura mea anima, quò magis mortificationibus adacta jam extiterit. Tuæ semper benedicam patientiæ, propter longanimitatem quâ peccatores ad vitæ melioris emendationem expectas: nec minùs bonitatem tuam glorificem, quòd judicii tempus tibi ipsi reserves; *ut in campo, & frano maxillas eorum constringas, &c.* Noscat nunc servus tuus Domine, quòd, ut tibi serviat, debitâque reverentiâ tecum procedat, judicii diem minimè expectare debeat: quia omni hora, ac momento, quo quis moritur, judicio particulari eum judicas, ei vitam perennem, aut æternam mortem tribuendo, vel certè ad expiantes Purgatorii flammâs ad tempus relegando ipsum: absit, ne hoc judicium ad tibi serviendum non expectem. Gratiam igitur tribue, ut fructum consequar de consilio, quod mihi circa hæc tribuis: sint mihi creaturæ omnes memoriæ codices, ut Sol, Luna, Stellæ, Mare, Terra refricent memoriam alterationis, quam passuræ sunt, & punitionis, quâ peccatores affiendi sunt; sed timorem præcipuè, atque amorem mihi concedas, Domine, ut ad hunc diem paratus existam, justosque inter annumerari merear, in crucis vexillo gaudens, ut propriâ cruce maceratus, tuam medullitus amem, & præsentiam. Totus item lætitiâ perfundar, quod omni cœlestis curiæ comitatu stipatum, venientem tum te conspiciam, ut messem eorum colligas, quæ per sacratissima sanguinis tui merita, in terra seminasti, gaudeamque tum videns, quòd stipulæ, quæ fructum suum non reddiderunt, comburantur. In utroque & misericordia, & justitia tua servabuntur. Consoletur me, Domine, baculus, & virga tua, & ad hoc non mihi, sed tibi inhabitem

bitem : hac enim ratione , in tua justitia gaudebo , cum ad meam utilitatem me puniveris ; in misericordia autem lætabor , cum ad refumendas vires me fueris consolatus : Quà ratione de omnibus fructum hauriam ; omnia mihi erunt gaudio ; & in omnibus te laudabo , ac pro omnibus gratias rependam in secula seculorum. Amen.

Additio aliquot Punctorum ad Meditationem spectantium.

Magna profectò hominum est stultitia , quibus siquidem elabentibus annis , utpotè judicii horæ propinquieribus , major timor esset concipiendus , eo tamen magis , magisque destituantur. Cur animæ tuæ eam curam non impendis , ô peccator , quam tutando corpori adhibes ; cum magis timeas , quò propinquieris saxum ingens in te vibratum , capitis discrimen , aut brachii amputationem minitatur ? Metum , ac timorem , hæc signa judicii in te excitent ; quandoquidem ea , quæ tibi Dominus per vulnera sua præbuerit , ad amorem non te commoverint. Æquum est enim , ut qui illis non sit emollitus , istis præ terrore pereat. *Arescentibus hominibus præ timore.* Si sonitus , quem Dominus audire fecit in Castris Syria , Syris incusserit timorem , ut relictis tentoriis suis omnia perdiderint ; quid non portenti in se continebit maris , elementorumque sonitus ? Quantus eheu peccatorum erit ejulatus ! *Quando Dominus de Sion rugiet.* Sed cur lacrymabuntur ? quia nec præsepit fletus , nec concionum voces , neque adeò crucis gemitus in effectu suffecere ad commovendum eos. Nunc qualemcumque judicii demonstrationem præmittat Dominus , misericordiæ ejus lenitate mitigatur : *Cum iratus fueris ; misericordia recordaberis.* Sed tunc væ peccatoribus , cum illud ita seridè , ac deliberatè suscipiet , ut *lignum ubi ceciderit , ibi futurus sit.*

2. Meditatio Feriæ secundæ orationem præparatoriam , Historiam , & loci compositionem in primâ parte habet , sicut in præcedenti exercitio. In secundâ parte , primum punctum ejus , scilicet quid dicant , vel agant personæ ; cum colloquio tertiæ partis.

3. Pars prima meditationis eadem est , & in secunda parte secundum punctum , quod percurrit signa ante judicium ; & finis imponetur cum colloquio , ut supra.

4. Pars prima eadem est. Secunda est punctum tertium , quod idem Judicium comprehendit , & in tertia , colloquium ut supra.

5. Pars prima eadem est : secunda punctum quartum continet , quid scilicet post Judicium futurum est ; tertia colloquium , ut supra.

Tum exercitium ut in Dominica repetitur , in illis locis inhærendo , ubi quis majorem devotionem hauserit , ad majorem profectum ; sicut & in locis , in quibus magis siccum se adverterit , examinandum est , num id aliquâ incuriâ ex sua parte procedat , aut quadam cogitationis evagatione , vel certè defectu hoc bene commendandi memoriæ ; & si negligentiam animadverterit , illam in futurum emendare studeat : Sic in hebdomadis Adventûs in Feria sexta repetuntur meditationes Dominicæ , quoniam ejusdem temporis specialia exercitia sanctissimæ Incarnationis , Sabbathis interviunt ; secundum tempus , quo Ecclesia Romana de illa commemorat.

Meditatio secunda de Sancto Andrea Apostolo.

P A R S P R I M A.

Oratio præparatoria , &c.

Historia : *Ambulans Jhesus juxta mare , &c.* Math. 4.

Compositio loci : Christus Dominus in memoriam revocandus est , ad mare Galileæ tendens , ut copias colligat , quibuscum certamen iniens , Principem tenebrarum ad interneccionem delectat.

Oratio : *Majestatem tuam , &c.*

P A R S S E C U N D A.

Considerandum quid dicatur , vel agatur à personis , utque Christus pauperes piscatores , non autem Reges convocet , ut mundum , dæmonemque debellet , in quo (manifestatâ suâ potentiâ) seculi hujus sapientiam confundit , pauperesque animando consolatur.

Considerandæ itidem vires , Virtutisque vocationis Christi Servatoris nostri , quandoquidem , *continuo relictis omnibus , &c.* Ut quisque Christo inhæreret studet , bona opera , quæ ipsi adhærendo perpetrat , & misericordiam , quam perseverando consequitur , divinæ gratiæ efficaciam prorsus tribuere sciat.

Ut item vocans , scilicet Christus , & vocati , hoc est , Discipuli , unâ omnes stent in littore maris , ad ostendendum , quòd Discipuli Domini , in aquis tribulationis debeant immorari ; in quibus & Dominus ipse versabatur. Magnum profectò hoc solatium est , quòd se ita vocatos animadvertant ; dolorem verò in me suscitabo ; quod si ex vocatis non sim , id ex non admissis tribulationibus procedere.

Considerandum , quàm multum bona dispositio conferat , ut verba salutifera , quæ percipiuntur , boni fructus radices in nobis producant , uti videre est in sancto Andrea , qui auditis à Præcurfore his verbis : *Ecce Agnus Dei , &c.* Christum Dominum illicò quærere festinavit ; undè sequitur ,

tur, quod si verba fructifera, quæ audio, nullam in me virtutis agant radicem, ex mala dispositione mea id proficisci : quare uberrimas lacrymas profundam, animæ meæ miserandam messem considerans, cum toties vocatus sim.

3. Considerandum, uti Christus se quærentibus benignum præbeat, utque suam
Juan. 1. ipsis virtutem aperiat, dicens : *Venite, & videte*; & quomodo non ad videndum tantum; sed & excipiendum, illam expandat : *Quia apud illum manserunt illo die*. O verè gloriosa dies! O visu dignissima illa! Quantum esset, vel solum spectare domicilium Domini : *Quia vulpes foveas habent, &c.* Hinc ardenti desiderio conflagrans, anima mea, Redemptorem tuum interroga : *Domine, ubi habitas?* Considerando, quod idem, qui in sinu Patris habitabat, inter serpentes, & dracones terræ mansionem elegerit.
- Quis igitur prætermittat eum ad suum cor invitare, sibi identidem condolens, quod tantæ paupertatis, ac duritiei illud habeat.
4. Considerandum, quanto affectu omnes nos convocet Dominus, dum cunctos ad salutem invitat : jam enim creaturarum beneficiis hunc protrahit, alium aliis modis; quomodo item aliqui surdos se effingant, alii se excusent, cæteri ituros se polliceantur, cum tamen nunquam eant; quare hæc attentius pensitans, aded indigna responsa, quæ vocationibus Domini redduntur, detestabor, vel ided maximè, quod sim inter eos, *qui nolunt intelligere, ut bene agant.*
5. Considerandum, uti se jucundissimum Christus tribuerit, ut homines piscaretur, quò facilius gloriæ ejus stravit, atque illecebris allecti, ex tempestatum undis, & miserando hoc, periculosoque seculo erumperent. Considerabo igitur, quid fecerit ad meipsum expiscandum; sentiam proprium sanguinem, ac vitam meam haud melius impendi posse, quàm in proximis pro Christo piscandis : quod ut præstem, ipsius verba, ac veritatem in hoc mirabili piscationis genere, imitabor.
6. Considerandum, ut *relictis omnibus, &c.* Quàm pauca pro eo reliquerim, sedulò perquiram, & quanta de intellectu, voluntate, memoria, & sensibus mihi supersint tribuenda, ut eum assequi merear; quàm item abjectum sit, quod relinquo, & quàm pretiosum, quod recipio.
7. Perpendendum, quòd Christus dixerit, *Juan. 12.* *Cum exaltatus fuero à terra, &c.* Et hoc ita fiat, ut relictis omnibus, omnia attrahat post se : in quo ostendit, eum, qui Dei causâ

cuncta spernit, omnia in ipso reportaturum. Unum id magnam confusionem mihi pariet, quòd admodum omnia consequi volens, omnia perdam, & quòd cuncta deserens, cuncta possidere, ac lucrifacere possem.

Considerandum, quàm magnum privilegium Divo Andreæ concessum sit, cum ipso mediante Ecclesiæ Princeps Petrus sit vocatus; *Invenimus Messiam*; qua de causa ad dolorem commovebor, advertens, quòd intra illos non existam, qui homines ad Christum reducant; verum talis, qui velut perversus Christianus cæteros perverto : & ided hunc sanctum supplex rogabo, ut ad Christum me dirigere dignetur, quandoquidem tam feliciter agatur cum iis, quos ad illum reducit.

Considerandum, ut sanctus Andreas rogaverit : *Ne se à martyrii desideratissima corona prohiberent sui*, ut illos confunderet, qui à filiis spiritualibus necessitatum suarum remedia extorquere cupiunt, cum ipse à suis nihil expeteret, præterquam ne crucis passionem à se averterent.

Ut item sanctus Andreas Crucem inspiciens, dixerit : *O Crux desiderata, &c.* Ad confundendum teporem meum, qui visâ cruce terreo; quòd si aliquantulo in eam desiderio ductus fuerim : hoc solum contigit, cum longè ab oculis meis distaret; verum illi sese mihi objicienti me obverto, cum tamen eò majori gaudio affici deberem, quòd res desiderata mihi propinquior existeret.

P A R S T E R T I A.
Colloquium.

O quàm luculenter apparet, uti *Gall enarrant gloriam Domini!* quàm ferventer tui Discipuli te laudant, Domine! O sancte, & beate in Messia inveniando Discipule! ô Doctor in manifestando aliis benedicto! ô in Cruce perseveranter desideranda, ac prædicanda gloriose! ô vere Crucis amator! Induc me, ut eam exoptem, & effice, ut qui eam tanti feceris, eandem & ego etiam dignè reverear. Impelle me, ut quam sedem elegeris, ego quoque unà digner amplecti; Deumque exora, ut Crux sit desiderium meum, ea sit solamen, & habitaculum meum, ita ut cætera omnia mihi vilescant, *ut stercora*, ut pati, & mori in cruce merear. O fortunati, qui ex hac vita migrantes, de cruce sublati sunt! ô crux benedicta! ô navis ad ad transfretandum verè segura! *Salve crux pretiosa*: sit tui visio, jucunditas mea; meum sit in te commorari solatium, usquedum appropinquet hora, & *inclinentur umbrae*, & misera hæc vita finiatur; ad hoc itaque

feliciter perficiendum, *Sancte Andraea ora pro nobis.*

Meditatio tertia de sancta Barbara.

P A R S P R I M A.

Oratio præparatoria : &c.

Math. 13. Historia : *Simile est Regnum Cælorum thesauro abscondito, &c.*

Compositio loci : statuendum ante oculos, quomodo Christus Dominus his verbis cæli viam edoceat, signa se sequentibus tribuens, quò facilius illam proficiantur.

Petitio Ecclesiæ : *Deus, cujus dilectionem beata Barbara omni terreno amori anteposuit, presta quesumus, ut qui ejus martyrii triumphum hodiernâ die recolimus, ejus suffragiis, ac meritis ad cælestia regna pervenire possimus, per, &c.*

S E C V N D A P A R S.

Punctum 1. Considerandum, insanum illum haberi, qui repertum thesaurum, terræ denuò mandare non dubitaret : hac sanè peccator laborat insaniâ, qui cum Regni cælestis thesaurum per Baptismum adeptus sit, hunc iterum recondat, nullumque ex eo profectum hauriat.

Quemadmodum quidam adedò rudes inveniantur, qui uniones pretiosissimos vili pretio venales, idedò emere prætermittunt, quòd illos non noverint, vel parvos, & fulgoris exigui adverterint. Idem omninò peccatori evenit circa pretiosissimum unionem, qui est Christus ; cum itaque eum non noscat, omni que mundani splendoris fucò carentem videat, vel humilitate parvum, illius negligit possessionem ; quamobrem illi longè acutissimus erit dolor hanc margaritam in judicii Majestate conspicienti ; quam, cum eam præ manibus tenuerit, contempserit.

2. Considerandum, uti quidam factâ thesauri sui jacturâ, laqueo se suspendant, qui insani meritò existimantur ; longè tamen insaniore illi haberentur, qui thesauris amissis festa, tripudiaque instituerent. Hoc fit à peccatoribus, siquidem amisso gratiæ thesauro, voluptatibus suis cum festivitate gaudent, cum aliàs perditò Thesauro deberent illacrymari.

3. Considerandum, quomodo his haud se immiscuerit virgo Barbara, quia tam magnam notitiam thesauri hujus habuit, ut nec dote, quâ eam pater donaverat, nec minis, quibus in eam Tyrannus sæviebat, aut vice versâ blanditiis, quibus eam demulcebat, nec denique dirissimis cruciatibus terreretur, quin cum gaudio, ultrò effunderet vitam ad conservandum thesaurum absconditum, quem invenerat : atque ut idem assequar, ego sanctam hanc

Virginem rogaturus sum, ut in necessitatibus meis mea esse Patrona non dedignetur.

P A R S T E R T I A.

Colloquium.

Demens ille, ac stultus ego sum, Domine, qui meum thesaurum sprevi. Ille sum, qui eum in terra recondidi. Ego sum, qui tam pretiosum unionem non novi. Ille sum, cui cum jactura thesauri ægrè ferenda esset, atque deslenda, festivis gaudiis recreabar. Ille sum, qui gratiæ pretiosissimam margaritam nihil fecerim. Et nihilominus cum tu sis misericordiarum Dominus, creaturæ tuæ dignare reminisci, gratiamque ei impertire, ut sanctæ hujus virginis exemplo illustratus, thesaurum quæreret, inventumque sic custodiat, ut maximum ex eo fructum reportet. Quemadmodum illa crucis tuæ effigiem in corde suo sculpsit ; sic quoque eadem crux tua huic cordi meo marmoreo infigatur, quâ adedò roboratum sit, ut nihil sentiat præter Christum crucifixum ; & velut hujus tuæ famulæ roborasti animam : sic Domine, spirituales animæ meæ plagas remove. O sancta Barbara ! quantum portentum esset videre averfionem, quâ pater tuus carnalis in te ferebatur ; quandoquidem paternâ manu te martyrio afficere non erubuerit ? Sed longè dignissimus visu fuit amor ille, quo cælestis Pater te persecutus est, cum propriâ manu triumpho laureâ te decorare dignatus sit. Si de patre terreno vales dicere, *Pater meus dereliquit me* : saltem de cælesti dicere potes : *Dominus tamen assumpsit me*. Et si ille immani rabie in te sævierit, hic cælesti te donavit pietate. Si ille atrociter percusserit, hic sanavit ; denique si ille vitâ te corporali orbaverit, hic æternâ te beavit. O Virgo sancta ora pro nobis.

Meditatio quarta sanctissima Incarnationis. Primum Sabbathum Adventus.

P A R S P R I M A.

Oratio præparatoria erit, à Spiritu sancto gratiam postulare, ad percipiendum hoc altissimum Mysterium, & ad se tanto beneficio gratum exhibendum.

Historia Evangelii incipit, *Missus est Angelus, &c.* Luc. 1. Oratio, *Deus, qui de B. Maria Virginis utero, &c.*

Compositio loci, domus Loreti, quæ ea est, ubi hoc Mysterium est celebratum. Quæ domus parva, humilis, & abjecta, ut hoc ipso tempore videre est, solis duobus constans cubiculis à Nazareth ab Angelis Loretum translata est.

P A R S S E C V N D A M E D I T A T I O N I S. 1.

Considerandum, quid dicatur, aut agatur

tur à personis, ad fructum aliquem consequendum, ut videre est in reverentia, quâ Angelus gloriosissimam Virginem alloquutus est, quandoquidem ad Reginam suam Legationem nuntiaturus venerit. Consideranda item Mariæ sanctitas, dum inter Angeli laudes perturbatur: illius itidem spiritus discretissimus pensitandus, dum ad ejus dicta advertit, sicut & ejusdem obedientia, atque animi demissio, dum respondet: *Quomodo fiet istud.*

2. Considerandum etiam, quomodo postquam venit plenitudo temporis, ut Deus mitteret Filium suum, Archangelus Gabriël ad Legationem ferendam electus est, & ut Angeli sui Regis manifestationem, quam expectabant, videntes, Æternum Patrem de hoc Mysterio summis laudibus, quia suum Filium mittebat, prædicarunt; Filium verò, quòd opus Redemptionis hominum suscipere dignaretur; & Spiritum sanctum, cujus amore erat operandum. O quales erant illi concentus: *Quàm bonus Israël Deus, &c. Dominus veritatem dabit, & terra dabit fructum suum.* Considera, quàm luculenta Angelus nobis exempla præbeat: quomodo scilicet Dei negotia nobis sint obeunda, non proprium commodum; cum Angelus naturam suam nostrâ longè sublimiorem cognoscens, nihilominus in nostra Legatione jucundissimum exhibeat vultum, licet hominem ab Angelis adorandum esse prænoscat, ut id impleatur: *Et adorent eum omnes Angeli Dei.*

3. Item, attentè considerandum, qualis sit mundus, ut in eum descendat Dominus. Quid faciant homines ad hoc donum suscipiendum, cum aliqui idolorum fervituti, alii homicidiis, alii spurcis carnis delectationibus foedissimè traditi sint. Quam ob causam digni erant, ut belli, non autem pacis Angelus eos visitaret. Et cum hac admiratione Deum alloquar, quid ipse in mortalibus adverterit, ut cum iis pacem icere non dubitarit. Tu purus mi Deus, quinimò ipsa puritas; ipsi abominandi: Tu summa veritas, illi mendaciis referti; tu parcendi, illi vindicandi animum spirantes; ut quid extrema hæc unienda sunt?

4. Considera uti virgo perturbetur. Non quòd cælestium spirituum visu gaudere non sit solita; sed in sermone ejus: quia ei in Angelos, & homines denuntiant imperium. Herodis confunditur sensus, cum alium audit Regem natum: superbus, & ambitiosus timore correptus fremit, dum gloriæ suæ, aut statûs vel uno puncto decidere veretur. At dum humili gloriæ fastigium denuntiatur, tum mentis perturbationibus haud mediocriter agitur. De-

votus apud sese perpendat, an inter eos, qui cum Maria, vel Hérode perturbantur, annumerandus sit?

Item, quomodo Dominus humilianti se statim subveniat: *Quia non dabit in æternum fluctuationem justo.* Et sic citò Angelus subdidit: *Ne timeas.* Quasi diceret, quid Dominum formidas; ii metuunt, qui ipsum non reverentur; tu verò non ita: *Quia invenisti gratiam, &c. Ne timeas, quia concipies in utero, & paries Filium, &c. Et dabit illi Dominus sedem David.* O Angele, ut quid metum à me discutere intendis, si ipsi sedes Davidica, quæ persecutionibus tota plena est, tribuenda sit, &c. *Ne timeas.* Quia si David laboribus, ac persecutionibus superior evaserit, quantò majorem Dei filius victoriam est reportaturus?

Considerandum, uti Diva Virgo adedò divinæ voluntati conformis, atque in fide roborata existat, ut nihil, nisi, quomodo fiet istud, scire contendat, ad peccatores confundendos, qui adedò luculenter de Numinis voluntate informati, quæ est mandatorum ejus custodia, hanc prorsus sopitam habeant sententiam: *Quomodo fiet istud?* Solummodò curantes, quomodo non fiet istud.

Perpende, uti rei veritatem demonstravit eventus: nam percepto id Spiritûs sancti opere esse faciendum, nullius rei factâ indagatione, in hæc verba lubens prorupit: *Eecce Ancilla Domini, &c.*

T E R T I A P A R S .
Colloquium.

O Cælorum Imperatrix, quàm jucundum foret eam domum intueri, in qua Dei Matris summo munere donata es: Quòd si Obededon ob asservatam Testamenti Arcam, tot, & tantis Dominus benedictionibus affecerit; quid non benedictionis in tuam domum est delapsum, quando *Verbum Caro factum est?* Enimverò si mons, in quo Moyse alloquutus est Dominus, totus in flammis arderet; quanto fulgore, atque incendio cor tuum arderet, vel qualis tota existeres, dum te tui Creatoris adverteres Genitricem, tibi-que eum in tuis visceribus esse sustentandum, à quo, & ipsa sustentabaris, eum-que brachiis tuis excipiendum, à cujus omnipotentia gestabaris ipsa. O quantum tunc te incessit gaudium, cum verè dicere valeres: *Inter ubera mea commorabitur!* Quis, quod intuita es, aut tibi in illo momento fuit concessum, enarrabit? cum tua inhabitaturus viscera descenderet ipse Deus? Si Paulo Christi insectatori, in conversione tanta fuerint impertita: Quid in hac planè stupenda æterni Verbi con-

ceptione tibi non fuerit concedendum? Quanta tibi lætitia ab eo, quod Sacrosanctæ humanitati communicatum est, promanaret? Vel quæ humanitatis esset gloria, se Verbo hypostaticè unitam videns, in tantamque Majestatem electam advertens? O quas ipsa grates rependeret, & quanta pro crucis angoribus offerret vota, quosque ad humanum genus pristinæ libertati asserendum, ad quod creata fuerat, clamores ederet! O qualem vitam de ipsius vitæ fontis origine reportaret! Quàm seridè pedes, manusque custodiret, ne ullatenus moverentur, nisi divinâ Verbi annuente voluntate! Quanto perfunderetur gaudio, cum suis meritis omnes prædestinatos operum suorum præmia consequuturos adverteret! O gloriosum in Cælo, & in Terra momentum! O Nazareth florigera, Orbem universum invita, nec dicere dubites: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo!* O anima mea, quomodo circum præcordia cor tuum non gestit, cum ipse offensus, pacis ad te mittat legatos. Quid istud est, Domine, quod immenso laborum pondere gravatum, ad nos misericordiis tuis sublevandos advertam? Isque tuus sit animus, ut Homo cupias nuncupari? An te deprimere magis posses Domine, aut nos ad majorem gloriæ apicem attolere? An vivis cor meum, & præ gaudio non deficiis? Vel certè ob tam magni beneficii ingritudinem dolore non dissecaris? Sed quid ego sum, ut de eo verba faciam? Peccatorum conveniamus almam Parentem, ei que gratulemur. Sic pro cujusque devotione dilatare poterit colloquium, finemque imponat cum *Pater noster, & Ave Maria.*

Meditatio quinta de sancto Nicolao.

P A R S P R I M A.

Oratio præparatoria, &c.

1. Historia, *Homo peregrè proficiscens*, &c. Math. 25.
2. Loci compositio: Christus docens discipulos suos quomodo ferre debeant labores, quos in mundi devastatione patientur, & ut ipsum expectare unusquisque debeat.

Oratio: *Deus, qui B. Nicolaum*, &c.

S E C U N D A P A R S.

- Punctum*
1. Considerandum quantà homo opprimatur miseriam, cum pecuniæ amore domum suam diu, noctuque custodiens, omnem ad eum se arceat quietem; e contra, ne vel unius horæ spatio in Dei amorem, aut animæ suæ salutem, sine gravi sensu vigilare queat. Item, quomodo Dei Filius ob amorem nostrum adventus sui horam incertam esse voluerit, ut hac solitudine anxianti, majorem de nobis curam gera-

mus. Voluit ut nec hoc, nec illud miseria peccatoribus quidquam conferat, aut ne momenti unius securi, annos sibi plurimos promittant; sed potius ut damno suo vertere erubescant, quod ordinatur ad utilitatem.

Quis est, qui furem ædes suas devastantem, ac de iis spolia reportantem advertens, in eum non irruat, vel saltem viciniam clamoribus non excitet? Unus peccator, cum se virtutibus, ac spiritualibus donis, vitæque propriâ spoliari advertat, fileat, imo nec improbat. Quis item tantæ extitit dementiæ, ut ipsos etiam fures ad domum suam induceret deprædandam? Sed hæc peccatorem agere non pudet, cum dæmones, vitia, & scelera, ut animam exspolient, advocat.

Hic ponderandum est, quem Dominus 3. profert sermonem: *Dominus propè est*; qualis peccator existet, dum mortis suæ appropinquabit hora? Sicut Jeremias prædixit, futurus est, *quomodo confunditur fur, quando deprehenditur; sic confusi sunt domus Israël, & Reges eorum.* Item, quantà debent deprehendi reverentiâ; cum Dominus tam propè sit; cum verè contingat, quod dicit Apostolus: *In eo vivimus, movemur, & sumus.* Itaque de hoc notitiæ, ac reverentiæ defectu, magnum dolorem in me concitabo.

Considerandum, quo is donetur præmio, qui magnâ sollicitudine vigilans, Dei sui adventum præstolatur: *Quia beatus ille servus, quem*, &c. O quantum erit gaudium, quanta alacritas, à quale desideriorum complementum, dum exoptatum accedet momentum, in quo sponsa dicit: *Inveni, quem diligit anima mea*, &c.

Considerandem uti sanctus hic est omni 5. gloriæ venustate decorus, constituyente eum Domino, *Super familiam suam*, &c. Igitur hæc Domini opera attentè perscrutans Deum in hoc Sancto laudibus celebrabo, suppliciter exorans, ut eum mihi in Patronum concedere dignetur, in his præsertim virtutibus, quibus ille magis enituit, & ipsi devoto affectu famulari incumbam.

T E R T I A P A R S.

Colloquium.

Si Discipulos tuos, Domine, quoddam unâ 6. horâ tecum morari non valuerint, corripis, quid de me fiet, qui ad tecum vigilandum ad eum sopitus existo, & ita expectus, ut adversum te vigilem?

Scio equidem debuisse haud sopitos esse 7. affectus meos, ad diligendum te immensum Deum: sed, à me miserum, cum cui vigilandum fuerat, cor sopitè gravatum adver-

advertam : & pravos affectus experrectos, quibus esset dormiendum. O anima mea expergiscere, & attende adventus Domini horam tibi esse incognitam, lippitudinem oculis excute, atque eum præ foribus jam stare perpendas. Quod si custodiendæ supellectili invigilas, quantum magis animæ servandæ tibi est insudandum? Hæc si spolieris, qualis existes? Quod & vigilantibus tribuitur præmium, velim attendas, ad id præsertim, quo gloriosus hic Sanctus fuit insignitus, ob assiduam in gregem suum, ut bonus Pastor, vigilantiam. Hic supellectilis servandæ curam habuit, & in pia etiam opera distribuendæ. Hic Domini propinquum adventum agnovit. Hic sese ad ejus adventum composuit, & ideo beatus recolitur; & *constituit eum Dominus super omnia*, &c. O sancte Nicolae, ora pro nobis, meusque digneris esse Protector, ut tuo excitatus exemplo, inter eos, qui se paratos exhibent, ac Dominum cum desiderio expectant, comprehendi mereat. Amen.

Meditatio sexta de sancto Ambrosio, die septima Decembris.

PARS PRIMA.

1. *Præamb.* Oratio præparatoria, &c.
Historia, *Vos estis sal terra*, &c. Matth. 5.
2. Compositio loci; in memoriam revocandum est, quomodo Christus Dominus in monte concionaretur.
3. Oratio: *Deus qui populo tuo æternam salutis*, &c.

PARS SECUNDA.

1. *Punctum* Considerandum, uti hic Dei potentia se præbeat admirandam, cum fletibus marcidos, sal terræ nuncupet; persecutionem verò patientes asserat esse lucem mundi, ut inde homines majorem vim, ac robur in persecutionibus habeant: siquidem amarus sapore conditur, ut sit sal terræ, persecutionem verò patienti lux additur, quâ mundum illuminet.
2. *Osea. 4.* Considerandum, quàm confusa esset terra, priusquam Christus Jesus eam divinâ suâ præsentia cõhonestasset, atque ut de ea diceretur, *non est veritas, non est misericordia*. Sed postea ea dedit fructum suum, &c. & ubi Verbi æterni obtinuit Incarnationem, tanto fuit prædita sapore, ut omnis ei dulcesceret amaritudo. O sal verè sapidissimum, ò magnum afflictis solatium! Hinc ad dolorem excitabor, perpendens quantâ diligentiam utar ad esum corporalem sapore condiendum, & quantæ simi desidiam, ut accedam ad condendum spirituale edulium gratissimo hoc sapientiam æternam sale, ut mihi amplius sapiat.
3. Considerandum, ut in lege cautum erat,

ne ullum sine sale offerretur sacrificium, ad *Lev. 2.* præsignandum opera nostra nullatenus in *13.* divina reverentia acceptari, quacumque polleant perfectione; nisi sale meritorum Christi condiantur, cujus ea est efficacia, ut dulcissimum, sapidissimumque illud efficiat, quod hoc sale haud conditum, nullius omninò meriti existeret: ex quo inferam, quantâ illius necessitate laborem; dolebo quòd illud in tantum spreverim, tam parumque æstimaverim; cum tamen tam mirabiles effectus operetur; itaque gratias agens pro tanto beneficio, curabo, ut copiosum fructum ex eo consequi possim.

Considerandum, quòd dum salis munus, seu effectum in meipso exequi teneam; *4.* sapidum nempe, quod fastidiosum est, reddendo; & incorruptum, quod corruptionem incurrit, præservando; peccatorum meorum pondere contrarium omninò sim operatus. Quia proximis fastidiosus, & severus extiti, amaritudinis iis occasiones procreans; ad carnem meam polluendam magis, quàm à corruptione tutandam propensior. Quamobrem, in lacrymas maximo cum dolore uberrimas effundam: laxatæ enim ad vitia, & peccata oculorum habent (ut olim Lothi conjux suos in Sodomam convertens, salis effecta statua est) me in salem converterunt.

Considerandum, ut sanctus hic Doctor sit sal terræ; in castitate candidus, in doctrina sapidus, & tantæ suavitatis, ut in teneris annis integrum ex ore apium agmen profueret, præfagiens quod ex ipso emanaturum esset postea. Ex hoc prorsus erubescam, cum tot, & tanta mihi desint, ut hoc sale componar.

PARS TERTIA.

Colloquium.

Nisi Dominus reliquisset nobis semen, &c. Si tu Domine tuâ sapientiâ gustum, & saporem terræ non tribuas: quis in ea vitam sustinebit? aut quis ejus amaritudini absorbendæ par erit? Tu solus es, qui rectè ducis. Tu Domine, amaras undas in dulces, & planctum in lætitiâ convertis. Sicque pauperes vocas salem terræ, & oppressos Lucem mundi. Tu es, qui hoc sale, vindictæ amaritudinem, in dulcedinem commutas. Tu denique es, qui absque sale sacrificium fieri prohibuisti, ut quantam ejus habemus necessitatem, demonstrares. Sed vix mihi, qui cum sal terræ esse debeam, in salis statuam, ut uxor Loth, conversus sum! Et salis tui facta jacturâ, aded inutilis remansi, ut præter hominum calcationem, aut despectum, merear

rear nihil. O sancte Doctor Ambrosi, verè de te nuntiari potest, quòd sal terræ fueris, cum tantam tui habueris cautelam; ut non calcatus sis in terra, sed ab illius Principibus summis honoribus affectus. Tu salis & conditiones, & saporem adunque mortem asservasti, usquedum fortunatam Creatori tuo redderes animam, sic ut, quàm sapidum illius amoris causâ mori tibi futurum esset, indicares. O Doctor Sanctæ Ecclesiæ! O eximiæ in oves Pastor vigilantia! Sis intercessor noster, & ad pauperes exules, qui in hujus sæculi amaritudine miserandam vitam ducimus, te converte, ut per tua merita hujus salis, vel minimum granum referamus; nostraque perditione, & corruptione liberemur, & planctus nostros in gaudia convertamus. Amen.

Meditatio septima secunda Dominica Adventus.

P A R S P R I M A.

1. Orationem præparatoriam præterita Dominica subministrabit.
2. Historia Evangelii: *Cum audisset Joan.* &c. Matth. II. In quo Romana Mater Ecclesia, Præcursoris testimonio, & per Christi Domini nostri miracula (secundum signa, quæ de Messia vaticinatus est Isaias) perpetrata, Messia adventum prænuntiare intendit, & simul animas nostras ad spiritualement Dei Filii adventum paratas reddere. Oratio, *Excita Domine.*

3. Loci compositio erit, sese effingere inter cæcos illos, & surdos, & videre horum sensuum perfecto usui redditos à Christo, dum sancti Joannis Discipulis responderet.

P A R S S E C U N D A M E D I T A T I O N I S.

1. Considerandum quid dicatur, aut agatur à personis, ut ex iis aliquis fructus referatur, ut ritè fieri potest ex zeli Præcursoris imitatione, in inquirendo de his, quorum integrâ notitiâ præditus esset, ad majorem suorum Discipulorum utilitatem. Pensitandum item, Christi responsum, operibus primò, deinde verbis, ad ejus insequenda vestigia. Quanta item cum admiratione divi Joannis Discipuli, Magistro suo rationem reddituri, reverterentur: ut hinc Redemptionis nostræ operum admiratio, nec minor in Dei Filium fiducia reportetur. Si enim dubitanter interrogantibus, cum tanta charitate respondeat: quid sibi cum summa mentis demissione, fide, & charitate appropinquantibus præstabit; sed quid non sciscitantibus modò, verum & totos sese illi offerentibus, ab ipso retribuendum est? Et iis, qui nullum alium beatitudinis suæ scopum admittunt, præterquam eum, quo ipsi obediunt, ejusque esse moreantur. Conside-

randum item, quantâ animi alacritate claudi, leprosi que domum reverterentur, exutis lepræ pristinae squammis, sanitati perfectæ restituti: quo colligemus non pari nos; sed longè excellentiori gaudio (sceleribus sacro pœnitentiæ fonte expiatis) esse perfundendos. Item, considera salubre documentum, quod Christus nobis tradit, de despiciendis vestibus, atque hujus mundi curiositatibus refrænantis, dicens: *Qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.*

Considerandum, uti sanctus Joannes in carcere licet devinctus; plurimum tamen cum Discipulis suis conferat, & quomodo aliqui animarum Pastores, & Patres familiaris, omni libertate gaudentes, nullam proximorum profectus curam gerant. Tum maximè in memet reflectar incuriis meis illacrymans, considerando exemplum, quod sancti, & Apostoli carceribus detenti, gentes convertendo, præstitere: utque Christus, dum vincire eum vellent, dixit: *Sinite hos abire; & ego liber, & omni solutus vinculo, tantam proximi mei gero incuriam!* Item quomodo sanctus Joannes, ut Discipulis suis proficeret, minimè attendit ad ea, quæ sibi objicere possent, scilicet se dubitare, quandoquidem interrogaret; in quo benè ostentabat, quòd non quærebatur quæ sua erant; sed quæ erant Jesu Christi, eos rubore suffundens, qui honorem omni proximorum spirituali bono præferunt; & hinc ejus dicta ruminans, dolebo de meipso.

Considerandum, quomodo licet captus Præcursor, & liber Herodes videatur; re tamen verâ quoad internam libertatem, contrarium omninò contingat; cum verè passionibus suis captus Herodes, quod refugeret, peregerit: divinus autem Præco omnimodè ad veritatem proferendam, & ad eam quam obtinuit victoriam consequendam, liber extitit. Quamobrem non ita is erraret, à quo Adæ filii delirantes vocarentur, eò quòd tam planè in nominum impositione delinquant; siquidem liberum, capti afficiant cognomento; captus autem per ipsos liberi nomine insigniatur: & ita in titulis, & superscriptionibus potissimum peccare videntur. Item considerandum cum timore, & tremore, Herodem maximo afficiendum fuisse supplicio, quòd tantum Prophetam vincire ausus esset: nec suam evadit pœnam peccator, qui Christum in anima sua spiritualiter ita captivare audeat, ut quodcumque salutiferum in ea vellet agere, ipsi interdicit.

Considerandum quoque, ut sancti Joannis zelum citissimè compenset Christus, utque

utque honorem ejus exposuerit pro aliorum bono, dicens, *quid existis in desertum*, &c. Si alii Prophetæ me agnovère, quanto magis iste, qui est major quam Prophetæ. E quibus omnibus inardescat animus ad procurandam proximi salutem, quamvis pro ignaro habeatur, quandoquidem Christus diligentibus propitius adsit, & sponfor fiat eorum, qui hoc faciunt.

5. Consideranda hæc verba, *qui non fuerint scandalizati*; pensitanda cæcitas eorum, qui in Christum scandalizantur; nimirum Phariseorum, Gentilium, Infidelium, atque Hæreticorum, sicut & peccatorum, qui de offensarum commissione, ac de Christi contemptu, atque paupertate scandala patiuntur: hinc, perpendam, quanto magis conduceret, de nostris pedibus, ac manibus scandalizari, cum præsertim speciale in iis scandalum oriatur, quam de his, quæ mihi imitanda incumbunt, ut sunt opera, ac vestigia Christi; cum verò de illis, quæ essent rescindenda, ut linguæ meæ garrulitas, ac pravæ pedum semitæ, nullatenus scandalizer.

TERTIA PARS MEDITATIONIS.

Colloquium.

Quid hoc sibi vult, Domine? an Angelorum in tuis Natalibus non sufficit testimonium, nec supplex Regum adoratio, quodque in Templo à Simeone probatum est, ut, quis sis, non interrogent? Tua consideranti opera, quid interrogandum superest: nisi fortè suam in iis ingratitude nem consideret, & Creationis beneficium, ac Redemptionis ardentissimum amoris æstum. O si quis ad hæc attenderet, quantus eum invaderet stupor, præmeditans quæ in Cælo, & in Terra à te ordinantur. Cui enim mirabiles Sanctorum affectus, atque effectus, & peccatorum conversio, nisi operibus manuum tuarum imputentur? Quis ad te confugere desinet, si hæc omnia, ut par est, examinet? O anima mea, si quandoque contingat, miseræ tuæ habeas notitiam, divinam illam Redemptoris manum, summâ, quâ potes, laude deprædica; siquidem omnem oculorum tuorum caliginem tam perfectè excusserit; quòd si non feceris, peccati lepra haud exiguum in te obtinet imperium; ne, quæso, illis leprosis adnumere ris, qui in supremi Medici alexipharmaca ingratos sese exhibuerunt. Si sanctas ejus inspirationes audis; ad aures cordis tui perstrepunt; Si vivis, ab ipso vitam ducis. Cave ne inter eos habere, qui de ejus paupertate, humilitate, ac patientia scandalizantur. Sed cui, Domine, ob promanantia è manibus tuis opera, scandalum

oriatur? Cùm ille sis, qui cruci pro peccatis nostris affigi voluisti. Qui ita nos diligis, ut talibus amoris pignoribus nos donaveris. Quamobrem te etiam, atque etiam rogo, ut fortitudinem tuam mihi elargiaris, ut cum sancto Job dicere valeam: *Etiamsi me occideris in te sperabo*, & in alio loco, *salvat manum suam*, &c. Nec permittas, ut quodcumque imperas, aut distribuis, ullum in me pariat scandalum; sed pro omnibus te laudare, & in omnibus operum tuorum excellentiam, atque bonitatem cognoscere merear, ut me ad te festinandum urgeam, ex iisque majorem amorem, & reverentiam consequar; ad quod facilius peragendum, concede, ut tui Præcursoris in Discipulorum suorum zelo, imitatione insigniar, nec quidquam hujus vitæ æstimem, quod à tuo vel tantillum famulatio me amoveat; sed eam potissimum felicitatem affectem, quâ totus tibi offerri, ac in tuo divino beneplacito congaudere merear in secula seculorum, Amen.

Cùm audisset Joannes in vinculis opera Christi: Qui sese ad Christi adventum cupit componere, opera ejus consideret, nempe ut nos expectat, tolerat, suffert, monet animat, attollit, &c. Hæc, & similia opera animæ opem ferunt, ne aliis rebus mentem relaxent.

Signum evidens est, quod Christum anima convenerit, si audit, ac videt eum advenisse; ut è contra signum pessimum hoc non videre. Quemadmodum non verbis, sed factis Christus respondet: Sic & nobis Deo non solis verbis; sed & operibus est respondendum.

De Crucis Christi patibulo scandalizantur, qui ejus arcana non cogitant; sed ignorant quomodo in ea potentia Dei, ac sapientia manifestata sit, quamque excellens istud, in cruce mori, contra hominis durtiem fuerit antidotum. Quòd si tanta in inenarrabilem amorem regnet ingratorum animorum perversitas? hocque non convalescant pharmaco, quid de eis sine eo fieret?

Attendat quisquis de cruce scandalum patitur, se absque ea vitam haud ducere posse; unumque de duobus inevitandum, aut nempe animam propter peccatum cruci affigendam, vel ipsi corporis sui subeundum esse patibulum. Quanto quis beneficio duceret, si ab hoste cum vincus esset, solveretur; gladiusque quo eum occidere vellet, ipsi traderetur: sed hoc ipsum Crux efficit, dum antiquum Hostem perimit.

Quis de Christo scandalum patietur,

Hh 2

adver-

advertens eum divo Petro imperasse, ut piscatum iret ad tributum, quod exigebatur, persolvendum, ne mortalibus ipse foret scandalum? Tantoque amoris æstu in homines flagrasse, ut ipsum divum Petrum, qui se pati dissuadebat, scandalum vocitarit.

Feria II. Prima pars Meditationis Hebdomadis Dominicæ secundæ eadem est; sed in secunda primum Punctum sumatur, & in tertia Colloquium.

Fer. III. Prima pars, & ultima eadem sunt, in secunda Punctum secundum.

Fer. IV. Prima, & ultima eadem, in secunda secundum itidem Punctum.

Fer. V. Prima, & ultima eadem, in secunda quartum Punctum, & quintum meditanda.

Fer. VI. Tota Meditatio repetitur, ut in altera præteritæ Feriæ sextæ repetitione dictum est.

Meditatio octava Sabbathi secundi.

P A R S P R I M A.

Oratio præparatoria, Historia, & loci compositio eadem, quæ Sabbathi præteriti.

S E C V N D A P A R S M E D I T A T I O N I S.

1. Considerandum, in eo maximè resultare liberalitatem, dum quis non quæ possidet modò tribuit, verùm & mutuum quærit, ut quod non habet, impertiatur. In hoc ipso elucescit, quo pacto *apparuit benignitas, & bonitas Salvatoris nostri*; cum sanctissimam Humanitatem, quam prius sibi metipso unitam non habebat, assumpserit, ad eam in nostrum beneficium tribuendam: *Quia nobis natus, & nobis datus.*

2. Considerandum, quantum Misericordiæ opus præ se ferat Filii Dei Adventus ad eam, quam homo deleverat imaginem renovandam, cum præcipuè duræ incudi supponenda esset, ut pristinæ restitueretur formæ, nec ejusdem viri, à quo fuerat deformata, ad malleorum ictus, qui essent tolerandi, vires sufficerent. Quid ego facerem, si his essem supponendus ictibus, quibus ipse se præbuit contundendum?

3. Considerandum, quantâ nos Filius Dei obligatione devicerit, dum servi formâ assumptâ, eâ ad eò gloriatus est, ut eam super Angelorum choros non dubitarit collocare, ut continuò ipsi persolvamus grates.

4. Considerandum, quânam dulcedine nostram naturam Dei Filius dilexit, ut eam amplexaretur; quid item nos ad eò simus ingrati, ut ejus nos participatione privemus: ex quo Divini Amoris Flamma, sicut & nostri ipsorum erubescencia est concipienda.

Colloquatur pro libito.

Meditatio Nona de Beatissima Virginis Conceptione.

P A R S P R I M A.

Oratio Præparatoria, ordinaria Historia. *Loquente Jesu ad turbas extollens, (&c. Luc. 8.)* Loci compositio, Christus Dominus noster quando erat ejiciens demonium, in mentem revocandus est, & ut nefandæ Phariseorum malitiæ imposito silentio, in hæc verba sancta illa Mulier proruperit: *Beatus venter, &c.* Oratio: *Deus qui per immaculatam, &c.*

S E C V N D A P A R S.

Considerandum quid dicant, &c. Ut ex iis fructus aliquis consequi possit; ut hoc in loco refert Evangelista, Dominum ad populos sermonem olim habuisse; sed quàm differenter à pristina consuetudine; siquidem antehac *multifariam, multisque modis, &c.* Sed in præsentiarum, *locutus est nobis in Filio.* Quantum amabo gaudium esset divinam Sapientiam audire perorantem: quantâ gratiâ in loquendo, efficaciâ in movendo, ac vi polleret in persuadendo? Quas mentibus tristitiæ tenebras excuteret, quamque haud induratis, aut oppilatis cordibus infunderet suavitatem!

Considerandum, quàm rationi consentaneè sancta illa mulier vocem extulerit, dicens: *Beatus venter, &c.* Etenim si veteris Testamenti Arca, in qua Manna asservabatur, Philisteorum Dagon subverterit, quòd eam, quo dignaretur loco, haud stauissent: quid illa, quæ intra se absconditum Manna, Filium Dei nempè, gestavit, Arca non operabitur? Quamobrem beatissima illa Arca est prædicanda, quæ mundo talem advexit thesaurum. Tum si Obedon dona, mercedisque non modicas Deus impertitus sit, quòd Testamenti Arcam ædibus suis excepisset; quibus MARIA privilegiis, & gratiis donaretur, cum non figuram; sed ipsum proprium gremio foverit figuratum? *Beatus venter qui te portavit, &c.*

Considerandum, quàm æquum fuerit, ut ille, à quo parentes honore afficere jubemur, eundem & ipse Genitrici exhiberet: Ea de re privilegio nulli alteri puræ creaturæ concessio, donandam fuisse decuit, nempè Conceptionis in gratia, siquidem eo frustrari, magnæ indecentiæ verteretur, cum Dei Filium à Matre, aliquando dæmonis jugo per peccatum mancipatâ natum veraciter dici posset: & sic supplices cum Ecclesia Dominum orabimus: *Ut sicut eam ab omni labe præservavit, &c.* Item considerandum, quid à Sanctis de hac Immaculatissima Conceptione censeatur, quidque Mater Ecclesia huic san-

sanctæ solemnitati de sacra Scriptura addiderit, ut diem solemnem admodum, atque Deo gratum celebraret: considerandum, quàm miris sit virtutibus decorata, cum sit *Pulchra ut Luna, electa ut Sol, Mater pulchra dilectionis, & timoris, Putens aquarum vivificantium, Hortus conclusus, Fons signatus, &c* sic de cæteris epithetis, quæ Orthodoxa Mater Ecclesia ipsâ attribuit.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Si Beatus est, qui in viâ peccatorum non stetit. Quis, ô Domina, Beatitudinem tuam dignè deprædicet? Cum inter puras creaturas una sis, quæ non stetisti in viâ peccatorum; nec ad te ullum peccati genus unquam accesserit. *Et si Beatus est, qui suffert temptationem:* Quis unquam ut tu afflictionum acervis oppressus est? *Si item Beatus est, quem elegisti, & assumpsisti:* Quantum in eo gloriæ tuæ futurum est incrementum? *Et si Beatus est, qui lavit pedes suos in sanguine Agni.* Quis ut tu in Agni cruore meruit adornari, cum in ipso tuo eum gestavisses gremio? Quanto sanguine tincta extaret anima tua, quamque in eo profundè cor tuum immersum latitaret. *Si item Beatus est, qui scit jubilationem.* Quis gaudium tuum, & gloriam exprimet? Cum Dei Mater, & Angelorum Imperatrix effecta sis, & inter eos purissima, sicut inter Martyres; utpotè quæ tormentis sævissimis affecta, palmam præferre Regina merita es. *Quod si Beati, qui audiunt verbum Dei:* Quid de te onarrandum est, cum in audiendis, atque fovendis in corde tuo Divinissimi Filii tui verbis, omnes longè superaveris. *O Beata, quæ invenisti sapientiam, & tenuisti eam.* O te felicem, cum in Conceptione munda, in Præsentatione pura; sed in Filii tui Incarnatione longè Purissima, & fulgentissima reddita sis. Mundi tui sensus, & mundæ fuerunt potentiæ tuæ: quamobrem, *Si beati mundo corde, &c.* Tu ut mundissima, ita etiam omnibus puris creaturis Dei aspectu splendidius illustraris; & idèd *Beatum te dicent omnes Generationes, quia facit tibi magna qui potens est; O Mater Dei, & sacratissima Virgo memento mei indignissimi peccatoris.*

Meditatio decima tertia Dominica Adventus.

PRIMA PARS.

1. Oratio præparatoria, ut præterita.
2. Historia Evangelii, *Miserunt Judai, &c.* Joan. 1. Quod sancta Mater Ecclesia Romana intendit, idem est, quod in secunda Dominica, id est, Messiaæ Adventum Præcursoris ostentare testimonio, & ad tantum Festum animas nostras idoneas reddere. *Petitio: Aurem tuam quasimus, Domine,*

precibus nostris accomoda, & mentis nostra, &c.

Loci compositio, erit fluvius Jordanis, 3. ubi sanctus Joannes versabatur, & baptizabat, vel certè Regio ipsa.

SECUNDA PARS MEDITATIONIS.

Considerandum quid dicatur, & agatur 1. à personis ad referendum aliquem profectum, vel consilium, ut omne nocivum evitetur, quales sunt Pharisei, qui Messiam quærere videntur; sed reverà ab eo se avertunt. Item Divi Joannis fortitudo pensanda, qui pro Christo terrena *Omnia habet ut stercora*, licet maxima videantur. Hinc itaque magnâ ad Christum quærendum fiduciâ ferri debemus. Si enim id genus Pharisei, & Levitæ quâ debuissent reverentiâ, eum haud quæridentes; ejus tamen, & quidem à tantæ auctoritatis viro nova perceperint; quid cum iis acturus est, qui eum cum humilitate, sanctisque, ac meritoriis operibus investigant.

Considerandum, ut Sacerdotes, & Levitæ (obliti, quàm iis malè successerit, qui Regem cupientes, Saulem acceperant) nunc pro Messia Præcursores magis sine miraculis, quàm cum iis Christum desiderant, ut ipsimet manu propria, & secundum suam propensionem Messiam assumere valeant, non autem ut ipsis concedatur. Hinc colligatur, uti ea hominum vigeat consuetudo pro voluntate, & more Rectorem, vel Superiorem quærere, licet inter illos, qui virtute clarent, minimè adnumeretur; sed quod pejus est, ipsummet Deum ad normam suam inducere cupiant. Et sic Saulem magis, quàm Deum Regem sibi præfici peroptant.

Ut item diabolus divum Joannem in Messiam erigere nitebatur, ut Christi nomen, à quo sibi timebat obscurum redderet; sed major Christi fama Divi Joannis testimonio increbuit. E quo solatium hauriam, confidens in Domino, quòd ipsis telis, quas ad justos irretiendos construit dæmon, major Domini gloria, majorque cognitio virtutis servis promanatura sit.

Considerandum, quid dicturi essemus, 3. si Mundus, Dæmon, aut Caro perquirerent quales simus? Quanto pudore propriam fatentes notitiam perfunderemur, cum præsertim ea inimicos nostros haud lateat, quorum manibus extitimus devicti; sed quantò ampliùs deprimeremur, si Dominus ipse, quis sis, fueris, aut futurus sis, percunctaretur.

Considera, quomodo in Præcursoris responso ejus refulget humilitas, quemadmodum in Sanctis ea vigeat consuetudo, ut modum ad se deprimentum, seseque infra merita humiliandum sollicitent: quòd plane

nè in contrarium superbis vertitur, qui omnem conatum adhibent, ut se extollant, longè majora, quàm par sit, de se ipsis effingentes. Hinc quilibet inferre potest, qualis sit unusquisque, cùm talem de se habeat opinionem, qualem in sese fovērit conceptum, ut videre est in ovibus Jacob, quæ pares conceptibus edebant partus. Item, uti hæc humilis responsio, tantis deprædicanda encomiis, à Phariseis arguitur; qui dicunt: *Quarè igitur baptizas?* Ut hinc colligam, me defectu notitiæ in questus, aut mœrores irrumpere, dum verba, aut opera mea fortè rejiciuntur, aut malè concipiuntur! licet huic tantæ sanctitatis viro Phariseorum interrogatio contigerit, ejus tamen humilitati absorbendæ inferni ministri impares extitère.

5. Considerandum, quanto pudore suffusi Sacerdotum, & Levitarum nuntii reverterent; quantam verò consolationem, & lætitiā sentiret Præcursor, propter confirmationem, quam illius populi homines, ad Christo inhærendum, consequerentur: quantum item ejus futurum sit gaudium, qui fidus Christi testis esse mereatur, juxtà illud: *Et eritis mihi testes.* Ex quo intimum pectoris dolorem concipiam; Si enim opera mea Christi testimonium perhibere tenentur, cùm talia sint: planè dolendum est, quòd de illo tam indignum ferant testimonium?

TERTIA PARS.

Colloquium.

Qualia sunt, Domine, artificia, ac technæ, quas populus tuus quærit, ut te sui Messia nomine defraudent. O quàm malè persolvunt tibi sapientiæ æternæ ad inventiones, quas in suorum malorum levamen statuisti. O si tui notitiā meruissent informari, certè nunc cæteros, *quis es*, haud interrogarent: unde sit, ut te ignorantes, in medio versantem, alios quærant. O quantum à salutis tramite alienati sunt! sed ò me perditum, si eadem in meipso experiar! Quàm procul à te videor, cùm ipse præ foribus verferis; quando scilicet meæ voluntati adhærens Rectorem ad modulum, & ritum meum mihi effingere cupio; quod potissimum indicat, quàm magnā meipsum laborem ignorantia. Si manibus meis regimen credas, confestim navis submergenda est: Si autem cura mei apud te sit, ad desideratum portum feliciter appellar; ideò gratiam impertire, ut Præcursorem tuum in responsi humilitate, in testimonii auctoritate, in abstinentiæ exemplo, atque aded in tam admirabili vita valeam imitari, ut eos clamores perci-

pere possim, quos in hac misera anima, sterile desertum incolente, intonas.

ADDITIO.

Interroga teipsum? Esne tu Christi discipulus? Christi spiritum possides? bonisne^{1.} propensionibus adhæres? Tibi maledicentibus benè precaris? Pro opprimentibus te preces fundis? Crucisne verus es sectator?

Item an fortè Elias honoris Dei verus Zelotes? an Pseudo-Prophetarum, ac^{2.} scelestorum severus vindex? Jejunii observans?

Esne Propheta? haudquaquam: non^{3.} enim aliam, quam de præsentī vitæ curam habes, quasi mors, judicium, & similia, inter anilia commenta reputentur.

Si testium fide, ad quem spectes, exquiratur; quodnam præterquam vanitatis testimonium, oculi sunt reddituri? Lingua, *Venenum aspidum*; auditus, *sicut aspidis surda*; cor tuum nullum testem præstare valet: non enim est pœnitentis; sed alterius pignori mancipatum.

Quod es, & quod non es, fateare; ne^{5.} tiquam à veritate discedas; nec te latronem, perfidum Judam, dæmona esse inficiare. Tantoperè te Deus tolerat; tu verò tam parùm ipsum sustines; cumque amoris tui causâ multa multoties prætermittat puniendâ, ne semel quidem proximi errores, amoris illius ergò tu dissimulationis velo recondis.

Attende, an duce veritate dicere ausis,^{6.} *Vox clamantis in deserto.* Quod unumquemque Episcopum, Concionatorem, Principem, & Patremfamilias in statu suo spectat; sed peccator obmutescit: idem enim cum eo peragit dæmon priusquam ad Orcum eum præcipitem agat, quod ab his fieri solet, qui quemdam capiunt ad eum ad triremes mancipandum: primò, ne ullos edat clamores, pilâ quadam os illius claudunt, uti planè à dæmone fieri assolet, cùm obturatis faucibus, misero orationem protinùs interdicat.

Explananda est Domini via, saxa, qui^{7.} bus durities subintelligitur, amovendo: etenim peccator assimilatur saxo, cui ut signum imprimatur, illud tangere haud sufficit; sed malleo duriter contundendum est. Sic licet concionibus peccator instigatus, nisi ægritudinis, aut dedecoris ictu profligatur, nullum pœnitentiæ præ se feret signum. Explanantur etiam itinera avulsis radicibus dumetis, quod grassante igne expeditius fieri potest: sic lites, inimicitia, divini Amoris incendio.

Quid futurum est, cùm nobis in mor^{8.} tis momento objicietur, *in medio vestrum stetit.* O miserandum hominem, quòd ejus

ejus, qui in tui medio versabatur, notitiam non habueris: *In quo nos revivimus, movemur, & sumus.* Si Sacerdotis munere insignitus es, manibus sese tibi exhibuit pertractandum.

Feria II.

Prima, & ultima partes Meditationis in tota hebdomade, sunt eadem; sed feria secundâ primum punctum meditandum.

Fer. III.

Secundum punctum.

Fer. IV.

Tertium punctum.

Fer. V.

Quartum, & quintum punctum.

Fer. VI.

Tota Meditatio, ut in superiori dictum est, repetitur.

Meditatio undecima tertii Sabbathi Adventus.

PARS PRIMA.

Pres.

Oratio præparatoria, Historia, & loci compositio, quæ præteriti Sabbathi.

PARS SECUNDA.

1. Considerandus Patris æterni immensus amor, qui filii sui munere nos ditaverit; quemadmodum enim eum ab æterno generat: sic quoque nos gratiâ, in filios adoptivos suos in tempore adscribens, communicativè generat. Quid magis vel optandum, vel imaginandum est?

2. Idèd magnoperè velut patri, & Domino irrefragabiliter obedientiam, atque reverentiam summam exhibere tenemur Deo, nec aliud quicquam præterquam sanctam ejus voluntatem amplectari, ut dicere valeamus: *A meipso facio nihil, & quia placita fuerunt ei, facio semper.* Quibus tamen haud molliti, famosi illius prodigi decoctoris insignia gerimus, qui hæreditatis suæ fortunas fastiditus, custodiendis porcis, atque aded serviendis præfectus est: quod peccatores muneris præ se ferunt, quos spurcissimis sensuum cupiditatibus inservite, nemini dubium est.

3. Considerandum, quid talia perpetrans mereretur, quodve suppliciorum, (si multoties sceleribus iteratis sese implicuisset) addendum esset incrementum? Tum postea, quot vicibus, propriis criminibus irretitus, in talia inciderim, pensitandum: & hinc de commissis dolor excitandus, ut saltem filii Prodigii ducat exemplo; qui tandem ad Patrias ædes reversus, exclamavit: *Pater peccavi, &c.*

TERTIA PARS.

Colloquium Sabbathi primi, ut dictum est.

Meditatio duodecima Quarta Dominica Adventus.

Pres.

PRIMA PARS.

1. Oratio Præparatoria eadem est.
2. Historia Evangelii: *Anno quinto decimo, &c. Luc. 3.* Sacræ Romanæ Ecclesiæ eadem est intentio, quæ in præterita. Oratio: *Excita Domine, &c.*
3. Compositio loci, qualis in Eremito glo-

rius Baptistæ existeret: *Quando factum est verbum Domini super eum.*

SECUNDA PARS.

1. Considerandum, quid personæ dicant, aut operentur, ut ex illis fructus reportetur, scilicet Joannis præclara facinora; & quàm admirandam vitam ducat; quale item omnibus in deserto exemplum præbeat. Quid item in iis Domini spiritus, ad quos accedit, operetur, ut eos ad pœnitentiâ prædicandum, proximoque optulandum, instiget, id singulis tribuens, quod cujusque statui, & vivendi normæ convenit. Quid insuper Dominus agat, qui Præcursores mortales præveniens, ipsos certiores reddit: *Quoniam videbit omnis caro salutare Dei.* Ex his omnibus colligitur, illis sese Dominum communicare, qui excusâ rerum forensium sollicitudine, mundanis curis valedicunt; qui postmodum & se proximo communicare amant. Væ tibi quicumque nisi juxta spiritum Domini, telam contexis; væ, qui teipsum, tulve nominis famam, non pœnitentiâ deprædicas!

2. Considerandum, quo pacto divino instinctu sit ordinatum, ut Præcursor ab ineunte ætate in desertum secederet ad tollendam omnem suspicionem testimonii, quod de Christo esset redditurus, ne fortè parentibus, mutux familiaritati, amicitixque tribui videretur. Quid hoc est, nisi saxa, ne iis impingant homines, amoverè; & ita *factum est verbum Domini in deserto.* Hinc dolorem eruam, cum non modò saxa non amoverim, quinimo rixas, ac dissensiones proximo seminaverim.

3. Attendendum, ut quem Dominus ad magna destinat, magnis itidem eum præparationibus disponat: & hoc ipso ego confundar, si enim ad magna me non præparem, nec *factum est verbum Domini in me;* idèd, quod deserta non incolem, nec pœnitentiâ divi Joannis suscipiam, potissimum contingit; sed si ejus studiosus videar, illamque ut verbis deprædicem, sic & opere eam complebo. Hinc mihi poterit accidere solatium, sperans, quod verbum Domini veniet super me. Inde etiam conabor perquirere, quâ conscientix expurgandæ ferar diligentiam, quo pœnitendi, patiendi, ac passiones mortificandi desiderio conflagram: etenim patienâ desiderio, vitæ spiritualis status frequentissime correspondet; quod si me debilem advertero, excitabor; si verò viribus, bonisque desideriis præ manibus armâ geram, tum auctorem cum gratitudine agnoscens, majores in virtute progressus assequi curabo: *Quia non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.*

Idem

4. Idem, quod Isaias litteris prodidit, à sancto Joanne repetitur, id est, *Parate viam Domini, &c.* In quo Dei manifestatur spiritus: *Quia Spiritus Prophetarum, Prophetia est Subjectus.* De Christo traditur: *Vadit sicut scriptum est de illo.* Et ego justus esse cupiam, ea haud peragendo, quæ de justo scribuntur? Væ his, qui dicunt ea, qualia nec Prophetæ, nec Apostoli, nec sanctæ Ecclesiæ Doctores protulere; sed proprio judicio, & sensu dictante, loquuntur! De hujusmodi proditum est: *Miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros,* Dolorem item à meipso extorquebo, vias meas, exiguamque earum frugem admiratus; spem falsam, quam secum honores, & divitiæ sese insequentibus invehunt, considerando; eapropter cum Davide concinam: *Cogitavi vias meas, &c.* propriique affectus proclivitates aspernatus, viam Domini parare incipiam.

5. Considerandum, quibus Domini semitæ fructibus commendentur, quia ejus in adventu *omnis vallis implebitur.* Vacua omninò est peccatoris anima, quandoquidem retrocedat, & quantò suo nihilo cumulatio, tantò & existit indigentior. Sed dum Dominus per gratiam eam convenerit, *Valles abundabunt frumento.* Lingua laudibus tum resonabit, manus operabuntur, cor amore rapietur; omniaque Domino penitus replebuntur; colles turgent, scilicet superbarum cogitationum animi, qui in sui æstimatione toti versabantur, propriam noticiam humiles efficiuntur; problematica illa verba, atque ad proximum decipiendum inventa, & cætera retorta, atque duplicia, sanctâ simplicitate, & pietatis zelo in debitam rectitudinem reflectentur: & hac ratione Domini præparabunt itinera: Aliena restituere incipient, offensas remittere, & quod aded asperum reddebatur, ut conscendi non posset, tantamque amaritudinem sapiebat, ut ei absorbendo omne guttur impar videretur, mitigare, & pro ipsis etiam hostibus, Deum supplices rogare; hæc, inquam, omnia Domini adventu fient tam plana, tamque facilia, ut omninò anima obstupescat, advertens id tam planum effici, quod sibi prius maxime asperum videbatur, & quod amarissimo felle conditum judicabat, sibi postmodum in tantam dulcedinem converti. Ex his omnibus, quæ inter has vias intercedat differentia, colligi potest.

TERTIA PARS MEDITATIONIS.

Colloquium.

Meritò ais, Domine, quòd sicut exaltantur Cæli à terra, ita exaltatæ sunt viæ tuæ à suis; perspicuum est, Domine, nul-

lam esse comparisonem inter asperitatem viarum mearum cum tuarum planitie. Quis ergo non præparabit iter adventui tuo? Cui molesta erit solitudo, & poenitentia deserti, ut paret se ad audiendos clamores, quibus vocas animas, sanguine tuo redemptas. O Domine, quid dicam, cum videam in Adventu tuo impleri, quod antè vacuum erat. Eheu me! qui meipsum intueor, superbiâ tumidum, tamque vanum, & vanitatum seculi studiosum; unde timeo, & haud injuriâ, quandoquidem vacuus sum; video pariter colles superbiæ meæ non esse humiliatos, uti par esset: quia etiam nunc mihi durum videtur, quod tuis servis suave apparet. Decet simplicitas, & abundat duplicitas. Vereor ne mihi accidat, quod populo Israëlito, de quo dictum est: Collem ipsius superbiæ debere deprimi, & vacuitatem, quæ inerat Gentilitati, debere repleti. Sic paveo, ne superbia mea deiciatur, & calcigetur, neve aliqui, qui nunc vacui sunt, exurgant in iudicium contra me; ne id permittas, Domine; quin potius voluntas tua sit, ut in me adimpleatur, quod scriptum est: *Videbit omnis caro salutare Dei.* Benedictus sit, qui talem nobis promissionem reliquit, dicens. *Lauda anima mea Dominum tuum, quandoquidem ut oculi mentis tuæ pulvere, & carne conflati, illum conspicerere valerent, humanam naturam Dominus induere voluerit.* Sed nihilominus attende carnem, quæ ejus visu fruitura est; illius omninò esse assimilandam; sed quæ caro ejus visu fruetur? caro, quæ contemnit ea, quæ carnis sunt, caro pura, & obediens: caro enim peccatis obscœna, & irretita, cum haud intuebitur in Empyreo; vel si sanctam ejus humanitatem conspexerit Judicii die, ad ejusdem conferet damnationem, eumque ut severum Judicem experietur. Quamobrem anima mea, si his cupis eripi, ad Præcursoris in deserto præparationes reflectere, viasque Domino consterne: & ita quidquid amarum est, confestim dulcescet; & oculi tui Servatorem tuum in Sanctorum suorum gloria conspicient.

A D D I T I O.

Qui in strato itinere haud ambulat, ne in lutum devolvatur, periclitatur; qui vitæ hujus miserandæ luto conspurcari haud cupit, super stratam lapide viam, qui Christi est, procedat: *Petra autem erat Christus, & stavit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos.* Pedes, qui affectus sunt, sunt custodiendi, ne peccatorum luto implicentur: *Lavi pedes meos, & quomodo conquinabo illos?* Sed quid mortales sibi cavent, ne pedes

pedes suos luto materiali habeant sordidos. O quàm parùm à peccatorum cœno nos custodimus!

3. Dum per montes, & densa nemora iter transversim conficitur, id obstantibus avulsis frondibus, redditur pervium: sic avellendæ malignæ artes sæculi, &c.
4. Si Christi vias incedere intendis, attende ad ea, quæ de iis scripta sunt: *Via ejus via pulchra, & beati immaculati in via.* Si iter facere per eas, beatitudo censeatur, quid erit ad itinerationis pervenire terminum.
5. Dies, qui ab hac Dominica habentur, usque ad diem Natalem Christi Domini, singulis annis differunt: ideoque nullâ eorum sit præscriptio. Sic matutina meditatio dividi poterit, ut saltem usque ad ipsa Christi Natalitia, semel in vices partiatur, & in id, scilicet, *Parate viam Domino*, specialiter immoretur, aliquas præventiones adhibendo, quemadmodum in supraddictis signis videre est, sed ad pœnitentiam, & peccatorum expiationem, pro Filii Dei, Domini, ac Assertoris nostri Natalibus sese potissimum componet.

Meditatio decimatertia de sacrosancta Redemptoris Nativitate.

P R I M A P A R S.

1. Oratio præparatoria erit, gratiam ad Meditationem exorare, & ad recipiendum Christum in præsepio cordis nostri, ut spiritualiter nascatur, & vivat in eo, qui natus est, & vixit pro nobis in hoc mundo.
2. Historia Evangelii *Exiit Edictum*, &c. Luc. 2. Sanctæ Matris Ecclesiæ intentio est, omnes Fideles adinvitare, ut sese huic sacratissimo Mysterio recolendo adjuvent, Christum in animis suis recondant; quæque in sequenti oratione continentur, expetit: *Concede quasumus, omnipotens Deus, ut nos Unigeniti tui nova per carnem Nativitas liberet, &c.*

Compositio loci, historiæ conformis est, ut nempe Virgo, & Mater Nazareth discessit, utque ipsi in Bethleem oppido tempus insitit pariendi, ut refertur in Evangelio.

S E C U N D A P A R S M E D I T A T I O N I S.

Perpendendum quid dicant, & operentur personæ, ut ex iis fructus referatur, ut ritè referri potest.

Nimirum, Dei Filii in Cæsaris Edicto observando, doceri possumus obedientiam, submissionem in superiores etiam discolos, &c.

3. De Christi fasciarum egestate dolor excitandus, & de iis quæ in vestium splendore, vanè expenduntur.
4. De materni affectus sensu, quo Mater Filium videns in præsepi jacentem, affecta

est, excita in te dolorem: quoniam tam indignè indurata hominum pectora illum excipiunt.

E Pastorum sedulitate, ut ad Christum adorandum festinent, disce diligentiam.

De gaudio, quod hodie annunciant Angeli, colligendum est etiam, & nos ob donum, quod hodie nobis impertitum est, gaudere maximè debere.

Perpendendum, uti filius Dei, videns, quòd vocis suæ majestate Israëlita olim stuperent, & timore concuterentur, & ideo dicerent: Non loquatur nobis Dominus; nunc ut sibi appropinquent, nascatur, & fleat, ut ad sese hominum corda, ipso quantumvis marmore duriora, accersat. Quis est igitur, qui infantulum non conveniat, cujus animus modicò moveri solet, quique ea, quæ habet, largissimè profundit.

Considerandum, quomodo Redemptor generi humano reparando jam insudet, utque Infantulus natus commodum locum in terra non inveniatur: *Non est locus in diversorio.* Me igitur confundam, loca quæ affectaverim, considerans, & quàm parvi fecerim, locum mihi esse, in quo pedes in terra configerem. Heu, cum peccator mereretur, ut omnes in eum creaturæ insultarent: è contra frigora, fames, & sitis, pœnam (cujus peccator reus erat) adversus justum jam jam infligere incipiunt.

Considerandum, quæ extasi illo momento Mater Dei raperetur, etsi Simeon dixerit: *Nunc dimittis*, &c. Quid Virgo Sacratissima effaretur? Cum inter omnes Dominum, & Salvatorem nostrum videre maximè cupiverit, quantoque hinc gaudio, illinc verò doloris sensu perfunderetur, ejus paupertatem, atque labores perpendens, utque ad ejus pedes deosculandos, brachiisque suum Filium pertractandi amore duceretur; & ut aliunde, reverentia quodammodo eam cohiberet; quantâ verò devotione, fide, charitate, & lætitiâ ad Deum suum accederet: cumque porrigeret mammam, quantâ amoris flagrantia lac, & sanguinem ipsi offerret, ter Beatam sese existimans, quòd suo Dominus dignaretur obsequio.

Perpendendum, quàm incultus, & irreverens is foret viator, qui illâ horâ diversorium ingressus, Jesum puerum haud ignorans, e præsepi tolleret, ut inibi iumentum suum collocaret. Eadem omnino irreverentiâ mortalis procedit, qui in hoc exilio viator est; quia cum in cordis ejus præsepio per gratiam natus sit Christus, ab eo ipsum removeret, loco ejus bestiam præponere non erubescens, quæ est

fenfuum cupiditas ; illi potiùs conclave defiderans , quàm puerulo Jesu , qui ut se totum hominibus traderet , cùm verus Dei Filius efferet , nasci non est dedignatus.

Colloquium.

Ea increbruit consuetudo , ut prospera masculorum nativitas parentibus felicitetur ; sed quomodo hoc tibi gratulabimur , ó Pater Æterne , cùm Filius tuus in sinu tuo sit immortalis , hodieque nascatur , ut moriatur . Angelos circumfulgenti gloriâ præcingit , & nunc in terris nudus nasci non dubitat ? Sedes Beatis præparat , cui hodie *non est locus in diuersorio* . Ipsimet faustum nuntium deferemus ? Cùm in tuo sinu , de eo dictum sit : *Non accedet ad te malum* ; nunc malum poenæ jam eum incessit . Si cuipiam gratulandum esse videatur ; Matri ejus gloriosæ potissimum erit ; sed si aliunde adnotetur , videbimus gaudiis intimos doloris sensus permisceri , cùm videamus ipsum indigentem , inque præsepis asperitate versantem ; quid dicam ? Cui tandem congratulandum ? Peccatoribus opinor ? *Quia nobis datus , nobis natus* . Sed ni de accepto beneficio frugem referant ; bonum , quod indè emergere debuisset , in supplicii sævitiam fiet . Sed si attentius perpendamus , ó Æterne Pater , cum debita reverentia hoc tibi , & B. Virgini , & cælo , & terræ nuntium gratulari debemus . Si enim ad moriendum nascatur , ab ejus morte exorietur vita , nominis tui manifestatio , spiritus tui communicatio , sapientiæ tuæ sublimitas , & plerique alii infinitæ bonitatis tuæ effectus : *Sedenti in throno , & Agno benedictio , honor , gloria , & potestas in secula seculorum . Amen* .

A D D I T I O .

1. Scopulis arduas , nivibusque obrutas , atque invias terras transituro , quanta suboriri solet mœstitia , tenebroso præsertim , atque obnubilato Cælo , expectanti dum quis accedat , quem sequatur : cumque advertit solem erumpere , nubila cælo excuti , itinerisque inveniri vestigia ; quanto gaudio perfunditur ? Majus enim verò gaudium est , quòd Oriente Sole justitiæ prænuntiatur , qui Cæli iter indicaturus , nivesque liquaturus descendit : *Emittet verbum suum , & liquefaciet ea , Oriens splendor lucis aterna* .

2. Sequendus est conductor , ne primâ itineratione à via aberretur , per obedientiam : *Exiit edictum à Casare Augusto* ; quam cùm pauci quarundam gentium Romanæ Ecclesiæ exhibeant ; ex iis rari itidem ad collium cælestium culmen perveniunt . Secunda itineratio : *Non est ei locus in diuersorio* .

Conferebant inter se Pastores , ut Bethleem proficiscerentur , quæ Domus est Panis . Mundi Asserclæ , non nisi de Babylone sua conferunt . Pastores transire stantuebant ; transeamus , inquiunt , illi verò à terra non statuunt amoveri : *Oculos suos statuerunt declinare in terram* . Quin potiùs totum terrâ cor obrutum gestant , utque bufones nihil præter terram degustant . Hi cupiebant videre , *Hoc verbum , quod factum est* . Illi vero solis epulis , conviviisque oblectantur : quasi id foret , *Quod Dominus ostendit nobis* . Hocne Dominus præ se fert in præsepio ?

Si desiderio flagras homines conspiciens , qui magna conficere edocti sint : *Veni , & vide verbum , per quod facta sunt omnia* . Quòd si aliquid facere oblecteris , hunc in socium assume : *Sine quo factum est nihil* .

Quantà vir ille autoritate esset , qui Artium omnium peritiâ dotaretur ; sed quid tribueres , ut summa sapientia domum tuam incoheret : *Omnia per ipsum facta sunt* .

Si homo quidam accederet , penes quem aqua venalis esset , quæ vitam prolongaret : quo pretio persolveretur ? Atqui à Christo vita emanat ; sed habere eam renuentes , ipsi vultum obuertimus .

Venerunt festinantes . Eheu miserum Mundum ! Aliqui se mox ituri prænuntiant : *Modicum ibi* , &c . Alii progrediuntur , & à via retrocedunt .

Signum à nobis Christum inventum esse , est , domum cum gaudio repetere , velut Pastores : *Qui reversi sunt laudantes , & glorificantes Deum* . Verùm si quis retrocedat , tepidus ; & siccus , ut venerat , revertitur .

Meditatio decimaquarta de sancto Stephano .

P R I M A P A R S .

Oratio Præparatoria , ordinaria .

Pref.

Historia , *Ecce ego mitto ad vos* , Matth . 23 . *Quod Ecclesia petit , est : Da quesumus , Domine , imitari quod colimus , ut discamus inimicos diligere ; quia ejus natalitia celebramus , qui novit etiam pro persecutoribus exorare Dominum nostrum* , &c .

Compositio loci , Christum Dominum nostrum imaginari oportet in Phariseorum malitiam , & duritiem exasperatum : eò quòd tam malè eos suscepissent , qui pro illorum salute mittebantur ; & hinc timorem consequi , ne ob id ipsum poenas demus .

S E C V N D A P A R S .

Considerandum , quid dicant , vel operentur personæ , ut nobis aliquam frugem subministrant , &c . Ut est Redemptoris affectus , qui dicit : *Quoties congregare filios tuos* ,

tuos, sicut gallina, &c. Et hinc dolorem consequi oportet, cum nequidem id effecerim, quod diei unius pullus operatur; quod est, sub matris alas sese recondere: utque id effecerim, ut in serpentium dentatos rictus, feraque leonum ora memetipsum reciperem, quales sunt dæmones, qui ad me devorandum gestiunt. Item, hoc verbum reverendum: *Relinquetur domus vestra deserta*; perpendendum qualis, & quam horrida absque Redemptoris gratia anima remaneat.

2. Considerandum, quod si Hierusalem in Deum sese refractariam redderet, hæc mea spiritualis Hierusalem, quæ anima est, rebellis etiam Domino suo exhibetur; amicos itidem persecuta, qui Dei obedientiam consulunt, ipsis neque Angelis, salutaria sibi inspirantibus consilia, parcens, nec concionatoribus, qui pœnitentiam nuntiant: Christo, etiam peccatis suis spiritualiter mortem adsciscens, cujus gladius omni clavo immitior, & spinâ acutior est, ex quo timorem, doloremque concitabo.

3. Perpendendum, quod si paucis admodum, velut Divo Stephano, cæli aperiatur, id contingere ob eorum infrequentiam, qui dum saxis obruantur, suosmet trucidatores precibus Deo commendent, qui que eo zelo, fortitudine, ac sapientiâ, veritatem proferant; quo Stephanus usus est, ut suæ gentis viros ad frugem reduceret; qua de causa ejus spiritum Dominus suscepit, & *obdormivit in Domino*. Sancti hujus Protomartyris imitatio mihi concedatur, flagitabo: quod si Cælestis Regni postes, mihi pandi exoptem, ad saxorum jactus me paratum esse, studendum est.

TERTIA PARS.

Colloquium.

In lacrymas, anima mea, effundere: es enim illa Hierusalem, quæ illos saxis appetis, qui ad te tanto amore mittuntur: haud injuriâ sanè deserta remanebis, quandoquidem gallinæ alas despexeris, quæ aded tenerè te confoverat in sinu suo, ut diceret; *Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei*. O Domine, *sub umbrâ alarum tuarum protege me*. Et edoce me volare post te, *sicut aquila, qua provocat ad volandum pullos suos, & super eos volitat*. O Domine, quid pro te operatus sum? quid autem tu pro me? Tu me hospitio suscipere: ego verò te saxis obruere statuebam. Tu mihi opem ferre: ego verò te cruci affigere. Sic sum-moperè stupefco; quod ad me demergendum, ut in diluvii generalis inundatione, cæli cataractæ non solvantur. Igitur, o anima mea, si sit in votis, ut tibi pandan-

tur cæli ad videndum Filium Dei, *stantem à dextris aeterni Patris*. Sancti hujus Martyris exemplum assume, pro te persequentibus roga, spiritum tuum Deo commenda, quosque in cælum lapides, ut demens emittebas, hos in superbix tuæ tumorem, ac peccata retorqueas: sicque Filium Dei, *stantem à dextris Dei*, conspicerere dignaberis.

Meditatio decima quinta pro die sancti Joannis Evangelistæ.

PARS PRIMA.

Oratio præparatoria, sicut in cæteris. *Pref.*
Historia: *Dixit Jesus Petro, sequere me.* 1.

Joan. 21. Quod Ecclesia efflagitat: *Ecclesiam tuam Domine benignus illustra; ut beati Joannis Apostoli tui, & Evangelistæ, illuminata doctrinis, ad dona perveniat sempiterna. Per Dominum, &c.* 2.

Loci compositio est: Christum, postquam à mortuis surrexisset, menti objicere, *qui ad mare Tyberiadis propè littus accepit panem, & dedit eis, & piscem similiter*: inter alia Petro enarravit, quæ in Evangelio perleguntur.

SECUNDA PARS.

Considerandum, quid dicant, vel operentur personæ, &c. Ut Christus Dominus noster, postquam à Divo Petro esset interrogatus, ipsique ovium curam demandasset, illi ait: *sequere me*; ut hinc eruatur, quanto obligationis vinculo adstringantur amantes, & superiores, qui regunt, ad Christum imitandum. Ex quo timorem excitabo: quod enim aded parùm ejus vestigiis inhæream, modici sanè timoris indicium est. Item, quantam eorum, quos diligit, curam Christus præ se ferat, quandoquidem pro sancto Joanne respondeat: *Quid ad te? Quasi quis diceret, ejus curam sum suscepturus. Si mihi, qui aded per-versus sum, sic invigilat: quid non fecisset, si eum amassem?*

Perpendendum, quod si sancto Petro dicat Christus: *Quid ad te?* Cum præfer-tim, quid de ove sua futurum esset, ro-garet: *Quid, curioso, quod non opus foret, interroganti, esset responsurus? Ex quo discam monere intellectum meum, dum sibi minimè expedientia indagat; & voluntatem, dum in id fertur, quod sibi non quadrat: Quid ad te; dum item terrenâ, transitoriaque offerentur, etiam dicam, Quid ad te?*

Considerandum, quod unum id expediat, scilicet Christum sequi, ut ardentiori devotione ei adhæream. Quid sit mundo famulari, & quod inde præmium reportetur, perpendam: quod autem proprium me desiderium deducit, nisi ad horrendi car-

nificis manus? Quamobrem ajebat Propheta : *Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori.* E quibus omnibus colligam, omnia in auras evanescere, præterquam qui ad Christum insequendum amor, aut virtus impenditur; attendam etiam ad præmium, quod sancto Joanni retributum est, propter amorem, quo in Magistrum suum conflagravit: nam ipsum adusque crucis patibulum meritis est comitari.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Si insequi Dominum ejus amoris indicium sit: eheu misera anima mea! quam nihil amas, cum aded parum sequaris Jesum. Unde id nascitur, nisi quod mundum cum affectu amplexeris, cui ex integro fuerat renuntiandum, Dominumque deseras, cui super omnia erat insistendum. Quid è metallorum fodinis, è seculi vanitatibus, ambitionisque fumo, in mortis articulo reportatura es? E profundo, gravique somni sopore excitare, ut dilecti tui, in passionum tuarum mortificatione, vestigiis inhæreas, mensæque ejus Sacramentali assidere, & indè ad crucis stipitem deduci merearis; ibique collocata, dicere cum sponsa: *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, & fructus illius dulcis gutturi meo per omnia secula.*

Additio.

Recubuit super pectus ejus. Quo adjumento Deum in pectore nostro excipi cupimus, cum à postium nostrorum liminibus omnimodè illum arceamus? Eum suscipiamus, ipseque nos excipiet.

Meditatio decimasexta pro Die Innocentium.

PARS PRIMA.

1. Oratio Præparatoria, ut jam dicta.
Historia: *Angelus Domini apparuit in somnis Joseph.* Matth. 2. Quod exoptulat Ecclesia est: *Deus, cujus hodierna die præconium, Innocentes Martyres, non loquendo; sed moriendo confessi sunt: omnia in nobis vitiorum mala mortifica, ut Fidem tuam, quam lingua nostra loquitur, etiam moribus vita fateatur, per, &c.*
3. Loci compositio fiet, Jesum Dominum, Matrem ejus, & sanctum Josephum in Ægyptum fugientes, menti objiciendo; ut in Evangelii Historia.

SECUNDA PARS.

1. Perpendendum, ut officio suo in sancto Josepho admonendo fungatur Angelus, utque exactè Josephus obediat, ut in sanctis inspirationibus obedientiæ exemplum ab ipso hauriatur, atque adnotetur: justorum tribulationibus Angelos nullatenus deficere. Item, quomodo non dicat, *accipe filium; sed puerum.*

Considerandum, ut dixerit Angelus: 2. *Fuge in Ægyptum;* sicut de Filio Dei traditum est: *Inimicos ejus in fugam convertam.* Quia peccatorum pensa, pro iis patiens, solvere intendit: hincque in hostes suos victoria exorta est, ex quo evidenter colligere est, à patientia victoriæ lauros reportari; sed cum potentiæ suæ Dominus in Ægypto præbisset specimen, patientiam quoque inibi voluit ostentare. Et in hoc Israëlitarum pudore suffundi possent; sua siquidem in patria eum nec noscunt, nec tutantur: quamobrem Ægyptum hostium suorum solum petit, & ab illis hospitio excipitur, qui à suis haud cognoscitur.

Considerandum, quomodo, ut major in 3. nos misericordia refulgeret, utque Redemptio copiosior fieret, non permissum, ut Herodes in Jesulum sacrosanctum tam immaniter sæviret, secundum id, quod in Lege scriptum est: *Puerulum in Matris uberibus non enecabis.* Hic enim ad deserti jejunia, Phariseorum oppressiones, ac tandem Crucis mortem asservabatur.

Considerandum, quantum ex innocen- 4. tissimi pueruli Jesu persecutione emergerit bonum, cum aded magnam pueris innocentibus adsciverit coronam. Innocentiæ gratiam, ac simplicitatem supplex petam, rubore me confundens; quod si cum innocuis pueris gloriam non merear, id me ob malitiam meam non consequi.

TERTIA PARS.

Colloquium.

O Mater Dei, quam exactè nunc impleri incipitur, quod tibi ab Angelo relatum est: *Dabit illi Deus sedem David Patris ejus.* Si David à Saule elongatur, dicens: *Nonne melius est, ut fugiam, & salver in terra Philistæorum:* sic quoque Filius tuus ter benedictus, in Ægyptum fugam capessere fatiùs duxit. Quam mira res foret, te Domina, puerulum sanctissimum, sponsumque Josephum, in Ægypti itinere, de nocte surgentes, conspicer. Si Israëlitarum de Ægypto exitus mirificus extiterit, Filii tui in eandem Regionem ingressus haud sanè minùs est admirandus: enimverò si tunc fortitudinis suæ robur ostentavit, nunc humilitatis suæ eximium præ se fert specimen; si tunc item suis favorem indicavit, flagrantissimum nunc eis amorem indicat, quandoquidem propter eos, eorumque Ægyptiacas ollas, quæ sunt ad præterita peccata proclivitates, fugam Dominus suscipiat. Quid hoc est? Numquid Domine, si Ægyptiorum notitiam te, incurrere contingat, in eorum manus, quam Herodianas incidere deterius futurum sit, revocantium sibi in memoriam stragem illam, quam

quam olim Pharaoni, & universo exercitui illius inflixeris. Quòd si Ægyptum penetrarit Moyses, virgam tuam, quàm timorem incuteret, gestitans. Quid nunc gestat tua Genitrix? quid Joseph, nisi ipsum pectus dirissimè transfossum advertens, quòd tam parùm ab illa gente cognoscaris.

Eheu Ægyptiacum solum! Eheu animam peccatricem! Attende Ægypte, attende ad tuum sese gremium Dominum aufugere, ut te invitet ad suam gratiam, si modò eum non abjicias. Inspice, ut paternam domum, hæreditatem, & promissionis terram, ut ad te veniat, deserit; quo pacto Herodis fugiat tyrannidem, almaque ejus Mater veniat, perpende; cordis tui portas pande; non vides: *Ut stet ad ostium, & pulset?* Ne surdam te effingas; adverte, quòd tibi dicat: *Aperi mihi soror mea, sponsa, quia caput meum plenum est rore.* Quomodo ipsi ingressum denegare ausis, si præsertim modum, quo veniat, consideres? Item, quo iter suscipere dignetur ad te, ò Ægypte, obviam ei te conferas: quia Israëlitica sacrificia haudquaquam in Ægypto admittuntur; sed si animam tuam subierit Dominus per gratiam, omnia sanctificata erunt, Ægyptiacusque delebitur spiritus, & illius gloriam consequeris, si in ejus gratia perseverare studeas.

Meditatio decima septima de Circumcisione.

PRIMA PARS.

1. Oratio præparatoria sit, petendo à Deo gratiam, ut Meditationem gratè suscipiat, amoremque tibi, & dolorem, quo puer Jesus sanguinem suum pro te incipit refundere, instillet.

2. Historia: *Postquam consummati sunt dies octo, &c.* Luc. 2. Ecclesiæ Romanæ intentio est, indicare inter alia suis filiis, cum gratiarum actione, solutionis primitias, quas Christus Dominus noster pro humano genere persolvere incipit: quantà proinde obligatione devinciamur, quamque præstantiores in concessione Baptismi, loco Circumcisionis, evadamus, undè à cultri incisione liberati, majoribus bonis, donisque afficimur. Quod Ecclesia petit, est Deiparæ intercessio, dicens: *Deus, qui salutis aeternæ Beatæ Mariæ Virginitate fecunda, humani generis præmia præstitisti; tribue quæsumus; ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam verumus Auctorem vitæ suscipere, Dominum nostrum Jesum Christum, &c.*

3. Loci compositio erit conformis Evangelio. Interea Christus menti objiciendus, sacrosanctum sanguinem suum effundens Circumcisionis dolore, &c.

SECUNDA PARS.

4. Considerandum, quid dicatur, vel aga-

tur à personis, ut ex iis aliquis fructus consequatur, sicut de exemplo, quod Christus in Lege, quam statuit, observandam, colligere est. Hinc Gubernatores compungi dolore possunt, qui cum multa imperent, pauca exequuntur, discantque subditi debita pensa persolvere, quandoquidem, quod Christus non debuerat, persolverit. Item, gentis suæ turbis verum se eorum Messiam esse demonstrat: quandoquidem adè exactè leges observet. Hoc item nos Christus docet: quòd si in cælis scripta esse nomina nostra cupimus, illud in terra effusione cruoris, vel ad id, dum opus fuerit, animus habere paratum, consequendum est; ex quo confusionem consequar, considerans, quanta subeam, ut in hoc miserando solo nomen comparare valeam, quanti que scopuli, & viarum asperitates sese mihi objiciant, ut illud in cælo reportem.

Considerandum, quomodò Christus Dominus noster seipsum circumcidi permiserit, ut disceremus nosmetipsos circumcidere in nostris deliciis: qua de causa, qui super hoc non intendit, satis ostendit se morbi sui gravitatem non agnoscere; utinam id nobiscum ageremus; quod in campis aratores operari solent, qui spinas, & tribulos sine mora eradicant! O quantò animabus nostris ipsos agros præferimus! Hinc acutissimum doloris sensum extorquere elaborabo.

Perpendendum, uti circumcisionis culter erat lapideus: ad ostendendum, quòd Christus futurus esset ille lapis, cujus meritis, & exemplis, gratiam, roburque ad carnem nostram (in spiritu viventes) circumcidendam reportarem.

Expendendus etiam Jesuli amoris zelus, qui ut à carnis nostræ nos corruptione liberet, suam circumcisionis cultro tradere non dubitat: cumque nihil imperfectionis habeat: ex propria tamen carne rescindi placet, ut de spiritu suo nobis aliquid impertiatur.

Considerandum, quomodò voluerit 5. Deus, ut filius Moysis circumcideretur, priusquam Ægyptum ingrederetur ipse Moyses. Sic Christus priusquam ingrediatur, vel communicet cum Ægyptiis (qui peccatores sunt) circumcisione placet insigniri: ut è talibus exemplis colligamus, quanto discrimine implicentur ii, quibus mundanæ conversationes arideant, nisi passiones suas, propter periculum, quod mundanos conveniendo, intervenit, habeant circumcisas.

Consideranda dulcissimi hujus nominis excellentia, ut debità reverentiâ cohonestetur: quia in eo omne genu flectitur; &

ut diligatur , perpendendum ; *Quòd non sit aliud (tam dulce) nomen sub calo , &c.* Qui salvari cupit , hoc in nomine quiescat. Præterea , perpendendum , quantæ in ipso proferendo fuerim incuriæ , quamque sanctissimi illius nominis efficaciam vilipenderim ; ut ad meliorem frugem reduci merear. Hincque cor meum dolore conteram , inque emendationis propositum roborabo.

TERTIA PARS.

Colloquium.

O Domine , si de plebe tua dixeris , quòd gravia pondera cæteris imponerent , quæ ne vel digitis ipsimet pertractarent ; hoc saltem de te nemo dicere potest : tui enim moris est ; ut omne grave tibi imponens , nobis quod suave est , reserves. Cum nihil sit immensitatis gloriæ , Domine , quod tibi vel addi , vel detrahi queat ; quid de iis referam , quibus te expolias , ut mihi gratiam elargiaris ? Quis prætermittat aliquid à se auferre , ut tibi illud concedat ? Quod verò à te avellis , ut mihi dones , totum id sanctum , totum purum , totum est benedictum. O anima mea , ad res tam pretiosas reflectere , quid à puero , qui talia in ipsis cunis operatur , dum adleverit , sit sperandum , perpende : *Quis putas puer iste erit ?* Tibi is erit lapis , quo cor tuum est circumcidendum. Hic salus tibi futurus est ; ab eo sumas exemplum , eumque imitare , omne nomen aspernens , quod ad ejus majorem gloriam non sit comparatum. Cum & ipse pro te sanguinem effundens , Nomen adeptus sit. Anima mea , hoc Nomen adora , Nomen hoc reverere ; sitque omnis tua suavitas : id linguæ tuæ , memoriæ , & pectori tuo infixas ; pro hoc manus tuæ operentur , pro hoc gradientur pedes tui , pro eo auditus tui audiant. Nihil sine eo cupias , omniaque pro eo suscipias , & hâc ratione omnia in eo possidebis. Amen.

ADDITIO.

1. Procedit Dominus , cruorem , ad pacem componendam , uberrimè effundere , qui se circumcidere permittit ; ut sublatâ carne , insignes nobis pariat victorias.
2. & 3. Summè dolendum est , Christo ab hominibus indecorè aliquando Nomen imponi. Is est communis error mortalium , ut post peccatum rebus malè nomen imponant. Sicque impatientem generosum ; & lautitiis abundantem , beatum deprædicant. Undè , quæ nobis in terrâ cognomenta imponuntur , nullatenus sunt curanda.
4. Si CHRISTO , quod magis convenit , Nomen imponatur à nobis ; ipse , quod nobis maximè congruet , imponet. Sic

cum Divo Petro fecit , dum ipsi diceret : *Tu es Filius Dei , &c.*

JESU Nomen in linguâ habendum est , quo frequentius vocitetur in corde , ut diligatur ; in memoriâ , ut ejus reminiscamur ; & in capite , ut in eo deprimatur nostra vanitas , & superbia.

Nominis hujus is sit devotus , qui dæmona superare elaborat : *In nomine meo dæmonia ejicient* : Quique , quod à Deo petit , obtinere desiderat : *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo , &c.* Et qui salutem concupiscit : *Non est aliud nomen sub calo datum hominibus , in quo oporteat nos salvos fieri.*

Meditatio decima octava de Epiphaniâ Domini.

PARS PRIMA.

Oratio præparatoria : Gratia petenda 1. est , ut Domino grata isthæc Meditatio reddatur , utque CHRISTVM Dominum perquirere , invenire , & adorare mereamur.

Historia : *Cum natus esset JESUS , &c.* 2. Matth. 2.

Sacræ Romanæ Ecclesiæ animus est , inter alia ostendere quemadmodum CHRISTVS sese Gentilitati manifestarit : cum populi Judaici Pastoribus jam se exhibuisset. Item , ut quæ de hoc habebantur Prophetiæ , impletæ sint ; ut ex his omnibus divinæ Majestatis gloria , & laus resultet ? Quod verò petit , est : *Deus , qui hodiernâ die Unigenitum Filium tuum gentibus stellâ duce revelasti : concede propitius : ut qui jam te ex Fide cognovimus , usque ad contemplandam speciem tua celsitudinis perducamur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum , &c.*

Loci compositio erit consideratio Bethleem , Regum pompæ , atque comitatûs , & quantâ cum paupertate Cælorum Regem deprehendant.

SECUNDA PARS.

Considerandum , quid loquantur , vel 1. agant personæ , &c. uti Regibus , ad Regna sua deserenda , & Christum perquirendum , stella sufficiat. At mihi nec hoc , nec illud , satis duco , ad eum , ut debeo , investigandum. Item , quàm vilipendeant Herodem , quòd de Rege nato inquirere omittat ; quanti que mundum , & ejus Regem faciam ego , ut Christum quærere prætermittam ; quid de iis dicturus sit Herodes , perpendam. Advertendum item , ut ipsi Christum in tanta videntes paupertate ædificentur , utque proprius contemptus , atque demissio nunc mortalibus pariant scandala. Item , ut inter adorandum prostrati , fidem suam , & quam de ipso habeant notitiam , protestentur , & ut adeò parva reverentiâ , quâ Christus nunc ado-

adoratur, indicium sit, parum fidei, & cognitionis rerum divinarum esse apud innumeros.

2. Perpendendum, quid sit, Christum, (hostibus ipsis, etiam ad eum inveniendum juvantibus) indagari à nobis; quem admodum & Herodes Magos adjuverat. Ita etiam tentationes, atque tribulationes, si de his frugem referre velimus, non leviter juvant.

3. Considerandum, quòd dum stella obvelatur, aliud medium se inveniendi Dominus subministret; Herodem nempè, per quem de Prophetiis constitit, quæ dicunt, ubi esset nasciturus: ut hinc fiduciam in Domino habeamus, qui uno medio, ad se quærendum, deficiente, aliud se, ut par est, disponenti retribuatur.

Item considerandum, ut Hierosolymis stellâ disparente; de Christo tamen nuntia habeantur: evanescit ut illius populi contumacia innotescat; de Christo tamen indicant, quia tandem Scripturarum habebant scientiam. Hincque discendum, quàm parùm profutura sit scientia, ubi opera bona, vitæque sinceritas defunt: quandoquidem cum omni scientia sua excæcati remanserint.

4. Perpendendum, quòd si stellam Reges amiserint, confestim eam iterùm repererint; in quo, quod Sponsa dicit completum est: *Paulùm cum pertransissem, inveni quem diligit anima mea.* Ut hinc colligi possit, quòd sæpè Christus haud inveniatur: eò quòd paululò ulterius quis non progrediatur, aut aliquantulùm magis non patiatur.

5. Perpendendum, quomodò Reges aurum puero ut Regi porrigant, thus ut Deo, myrrhamque offerant sepulturæ ejus; utque de thure, quod à peccatore libatur, dicat Deus: *Incensum ne afferatis mihi; solemnitates vestras odit anima mea.* Et ita aurum pro seipsis mortales accumulunt, ut nihil postea nisi myrrha, quæ amaritudo est, Christo supersit. Undè dolorem concipiam, à Deoque petam gratiam, ut meam mortificationis Myrrham, charitatis Aurum, cum Orationis Thure delibem.

Perpendendum item, ut thesauros suos Reges haud profuderint, usquedum ad Christum advenissent; ut indicetur, bonorum thesauros, in hac vitâ haud facile expendendos, in multitudinis conspectu. Magnum enim vanæ gloriæ in eo situm est periculum.

6. Considerandum, quomodò, quæ his Magis datur responsio, est, ne ad Herodem redeant; sed per aliam viam in Re-

gionem suam revertantur; in quo ipsis abundanter satisfactum est: si enim sibi homines à mundo præcaveant (qui sævus ille tyrannus est, à quo Dei famuli perfectiones patiuntur,) ejus viis haud progredientes, ad Cæli Regionem, Patriam nempè cælestem rectâ perducentur. Hinc colligam, idèd à recto nos itinere deviare, quòd ab Herode nobis non caveamus.

TERTIA PARS MEDITATIONIS.

Colloquium.

Quanta animæ meæ est miseria, cum videam, unicam Regibus sufficere stellam, quæ eos ad te conducat, atque transferat. Sed nec amplitudo, aut numerus stellarum, nec Eclipsis, quam Sol perpeffus est in tua passione, nec sensus, quem durissima tum saxa præ se tulerunt, me movent, ut quemadmodum teneor, te quæram: illos ex Herode fructum reportasse adverto; & è converso ego emolumenti nihil è tot mirabilibus. Hi te in præsepîi egestate versantem adorant; mihi verò humilitas tua, & tui contemptus horrorem incutiunt. Illi tibi offerunt munera; ego verò in destruendis, quæ à munificenti manu tua receperam, delector: nam tuis in beneficiis ingratitude extorqueo, & ex amore, quo me prosequeris, mihi que ignoscis; stultas nonnumquam fiducias assumo. Si tandem tibi aliquid tribuam, illud est, quod tibi minùs esset tribuendum, myrrham nempè, & amaritudinem linguæ meæ in proximos, quâ ipsis fel porrigo computandum. Id omne in Passione tua in amarissimum calicem conversum est. Quid, hæc omnia conspiciens, effari queam, Domine? Ad quem vadam, si te non quæram? Et si te non invenero, quem reperiam? Inquietum enim hærebit cor meum, quamdiu te non invenerit. Quid faciam, Domine, qui rigidiori soxo imperfectiorem me adverto? Id enim ubi in centro suo non quiescit, usquedum ipsum inveniat, sine intermissione agitatur. Et heu miserum me peccatorem, qui cum verum animæ meæ centrum existas; eo tamen haud invento, quiescam, & quasi nihil mihi deesset, contentus vivam. Hoc corrigere digneris, ó Rex gloriæ, & tu qui in Natalibus adorantes Reges habuisti, miserum me peccatorem ad te pertrahas, ut luminis Fidei Orthodoxæ, Ecclesiæ Romanæ stellâ duce, te quærere, te invenire, te adorare valeam, in secula seculorum. Amen.

A D D I T I O.

Ut primùm Christum natum esse Magis 1. innotuit, ad eum inquirendum festinarunt. Sed à peccatore, elapsis tot temporibus, ad eum

eum investigandum, nequidem passus unius spatium dimensum est. Christum quærere, de eoque informari non erubescunt Magi; & ita dicebat Apostolus: *Non erubesco Evangelium*. Illa summè deslenda miseria est, esse homines, qui non modò non percunctantur; sed nec audire velint, quo pacto Deum valeant invenire. Alii, ut Herodes, eum quærunt: *Ad perdendum eum*. Sunt & alii, qui eum exquirunt, nec proindè inveniunt: quia linguæ acumine, & intellectu, non autem voluntate indagant, de quibus Deus ipse queritur dicens: *Me de die in diem quærunt, quasi gens, qua justitiam fecerit: Si quæritis me in toto corde vestro, inveniar à vobis*. Viro sese à mundo segreganti, stella cæli detegitur, Deumque facilè invenit.

2. *Per aliam viam reversi sunt*. Contraria contrariis curantur. Dum Davidem Saül persequeretur, ab uno ad alium locum se transferebat. Ab Oriente Magi venientes, ad Occidentem progrediuntur: quapropter Christum inveniunt, & pari eum ratione essemus reperturi, si ad Occidentem mortis per considerationem gradiremur, considerantes, ut ipsi etiam summi Pontifices, Reges, &c. morti pareant. Sed hoc miserandum est, quòd retrogradè ab Occidente ad Orientem procedamus, mortem oblivioni traditam post terga ferentes.

Meditatio decima nona, Dominica infra Octavam Epiphaniæ.

1. Oratio præparatoria: gratia petenda, ut Christum Dominum quærere, ac invenire discamus.
2. Historia: *Cùm factus esset Jesus annorum duodecim, &c. Luc. 2.*

Intendit inter alia Mater Ecclesia ostendere, quot modis Christus inveniatur: cùm innumeri sint modi, quibus per peccata nostra amittatur. Quod verò petit, est: *Vota quasumus Domine, &c.*

3. Compositio loci; iter est, in quo Mater Filium perditum adverterat, Templumque ubi ipsum adinvenit, & quomodo inter illos Doctores versaretur.

S E C U N D A P A R S.

1. Considerandum, quid dicant, &c. Ut videre est in cura, & sedulitate, quâ ejus Genitrix, & Divus Joseph, postquam eum perdidissent, de ipso sciscitati sunt, ad meam duritiem confundendam, quòd adeò nihil super eum inquiram, cujus jacturam perpessus sum. Item, qui considerat, quòd Mater ejus, si nullâ sui culpâ interveniente, ipsum amiserit: quid miser ego, eis velut scaturiens, faciam? Si que domo, ut Hierosolymam peteret,

egressa, eum perdidit: quid mihi eventurum est, cujus viæ, non Hierosolymam, sed Hierico, & Babylonem diriguntur. Perpendendum item, quantum in Christo inveniendo gaudium oriatur, ut ad eum quærendum, inter patiendum, insudemus.

Perpendendum, quid perdat, qui Dei patitur jacturam; utque ejus nemo haberit notitiam, nisi is, quem non latet, quid ipse valeat; quantumque decoris ille homo perdat, qui illius passus sit detrimentum.

Considerandum, ut Mater haud invento filio Hierosolymæ, ad eundem locum, ubi eum reliquerat, reversa sit. Hinc colligi potest, id unum esse medium, ad eum reperiendum; eò nempè reverti, ubi quis fuerit deviat, considerando, quam vitam, anima, quæ Christo præsentem fructatur, amisit, cùm Christum amisit: utque conscientiæ vermiculus, & animæ, rerumque penè omnium amaritudo, nullâ tamen eorum origine indagatâ, cœperint tum stimulare cum cæteris omnibus, quæ miseris, qui eum perdunt, passim occurrunt.

Considerandum, quantæ sit admirationis Deum quærere: *Quærite Dominum, & vivet in anima vestra*. Et quàm sublime sit mysterium, solamen in solitudine experiri, gaudium in dolore jacturæ, & plenam tranquillitatem in solitudine inveniendi consistere.

Considerandum item responsum, datum à Christo Matri: ut id memoriæ fixum teneamus, eoque de hostium nostrorum tentationibus victoriam reportemus.

T E R T I A P A R S.

Colloquium.

O Dei Genitrix, quantâ sedulitate, & curâ dilectissimum Filium tuum *per vias, & plateas* quærirares: *Num, quem diligit anima mea, vidistis? Quis ibi tunc esse mereretur; ut tibi diceret: Quò abiit Dilectus tuus, ô pulcherrima Mulierum? Quò declinavit, & quæremus eum tecum*. O Cælorum Imperatrix, quanto jure Patri æterno dicere posses, Domine: *Cur fecisti nobis sic? Unici Filii tui Nativitas summum mihi peperit doloris spiritualis sensum, ipsum in præsepit asperitate jacentem conspicienti, & qui à Circumcisionis cultro ei inflatus est, nihilum remissior extitit; postmodum in Præsentatione cor meum à Simeone vulneratum est, meusque in Ægyptum egressus multo labore susceptus est. Verum cùm hos omnes labores, ipso præsentem, & inter brachia mea versante tolerarem, suaves mihi effecti sunt: enimverò, quem diligit anima mea ulnis gestabam meis. Sed nunc, dùm oculi mei nec eum vident, nec auditus audiunt: Amore languero: Pater*

Jan-

sancte, cur fecisti nobis sic? Et ad te revertens, fili, & dilectissime: *Cur fecisti nobis sic?* Quod summo in me amoris æstu conflares, siquidem me præ omnibus in Matrem assumpseris, haud me latet. Scio, quòd te omni expers culpâ, non tamen absque dolore perdiderim: *Cur fecisti nobis sic?* O sacrosancta Genitrix, an ignoras, quòd si te ut Matrem summè diligit; ampliori tamen in Patrem æternum amore cum æstuarè? Id sanè minimè ignorabas? Quamobrem consolare, quòd jam eum offenderis, *quem diligit anima tua*; gratiamque miseris peccatoribus digneris impetrare, ut eum & quæramus, & inveniamus. Amen.

A D D I T I O.

1. & 2. Si Christum Mater non tam citò invenit, cum omni eum curâ, atque conatu investiget: quid aget ille, qui eum quærere vel omninò non cogitat, vel certè summo eum quærit tepore.

3. In Templo Christus, vel inter Dei amicos, quærendus est: non in conviviis, aut mundanis exultationibus eum invenire posse confidas: *Quid quaris viventem cum mortuis?* Si magnâ Præfulem afficeres injuriâ, cum eum in caupona perquireret, quantò ampliùs Christum inter vanos & vanitates?

4. *Dolentes quarebamus te.* Si ægro salutem exoptanti, vel fortunarum detrimentum patienti, gemitus, quæstusque ingeminentur. Quantò magis Dei jacturam facienti, dolendum est.

5. Ex dolore invocatio Dei accedit, ex invocazione autem inventio oritur: *Tribulationem & dolorem inveni: & nomen Domini invocabo. Et cum invocarem exaudivit Deus. Erat subditus illis.* Si Christus Josepho, qui ejus Pater naturalis non erat, sese submittere voluit: numquid ipsi Patri, Dominoque nostro non submittemur?

M E D I T A T I O XX.

Pro Dominica secunda post Epiphaniam.

1. Oratio præparatoria eadem est.
2. Historia: *Nuptia facta sunt*, &c. Joan. 2. Ecclesiæ intentio est, primam Christi ostentare manifestationem, ad demonstrandum, ut in festis, conviviisque nos gerere oporteat; sicut & ad Matrimonii Sacramentum venerandum. Quod petit est: *Omnipotens sempiternæ Deus, qui celestia*, &c.
3. Compositio loci erit, Christum, Mariam, Matrem ejus, Discipulosque in Cana Galileæ Mensæ assidentes, in mentem revocare.

S E C U N D A P A R S.

1. Perpendendum, quomodò ex Servato-

ris bonitate cum hominibus adèd familiariter conversantis, amor, desideriumque ei serviendi elicienda sint; & exemplum Deiparæ tantâ solitudine in vini, quod deerat procurando subsidio, ut Christianorum necessitatibus pariter & nos subveniamus. Ex vinicarentia, convivii temperantia colligitur, ut qui in mundo viget effrænatae gulæ appetitus, reprimitur. Aquæ in vinum conversio fuit significatio, & quasi manu ductio ejus, quod à Domino in cœna ultima in sacrosancti Sacramenti ministerio erat peragendum: ita debilitatis nostræ infirmitas exigebat, ut in mysterii hujus nos fide corroboraret.

Perpendendum, quemadmodum Dei Genitrix haud rogata petat, ut attentè ejus alumni considerent; quid pro eis sit factura, cum ab ipsa aliquid petunt; cum nequidem rogata, benedicto Filio Mediatrix intercedat. Item, quomodò, quæ petere debeamus, ab ea edocemur, indigentiam nempè exponendo: *Vinum non habent. Scit enim Pater vester, &c.* Ut ii corrigantur, qui graviter instant in rebus flagitandis, quarum consecutio damnosa magis, quàm utilis foret. Item, quemadmodum spe haudquaquam excidendum: quia licet B. Virgini responsum sit: *Quid mihi & tibi Mulier, &c.* Ipsa nihilominus dixit: *Quodcumque dixerit vobis, facite.*

Perpendendum, ut inter Matris Dei verba admiranda, unum istud enumeretur: *Quodcumque dixerit vobis, facite.* Hoc unico; sed benè usurpato consilio satis est, ut quis perfectissimus possit evadere. Et memetipsum confundam de damnis, quæ mihi accidunt, eò quòd Angelorum Regi-næ consilia non suscipiam.

Considerandus Dominus, ut hidrias aquâ repleri imperarit, cum absque ea miraculum perpetrare potuisset: ad ostendendum, quòd ut vino gaudii Spiritûs sancti donemur, tribulationum aquis, peccatorumque doloribus, atque intimo passionum Christi sensu nos repleri oportere. Idèdque, tam parùm veri gaudii in mundo exstat, quia istas aquas in tantùm vilipendant mortales è quibus in vinum gaudii spiritualis fit conversio. Hoc ad memet reflectam, ut cæcitati meæ illacrymer.

Advertendum, uti in die tertia *Nuptia facta sunt.* Et intelligendo de nuptiis naturam inter Divinam, & Humanam in una hypostasi quasi tertiâ die aptissimè contingunt: non enim in lege Naturæ, nec lege scripta; sed in lege Gratia celebratæ sunt. *Et sic die tertiâ.* Ad has nuptias Animæ invitantur, harumque in Christo per Fi-

K k dei,

dei, & Charitatis unionem participes existimus; juxta illud Osee 2. *Sponsabo te mihi in Fide.* Ex quo colligitur, quanta fuerit Dei misericordia in eo, quod Animæ nostræ in Christi sponsas sint vocatæ, quamque infelices sunt, quæ tantum sponsum contemnunt.

TERTIA PARS.

Colloquium.

In more positum est, ut sponsæ, dotis munere sponfos donent. Cum verò tu sis ille sponsus, Domine, qui desponsatas ditas dotibus. Quid, quæso, in te advertunt, ut te deserant? Quæ sunt illæ, ut eas velis? Quam dotem reperisti, anima mea ut eum abneges? Sed qualem tibi dat mundus, tempore, quo illi infervis! Quem indè fructum reportas? quid à dæmone sperare audes? Cur ergo verum tuum repudias sponsum, Christum? An fortè ideò, quod sit deformis? Sed ad ea, quæ in Cantico quinto de illo dicuntur, attende: *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus.* Attende, quod si *Fortitudo quaritur, robustissimus sit: si divitiæ quaruntur; Gloria & divitiæ in domo ejus.* Quid igitur in eo displicet, quod ei averseris? Attende, quàm anxie Magdalena, cujus notitiam habuerat, eum, licet peccatrix, quæritabat. Sed & tu cum peccatrix sis, ut quid eum non quæris? Et cur illum rejicis? O Domine, tu, qui in vinum aquas convertisti, hanc animam peccatricem converte: *Converte nos Deus ad te, & convertemur.* Si ad id nostras vires, & potentias tribulationum fluctibus repleri, opus sit, accedant, Domine, unà cum Misericordia tua, ut dicere valeamus: *Convertisti plañctum meum in gaudium mihi.* Nec obliviscaris, Domine, quod Jerem. 3. dicitur: *Si dimiserit vir uxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum: numquid revertetur ad eam usrà? Numquid non polluta, & contaminata est mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: verumtamen revertere ad me, dicit Dominus.* Benedicta sit Misericordia tua. *Memor esto verbi tui servo tuo.*

A D D I T I O.

Omnis homo primò bonum vinum ponit; &c. Mundus in finem acetum reservat; Christus autem merum excellens asservat æternitati.

Si aliqua sponsa foret, quæ summo gaudio afficeretur, videns mucronem, quo neci suum addixissent sponsum; quid diceres? Sed eheu! quàmplures sunt, qui cum peccatum sit, quo Christo mortem infligere conantur; nihilominus id videre, in eoque exhilarari oblectantur.

MEDITATIO XXI.

Pro Dominica tertia post Epiphaniam.

Oratio Præparatoria eadem est.

1. Historia, *Cum descendisset, &c.* Matth. 8. 2. Ecclesiæ intentio est, indicare, uti Christus Dominus noster lepram emundet: ad edocendum, quo pacto sacrâ exomologesi peccatorum lepra sit expianda. Quod sancta Mater Ecclesia exposcit, est: *Omni-potens sempiternæ Deus infirmitatem nostram propitius respice, &c.*

3. Loci compositio erit, Montis descendus, cum maximo hominum concursu, illa stupentium, quæ Christus docebat, & faciebat.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum, quid dicatur, vel operetur à personis, &c. Nam Christi exemplo ad humilitatem oportet excitari, qui factâ à se concione, ad Misericordiæ opera excitanda quantotius descendit; Rectoresque commonendos, quò altiora teneant sub sellia; eò etiam arctius ad descendendum teneri, ut peccatoribus mundi lepram excutiant: ad quod Præsules, & Pastores longè maximè obligantur. Item colligendum, quanti fructus sit oratio, cum his verbis solùm prolatis, scilicet, *Domine, si vis, &c.* mox responderit, *volo, &c.* Item, quantæ æstimationi ducendum, coram Christo tangi, quamque importunè leprosi peccatores eum deberent insequi; quantæ demùm utilitatis media illa Centurioni fuerant, quibus Christum pro se aliisque rogabat.

2. Perpendendum, quàm meritò injuncta sit pœnitentia Leproso, *quicumque ergo maculatus fuerit leprâ, & separatus est ad arbitrium sacerdotis, habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contactum, contaminatum, ac sordidum se clamabit.* Lev. 13. 44.

3. Expendendum, quàm aliter in mundo procedatur. Si qui enim splendè incedant induiti, peccatores sunt; si qui amplo comitatu stipati, videri affectent, ii primum obtinent locum. Item considerandum, quò quantumcumque mores suos finxerint; in iis tamen, quod lex imperat, spiritualiter adimpletur. Laceri enim aded incedunt, ut singulis passibus malitia eorum denudetur: carnales enim esse se, præ se ferunt, foliisque existunt, cum Deo careant. Denique, extrâ castra extorres, versantur.

4. Considerandum, quàm arcto obligationis vinculo Christo Domino adstringamur, qui pro leproso peccatore satisfactionem dederit, in tantum, ut carnis ejus sanctissimæ ruptum, defutumque; extiterit vestimentum, & in cruce capite nudo, oreque clauso

so affixus sit: *Sicut mutus non aperiens os suum.*
Et extra castra sit ablegatus: *Quia extra portam passus est.* Et ibi, clamabat, dicens: *Ut quid dereliquisti me, &c. Et nos putavimus eum quasi leprosum, &c.*

Perpendendum, uti Christus, plusquam
5. Centurio flagitaret, concessit, dicens: *Ego veniam, & curabo eum.* Utque sancti Petri spiritui quam maximè Centurionis assimiletur. Hic enim cum eo in navi sua, ille verò propriis in ædibus non audebat immorari. Hinc reverentem agnitionem Dei discant, lugeantque suam ignorantiam peccatores. Cum etenim, quo vescuntur pane, indigni sint, queruntur, gulæque cogitant cupidines: quam ob causam adversus eos Centurio in extremo iudicio exurget, &c.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Quis unquam Pater, tanto in Filium amore flagravit, ut ejus lepram assumere ad eum sanandum non dubitaret? Quisve Rex eam subiret sententiam, quâ delinquentes subditi essent plectendi, ut fecit pro hominibus Deus. Cæterum dissutus atque lacerus ille, ego sum, qui os clausum propter ea; quæ indè etumpunt, habere mereor; ille, qui homines inter incedere, indignus sum. Ille sum, qui reseratum os, velut peccati mancipium gestare debebam. Tu verò mi sanctissime Domine, pensa mea persolvis. Quid caro tua pretiosissima merita est, ut clavis, lanceaque transfoderetur. Quidque mea non est merita, cum crudelem admodum hanc in te sævitiam excitaverit? Quomodo ego nudum caput tuum videns meum contegam? O Domine, cum præcipias, ut sese Sacerdoti Leprosus exhibeat, gratiam tuam, quæ ad ejus me pedes devolvat, elargire: *Quia si vis, potes me mundare.* Video equidem, quòd non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tantum, &c. & sanabitur anima mea. Cumque sana extiterit, manus tuæ beneficium agnoscat, ut tibi idè in omnibus, & pro omnibus serviat. Amen.

Meditatio vigesima secunda de Dominica quarta post Epiphaniam.

1. Oratio præparatoria eadem est.

2. Historia: *Ascendente JESU in naviculam.* Matth. 8.

Ecclesia ostendere intendit, quid in tempestate agendum sit, fidelesque, qui in Orthodoxæ fidei Ecclesiæ Romanæ navi transfretant, animare; in qua sola salus sita est; quod petit, est: *Deus, qui nos in tantis periculis constitutos, &c.*

3. Loci compositio: in memoriam redu-

cendum est, ut Christus Dominus in molibus culcitris, somniumque foventibus, haud recumberet, &c.

SECUNDA PARS.

Perpendendum, quid dicant, &c. ut i. nos ad tribulationes præstolandas componamus. Si enim, qui cum Christo navim conscenderant, eas passi sunt, quis ab his liberari queat? Item, quomodo ex tribulatione frugem hauserint: *Quia tunc accesserunt ad eum.* Quot ejus immemores existerent, si sese oppressos haud sentirent. Ut item remedium est, eum clamoribus, lacrymis, pœnitentiâ, piisque operibus orare. Item, quomodo duo simul Christus operetur, timorem arguat, & benignè, quod petitur, concedat. In quo, quid simus, & ipse sit, explanat. Ut item, ibi adstantes, viso miraculo, obstupescant. Ut item nos, qui jam vivimus, miranda ejus opera contemnimus.

Considerandum, quòd quemadmodum 2. Christus Dominus edebat, ambulabat, flebat pro nobis: sic etiam nobis voluit requiescere, & ostendere se dormientem, ut constaret, quantum ejus custodiâ egeremus. Ex quo dolorem excitabo, præsertim, videns omnia, quæ fecerit, ad me direxisse, quum, quæ ego operor, non ad eum, sed ad me referam, & convertam; utque verè pro me ea fecissem, si pro eo illa essem operatus. Item, pro me sopori indulget, non enim alio animo sopitum se ostendit, nisi ut eum ego excitem, & à me excitatus, memetipsum expergeficiat: tandem etsi ille dormitet, *cor ejus vigilat*, ad meam utilitatem.

Considerandum, quomodo per hoc 3. Christus Dominus ostenderit, quid pro nobis sibi agere oportebat, nempe sopore, qui significabat mortem, in tempestate amaritudinis Crucis, obdormiscere; ut nos, illum in ejus laboribus insequi, protegeremur, & naufragio maris tribulationum agitati, quas peccata nobis promeruerant, protinùs liberi efficeremur. Quomodo in hoc laborem pro quiete suscipere adstringamur: cum Christus in crucis tempestate occubuerit ad nostram salutem.

Perpendendum, quomodo venti, mariaque Creatori suo obsequantur, & auræ 4. elationis meæ, passionumque amaritudo Domino suo parere renuant. Quare, æquum est, ut in Sole, Lunâ, marique signa statuatur, ejusque terrefaciat sonitus: quandoquidem salo obediente, refractarium se peccator exhibeat.

Perpendendum, quomodo continuò 5. dicere possimus: *Domine, perimus*; enim-

Kk 2 verò,

verò, si vel momento nos deserat Dominus, tum ruimus in perniciem: sicut & tribulationum, tentationumque procella cessante, mox dicere possumus: *Qualis est hic, quia venti & mare obediunt illi. Si facta est tranquillitas*, de ejus misericordia orta est. Hinc confusionem suscitemus, quod ex tranquillitate & quiete oblivionem, audaciamque ad offendendum Deum mutuemus, cui gratias, illaque immortales rependere deberemus.

TERTIA PARS.

Colloquium.

*Exurge, quare obdormis, Domine? Dormis, quia ego dormio: & dormis, ut à tempestate expergesiam ego, ut in omnibus divina tua refulgeat bonitas. Bene enim agnosco, te non dormire, ut creaturarum tuarum, & præcipue tuorum servorum obliviscaris: Quia ipse non dormitabit, neque dormiet, &c. Domine, perimus. Tentationum, tribulationumque procellæ nos demergunt. Salva nos: tu enim es, qui dominaris potestati maris, & motum fluctuum ejus tu mitigas. Probè video, vanæ gloriæ meæ ventum, & passionum mearum mare; hoc visibili mari longè elatio-
ra existere: in me enim obedientia desideratur. Sed tu, Domine, adjuva nos, quia perimus, & expergiscere, ut & nos expergiscamur, nec permittas, ut unquam in Religionis navicula nutemus: quia dum ut bonus filius cognovero hanc Matrem, qualemcumque fortunæ odium sæviat, non timebo. Quid faciet mihi homo; hæc enim, dum affligitur, florèt; dum opprimitur, crescit; dum contemnitur, proficit; dum læditur, vincit; dum arguitur, intelligit: tunc stat, cum superari videtur. Et idèd: Si Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo.*

*Psalm.
26.*

Meditatio vigesima tertia pro Dominica quinta post Epiphaniam.

PRIMA PARS.

1. Oratio præparatoria eadem est.
2. Historia: *Simile factum est Regnum Calorum homini, qui seminavit, &c. Matth. 13.* Ecclesiæ Romanæ intentio est: ostentare, quid (ut singulis diebus advertimus) Christus Dominus cum diro illo hoste, zizania, ob dormientium incuriam, seminante, operetur. Quamobrem expergisci, & in campo vigilias agere oportet. Istud verò repetit: *Familiam tuam quasumus, Domine, continuâ pietatè, &c.*
3. Loci compositio; Christus in mentem revocandus, *per civitates, & Castella iter faciens*: magnâ discretionè ac prudentiâ, parabolis edocens planis æquè ac sublimibus, ne pereant peccatores.

PARS SECUNDA.

Consideranda Seminantis bonitas, qui 1. bonum semen seminavit; terræque pravæ messis, quæ ad zizania recipienda fuit uberima; & ejus negligentia cui incumberebat custodia. Quapropter *inimicus homo superseminavit zizania*: Hinc eliciendus timor: ut Christus Dominus Discipulis suis parabolam explicuit: ipse Christus est seminator bonus, *campus est mundus, bonum semen filii Regni, auditores Dei doctrina, inimicus diabolus, messis consummatio seculi, messorum Angeli.*

Perpendendum; quis homo ille esset, 2. qui margaritas, & pretiosissimos uniones seminaret, unde scrupulos aut res levis momenti germinandas esse cognosceret. Hinc immensa Dei Misericordia est perpendenda, quandoquidem tritici plurimi pretii granum seminare voluerit, idque proprio irrorare cruore, in solo, quod illud non admittit, vel si admittit, ut plurimum suffocat.

Seminantis perpendenda patientia, 3. cum herbam malam, zizaniaque pullulantia, confestim avelli haud jubeat; *dissimulans peccata hominum, &c.* Cuilibet in sese reflectendum, semetipsum alloquendo; quid de me fieret, si æquè patiens non fuisset, ac misericors seminator; zizaniaque statim eradicari juberet, peccatorum meorum vindicem pœnam constituens: quemadmodum in avernalibus illis antris jam commorarer.

Considerandum, ut exhibitæ à seminatore comitati simul etiam prudentia immisceatur; justos enim peccatoresque promiscuè conservat: justis à peccatoribus aliquando excitati, vitam in virtute traducunt; peccatores verò justorum exemplis confusi, zizania, quæ in agro inimicus seminat, ne ad seculi differant consummationem, quando pœna longè gravissima futura est.

Considerandum, quàm foret salubre, 5. eandem animæ meæ interrogationem suggerere; quam Patris familiæ famuli faciebant, dum dicerent: *Semen bonum seminasti in agro tuo, &c.* Sicque dicerem; anima mea, numquid ne in agro tuo per Baptismum, aliave sacramenta, Dei que inspirationes semen bonum seminatum sit? Ut quid ergo, loco tritici zizania emergunt? Cùmque pacem inter proximos statuere deberes, zizania injicis. Cùmque Crux amicissimè tibi foret amplexanda, ejus inimica existis? Et quo pacto aded alius, quàm seminatus sit, è tua terra fructus pullulat.

TER-

TERTIA PARS.

Colloquium.

Quid dicam, Domine, cum ad litteram exprimas bonitatis tuæ magnitudinem, maximè in tua sapientia, & mei dormientis negligentia, quandoquidem ab hoste meo tam parùm me custodiam: benè video patientiam tuam, qui toleras, ut zizania non avellantur. Video itidem me ex tua patientia ad te offendendum haurire audaciam; me inter bonos toleras, ut ex eorum exemplis meliorem frugem consequar. Et ille sum, qui eos insector, atque contemno, Bonum semen seminasti; ego verò pravos fructus collegi. Triticum seminasti, & nihil præter spinas colligo. Quis hoc fecit, Domine? Inimicus homo. Verùm quis ille est, præterquam ego, propter consensum, quem præbui, sine quo zizania, quæ Sathanas seminare intendebat, nullum omnimò damnū intulissent; sed & tuus, meusque sum inimicus: tuam enim terram verto in perniciem; meus item inimicus, siquidem non aliâ ratione eam fulcare, & arare videor, nisi ad zizania, loliaque colligenda. Si igitur hæc inimicus homo peregerit, qui sum ego: *Eripe me, Domine, ab omni malo, & à vira, &c.* Hoc me homine liberares exoro, hunc cæde, hunc stultum alliga, & zizania, quæ ipsi insunt; avellantur, ipsum ab hacturpitudinis vitæ extirpes; id modò, quod in eo servisti bonum semen non pereat, nec amplius de eo dicatur: *Per agrum pigri transivi, &c.* Ne permittas, Domine, ut sit sicut zizania, de quibus dictum est: *Alligate ea in fasciculis ad comburendum; Verùm ex illo tritico reputer, de quo dixisti: Triticum congregate in horreum meum, &c.*

Meditatio vigesima quarta de Purificatione Beatae Mariae Virginis.

1. Oratio præparatoria, &c.
2. Historia: *Postquam impleti sunt dies Purificationis, &c.* Luc. 1. Quod à Romana Matre Ecclesia petitur, gratia est, ut Majestati Divinæ reverenter obedire mereamur, dicente: *Omnipotens sempiterne Deus Majestatem tuam supplices exoramus, &c.*
3. Compositio loci: in memoriam revocandum, quantâ reverentiâ Dei Mater, & Joseph puerulum sanctissimum ad Templum deferrent, in cujus memoriam diei hujus supplicatio celebratur. Ut item gestiret Simeon dum optatum inter brachia susciperet Jesum.

SECUNDA PARS.

1. Perpendendum, quid dicant, &c. velut ex Dei Genitricis exemplo apprimè colligi potest, quæ cum non obstringeretur præcepto ad Templum accedere, Purifica-

tionis causâ; eò tamen se contulit, ne ullam scandali præberet occasionem: ex hoc ipso item exemplum, circa proximum summam. Idemque Christus solvens tributum, quo non astringebatur, persolvendum quod debetur esse docuit. Item ex his, quæ lex imperabat, colligam, quantâ puritate Templum ingredi oporteat, summèque propterea dolebo, quòd in hoc adeò fuerim incurius. Ista lex item constituta est ad memoriam exitus de Ægypto; & cum de accepto tam grandi beneficio, rependi debitæ grates debuissent, dolorem concipiam, videns præsertim quantâ fuerim ingratitude erga Domini misericordiam; toties me ex Ægypto, id est, peccatis, & eorum occasionibus eripientis. Item, ex piis affectibus, quibus ipse Simeon conflagrabit, colligam, quibus item & ille affici debeat, qui Christum præstolatur; ejusque in animam suam adventum desiderat: ille enim justus erat, atque timoratus, & expectabat, peroptabatque solatium Hierusalem, & animarum utilitatem. Perpendendum item, qualis sanctus ille Simeon existeret, dicens: *O si jam veniret! Quando eum visurus sum! Mitte Domine, quem missurus es: ut Christum videndi desiderium in anima excitem, & solitudinem absentia illius sentiam.*

Perpendendum, quàm magna fuerit ho- 2.
dierna Misericordia: *Quia suscepimus Mi- Psalm.
sericordiam tuam in medio Templi tui.* Item; 47.
*quis stabit ad videndum eum? An fortè pec-
catores? An mentis meæ inflatus tumor? Sci-
entiam viarum tuarum nolumus.* Justi Job. 14.
magnâ animi demissione cum Divo Petro
dicunt: *Exi à me, Domine. Angeli velabant Luc. 5.
facies suas. Quis ergo? Qui timent, vide- Isai. 6.
bunt me, & latibuntur.* Hi sunt, qui ipsum Psalm.
sunt visuri. Quapropter, dæmon nos in- 118.
sequitur, sanctum timorem expellens; rumpitur enim invidia, ut visionis quoque beatificæ subtrahat nobis pignus, quod est divina gratia.

Perpendendum, ut Christus æterno se 3.
Patri præsentarit, ut & nos præsentari mereremur. Et ideo priusquam præsentaretur circumcisus est, ad indicandum, eum à vitiis & peccatis debere abstinere, & circumcidi, qui Præsentationis meritum desiderat.

Perpendendum, de legis præcepto fuisse, agnos, columbas, aut turtures præsentandos. Eliciens ex hac litèra spiritum; dolorem, ruboremque consequar: dolebo, quod, cum Deo in sacrificium offerri debeam, agnus non sim, sed lupo rapax; nec columba, sed fel amarissimum, imo

intolerabilis in proximos amaritudo; nec turturis gemitibus plango; quin potius vanis oblectationibus exhilaror, per quas mundus in totalem corruptionem devolvitur.

5. Considerandum, quod Numer 16. scriptum est: *Dixit Moyses ad Araonem, tolle thuribulum, & hausto igne de altari, mitte incensum desuper; &c.* Ita cum passionum æstus passim per mundum jam incensus grassaretur, ipse Christus thuribulum extitit, quo plaga cessare incœpit: & hæc est magna illa Misericordia, quæ hodiernâ die in Templo est communicata.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Æquissimum erat, Domine, ut Israël filii in Templo præsentati, agnos quoque suos offerrent: eos enim piissimâ manu tuâ è dira Ægypti servitute eduxisti; sed tu, Domine, quo debito astringeris, ut eorum pensâ persolvas? Et quid debet Mater tua, absque ulla omninò originalis peccati labe concepta, ut hodiè, doloris Passionis tuæ gladium animo suo revolvat? O quanto jure Patri æterno dicere posset: *Quid hoc sibi vult, Domine? Quid dicam de his, quæ video, in Ægypti exitu spiritali nunc fieri? longè discrepant ab eo, quod in materiali peractum est.* In eo enim, Ægypti primogeniti moriebantur, & in hoc Israël Primogenitus, Æternitatisque unicus hæres morti quasi signatur. In eo, ut Israël pacis fruerentur tranquillitate, Ægyptiorum fiebat interitus; sed in hoc, ut Ægyptii serventur incolumes, Israël Primogenitus præsentatur. Mulieres oblato agno puerum suum redimebant; sed jam Deipara munera libans, suum quoque filium offert. O sanctissima Dei Genitrix, si tantus in præcordiis tuis doloris sensus obversetur, dum Filium tuum inter Simeonis manus, brachiaque, ipsum adorantis, conspicias. Quid ages, dum eum in crucis brachiis visura es? O quàm differenter in crucis brachiis, quam in illis Simeonis excipietur! His cum amore suscipitur, illis summo dolore cruciabitur. O quantus doloris tum futurus tibi gladius! O si quis eo obiret doloris sensu, fauciarique mereretur! O Dei Mater semper Augusta, quæ peccatorum Mater diceris, fac nos dolorum tuorum hæredes; ut mereamur æternitatis gloriam. Amen.

ADDITIO.

1. Proprius Dei Filius, priusquam Patri suo præsentetur, cruorem effundit, & tu coram ipso comparere audebis, cum sis effusor alieni sanguinis?
2. Priusquam ad Templum Christus acce-

dat, Circumcisionem, quam non debet, persolvit. Et tu saltem, quod debes, non persolves?

Christum præsentandum *tulerunt in 3. Hierusalem, quæ est visio Pacis*: Sed tu ad pacem haud dispositus accedis; sed inter eos existis, qui *viam pacis non cognoscunt.*

Christum præsentarunt non vanitatis 4. ventilatione, ut mundani assolent, nec proprii aviditate commodi, ut avari; nec curiositatis impulsu, aut cæteris mundanis respectibus; *sed ut sisterent eum Domino.*

Quid præter doloris gladium Dei Mater 5. ex Presentatione est consequuta? Bonum signum est, si postquam te præsentaris, ingrati animi tui referas dolorem, quàm parùm Christo obtuleris, & quàm multùm, tui gratia, ipse obtulit, perpendens.

Meditatio vigesima quinta pro Dominica in Septuagesima.

PARS PRIMA.

Oratio Præparatoria, &c.

1. Historia. *simile est Regnum Calorum homini 2. patri familias, qui exiit primo mane, &c.* Matth. 20. Quod Ecclesia petit, Misericordia est, ut à peccatis liberemur; quandoquidem notum sit, justè nos afflictionibus opprimi, cum ad Domini vocationem, ut deberemus, nunquam corresponderimus.

Compositio loci; Christus in memoriam revocandus, in parabolis docens: & 3. considerandâ sapientiâ, quæ in ipsis continetur, utque de rebus ordinariis, quæ in manum frequenter occurrunt, pertractet, ut sunt vineæ, terraque, ut tanto majori facilitate dicta capiamus.

SECUNDA PARS.

Perpendendum, quid dicant, &c. Ut 1. est esse vocatos. Attende qualis quantique sit momenti vocatio, & quis vocet. Item, quàm necessaria sint dona ad vitam æternam. Item, hanc sententiam ad eò altè memoriæ infigam, quasi ab ipso Christo illam audissem, scilicet: *Quid statis, &c.* Ut omne otium pro viribus repudiem; ut item, de bono, quod proximo tribuitur, non graver, ne fortè mihi dicant: *An oculus tuus nequam est, &c.* Hanc etiam sententiam reverebor, quæ sic habet: *Multi sunt vocati, &c.*

2. Consideranda Patris familias, Dei nempe Domini nostri bonitas, ut omni tempore, ævo, die, & usque ad eò momento, alia & alia via nos vocet, ut timorem habeamus, quòd non responderimus; ad quòd facilius præstandum, vita in pueritia, & juventute transacta consideranda est, ut doleam, quòd tam malè responderim: Sic quoque timebo, ne mihi dicatur: *Vocavi, & renuistis, &c. Ego quoque Prov. 1. in interitum vestro ridebo, &c.* Per-

3. Perpendendum, quosdam reperiri, qui alios, ne laborent ipsi, ad vineas suas vocent, pecuniisque conducant, ut in iis operentur, eorumque fructum sudoris alieni impensis referant; sed ex his nequam est Christus: si enim vocet, laborem non abjicit, verum præ omnibus ipse labori infudans fructum nobis reservat; itaque summè dolendum est, quod hâc conditione tam pauci operarii inveniantur.
4. Perpendendum, quàm bona illa foret conditio, quâ quis diei opus cum persolvisset velut operarius, ad propriam vineam colendam pergeret. Hac ipsâ à Patre familias conditione conducimur eò, siquidem in animæ nostræ vinea laborante tam divina solutio nobis tribuitur: & tamen tam paucos operarios adinvenit Dominus.
5. Quomodo ad hanc animæ meæ vineam convocer, utque cum sarmenta putare deberem, ipsas vites destruam, & loco profectus, omnia perditum eam: *Posuerunt me custodem in vineis; sed vineam meam non custodivi; quia singularis ferus depastus est eam.* Quâ igitur fronte coram Christo comparere aûim, qui ut vineam meam custodiat, suam quasi neglexit, sanctissimamque humanitatem in inimicorum suorum sævissimas manus tradidit; & sic à tyrannis *vineam suam non custodivit*, ut meæ curam gereret.

TERTIA PARS.

Colloquium.

*Usquequo ociosus ero totâ die, Domine. Quid impedimenti occurrit, quòd ad tuas convocationes non surgam? Cum primus hostis clamor ad suam me vineam confestim protrudat, felle licet & amaritudine refertissimam, sitque vinum ejus, ut fel draconum. O anima mea, attende, à quo voceris, utque bono manè voceris. Horâ primâ ad iudices processit Christus, & ne condemnationis subires sententiam, ipsemet condemnatus est. Quousque igitur ad ejus vocationes tendere prætermittes? Postmodùm horâ tertiâ crucem pro te bajulans exiit, teque vocat, dicens: *Qui vult venire post me*, &c. Ut quid ad hæc verba aures surdas exhibes? Deindè horâ sextâ in Calvariæ loco sublimissimo constituendus progreditur, undè clamores edens jure meritissimo dicere potuit: *Rauca facta sunt fauces meæ.* Si eum audis, cur ad eum non festinas; sin autem audis, quomodò tam surdus existis? Nam horâ nonâ clamans voce magnâ exspiravit. O quis clamor, ò quanta vocatio! Tum sub vespere eum collocant in sepulchro, ut te tuis peccatis liberaret. O anima, non advolabis ocys, cum jam vires deficient, tan-*

tumque mundo tribueris! *Excamus ergo extra castra, improprium ejus portantes.* Pergamus ad sacrosanctæ humanitatis vineam, eamque uberrimis lacrymis irroremus, cum adè exulta, sarmentisque putata sit, ut nobis suavissimum gratiæ vinum concedat. Amen.

ADDITIO.

Postquàm primò Deus homines vocasset, & propter innumera eorum peccata dixisset: *Pœnitent me fecisse hominem*; hoc nihilominus immensum clementiæ pelagus denuò eos in diebus Noë revocat, eisque mundum renovatum tradit; Cumque ingratos in turri Babylonica exstruenda sese exhibuissent, iterum eos vocat in tempore Abraham, & multis aliis vicibus, eorum nil obstante ingrati animi significatione, quam semper præ se tulerunt, in tantum, ut humanitatem ipsam inducere non dubitarit.

Si cum fortem severumque Deus sese hominibus præstaret, eos generalis diluvii inundatione, aliisque magnis pœnis castigans, iis tamen minimè emendarentur; saltem jam tandem resipiscant. Sed immensæ bonitatis pelagus, quantum opera tua intellectus nostri vires exsuperant!

Enumerabant, &c. Sat laboribus abundat invidus, qui de bono alieno cruciatur. In finitæ enim cum Deus sit bonitatis, ad singulos passus illum offendit.

Quis ille homo tantæ foret vesaniæ, qui ad vineam ubi optimè persolvitur, quæ est Domini vinea, tendere prætermitteret? Ut ad vineam, puta dæmonis, mundi, & carnis sese conferret, in qua nulla laboris solutio rependitur, quinimò dolor & pœna, ut postea majori labore, sudoreque elaboretur;

Miranda sanè ea foret conditio, si postquam quis datâ operâ in vinea alterius, operisque diei solutione perceptâ, alterum tantum in vinea sua elaboratum inveniret, quantum in aliena excoluisset. Hâc autem conditione nobiscum convenit Christus; idem enim nostris prodest, & juvat, qui alienis animabus labor à nobis impenditur:

Anima, quæ benedicit, impinguabitur, & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. Prov. 11.

Quid statis otiosi, &c. Dicit Spiritus sanctus: *Qui sectatur otium, stultissimus est.* Prov. 12 Undè, si cuidam ex iis, qui auctoritati sibi ducunt esse otiosos, per plateas fastu magno, mentisque elato tumore oberranti, diceretur: En ut stulti incedant. Tum si dicti hujus, à dicentibus rationem quis exigeret, meritò respondere possent; quia à Sapiente ita dicitur.

MEDITATIO XXVI.

De Dominica in Sexagesima.

PARS PRIMA.

1. Oratio præparatoria, &c.
2. Historia: *Cum turba*, &c. Luc. 8. Quod sancta Mater Ecclesia Romana petit, est, favor, & auxilium in adversis, quòd terræ nostræ messis planè sit miseranda, & quæ in ea seminantur in totalem perniciem degenerent.
3. Compositio loci; Christus multusque populorum circumstantium concursus, qui mirandam ejus doctrinam auditum concurrebant, in memoriam revocandus est.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum, quid dicatur, &c. Ut in Mundi Servatore videre est, qui hanc admirandam parabolam explanans, *clamabat*; cui magna attentio adhibenda est: ut item, quòd in præterita dixerat, ex ista comprobet: *Pauci electi*; quandoquidem de seminibus partibus quatuor, tres omninò depereant. Item, timorem consequar, ne inter illos existam & ego, cum etiamnum immergar meis culpis. Item, ex hoc suavissimo verbo amorem reportabo: *Vobis datum est*, &c. Hi sunt sanctæ Romanæ Ecclesiæ fideles filii, qui que cum humilitate, & diligentia de Dei verbo frugem referre cupiunt. Item, confusionem eruiam, videns, in creatione Mundi Dominum terræ præcepisse, *ut germinaret herbam virentem, & lignum pomiferum*, statimque ea irrefragabiliter obediisse, cum ego tam barbarè obsistam debitis obsequiis.
2. Considerandum, quod ratio, cur Domini verbum in animis nostris non fructificet, ea sit, quòd ceciderit juxta viam, & volucres Cæli, qui sunt dæmones, illud comederint; quare dicebat Psalmista: *In corde meo abscondi eloquia tua*, &c. Hinc dolorem hauriam, conspiciens sedulitatem hominum in congerendo in horrea sua tritico, quod ad solam corporis sustentationem spectat; quantà autem ducantur, in horreis construendis, negligentia ut triticum illud, quod animam verè vivificat, asservetur? Item, visâ poenâ, quæ talibus infligitur, timorem eliciam: *Quia volucres celi comederunt illud*, id est, granum, & illum, qui illius in custodia adedò incuriè sese gessit: Unusquisque igitur sciat, se sui ipsius jacturam facere, si granum hoc diligenter non custodiat.
3. Perpendendum, aliud granum etiam periisse, eò quòd cecidisset super petram, quod humiditate carens, quamvis cum gaudio receptum sit, nihilominus exsiccatum est. Hinc dolorem concipiam, vi-

sâ item cordis mei duricie, cum ipso lapide durior sim: hunc enim stillicidium cavat; sed cordi meo nec stillicidium favorum Domini, nec ejus clamores, aut poena, ullum imprimunt signum; sicque siccum & infructuosum remanet, & quod deterius est, oblectatur, videns nihil præterquam spinas sese producere, quibus, quanto magis proximum compungit, tanto vanius existit: *Qui habet aures audiendi audiat*; & qui habet oculos desendi desinat.

Perpendendum, aliud itidem periisse, eò quòd cecidisset inter spinas, quæ sunt divitiæ, seculique inordinatæ sollicitudines, quæ granum, ne fructum suum referat, suffocant, ita ut ex hujus seculi beatitudine, quæ, ut mundani sentiunt, sunt opes, totalis alterius infelicitas procreetur: quamobrem mentis meæ caliginem deslere parabor. Quis enim adedò magnæ stultitiæ præditus sit, qui Viperas, & Basiliscos, ut domum suam eos conferat, quæreret? Sed idem profectò ille facit, qui divitiarum spinas congregat, quod nil est aliud, quàm mortem ad suas ædes ducere?

Considerandum semen, quod bonum fructum reddidit, cecidisse *in corde bono, & optimo*, quod tria fuit operatum: *audivit verbum, in se illud recepit, fructumque in patientia reddidit.*

TERTIA PARS.

Colloquium.

Infinita est bonitas tua, Domine, nec minor est patientia tua: quandoquidem ferere non desinas, licet terræ maligna affectio omnem frugem pessumeat; sed quid de tua liberalitate, ac divitiis dicam: certè, nisi tu ille esses quem nulla eorum, quæ possides, jactura subeat, jam jam te ad inopiam quasi homines redegissent, cum adedò multa seminaveris, nullamque fermè frugem sis indè consequutus. Sed quid de tua sapientia memorem? quis est, qui in ignis rogo seminans, virens, mundumque triticum referat, nisi tu; qui in hoc corde vivis passionum ignibus æstuantem, seminas, & fructum mirabiliter reportas. Benedictus sit seminator, qui tale semen seminat. Verùm quid dicam, Domine, quando tuum semen non recipit, vel si recipit, illud aut non fovet, aut suffocat? Heu me! qui te, ut semines postulo, & postea sæpius triticum, quod seminaveris dissipò, vel id non agnoscens, pessumdo; cumque pretendam, ut tuum fructum tribuas, de meo ipsius participare renuo. Amoris tui suavitate frui peropto; sed sensuum maceratione quidquam contribuere recuso: & ita cum mea ex parte deficiam, eorum magna pars existo, *Qui*

in tempore tentationis recedunt. Sumque ex iis adulterinis plantis, quæ nullum fructum retribuunt. Sum item ex iis, *Qui seminant ventum, & turbinem metunt.* O Rex gloriæ, terræ hujus misereare, nec in ea Sapientiæ tuæ, Bonitatis, ac Patientiæ semen ferere prætermittas, ut me ex hac ficulnea egregium, virentemque gratiæ tuæ fructum colligente, tui Angeli te deprædicent; egoque tuas inter creaturas dicere valeam: *Benedixisti, Domine, terram tuam, avertisti captivitatem Jacob;* quia hoc modo, *habitabit gloria tua in terra nostra.*

ADDITIO.

1. Quidam Christo impedimento sunt, eò quòd terra sit pœnitentiæ operibus haud exulta, quin potiùs propter eam, quam ad peccandum habent proclivitatem, à dæmonibus conculcata; alii, quia faxis, nempè superbiâ, ac duriciæ referti: alii autem, quòd spinis scateant, quæ sunt temporales curæ, opumque potiundarum sollicitudines, quibus cruentas sceleribus adversus Deum, promixosque manus gestant.
2. Stultus planè esset, qui super spinas seminaret: Sic quoque magnæ est dementiæ, qui fructum de verbo Domini referre intendit, cum passionibus, peccatisque totus abundet; nec velit resipiscere. *Nolite ferere super spinas.* Peccata eradicanda sunt, non solum quantum ad opus; sed ad desiderium; pravosque affectus peccandi; ne fortè quædam interiùs radices foveantur.
3. Plantarum conspectu peccatori erubescendum est, cum earum quæque *juxta genus suum* reddat fructum; ipse verò secundum quòd rationi, ejusque naturæ congruit, nullum tribuat.
4. Ipso etiam Pharaone magis indurati vivimus. Tandem enim Judæorum populum, ut Deus præcipiebat, egredi passus est; sed peccator non solum Dei famulos non rogat, ut pro se preces fundant, quinimo iis illudit, nulloque pacto cum Deo convenire studet, nec mille flagris correctionum, ægritudinumque flectitur, nec ut Pharaon, qui dicit: *Peccavi,* peccata sua confitetur.
5. Quàm egregiè dispositi, ac parati existimus, ad peccati semen recipiendum: vix ad aures pervenit, cum jam in corde foveatur; vixque est satum, cum mali operis fructus colligitur.
6. Si sapidissimo Rex te donasset condimento, posteaque quomodo sapiisset percunctaretur; numquid eum irritares, id à felibus comestum esse, respondens? Ut quid ergo adeò parvi facis Verbum Dei, *ut volucres Cæli comedant illud.*

MEDITATIO XXVII.

Pro Dominica in Quinquagesima.

PARS PRIMA.

Oratio præparatoria, &c. 1.

Historia: *Assumpsit JESUS, duodecim,* &c. Luc. 18. Ecclesiâ Romana, à peccatorum ligamenti nos liberari supplicat, ut Hierusalem ascensum subire valeamus; quodque inibi Christus sit perpeffus, sentiamus.

Compositio loci: Christus Hierusalem 3. ascendens, menti objiciendus, qui secretò Apostolos segregavit, ut iis enarraret, quæ sibi in ea forent patienda.

SECUNDA PARS.

Considerandum quid dicant, vel agant, 1. &c. Ut advertere est in Christo, dum labores suos, mortisque judicium enarrat, ut sciamus, quàm necessarium sit de his feriò & agere, & cogitare: quomodò item in hoc sapientiam suam ostendet JESUS; amoremque, quo in Discipulos suos conflagrat: *Quia jacula prevista minus ferriunt.* Item, ab illo cæco perseverantia Christum invocandi assumenda est, quidquid mundus in contrarium vociferetur. Lumen item spiritualis visus, hujusque seculi fallaciarum notitia petenda sunt: Christo item promptis obsequiis famulandum.

Perpendendum, ut iis qui Hierosolyma 2. ascendunt, cordis sui arcana Christus aperiat: quam ob causam, quisquis eorum particeps fieri cupit; laborum itidem illius partem debet tolerare, cumque ipso in Hierusalem conscendere: ideoque timebo, quòd si unum mihi non tribuatur, ideò fieri, quòd ad aliud non dignè me dispono.

Perpendendum, ut cæcus ille mirificè 3. liberatus sit, qui ad Christum clamores edens, ad ejus præsentiam accersiri jussus fuit; sed econtra talis ego vixi, ut si Christus me juberet ad se vocari, ex hac vitâ me tollendo (dum nihil agerem, nisi de mundo, ejusque deliciis clamitare,) confusum sanè, & malè liberatum me reputarem: quare grates debeo immortales, quòd me præstoletur, ut eum reclamem, meque suo tempore, si modò illud bene impendero, ad se suscepturus sit.

Intimo doloris sensu considerandum, 4. quantò magis nequam extiterim quàm cæcus ille: visum enim rogabat; mihi verò, licèt conciones, inspirationesque offerrentur, penitus renuebam. Ea de re hos inter extiti, de quibus à Job 24. dicitur: *Si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis, & sic in tenebris, quasi in luce ambulat.*

5. Perpendendum, ut timor concipiatur, quòd si Christi inventio sit indicium recuperati visus, quàm rari sint, qui eo fruuntur, cum pauci adeò Christi imitatores, atque sequaces existant.

Colloquium.

Nisi ex illis esses, anima mea, quæ Babylonem, aut Jerico vitam degunt, eas inter, quæ Hierosolyma ascendunt, existeres; Christi arcanis, & per hæc laboribus ejus mereris informari: verùm cum ad illos debilem te præbeas, hanc patiendi materiam nec capis, nec capere desideras. Undè hoc Domine nisi ex notitiæ, amorisque penuria oriatur? Enimverò si te, sicut debeo, diligerem, transformatio laborum tuorum in memetipsum mihi quàm suavissimè saperet, ut unus idemque tecum spiritus efficerer. Hinc Domine, fac me Hierusalem subire, educ me ex hac Ægypto: *Trabe me post te, ut curram, &c. Et jube me adduci ad te*; ut meis oculis lumen, intellectui capacitatem, voluntatiq̃ amorem retribuas; *Ut te sequar quocumque ieris, in hymnis, & canticis spiritualibus*; propter solum tui amorem, quodque pro me Hierosolymis pati dignatus sis, id sentiat anima mea, oculique mei defleant; hocque in tempore misericordiae tuæ grato, & accepto luctu præcordia mea moveantur, ut pro te, tecumque moriens, tecum etiam resurgere merear. Amen.

A D D I T I O.

1. Stat peccator hoc tempore secus viam; etenim quadragesima appropinquat, vanarumque oblectationum mendicus est, siquidem ei famem proritent ardentiorum mundanæ deliciae.
2. Cæcus ille linguâ suâ, clamores edens, utiliter usus est; sed tantum abest, ut sensibus suis bene utatur peccator, ut potius omnibus lethaliter feriat.
3. Cæco dum silentium imponeretur, magis clamabat: sed peccator, si quando contingat eum ad Deum exclamare, ut primum hypocrisis arguitur, mox silet.
4. Doctrina patiendi est verbum absconditum, & à paucissimis cognitum. Magno sanè privilegio gauderet, qui centum coronatorum tributum, ad asses totidem à Principe gratis relaxaretur. Sic profectò magna est gratia, debita illa in hoc mundo persolvere, quæ in alio essent expianda. Adde, quòd patientibus præmium longè maximum retribuatur: quia Filio Dei conformantur.

M E D I T A T I O XXVIII.

In die Cinerum.

P A R S P R I M A.

1. Oratio præparatoria eadem est.
2. Historia, cum jejunatis, &c. Matt. 6.

Quod Romana Mater efflagitat Ecclesia, est, ut jejuniorum solemnia, cum gratiâ, pietate, & securâ devotione veneremur, id specialiter expetamus.

Compositio loci fiet, Christum, (ut aliàs dictum est,) in monte concionantem menti objiciendo.

S E C V N D A P A R S.

Perpendendum, quid dicatur, vel agatur à personis, ut hinc fructus aliquis reportetur, ut sunt pharmaca, quæ Evangelium peccatoribus præcipit, qui nunc de indispositionibus sibi à peccato ab ultima Quadragesima procreatis accedunt sanandi: quæ dispositiones in mortificatione præteritæ gulæ, per jejunium stabiliuntur; modus verò jejunandi, *nolite fieri, &c.* omnem tristitiam non tollit: *Quia beati qui lugent, &c.* verùm tollit ipsam ostentationem jejunii, per mœstitiam, ne fortè dicatur; *recepit mercedem suam.* Præterea, tibi præcipit, ne in terra thesauros congeras, ne cor tuum ei addictum hæreat, ita ut palatum à gula, intellectum à vana gloria, & cor à terrenis affectibus cautè sint custodienda.

Perpendendum, quantæ sit æquitatis, ut jejuniis vacem, qui in gula adeò fuerim dissolutus, ejusque filius existam, qui vetitum absorpserim pomum: & cum Christus nullâ jejunandi obligatione adstrictus, jejunarit; quid dicam ego, qui *vivam verbum comedi; & dentes Christi obstupuerunt.* Item, quàm justum sit, ut jejunem, ut saltem ipse dicat: *cum auferetur ab eis sponsus, tunc jejunabunt.* Quàm parùm item operatus sim jejunando; cum Christus quadraginta totos dies cum noctibus jejunaverit.

Perpendendum item, mirandam sanè hanc esse jejunii receptionem, per quam Ninivitæ liberati sint; & Holofernis caput à Judith sit detruncatum.

Considerandum, ut Christi sponsa hoc tempore antiquam Ninivem spiritualiter evertere incumbat, & muros Jerusalem ædificare. Undè diligenter observare curabo, ex doctrina Evangelii, sanctisque Romanæ Ecclesiæ cæremoniis, non modò ædificandam Jerusalem, verùm etiam eam Ninivem evertendam: quamobrem, hodie Fidelium conventum considerabo, ut ipsis suggeram debere esse memores, sibi tandem esse moriendum; memor ero cinerum, ad delendas omnes cogitationes rerum terrestrium, quibus memoriam oneravi.

Considerandum item, quàm justè caput meum hodiè cinere aspergatur: quia toto anni curriculo honores mundi, & ejus vanitates capiti meo imponere ambivi: enimverò æquissimum est, ut quæ in stultitiâ pere-

peregerim, nunc in dolore reparem. Cinere item caput meum aspersurus sum, nempe cognitione mei ipsius, ut Hierosolyma ædificare incipiam, illudque tam admirandum fundamentum: ex quo deducitur, si nihil sis, cur conquereris? cur offenderis? Quid expetis? quid petere ausis? cur non files? cur non pateris?

TERTIA PARS.

Colloquium.

Prover. *Filia populi mei accingere cilicio, & conspergere cinere, luctum unigeniti fac tibi plantum amare.* Dese, anima mea, quod fecisti; nimirum ipsum collocare nihilum super caput tuum; & quod causâ tui factum est, scilicet, collocare mortem super caput, quod est Christus, qui fuit mortuus pro te: aufer cor tuum terrenum, quod pulvis est; & respice cor illud Filii Dei, quod pro te apertum est, ut tu tuum aperires pro Christo, ubi illum hospitio reciperes. Ne id pro te; sed pro eo affectes, sit ipse thesaurus tuus, & omne tuum bonum, & sic, *Ubi erit thesaurus tuus, ibi erit cor tuum.* Tunc & cor, & thesaurum verè possidebis; utroque autem absque eo spoliaberis. Te igitur dispone, ò anima mea, ad Passionis Christi dolores præsentandos. Attende, quod si in Jacob exequiis, tantum doloris sensum præ se tulerint ejus filii, quidnam Jacobo, Christoque nostro debeatur? Si item Jacobo sint illacrymati, cum ipse sit, qui cum populo Domini in Ægyptum ingressus est: quanto magis descendendus est, qui manibus, brachiisque propriis, in ipsa adeò cruce expansis, à tali eum servitute eripuit. Ut igitur ex Ægypto eripiamur, *accingere cilicio*; & ad id præstandum hoc in sacro tempore gratiam Domini efflagita.

ADDITIO.

1. Quemadmodum fur lautis verberibus cæditur, furto pendente de collo ejus, ut facinorum suorum haud immemor, amplius confundatur. Sic, caput cineribus conspergere tibi imperatur, ut ea, quæ toto anno commiseris, in memoriam revoces, cum tantam in eo cumuleris vanitatem, sicque confusus poenitentiam agere valeas:

Psal. 1. Non sic impii, non sic.

2. Quia in Evangelio valida medicina tibi disponitur, prius mortis recordatione syrurus tibi porrigitur epotandus.

3. Si à Spiritu sancto cupis regi, jejuniis tibi vacare oportet; idem enim & ipsi Apostoli exemplo te docuere: *Jejunantibus illis, dixit Spiritus sanctus, &c.*

4. Falsa ab hypocritis pecunia conficitur, quod legibus severissimè puniendum est: estque velatus Lucifer hypocrita; quod enim est solius Dei, sibi ipsi appropriat.

Miserandum profectò id genus hominum est, qui hoc in seculo malam ducentes vitam, pejorem in alio experiuntur.

Hocce tempus ad Christi exequias celebrandas est consignatum: *Ecce nunc tempus acceptabile, &c.* Si triginta diebus Israëlæ Moysen desseverint; quid mirum, quòd cum Christo quadraginta lacrymemur. Populum ex Ægypto eduxit Moyses; sed Christus nos ex avernalibus antris eripuit. Ad victoriam referendam manus extollebat Moyses, sed suas Christus Cruci infixerat. Lymphas è lapide Moyses elicuit: sed Christus aquam, & ipsum adeò sanguinem, è latere suo emisit. Igitur dedecora, quibus hoc tempore Christus afficitur veluti propria reputemus: *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo JESU.*

Magnum profectò terrorem ille Rex incuteret, qui subditis in Curiam vocatis, aliud nihil proponeret, nisi quod omnes mortis reos essent, eisque esse moriendum. Idem hâc die præstat Ecclesia; ad curiam convocat: *Canite tubâ in Sion, &c.* Quod autem proponit est: *Memento homo, &c.*

MEDITATIO XXIX.

Pro Feria quinta Cinerum.

PARS PRIMA.

1. Oratio præparatoria solita.

Historia: *Cum introisset JESUS Capharnaum, Matth. 8. Dominum per poenitentiam flectere ad Misericordiam nititur Ecclesia: Flagella iracundia, quæ pro peccatis nostris meremur, averte.* Hoc idem efflagitabimus.

3. Loci compositio fiet, considerando, quomodo Christus Capharnaum ingreditur, utque eum supplicatum accedit Centurio, ut miraculorum gratiâ servum sanare dignetur, &c.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum, quænam Centurionis hujus fides, tot, tamque egregiis virtutibus adornata; ut Fide solâ, nisi charitatis operibus stipata haud contenti vivamus. Quod idem hic Centurio præstitit, qui oratione apud Christum adhibitâ, magnam præ se tulit humilitatem, dicens: *Non sum dignus, &c.* Christi potentiæ notitiam habuit, dum diceret: *Dico huic vade, & vadit.* Perpendendum item, ut Dominus Centurionem deprædicet, propter Fidem, quam ipsemet illi tribuerat; quòd si is, qui eâ donatur, adeò laudatus sit, quanto majori laude dignus est qui eam elargitur. Hincque ingratitude, quâ in hoc donum ferimur, colligenda, ut de hac doleamus, nosque in posterum gratos reddamus: hæc item verba adnotanda sunt: *Domine, non sum dignus, &c.* Ut id potissimum me con-

fundat, quod Christo molestum esse miles vereretur, & ego peccatis meis eum continuò divexam: quamobrem mihi objur-gari posset: *Usquequò patiar vos?*

2. Considerandum, ut dicat Christus: *E-go veniam*, &c. Quis est, qui venit? Ad quid venit, quid ipsi ejus constat Adventus, quidque ex eo consequitur? Et tandem considerandum, absque eo nullam salutem patere viam. O quanta foret paraly-sis, cœcitas, & lepra nostra, si ipse non advenisset. Item, nunc advertendum, quod tum ibi adventus ejus gratè exceptus sit, cum necessarius ad eò exstiterit; quam-que parum hocce tempore spiritualis ad-ventus ejus dignoscatur, parumque ad eò ipsi gratificetur: è quibus omnibus dolo-rem, & notitiam ad frugem meliorem eli-ciam.

3. Considerandum, quomodo *sit sanatus puer in illa hora*; quoque in statu miser, ac salute, ipsaque ad eò vitâ carens peccator versetur; *Abominabilis sicut ea, qua dilexit*: ut in beata illa hora, qua peccatum per absolutionem ipsi remittitur, ex abomi-nanda deformitate omnem decoris for-mam recuperet, & paralyticus currat, cœ-cusque videat? &c. Notitiæ meæ defe-ctui illacrymabor, quòd ad eò parvi fece-rim tot vices, quibus me sanaturus Deus accesserit, & de novo aliquod præstabo servitium, ut de tot, tantisque miserationibus gratum me exhibeam. Item, si in-crassatus paralyticus meæ vapor haud resol-vatur: id eò fit, quòd præfato Centurio-ni haudquaquam assimiler, ejusque devo-tionis cum tempore meo comparatione factâ, dolorem consequar.

P A R S T E R T I A.

Colloquium.

Timor & tremor venerunt super me. Hinc enim video, quòd *non sum dignus*, Domine, *ut intres sub tectum meum*, &c. Et inde, si ad meam ocyus animam non advoles, quid de ea fiet? salus nulla, vita nulla, bonum-que sine te cum sit nullum, *quid faciam miser? quid faciam? ibo ad Deum altissimum, qui benefecit mihi.* Dicamque: *Domine, puer meus (id est, cor meum) jacet in domo paraly-ticus*: absque ullo amoris motu; illius ja-cturam perpeffus sum; quare supplex te rogo: *Tantum dic verbo, & sanabitur cor meum.* Cumque liberum se à paralyti, qua passionum vinculis colligatur, adverterit, statim excitabitur, & amoris actibus Crea-torem suum prosequetur, dicens: *Quid mihi est in Calo, & à te quid volui super ter-ram?*

M E D I T A T I O XXX.

Feria sexta Cinerum.

P A R S P R I M A.

Oratio præparatoria solita.

Historia: *Audistis, quia dictum est, &c.*
Quod Ecclesia petit, favor est, ut corporalia jejunia suscipientes, mentem quoque & spiritum excitemus.

S E C U N D A P A R S.

Considerandum, quid dicant, aut agant &c. Quod satis conspicuum est in super-ni Medici sapientiâ, qui ad ægri levamen, & ut medicinam ignoscendi inimicis ab-sorbere, & ferre valeat, in memoriam reducit; *ut sitis filii Patris vestri, &c.* Præ-ter hæc à fortiori argumentandum: Quia si supremus Dominus, nullâ honorum ampliorum necessitate compulsus, gre-vioribusque, quibus offenditur, crimini-bus, non obstantibus: *Solum suum oriri fa-cit super, &c.* Quantò arctiori obligatione id præstare compellitur is, qui ut veniam impetret, aliis quoque parcere debet: cu-jus poena, qualicumque inde injuriâ affi-ciatur, comparatione illius, quæ creato-ri illata est, nullius penè momenti existit. Hanc tandem sententiam studiosè in cor-de meo recondam: *Estote perfecti, &c.* ut quantis teneat, perspiciam, & timeam, quòd ea parum ad eò perpenderim, minuf-que exercuerim.

Considerandum, quantæ is argueretur stultitiæ, qui rogatu carnificis id ageret, quod Regis supplicatione exequi renuisset. Id enim verò fit à peccatore, qui cælesti Rege abnegato, avernalis carnificis Satha-næ rogatu, inimicos suos Mundum, Car-nem, & dæmona amare non dubitat. Item perpendendum, quantò magis ar-duum sit primum, quàm secundum. Gra-ve enim omninò est id amare, ex quo æter-na mors consequatur; sed in id fieri, quod ad vitam perducit æternam, suavif-simum est.

Perpendendum quanta res sit, Domi-ni benignitatem magni æstimare, eam-que, ut par est, laudibus summis efferre, his tamen non obstantibus, eam domi tuæ intueri noluisse: quod si hoc virtuti tri-buatur, cur eam non admittis? Si verò virtutem non reputes, quid eam depra-dicas? *Va duplici corde!* Timebo itaque ne sim inter eos, *qui ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant.*

T E R T I A P A R S.

Colloquium.

Domine, summè dolendum est, dæmo-nem reperire, à quo diligatur, cum dili-gentis sit infensissimus hostis; homines ve-rò persequentibus se, ignoscere nolle;

(ex

(ex quo magnum gloriæ augmentum reportarent.) Valdè timeo, Domine, ne de nobis dixeris, quod olim de aliis effatus es: *Populus hic labiis me honorat, &c.* Tuam laudamus misericordiam. Pudet, quàm parvum referunt indè fructum mortales; premium, quo Protomartyrem Stephanum affeceris conspicientes, eò quòd pro persequentibus se, preces Deo fuderit, quàmque adèd nihili faciunt iidem suavissima illa verba, in Cruce prolata: *Pater ignosce illis, &c.* Induratis cordibus lumen tribue, Domine, ut videant eam bonam & laudabilem esse vindictam, quam æmulis suis, iis ignoscentes, pro eisque orantes, exhibent. Suos enim hostes charitatis ignibus comburunt; *Carbones congeres super caput, &c.* Addo, si in lethali peccato vita fungatur hostis, perire ipsum in sanguine peccatoris: Si verò convertatur, non dubium, quin veniam petierit, suumque cognoverit errorem, abundantiam satisfactione peractâ. Noverunt itaque multi gravia haud esse mandata tua, quin potius singas laborem in præcepto, ut tibi obediant, teque ament in æternum.

MEDITATIO XXXI.

Pro primo Sabbatho post Cineres.

PRIMA PARS.

1. Oratio præparatoria eadem est.
2. Historia: *Cum serò esset, &c.* Marc. 6. Quod Ecclesia efflagitat, est favor, & gratia ad jejunii solemnitatem, utque ipso mediante, ab infirmitatibus nostris relevemur.
3. Loci compositio, in mentem revocandi sunt labores, quibus Apostoli in fluctuantis maris discrimineangebantur, & auxilium, quod in Adventu suo tribuit Christus ipsis.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum quid dicant, vel agant personæ, &c. Quod fieri potest, perpendendo uti Christus, in desertum oraturus, solus secesserit. Ut item tenebræ, & pericula, Christo cum Discipulis non adstante, suborta sint; utque in angustiarum tempore adveniat: quâ item vi polleat Adventus ejus; quandoquidem Divus Petrus rogaverit, ut sese vocaret, ac super aquas, ambulandi facultatem concederet. Item, fructus Adventus illius; omnia enim pacata sunt: *Et ipsi adoraverunt eum, &c.*
2. Perpendendum, uti Discipuli, Christum ab ipsis distantem, phantasma arbitrarentur. Sic peccatores, Christo ab ipsis remoto, injurias remittere, voluntatemque mortificare, phantasmata esse arbitrantur, &c. Sed ii, qui sine intermissione clamitant, sancti Petri animo atque Fide pollent, tribulationum aquas superant,

Dei quoque Filium cognoscunt, & reverentur.

Considerandum, quomodò Christus à 3. navicula discedere velle videretur. Idem etiamnum afflicto, tribulationumque tempestate agitato contingit: Christus enim solatium differens, recedere videtur; sed hæc omnia facit ad majus bonum nostrum: magnam etenim in laboribus coronam adipiscimur, licetque discedere videatur, non discedit: *Quia cum ipso (inquit) sum in tribulatione.*

TERTIA PARS.

Colloquium.

Quàm bene de te dicitur, Domine, quòd sis *adjutor in tribulationibus, qua invennerunt nos nimis*: quandoquidem adèd diligenter in laboribus subvenias. Et advertito, quòd licet longè discedere videaris; attamen in tribulatione justus nunquam non interes. Concede, Domine, ut propterea te cognoscere valeam, ut te laudem, tribulationesque meas patienter tolem: quandoquidem levamine dilato, majus indè præmium subsequatur. Benedicta sit misericordia, sapientia, æternaque tua bonitas, in secula seculorum. Amen.

MEDITATIO XXXII.

Dominica prima Quadragesima.

PARS PRIMA.

Oratio præparatoria eadem est. 1.
Historia: *Ductus est Jesus in desertum, &c.* Matth. 4. Quod Ecclesia petit, est conscientia puritas per jejunium & bona opera.

Compositio loci; Christus in deserto solus, pro me jejunans & orans considerandus. 3.

PARS SECUNDA.

Considerandum, quo pacto Christus in 1. desertum se conferat jejunaturus, ad meam gulam, propter tantam exiguam, quam de jejunio curam habeo confundendam. Christus item in eremo, inter ipsas feras versatur, ab hisque pro indolis suæ more reverenter timetur: posteaque homines inter conversans, ab ipsis cruci affigitur: ut hinc colligi possit, quòd magis ferum cor hominis peccatoris existat. Ut item in deserto Dominum tentaverint Israëlita, ejusque clementia in desertum pro ipsis satisfactorius secedat. Item perpendam, uti insidia ac tentationes dæmonis sint gula, superbia, & cupiditas, ut ab iis custodiar. Advertam item, quomodò tentationis superior Christus evadat, dicens: *Non in solo pane vivit homo, &c. Non tentabis Dominum, &c.* Ita, ut tota victoria pendeat ex eo abrogando, quod dæmon præterdit. Uti item, ad institutum suum scri-

pturas citet dæmon, ut ab iis, qui eas in eundem finem producant, mihi caveam, nullumque alium sensum admittam, præterquam eum, quem Ecclesia Orthodoxa Romana sectatur.

2. Perpendendum, ut à Davide nostro avernalis Goliath, suomet gladio interfectus sit. Ut idem in ejus tentationibus peragam: utque suggerat, quod lapides in panem transformem. Oblatam enim edulii etiam opportunam possessione, gulæ tentatio subsequi potest, homoque facilius concuti: hinc occasiones esse vitandas, colligendum. Si item Christum in dubio, quod habebat dæmon an Dei Filius esset, in deserto tentaverit, quid ni idem helluonibus faciat, qui ipsius Luciferi filii maledictionis sunt. Item perpendendum, quantos dæmon debellaverit ipsis talia exhibens: *In manibus portabunt te*: An putas tibi à mortalibus esse applaudendum, & servendum, quod ambitionem, futilisque gloriæ vanitatem à te abroges? Quod lignum est quo peccatores cremare assolet.

3. Considerandum, ut Angeli, victoriâ reportatâ, *ei ministrarent*, vel quàm meritò hunc versum decantare valerent: *Super aspidem & Basiliscum ambulabis*. Quantis item laudibus in cœlis personant, dum à justo, Christi favente gratiâ, superatâ tentatione triumphatur. Confusionem hauriam de tot vicibus, quibus hujus Christi gloriæ causa effici potuissim, cum mediantibus peccatis meis, contrarium omninò acciderit: enimverò debilitatem meam dæmones potius derisere, dicentes: *Hæcine est urbs perfecti decoris?*

TERTIA PARS.

Colloquium.

Quid eloquar, Domine? quod in Natalibus tuis ab asino cognosci te videam; & in deserto te feras inter advertam, & te tuæ dignoscant creaturæ? Quod te non noscat dæmon, non ita miror, cum te cognoscere, tibi que obedire renuerit à mundi principio. Verum, quod ab homine non dignoscaris, qui tanta pro eo patre veris, hoc unum miror. Sed quid de tua Bonitate proferam, quandoquidem Rex cum mancipio ad campum egrediatur, ut ipsum conculcare & ipse doceat. Tribue, Domine, ut quæ ipsi tormenta, propter audaciam ejus inflixeris, percipiam, pœnasque tuas reverear: ipse enim ad intentum suum, ut lapides in panem converteres, te rogaverat, & in hujus solutionem ad institutum tuum, nostrumque profectum, lapides nostros in Panem transformasti, indurata corda nempe emolliens, taliaque ea reddens, ut comedi possent,

juxta illud sancti Ignatii: *Fruentum ego Dei*, &c. O Domine, hanc petram in panem convertas, hanc cordis mei emollias duritiem, ut amoris tui dulcedine, omnis creaturarum affectus mihi reddatur amarus, eoque tentationum merear reportare victoriam, ut tuam gratiam dicere possim: *Persequar inimicos meos, & non convertar donec deficiant.*

Feria secunda, post Primam Dominicam, ut in Dominica Prima Adventus, supra. Meditationis repetitio.

MEDITATIO XXXIII.

Feria Tertia post Primam Dominicam.

PRIMA PARS.

Oratio Præparatoria, &c.

1. Historia: *Cum intrasset JESVS, &c.* 2. Math. 21. Quod Ecclesia petit, est: *Respicce, Domine, familiam tuam, &c.*

3. Loci compositio: In Civitate Hierosolymitana Christus est considerandus.

SECUNDA PARS.

1. Perpendendum quid dicant, vel agant personæ, &c. Uti in Christo videre est, qui ad Templum festinanter advolat, plebsque in ejus adventu eum collaudet, ut idem in adventu spirituali in animam præstare valeamus. Ea de re, ipso Davidis apparatu, præparandi sumus: *Psallam, & intelligam in via immaculata, quando venies ad me.* Perpendendum item, ut Pharisei indignentur, ne mirer, si Pharisei justis insidientur, quandoquidem ipsummet Christum fuerint persecuti: ut item è Templo avaritiam expellat, cum nec adulteram, nec alios peccatores ita profligarit, sicut eos, qui in Templo negotiabantur: ut ostenderet, quanto majori supplicio sint digni qui pro munere, quo funguntur, ad ejus domum propius spectant, & opere & munditiâ ad eam minus attinere videntur. Quomodò item orationem deprædicet, ut ejus ego studiosus sim: *Domus mea, domus orationis, &c.* & Templo cum reverentia valeam assistere.

2. Considerandum, an in ingressu spirituali Christi in animam meam, hæc indicia, quæ optima sunt, experiar; primò spiritus communionem, devotionem, vitæque transmutationem, ut de Saulo dicitur: *Quod mutatus est in virum alterum, &c.* Quod si hæc indicia in me non advertam, vel qualia ego desiderarem, videlicet ut è superbo humilis, & ex guloso abstinens fiam: doloris sensum eliciam, majoremque ad Dominum in animam meam excipiendum, apparatus adhibebo.

3. Considerandum, an antiquus homo, qui est persecutor, & Phariseus noster, indignetur, an contentus vivat: & si in-

dignatus sit, ipsique emendi ac vendendi sollicitudines tollantur, animaque domus orationis gratiarum Domino effecta sit, bonum signum est: verum si antiquus homo novum non induat, omniaque vetera ipsi arrideant, nulloque flagro, aut oratione exerceatur; tum enim verò timeat, quia animam illius Dominus haud subiit, nec qualiscumque devotionis sensitivæ commotioni omninò confidat, sed internam charitatem procuret cum cæteris omnibus, quæ ad Christi introitum requiruntur. Etenim de fructibus meliùs, quàm de cogitatis, profertur iudicium.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Quomodo te in animam meam accersam, Domine, quandoquidem latronum speluncam effectam esse advertam, & si columbas de templo ejicis, quid de viperis, & serpentibus, quibus scatet cor meum, facturus es? Pueri Hebræi me totum rubore suffundunt, Domine: assumptis enim frondibus te susceperunt, tibi que in ingressu tuo bene imprecati sunt: *Et ego factus sum sicut vas perditum*; qui nec adventum tuum agnosco, nec discessum tuum sentio. *Jesv, Fili David miserere mei; adjuva me*, ut in ingressu tuo viscera mea moveantur, atque emolliantur: dicant sensus mei, & potentia: *Quis est hic*: flagellum accipe, quandoquidem *flagellas filium, quem diligis*: ementes & vendentes ejice, punitusque sit homo antiquus, ut novus dicere valeat: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, &c.

MEDITATIO XXXIV.

Pro Feria quarta post primam Dominicam Quadragesimæ.

PRIMA PARS.

1. Oratio præparatoria eadem est.
2. Historia: *Responderunt Jesv quidam de Scribis, &c. Matth. 12.* Petitio est, ut opem ferat nobis Deus contra hostes & contrarios.
3. Compositio loci, revocandum in memoriam, quomodo Scribas, & Pharisæos audiat Christus, qui signa petunt.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum, quid dicatur, vel agatur à personis, &c. Notandumque, quomodo tempus ab Evangelio præscribatur, dicente *tunc*, ut ostendat, quòd postquam adèd sublimeret exposuisset, quemadmodum Christus *Demonium ejicere dignatus fuerat*, &c. Tempore opportuno, quo illum adorare debuissent Pharisæi, *Tunc volunt signum videre*, quasi nulla hætenus perpetrasset. Quanta itèr res sit cum Christo conversari, ab eo que aliquid erogare; qui

cùm adèd nequam isti existerent, ut nullum responsum mererentur; iis tamen signum exhibet; generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ, sicut enim fuit Jonas in ventre Ceti tribus diebus & tribus noctibus: sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. In quo amorem suum indicabat, quòd nempè lateret in corde terræ; potentiam, quòd ex illa erumperet; bonitatem verò, quòd priusquam ista contingerent, quòd faciliùs ab iis perciperentur, indicaret. Item Jonæ concionem (quæ Ninivitæ in tantam pœnitentiam inducti sunt) cùm Filii Dei concione (quæ adèd nihil stimulator) conferens, timore percelli conabor. Quodque Regina Austri ad Salomonem audiendum tanta peregerit, quàm verò parùm à me ad Christi audiendam doctrinam præstetur, mihi metipsi illacrymabor, ut Christus *super Jerusalem, &c. ploravit*.

Considerandum est cum dolore, quòd Jonas nullo prorsùs damno accepto, à grandi Cete evomatur. At ego longè deterioriùs, quàm ipsum Cete peccatis meis facior: nam Christum, propter peccata mea tam atrociter cæsum, totumque spiritualiter vulneratum ejicio: cùm ipse vulnera adèd tenerè pro me admiserit, ut me à ventre Ceti, qui diabolus est, eriperet.

Considerandum, quàm miranda res fuerit, quòd cum Jonam Cetum jam absorpisset; eum tamen vivum evomuerit; sed quanto excellentiori beneficio me donavit Deus, quem cùm jam jam spiritualiter vorasset dæmon, avertit, ne vitam corporalem, spirituali jam consumptâ, penitus absorberet. Quodque toties me evomuerit, quoties per gratiam factum est, ut mihi parceretur; magna ea fuit profectò misericordia; ipsi gratias rependam; hocque signum in maximi amoris signum habebò.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Si multa pro Jona egeris, Domine, cùm temporali saluti eum restitueris; longè majora pro me operatus es, cùm me restituis tuæ gratiæ. Ille enim *Oravit in ventre Ceti*, at ego *in ventre Ceti* commorari delectabar, effusisque cachinnis orantes deridebam. Quid dicam, Domine, qui ut cor meum à terrenis averteres, te ipsum passus es esse *in corde terra*: quodnam peccus non molliatur, hoc amoris egregio signo, quo prosequeris eos, qui responsum non merebantur; transforma me in te, Domine, ne mecum, sed cum tuâ benignitate agere possim, & quemadmodum cor ter-

ræ in mansionem aliquando assumpseris; hoc meum cor in eam suscipe: id enim rectum futurum est, cum plenam obtinueris illius possessionem.

MEDITATIO XXXV.

Pro Feria quinta post primam Dominicam.

PARS PRIMA.

Oratio preparatoria eadem est.

1. Historia: *Egressus JESVS secessit, &c.*
2. Matth. 15. Quod Ecclesia petit est, ut ex corporali abstinentiâ bonorum operum fructus oriatur.
3. Loci compositio, menti obijciendum, ut CHRISTVS peregrè proficisceretur, ut item ad misericordiam suam præmonstrandam peragrarè haud dedignaretur.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum quomodò Chananea egrediatur, ad id consequendum, quod efflagitat; Christusque Tyrum & Sidonem se conferat, ut suo adventu peccatori medeatur, ita ut hæc duo necessaria sint ad hominis per peccatum à dæmone obsecssi, salutem consequendam. Item hic orare edocemur: non enim quantumvis non audita hæc mulier ab oratione desistit. Dejecta item, & correpta à Domino se agnoscit, & deprimitur, & de eadem correptione fructum defert. Ut hinc colligamus, ex labore, Domini que correptione misericordiam iis suboriri, qui progressum referre cupiunt.
2. Perpendendum; quòd si mulier hæc exaudita sit, ejusque ei concessa sit petitio, idèò contigisse, quia è domo suâ dæmonem expelli rogaret; si verò alii non audiantur: idèò sit, quod res nonnunquam postulent, quibus Sathanas in domum accersitur, ut sunt opes, oblectamenta, &c.
3. Considerandum, quomodò Christus in eâ adimpleverit, quod à lege præcipiebatur; tum postea annuerit: *Eum, qui venit ad me non ejiciam foras.* Utque idèò quæ se rogarat, non statim concesserit Christus, ut multò magis deindè elargiretur: ejus namquè patientiam, obedientiam, & fidem laureâ insigniit; ut hinc consolationem; roborque referamus, si quandoque quod petimus, non statim consequamur.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Quis te sequi prætermitteret, Domine? Quis è domo suâ clamans, misericordiamque erogans, te insecuturus non egrediretur? Quandoquidem adèò magnam iis rependas, qui te illam efflagitant, ut ad eam majorem efficiendam sapientiâ tuâ modum investiges, quæ considerantibus stuporem immittit. Corripiendo demulces, & consolaris, & si exteriùs rigorem præ-

te feras, misericordiæ tuæ viscera aperta habes iis, qui te cum animi demissione invocant; ita ut in tribulatione robor, fidem in petitione, perseverantiâque in oratione elargiaris; & tandem amplius quàm rogeris, retribuas. Benedictus sis, Domine JESV *miserere mei; nam & catelli, &c.*

MEDITATIO XXXVI.

Pro Feria sexta post primam Dominicam.

PARS PRIMA.

Oratio preparatoria, &c.

1. Historia: *Erat dies festus Judæorum, &c.*
2. Joan. 5. Petit Ecclesia: *Esto Domine propitius plebi tuæ, &c.*

Loci compositio, menti obijciendum, uti Christus Dominus noster à Galilæâ in Hierusalem, eò quòd esset Festum, conscenderit.

SECUNDA PARS.

Considerandum, uti Paralyticus triginta & octo annorum spatium in ægritudine contriverit, tantoque tempore juxta piscinam steterit, nullo omninò sublevante solatio: Christus verò eum ad salutem haud rogatus invitat. Item, ut Christus, non obstante murmure, quod à Pharisæis suscitandum præsciebat eum sanare, bonumque opus præstare, non prætermittat. Item, ut eum sanet, à quo ignorabatur, quemadmodum in dies singulos peragit. Hincque confusionem eliciam, considerans, quoties me sanitati restituerit, & quàm parum eum cognoscam. Item, ut miraculo peracto, à turbâ declinarit, ut omnibus præstaret exemplum vanæ gloriæ occasiones relinquendi. Notanda item sunt hæc verba: *Ecce sanus factus es, &c.* Ad percipiendum, quemadmodum ob peccata castigationes suboriantur, timeboque ne deterius mihi contingat, uti Pharaoni, cui indies plagæ adaugebantur.

Perpendenda differentia, quæ occurrit 2. inter salutem, quæ in Piscinâ, res quantumvis esset cælestis, & omninò admiranda, mirumque infirmis remedium redderetur, & amuletum, quod Paralytico Christus præstitit: in illâ enim triginta & octo annis integris remansit; hinc verò sanitati confestim redditur, hoc solum dicto: *Tolle gravatum tuum.* Piscinam cæli Angelus movebat; Paralytici autem Piscinam movevit qui fecit Angelos suos spiritus, illic *secundum tempus*; hic verò *in quâcumque hora peccator ingemuerit*: ut hinc gratiarum actiones eliciam: *Quia non sic factum est omni nationi.*

Peccatoris miseria consideranda, qui 3. cum egregium adèò pharvacum, & Medicum habeat, non petat, imò nec cupiat salutem: quamobrem hic Paralyticus in iudicio

dicio adversus eum assurgat, eò quòd tanto tempore Angelum limpharum motorem præstolatus sit; at quantumcumque ab Angelo custode moveatur, inspiretur, tangatur peccator, non proindè tamen pectoris ejus limphæ commoventur, ut in eas per pœnitentiam demersus, scelerum suorum recipiat medelam.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Agnosco, Domine, Naaman idèd sanatum esse, quòd Elisæi consilium amplexus sit, qui in Jordane lotus, à leprâ suâ est emundatus: & ego peccator, leprosus, & paralyticus, tuum consilium, & hoc quidem mihi adèd salutare, acceptare recuso: ideoquæ ut canis rabidus ab aquis pœnitentiæ refugio, & adverto nullam, quantâcumque magnitudine, vel pondere polleat, esse navis molem, quam rudentibus in aquas non deturbem. Ego solus ille sum, *qui factus sum mihi met ipsi gravis*, ut nec judiciorum, neque adèd beneficiorum tuorum rudentes, cum adèd fortes sint & validi, me in aquas deducant: & quod deterius est, quòd commotis ab Angelo malo cordis mei limphis, confestim iis ad natandum immergor, ita ut eas, quæ me ad usque totalem ruinam immergunt, sequar; & illas, quæ vitam impertuntur, adire renuam. Tu, qui viventium vita es, Domine; *compelle me intrare in aquas*: aquarum tuarum dulcedinem, sicut & mearum amaritudinem cognoscam ego, ne ira tua in me irruat, ut de populo tuo dixisti: *Pro eo quod abjecit populus meus aquas Siloë, quæ vadunt cum silentio; propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes & multas, & fluat super omnes ripas ejus, & ibit per Judam inundans.*

MEDITATIO XXXVII.

Pro Sabbatho post primam Dominicam.

PARS PRIMA.

1. Oratio Præparatoria est eadem.
2. Historia: *Assumpsit Jesus Petrum, &c. Matth. 17. Et oratio Ecclesiæ: Deus, qui conspicias omni nos virtute destitui, &c.*
3. Compositio loci; Christus in Monte transfiguratus, & Moyse, Elias, cæteri quæ Apostoli, in memoriam revocandi.

SECUNDA PARS.

1. Perpendendum, quomodò Apostolis, & quidem paucis, secretò communicet dominus suæ gloriæ splendorem in monte Tabor; ignominias autem publicitùs in monte Calvariæ: ut hinc discamus humilitatis exemplum. Item, quomodò præveniat Discipulos, ut in tempore Calvariæ meminerint splendoris in Tabor. Item, sicut à sancto Luca dicitur, quod Divus

Petrus ignoraret quid peteret, cum Tabernaculum, mansionemque in terra flagitaret. Quid de illo fiet, qui eam in illa affectat absque Christo, &c. Perpendenda item testium, quos secum adducit Christus, differentia, ad veritatem suam propalanda, utque mundus de hominè mortuo, qui testificare prætermittit, testem proferre haud potest. Ut item Dei misericordiæ, ac dona, timori sancto immisceantur, quibus magnitudinis ejus majestas elucefcit.

Perpendendum, ut gloriam suam manifestans, de Passione sua pertractet, deque excessu, *quem complexurus, &c.* Ut mortales confunderet, qui inter vanam gloriæ suæ ventilationem, passionum suarum haud recordantur, immemores quod præter cinerem, pulveremque omnino nihil sint. Ut item, quod gloriæ ejus in monte Tabor decus ostensum sit, sed brevi spatio temporis; ut nobis persuasum sit, vitæ hujus decursum multis peragendum tribulationibus, longioresque consolationes expectandas in æternitate.

Considerandum, quid tum peccatori faciendum erit, dum in morte punietur, eò quòd Dei Filio sese surdum effinixerit, cum & ipsi Apostoli dulcisonam Patris audientes vocem, quæ Filium eis manifestum reddebat, ut eum audirent, *timuerint valde, &c.*

TERTIA PARS.

Colloquium.

Mundi hujus transitum apprimè calleo, Domine, dum in eo gloriam tuam haud velis ostentare; *nisi per modum transeuntis*: & hoc, ut Discipulis tuis animum, roburque ingeras; teque & ament, & vereantur. Hoc à te illi ediscant, penes quos in terrâ est dominium, (ne scilicet potentiam, & opes ostentent, nisi in quantum majori gloriæ tuæ vertitur,) tales præficere ministros, qui tuo consilio regantur, actè diligant. Sed quid agam, Domine, cum Apostolos tuos, medias inter lætities prostratos videam. Quid in Tribunalis tui reverentia faciam, Domine? O Rex gloriæ range me, ut & eos contigisti! Sitque in signum, quod neminem videam in omnibus, quæ acturus, aut dicturus sum, nisi pro te; te alloquar, & pro te fileam, te oculi mei præsentem statuam, ut nihil aliud videant, nec cupiant *in secula seculorum. Amen.*

MEDITATIO XXXVIII.

Pro Dominica secunda.

Repetitio ejusdem Meditationis Sabbathi præcedentia:
Feria secunda post Dominicam secundam.

PARS PRIMA.

1. Oratio Præparatoria eadem est.
2. Historia: *Ego vado, & quæretis me, &c. Joan. 8. Oratio Ecclesiæ: præsta quæsumus, &c.*

M m Lo

3. Loci compositio, Christus menti ob-
ciendus, alloquens, & corripuens eos, qui
in populo erant cervicis duræ, & per-
vicacis.

S E C V N D A P A R S.

1. Considerandum, quemadmodum Chri-
stus Medici officium assumat, illusionem
ægro auferens; quod si non credat, in
peccato morietur. Ut item, ad creden-
dum operum desit dispositio, quod ad
Christum minimè se conferat: sicque
longè differt: *Quia Christus de superis, vos
deorsum; vos de mundo, Christus non de mundo,*
&c. Hinc colligam, quàm horrendum sit
mori in peccato; siquidem in eo vivere,
per servitutem sit mori. Ut item Medici
consilia flocci faciant peccatores, cum di-
cant: *Numquid interficiet semetipsum?* Sic-
que merentur, *ut videntes non videant, nec
convertantur, & sanentur.* Ex his consilium
sumam, ut quæ in Christi nomine dicun-
tur, & videam, & agnoscam: si enim hæc
irrideo, tempus veniet, quò doleam.
Considerandæ item vices, quibus Christi
consilia rejeci, atque contempsi: in his
enim Phariseorum similis effectus sum; O
si quam in Medici corporalis consiliis ser-
vandis diligentiam adhibui, ad Christi
consilia fervanda impendissem, quàm alius
nunc existerem!

2. Perpendendum, ut dicat Christus: *Ego
vado;* Ad quid vadit? & quo pacto vadit,
&c. Præterea perpendam, quò & ego va-
dam; sed quo modo vadam, ad quem va-
dam, & pro quo vadam, &c. Meas &
Christi vias considerando, advertam, an si
sim ex mundo, vel certè hunc oderim.

3. Perpendendum uti Christus adusque
Crucis patibulum sui distulit notitiam ali-
quibus qui sic inibi dixere: *Verè filius Dei
est,* inibi eum & latro cognovit, &c. ut-
que si cognosci prætermittatur, fieri ideò,
quod ad crucem accedere renuat peccator.
Ejus enim maceratio, quisnam ille sit,
manifestat, quam ob causam nec hæreti-
ci, nec peccatores eum, ut debent, cog-
noscent.

T E R T I A P A R S.

Colloquium.

Abyssus abyssum invocat, Domine; miran-
dæ tuæ sapientiæ non est vadium. Enim-
verò Israëlitarum Deum in Patrem habere
gloriabantur; te autem filium ejus dum
viveres non existimabant: at ibi in Calva-
ria quis tu, quænam verò creaturæ essent,
eædem ipsæ indicarunt. Benedicta sit sa-
pientia tua, Domine, debilitatem meam
agnosco; & cum locus crucis, ac pœni-
tentiae locus sit notitiæ, gravis ad Cal-
variam subeundum efficior: *Ea propter*

trahere me post te, ut inibi te cognoscam,
inibi te amem, atque adorem. Et quem-
admodum propter peccata mea nunc dico:
A me ipso facio nihil; in quantum in peccati
nihil operor: gratiam elargire, ut dice-
re valeam: *A me ipso facio nihil;* in quan-
tum non ego vivo; *sed vivit in me Christus.*
Et hoc pacto: *Quæ placita sunt tibi faciam
semper,* &c.

M E D I T A T I O XXXIX.

Feria tertia post primam Dominicam.

P R I M A P A R S.

Oratio præparatoria eadem est.

Historia: *Super Cathedram Moysi, &c.* 1.
Matth. 23. Petit Ecclesia medicamenta ad 2.
infirmittates nostras sublevandas, *ut remis-
sione perceptâ in tuâ,* &c.

Compositio loci; in memoriam revo- 3.
candum, ut turbas & Discipulos doceret
Christus, unicuique, quod opus esset, tri-
buens.

S E C V N D A P A R S.

Considerandum, quid dicant, vel agant 1.
personæ, &c. Ex his, quæ dicit Christus
sequitur, nullam illis valere excusationem,
qui suis Præsulibus obedientiam præstare
prætermiserunt. Item hujus causa: *Quia
unus est Magister vester;* quæque à Christo
traduntur, recipienda sunt: quare *qui vos
spernit, me spernit;* quæ omnia in hæreti-
corum omnium, refractariorum, malo-
rumque Christianorum totalem ostendit
perniciem. Perpendendum item, quantæ
sit id æquitatis: si enim centum mihi co-
ronati tribuantur, non eos ideò recuso,
quòd coriaceo includantur marsupio. Sic
quoque circa doctrinæ gratiam, quàm
Dominus immittit, deberem facere:
nam eam repellere, magna sanè cæcitas
est, coriaceum quantumvis ipse, qui eam
docet, marsupium reputetur. Perpen-
dendum item, uti ter in Evangelio, hæc
Christi verba legantur: *Qui se exaltat, hu-
miliabitur,* &c. Ut ea diligenter in pe-
ctore meo custodiam, quandoquidem ad
bonum meum, utque eorum recorderer
ea toties repetierit.

Considerandum, quomodò contingat, 2.
ut in punitionem peccatorum superbus
semetipsum non cognoscat: quamobrem
dum personæ propriæ ambit æstimatio-
nem, à Deo odio habetur propter illius
superbiam, quinimò & ab hominibus; ip-
soque adeò dæmone, eum pedibus pro-
calcante, despicitur, ita ut extolli cum
cupiat, deprimatur. Ut item demissio ip-
sa, sit exaltatio: humili enim propriam
miseriam agnoscenti, quæcumque mere-
tur, superabundant, & ita ubicumque sit,
amplioribus quàm mereatur, gratiis do-
nari

Matth.
22. Luc.
14. &
18.

nari se iudicat: ea propter grates Domino rependit, eò quòd nullus in terra locus possideatur, qui munificenti Domini manu non sit concessus.

3. Considerandi item hominis superbi effectus, ut ab his me ipsum custodiam: de se enim, quòd non est, enarrat; & quòd non est, se esse arbitratur. Sicque in ipso vitæ termino illusus hæret, quia in arena structuræ suæ jecit fundamenta, & subvenientes limphæ omnia subverterunt; sed homo (quem mihi statuam imitandum) de se dicere omittit; quæ verè posset enarrare, uti fecit Baptista, qui cum Propheta esset, dicere tamen prætermisit; &c. Apostolus itidem sese Apostoli nomine indignum pronunciavit; cum tamen de Joanne dictum sit: *Inter natos mulierum non surrexit*, &c. Et de Paulo, quòd esset *Vas electionis*. Hinc diligenter in me inquiram, quidnam & ipse loquar, ut humilem insequutus, longè à superbo effugere valeam.

TERTIA PARS.

Colloquium.

O quantum tibi constat, Domine, humilitate hominem imbuere? Quantumque in ea res ejus agitur, & tamen quanta Discipulorum hic infrequentia? *Usquequo, Domine, hæc cæcitas in orbe regnabit, scilicet, superbiam attollere; & deprimere humilitatem, visâ præsertim severâ in illos justitia tua, magnaque in hos misericordia!* Quid hoc sibi vult, Domine, quòd ab infecto pestis aère adeò sibi caveant mortales; cum corruptum superbiæ ventum, qui tantò periculosior est, quantò minus dignoscitur, nihili adeò faciant? Ab hoc aère paralysis spiritualis defluit, isque partem tertiam stellarum cæli congelavit, atque aduffit. Hunc cum primùm tetigisset Adamus primus parens, sine mora ab illo mancus redditus est. *O custos oruim, tuos à tam nefanda ægritudine custodias, ut mansuetudinem tuam, cordisque tui humilitatem imitemur: per quem te tuus exaltavit Pater, deditque tibi nomen, quòd est super omne nomen, quòd sit benedictum in secula seculorum. Amen.*

MEDITATIO XL.

Pro Feria quarta post secundam Dominicam.

PARS PRIMA

1. Oratio præparatoria, &c.
2. Historia: *Ascendens Jesus Hierosolymam, &c. Matth. 20. Quòd Ecclesia petit, est: Populum tuum quem sumus Domine, &c.*
3. Loci compositio; Hierosolymitana Ascensio est imaginanda.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum quid dicant, vel agant

personæ, &c. ut videre est in Christo, qui tot & tantis se verberibus cædendum esse prænunciat, ut de ea hora dictum sit: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Quòd si Sathanæ ministris ad hoc sit concessa licentia, tu, ó peccator, qui diceris iræ filius, nec Hierosolyma conscendis, quomodo horam, quàm dæmonis potestati te tradidisti, non reformidas? Hinc magnum timorem eliccam: ex Evangelio item colligam, quàm decepti illi vivant, qui hoc in seculo suum exoptant solium, & majestatem. Item considerandum, quo tempore Christum rogaverit mater filiorum Zebedæi; quòd contingit postquam, quæ esset passurus, enarrasset: ita ut eo ipso tempore, quo Passio esset præsentienda, honores ambiantur. Ingratitudinem meam itidem flebo: is enim ego sum, qui cum vitæ hujus tempus in Christi morte defendenda, impendere debuissim, honores ambivi. Item ut in hoc, scilicet: *Potesis bibere calicem*, arbitrii libertas, bonumque, quo in nos conflatur Christus, ostenditur, in tantum, ut vires nostras conspiciere non dedignetur, *ut det cum tentatione proventum.*

Perpendendum, quæ futura sit illa dies, quæ ratio eorum à peccatore exigetur, quæ poterat, & etiamnum posset agere, si vellet; utque talia ambiret, quæ à Christo concedi non expediat. Quomodo item dæmonis calicem absorbere putet, cum sit vinum draconum, & nihilominus hianti ore illud appetat, Christi verò calicem ne quidem vellet prægustare.

Perpendendum, quomodo peccator non optimum elegerit, cum Christi calicem nequidem gustare voluerit, ad eum se ut tenebatur disponendo: quamobrem pœnæ verè sit subjiciendus, cum propinatum à quocumque poculum non recuset, soli Christo ad suavis calicis sui conpotationem invitanti non respondens.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Quid gentes dicent, Domine, quæ mysteria tua non capiunt, videntes, quòd de honoribus dicas: *Non est meum dare vobis*; calicem statim illi tribuis, qui ad eum epotandum paratum se exhibet. Sed mundus cæcitas caligine irretitus hunc caracterem non capit; illum tu explica Domine, tuisque servis indica, quòd in hac sententia; *Non est meum dare vobis*, magnum sanè iis amorem ostentas: quasi diceret, in tantum vos diligo, ut meum omnino non sit quicquam dare; quòd vobis damnosum futurum sit, neque etiam meum est honores per consanguinitatem, absque calicis meritis vobis elargiri; sed calicem dum-

modò totus sit bonus, atque utilis, mox concedo, ita, ut in hoc vos à me diligè ostendam, quòd quæ haud utilia sunt, vobis protinùs recusem, sicut & ea, quæ vobis expediunt, concedam. Temporalia negat, ut tribuat cælestia: pauca recusat, ut det multa; quare dico: Quòd *calix tuus inebrians præclarissimus est, Domine, da mihi bibere*; cùm ipse dicas: *Bibite, & inebriamini charissimi*. Ut hoc modo calicem, ac in cælesti tua mansione sedem mereri valeam. Amen.

MEDITATIO XLI.

Pro Feria quinta post secundam Dominicam.

PRIMA PARS.

1. Oratio præparatoria eadem est.
2. Historia: *Homo quidam erat dives, &c.*
3. Luc. 16. Quod Ecclesia petit, est: *Præsta nobis quaesumus, Domine, auxilium gratia tua, &c.*
3. Compositio loci; Christus menti obijciendus, populum, Discipulosque, variis modis, verbisque admirandæ doctrinæ suæ docens.

SECUNDA PARS.

1. Perpendendum quid dicant, vel agant personæ, &c. Dives splendide epulatur, superbeque ad nutum induitur croco, canibusque pauperum panem elargitur; & postea: *Sepultus est in Inferno*. Pauper item mendicus, ulceribus scatens, cadentes è mensa divitis micæ desiderat; sed postea: *Portatur ab Angelis in sinum Abrahae*; ut hinc paupertatis amorem, divitiarum verò aversionem consequamur, &c. Item ad mendicum, *Canes veniebant, & lingebant, &c.* Sed divitem a vernales, cerberique sodales molossi diris cruciatibus vulnerabunt. Ut hinc colligatur, quantò magis spiritualia, quàm corporalia vulnera sint pertimescenda. Consideranda item illa verba, eaque profundè in memoria insculpenda: *Fili recordare, &c.* Ut indè inferatur, iis, qui hic oblectamenta desiderant, nullatenùs mirum esse debere, si inibi eisdem frustrentur.
2. Considerandum, quid esset spectaculi, divitem oculos attollentem videre, *cùm esset in tormentis, & vidit*. Eheu quid vidit, dum se ipsum, aliosque circumspexit; se ipsum cum Lucifero; Lazarum verò in sinu Abrahae advertens. Considerandum item, quid petat, id nempè, quod in vita non concederet, ut Lazari digito reficeretur.
3. Considerandum, quodnam accipiat responsum; omnia enim illi denegantur, quia & ipse proximo suo pietatem, Deoque suo obedientiam recusavit: ut indè hauriamus, quantæ sit in vita excellentiæ sensuum maceratio, ne in sempiternum maceremur ac pereamus.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Luculenter apparet, Domine, quòd ii, qui *vescebantur voluptuosè amplexati sunt stercore*. Hoc exemplo fac, resipiscam, Domine; *convertantur in Infernum qui obliviscuntur Deum*. Timorem dives consequetur, ne opes suas (si de iis pauperibus non dispergat, evomere compellatur; sit autem robori, & lætitiæ misero infirmo: quandoquidem tanto majori præmio labores donentur, quanto & graviores existant. Aperiam ego hic oculos, ut beatum pauperem vocitem, cùm is proprius sit ejus titulus, utque dicam; væ diviti; quandoquidem ista verè sit ejus superscriptio; & hoc pacto petam, ut cum paupere potiùs annumerer, quàm cum divite sævis afficiat tormentis.

MEDITATIO XLII.

Pro Feria sexta post secundam Dominicam.

PARS PRIMA.

Oratio præparatoria, &c.

1. Historia: *Homo erat pater familias, qui plantavit vineam, &c.* Matth. 21. Quod Ecclesia petit: *Da quaesumus omnipotens Deus, ut sacra nos, &c.*

2. Loci compositio; Christus Phariseos docens, & corripiciens in memoriam revocandus.

SECUNDA PARS.

1. Perpendendum, quid dicatur, vel agatur à personis, &c. Ut videre est in justitia, quâ vineæ Dominus à locatoribus suis fructus exigit; quantâ autem injustitiâ eos ipsi denegent; ut dolorem consequar de tot vicibus, quibus eos suffocaverim, illumque, à quo flagitarentur, malè tractaverim. Quanto item jure Pater familias dicat: *Verebuntur Filium meum*; quàm verò injuriè ipsi proferant: *occidamus eum*. Quòd si illi ipsum agnoscentes, malè egerint, fructum denegando, quàm malè & ego nunc facio, eum non tribuendo. Si item æquum fuit, ut vinea aliis operariis traderetur, quàm itidem justum erit, ut vinea animæ peccatoris infernalibus etiam tortoribus tradatur, ut justitiæ fructum Domino retribuatur, quandoquidem frugem misericordiæ dare renuerit.

2. Perpendendum: *Cùm veneris Dominus vinea, quid sit facturus?* Dum cæcum intellectum, induratum voluntatem, eamque totam in perniciem devolutam conspiciet. Quid faciet peccator sese adeò perditum, adeoque sine fructu advertens? Et ita id videre pertimescam, quod dicitur Osee 9. *percussus est Ephraim, radix eorum excussata est, fructum nec faciet, &c. usque ibi audierunt eum, &c.*

Con-

3. Considerandum, uti quibuscumque uvis abundet vinea, nisi eæ conculcentur, nullum ex illis vinum exprimi. Sic planè animæ nostræ vinea nisi calcari patiatur, nunquam, quod Pater familias exigit, vinum tribuet. Ex quo dolorem hauriam, quòd à dæmone ad amarum vinum reddendum calcari patiar, & ad suave vinum Christo tribuendum comprimi recusem.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Quid est, Domine, quòd vineæ locatores te fructibus defraudare non dubitent, & tu pro iis persolvis? Ipsi vinum epotant, & tibi propinant acetum. Ii ad vinum reddendum calcari non ferunt: & te comprimi oportuit: ita ut dicas, *Torcular calcavi solus. Quid faciam, Domine, cum vinea Dominus venerit.* Id mihi timori vertatur, quòd Israëlitis dixisti: *Auferet ab eis regnum.* O anima mea, ne infernalibus tortoribus tradaris; attende, ut fructum tribuas, Patris familias Filium diligenter reverere; id enim percipit. Attende, ut eum in hæredem, & Dominum agnoscas. Attende, ut eum suscipias, nec eum ejicias *extra castra, ut in vinea manere, & dare fructum multum,* merearis: aliàs enim efficieris sicut sarmentum, quòd siccum rogis crematur.

MEDITATIO XLIII.

Pro Sabbatho post secundam Dominicam.

PARS PRIMA.

Oratio Præparatoria eadem est.

1. Historia: *Homo quidam habuit duos filios,*
2. &c. Luc. 15. Petit Ecclesia, *ut castigatio carnis assumpta,* &c.

Loci compositio, ut supra Feriâ sextâ.

3. SECUNDA PARS.

1. Considerandum, quomodò contigit, ut hæreditatem decoqueret homo ille, eò quòd eam præ manibus possidere petiisset, ac desiderasset: ut hinc admirationem consequeretur, quomodò anhelent, & fatigentur mortales pro terrena hereditate, cum eorum sæpè sit gladius. Ut item hoc pacto necessitatem cum fugiant, in eam profundius delabantur; quàm item illa hominis pars, quæ ipsi ex redivisibus evenit miseranda sit, ut expetatur, vel erogetur; quam ob causam dicebat Propheta: *Dominus pars hæreditatis meæ.* Quò item deveniat peccator, qui porcis custodiendis præficitur, adeò, ut nemo ad ejus sensus pertingat, dum in peccatorum suorum cœno obversatur. Quantæ item efficacitæ sit tribulatio, quæ ipsi intellectum indidit, ut diceret: *Ibo ad Patrem meum.* Quid item, eum advertentem advertens Pater peregerit: *Cum adhuc longè esset vidit illum.* Et cætera om-

nia, quæ propter ipsum operatus sit, ut fiduciam de Patre misericordiarum hauriamus, utque in tribulatione nostra ad eum mox confugiamus.

2. Perpendendum, ut filius iste prodigus in prosperitate perierit, inque adversitate sit relevatus; quamobrem secunda pertimescens, adversantia diligam; & ex eo peccatorum meorum notitiam, & è divina justitia timorem, & de visitatione amorem consequi elaborabo, ut erigar, & ad pium Patrem quantocius me offeram. Confusio itidem elicienda est, quòd ille fructus ex fame sit consecutus, cum ego de laboribus, quos ad majus bonum Dominus mihi immittit, nihil nisi murmurationem, inquietudinemque reportem.

3. Considerandum, ut de eo dicatur, quòd in sese reversus sit: undè confusione perfundar, videns, quàm parùm in me revertar, considerando, cujus sim, quis fuerim, qualis fiam, quid mecum peractum sit, quæ mihi concessa sit hæreditas, quæ bona erant gratiæ, utque illa pro falsis voluptatibus à me venièret; ita, ut extra me vagans post creaturas famelicus jam procedam, quasi spiritum meum satiari possent.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Quis ad te tendere prætermittet, Pater pie, ac misericordiosissime Domine, si advertat, quàm bene excipias eos, qui ad te festinare incipiunt. Si ista operaris pro iis, qui à te procul existunt, quid pro his, qui propè sunt, facturus es? *Vide Domine, tribulationem meam, quoniam tribulor.* Amare flebo, Domine, quòd cum essem peregrinus, fameque perirem, adedò contentus vixerim: sentiam bona, quæ vendiderim, quæque mala emerim; considerabo famem, quam mihi creaturæ, quas insequabar, procreabant: *Et quanti mercenarii abundant panibus in domo tua. Pater, peccavi in calum, & contra te, cognosco, quòd non sum dignus vocari filius tuus.* Sed cum hæc tua sit consuetudo, ut miserearis, jam pacis osculo filium prodigum amplectaris. O Domine, id pro me agere digneris, quòd pro aliis facere soles: *Induar ergo novum hominem, & cum eo stolam candidam, audiamque illam dulcem vocem: Desponsabo te mihi in Fide, ut merear annulum tuum in manu mea, sintque pedes mei calcæati, ad annunciandum Evangelium Pacis: adducatur vitulus saginatus, ille inquam vitulus saginatus, per quem salvati, & liberati sumus, epulemur non in fermento veteri, nec in fermento malitiæ, aut nequitie; sed in azymis sinceritatis, & veritatis, gaudeatque calum & terra, quia filius tuus mortuus erat & revixit.*

vixit. Et idè non vivam ego nisi ut pro eo moriar, qui pro me mori dignatus est.

MEDITATIO XLIV.

Pro Dominica tertia Quadragesima.

PARS PRIMA.

Oratio præparatoria, &c.

1. Historia: *Erat Jesus ejiciens demonium, &c.*
2. Luc. 11. Petit Ecclesia: *Ut vota humilium respiciat, &c.*
3. Loci compositio; in memoriam revocandum, uti Dominus potentiam suam ostendat, dæmonium ejiciendo, utque indè gentes obstupescant, &c.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum, quid sit sese in Christi conspectu præsentare: *Quia oblatus est & sanatus.* Ut item aliqui Christi opera admirarentur, & alii rideant de eisdem, cum potissimum ea cognoscere debuissent ad timorem, & dolorem. Item, ut in responso potentiam suam manifestet, ac veritatem: utque cæcis, qui non intelligunt, minitetur: hanc itaque sententiam ad timorem adnotabo: *Et fuerunt novissima hominis illius, &c.* Ut item non desit, qui deprædicet, velut illa mulier, & saltem Angeli non deerunt.
2. Perpendendum, *ut est Jesus ejiciens dæmonium* ex animabus, & res mira, quæ sic operatur, quantamque gentibus pariat admirationem. Item, ut signum istorum sit confessio: & sic Deum laudare debemus, quod sit *locutus mutus*, dum è confessionis tribunali egreditur.
3. Considerandum, dæmonem imitari tyrannos, à quibus ut magis circumvalletur munimentum, possessi imperii partes illæ amplius muniuntur, quæ locum jacturæ illius aperire possent. Sic planè, cum diabolus munimentum quoddam, hoc est peccatricem animam obtinet, quam per confessionem, aut contritionem antea perdidit, postea majorem in ea custodienda adhibet cautelam, nam si ejus jacturam perpessus sit, eò quod virorum spiritualium concionibus interesset, omnem ipsi talis boni tollit occasionem; & ita deterior quam hactenus fuerat, efficitur: hinc cautelam ad tentationes, dæmonisque illusiones adhibere conabor.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Quam malè tibi solvuntur, quæ pro mortalibus peragis, Domine? Ad tenebrarum Principem profigandum jejunas, & pateris: & ii in hujus solutionem jurant in Belzebub Principe dæmoniorum, &c. A te signa petunt, & postea illis illudunt. Sed quid de tua patientia referam? Adverto eos, qui Elisæum irriserant, graviter punitos fuisse, & hos, cum talia egerint

à misericordia tua toleravi. Quis unquam de his, quibus convitiatur, valeat conqueri, si mansuetudinem tuam, ac benignitatem conspiciat? Gratiâ mundo huic tribuas, Domine, ut te deprædicet, tuasque laudes agnoscat. Loquatur hic mutus, ut voce mirè sublatâ decanter: *Beatus venter, qui te portavit, &c.*

MEDITATIO XLV.

Pro Feria secunda post tertiam Dominicam.

PARS PRIMA.

Oratio præparatoria, &c.

Historia: *Quanta audivimus facta in Capharnaum, &c.* Luc. 4. Petit Ecclesia, nobis gratiam ad gubernandos nostros sensus.

Compositio loci; Christus in Nazareth, *ubi erat nutritus, &c.* in memoriam revocandus.

SECUNDA PARS.

Considerandum, quid dicant, vel agant personæ, &c. Ut nunc quidam de Nazareth, qui miracula expectant, quod illius terræ sint incolæ, in qua Christus erat nutritus. Et Christus Dominus nihil nisi in quantum æterni Patris sui voluntas est, operatur, ut & nos idem in operibus nostris attendamus. Item, quàm extra se vagarentur illi infelices; cum eum præcipitem dare intenderent, qui tanta perpetraverat, miracula, quique salutarem ad eorum Synagogam indiderat doctrinam; ut hinc colligatur, quàm sit per timescenda iræ passio, quando quidem qui eâ laborent, amentes omninò ac furibundi efficiantur.

Considerandum, ut ei qui scandalizatur in operibus virtutis, quod petit, recusetur: quamobrem, ne admirationi vertat peccator, si quod petit non obtinet, cum offensas remittere, carnemque suam macerare scandalizetur, mirum potius ipse videri debet, quàm fronte linguam habeat, ut petat.

Perpendendum, quod in ea potissimam terra Christus mirabilis appareret, in qua familiarius versaretur: *Quia nemo Propheta sine honore, &c.* Ut hinc colligamus talem Ecclesiasticorum, Religiosorumque debere esse familiaritatem, ut quantò major extiterit, tantò etiam majore reverentiâ, ac ratione, tum sacris, cum cæteris officiis intersint.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Indigna res est, Domine, ea videre, quæ Patriæ tuæ Populi tecum operantur, cum tanta pro iis peregeris; hanc in tuam mansionem elegisti, & hi supplicii tui locum destinant. Magna cum eis familiari-

tas

tas, humilitatque tibi intercessit; illi vero magno rigore, mentisque tumore adversus te procedunt; hi cum te præcipitem agere studeant, nullo tu alio studio incumbis nisi ut à tormentis, quæ peccatis tuis meriti sunt, eripiantur: & nihilominus ad malitiam eorum compescendam recedis, nullâ eis inflictâ pœnâ. Noscam ego, Domine, quantâ malitiâ abundet dies hodierna, quâ per medium nostrum in sacra synaxi pertransis, atque ostiatim omnes visitas, nemine ritè ferè animæ suæ ostium aperiente. Transi, Domine, transi per meam, meoque in hospitio diutiùs immorare: *Mane nobiscum, Domine, quia advesperascit.* Transeamque ego ad te per omnia tormenta sæculi, tu modò ne à me transeas, nec mea mihi vita dilabatur, quin te possideam, ut gratiâ totus tuus sim. Amen.

MEDITATIO XLVI.

Pro Feria tertia post tertiam Dominicam.

PARS PRIMA.

1. Oratio præparatoria eadem est.
2. Historia: *Si peccaverit in te, &c.* Petit Ecclesia salutaris continentiae dona, sine quibus vix alios corripere & emendare possumus.
3. Compositio loci; Christus, ut assolebat, Discipulos suos erudiens, & inter alia charitatem fraternam edocens, ob oculos constituendus.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum, quomodò in eo quod in præsentiarum dicit Christus, amorem, quo in nos flagrat, ostendit, cum tantam in salutari proximi correctione requirat sedulitatem. Considerandum item, an correctionis normam bene quis servaverit, aut incuriè sese in ea gesserit. Item, quanta sit pœna, dum censuram in aliquem fulminat Ecclesia, & fidelium communionem eum interdicit. Cum advertamus, quòd dum in oppido Sodomæ Loth versaretur, ab Angelis non sit concrematum, &c. Item, quantam in hominibus Dominus Deus noster habuerit fiduciam, omnem penes eos Ecclesiæ relinquens auctoritatem. Quantumque idèò ampliùs movendi essemus, ut longè ardentiore eum amore prosequeremur. Ut item divo Petro Vicario suo significet: *Non dico tibi usque septies, sed, &c.* In quo Redemptoris clementia refulget.
2. Perpendendum, uti correctionis negligentia, ex charitatis proveniat defectu; si enim diceremus: *Quis infirmatur, &c.* Proximorum vulneribus doleremus, promptumque eis adhiberemus amuletum. Ut item, quomodò Dives ille ava-

rus nos confundat, qui de profundis rogabat, ut sui commonerentur, ne in similia inciderent tormenta. Ut item, si quandoque correctionem adhibuerim, damno magis quàm commodo eâ sum usus, eò quòd tempus, debitamque prudentiam non observarim; sumque sicut Chirurgus, qui brachio priùs haud compresso, venam aperire non dubitaret.

Perpendendum, quo pacto in correctionibus, quæ mihi adhibitæ sunt; me gesserim, quàm exiguam patientiam, fructumque de iis reportaverim. Item, quàm cæcus vivam, cum correptionem non admittam? Si Sathanas is futurus est, qui me castiget, quò deveniam, cum Jobum adèd malè exceperit? Itaque à proximo corrigi longè leviùs mihi constat, cum ipse carne conflatus sit, sicut ego, humanamque fragilitatem cognoscat.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Quando cognoscam misericordias tuas, Domine? Mira omninò remedia investigas, ad imperfectiones meas restaurandas: cur ergo laudibus tam parùm te effero? Mandati correctionis fraternæ dulcedinem agnoscam, Domine, ut tantam mei gerens curam, obligationis vinculo, quo in te adstringor, recorder, meisque vulneribus mederi adjuver. Obligatio item, quâ ad proximi correctionem teneor, sit frænum peccati mei; ne dicant, quòd in ejus oculo festucam videam, trabem, quæ in meo est, non advertens. Ne permittas, Domine, ut proximi correctionem duriorè reddam, cum per eam à gravioribus peccatores liberes. Quis igitur, Domine, licet sese inter Pilati manus advertens, de correctione conqueratur, qui de te inquit: *Corripiam ergo eum, & dimittam?* Si talem pro me passus sis correctionem, quomodò eam pro te non tolerem? Tribue igitur gratiam, ut quemadmodum imperas, corrigam, utque à te, corripiar: *Quia multa flagella peccatoris; sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.*

MEDITATIO XLVII.

Pro Feria quarta post tertiam Dominicam.

PARS PRIMA.

1. Oratio præparatoria eadem est.
2. Historia: *Accesserunt ad JESUM, &c.* Matth. 15. Petit Ecclesia: *Ut salutaribus jejuniiis erudiri, &c.*
3. Compositio loci; Christus Scribarum & Phariseorum percunctationi respondens, in memoriam revocandus.

SECUNDA PARS.

Perpendendum, ut Pharisei scandalizentur,

tur, ubi nullum est scandalum, ipsique scandalorum, quæ populo procreabant, Camelos deglutiant. Ut hinc colligam, majorem mihi curam esse adhibendam, ne pariam scandala, quàm ut ea patiar. Ut item, ob traditiones suas, Domini obliviscuntur, quæ res adedò viget in orbe, ut mundani pro honoris lege, Domini legem abjiciant. Item, ut suo modo, sacras Paginas interpretarentur; quo etiamnum hæreses mundum sævissimè inficit. Ut item Dominus explanet, quòd *non quod intrat in os*, &c. Ut magis timeatur, quod è pectore erumpit: & ad hoc itidem, quod editur, advertendum, an prohibitum sit, nec ne; vel certè an quantitate excedat.

2. Consideranda sunt hæc verba: *Omnis plantatio*, &c. Ut magnam de operationibus nostris curam geramus: Si qui enim Patris æterni non sint plantæ; sed aliundè procedant; confessione, contritioneque avellantur oportet, ne postmodum in ignem concremandæ dejiciantur. Si item sint plantæ Domini, ejusque manus opera, oportet, ut lachrymis, ac pœnitendi propositis, voluntatemque mortificandi, & Christum crucifixum insequendi, rigantur, atque excolantur.

3. Perpendendum, ut dicat Dominus: *Sinite illos, ceci sunt*. Quid item sit cæcos in rebus spiritualibus insequi. Væ, væ, Lucifero, qui primus Dux fuit qui cæcos duxerat. Quid de Arrio fiet? Quid de Mahomete? Quid de Lutero? Et iis, quibus auctoribus, peccata suadentur? Sinite illos. Hinc dolorem consequar, quòd ignorantia, malitiâque tot cæcorum sint per universum orbem duces.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Benedictus sis Domine, quod cæcitatibus nostræ miserearis: quamobrem descendere dignatus es, ut esses *lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ*. Id, humanos mores tollens, manifestas, ut sancti Patris tui mandata custodiantur. Ne sim inter eos, Domine, qui solis labiis te honorant; verum eos inter annumerer, qui cor suum custodiunt, ne quidquam ex eo erumpat, quo ipse offendaris. Et ad hoc concede gratiam, ut diligenter caveam, ne quid indecens me subeat, ut totum cor meum pro te mundum efficiatur. Sufficiat, Domine, sufficiat, quæ de eo malitia erumpit, ut in posterum in tuum omninò adscribatur: nunc enim cognoscit famulus tuus, quot tibi beneficiis devincitur, propter aquam & sanguinem, qui de pretiosissimo latere tuo effluxere; ut è corde meo pro creaturis adedò expanso, erumpens venenum corrigeres.

MEDITATIO XLVIII.

Pro Feria quinta post Tertiam Dominicam.

PARS PRIMA.

Oratio Præparatoria, &c.

1. Historia: *Surgens Jesus de Synagoga*, &c. Luc. 4. Petit Ecclesia: *Propitiatio celestis*, &c.

2. Compositio loci; in memoriam revocandum est, quomodò Christus Dominus, in Divi Petri domum se conferens, ejus Socrum sanitati restituerit.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum, quid dicant, & agant, &c. Christus sanitatem parat ubi ingreditur, ad peccatoris confusionem; qui cum tali hospite frui posset, eum suis ædibus interdicat. Quomodò item æger ad Christum, ejusque legem confugiens, sanitatem recuperet: jugum enim ejus suave est, & dæmonis jugum intolerabile, quo non obstante dæmonis jugum tot scætet clientibus, qui eo lubentes gravantur; ut miseria nostra patefiat. Ut item Christus laudibus prædicari non ferat, dæmonumque testimonium non admittat: è quibus colligi potest, quàm nullius sint momenti laudes, quas de vana gloria sua peccator reportet, & quàm parùm sint admittendæ, cum ne veritatem quidem ex ore peccantium Christus admittat.

2. Item, ut Christus mira inter prodigia in desertum secedat, ut nobis exemplum præluceat; & dum illinc amovetur, eum quærant, rogantque, ne ipsos deserat. Sic etiam justi suas delicias, illum nempe requirunt, & ne se deserat, rogant. Et in hoc servi Dei, sicut è contra debiles, ac tepidi dignoscuntur.

3. Considerandum, ut ægra *continuo surgens ministravit illi*. Ut ostendatur potissimum salutis spiritualis indicium esse, surgere ad Christo, ejusque Discipulis serviendum, Charitatis opera exercendo: ex quo dolorem eliciam meum in sanctis operibus teporem advertens; ea propter timebo; æger enim etiamnum existo.

4. Perpendendum, quò pacto Christus Dominus super ægros salutarem manum suam imponens, eos sanitatis integritati restitueret: & idedò infirmi ad ejus conspectum undequaque adferebantur: undè dolebo, quia cum divina manus tantæ ad sanandum sit virtutis; fugio, ne ab ipsa contingar, cum certò sciam, quod salus omnis ab ea profluat: contrarium agere deberem: singulis namque horis Christo deberem me præsentare, ut ejus me contingeret sanctissima manus.

T E R -

O quàm mendaces sunt filii hominum in stateris mi sanctissime Deus, cum discrimen, quod inter suave jugum tuum, & intolerabile dæmonis occurrit, ad eò parùm metiri noscant. O magna omninò dementia, jugo, quod trucidat, caput submittere; jugoque, quod tribuit vitam, idem non inclinare! De qua re dicitur *Osee 11. Et ero ei quasi exaltans jugum super maxillas eorum.* Quando peccator phreneticus hâc phrenesi relevabitur, & quando percipiet, quòd de ejus vita agatur, dum tribulationibus cum contingas? Cur ter benedictam manum tuam non admittat? Quando homo capiet intensum illum amorem, quo in eum ferris, dum dæmona loqui non pateris; *ne divinâ publicatâ Majestate, Passionis dispositio differatur?* Ita ut, quòd homo patiat, honorari renuas, ejus bonum laudi tuæ præferens. O quàm malè hoc pensum tibi persolvo, Domine, qui cupio ut patiaris potiùs quàm fama mea, cum tamen ea ad eò vana sit, & Passio tua tanti existat momenti. Tribue, Domine, ut servus tuus hanc omnium beneficiorum perfectam habeat notitiam, cumque Sole occidente ægros recreas, mei misereare, ut vita quâ jam jam defungor, tota tua reddatur. Amen.

M E D I T A T I O X L I X.

Pro Feria sexta post tertiam Dominicam.

P A R S P R I M A.

1. Oratio præparatoria, &c.
2. Historia: *Venit Jesus in civitatem Samaria, &c.* Joan. 4. Petit Ecclesia auxilium ad jejunium, ut corpore, sic mente proficuum.
3. Compositio loci; Christus fonti lassus insidens, in mentem revocandus, qui inibi Samaritanam præstolatur.

S E C U N D A P A R S.

1. Considerandum, quemadmodum, quod nunc agit Christus, est, lassari, & Samaritanam præstolari. Supra æger in Piscina Angelum expectabat, nunc ab Angelo infirmus expectatur. Ut item, potum Christus eroget, primò loquitur ad peccatorem præveniendum; petitque, ut tribuat. Item, ut oculis solùm carnis Samaritana respiciens, subjiciat: *Nec in quo haurias, habes.* Nihil carnalis æstimat, nisi quòd suis carnis oculis conspicit: *At qua videntur, temporalia sunt; qua autem non videntur, aeterna.* Ut item Samaritanam perficiat, sensimque convertat, ut quòd cum peccatoribus ejus facit Sapiencia, admiremur, quomodò item se illi præbeat cognoscendum: *Ego qui loquor tecum, &c.*

Abcondens hic à Sapiensibus, &c. Perpendendum etiam, quem in ea Domini sermo fructum pepererit, cum ipsamet Christum deprædicatura processit: ut hinc colligamus, quòd si internè, vereque Christi manu tangeremur, fervens charitas ad eum deprædicandum nos stimulet, nec tantum reluctaremur.

Considerandum, ut Christus Dominus dicat, *meus cibus est, &c.* Ita ut salutem meam in edulium suum reputet, ejusque cibus sit, à dæmonum potestate me eripere; cum cibus meus sit eorum me manibus tradere, qui me devorent. Christi cibus est fatigari, meque juxta penitentiae aquas præstolari; & meus cibus est, eum ibidem morantem relinquere, nullâ eorum, quæ mei amoris ergò peragit, gratitudine exhibitâ.

Considerandum, uti *Spiritus est Deus.* Ut confusione perfundar, quàm parùm spiritualis effici elaboraverim, ut eum, qui verè Spiritus est, decenter valerem venerari, quin potiùs ex iis sum: *Qui oculos suos statuerunt declinare in terram.* Sicque ut terreno parùm admodum spiritualia mihi sapiunt.

T E R T I A P A R S.

Colloquium.

Si quando contingat, ut potum præbeas, Domine, omninò mirabilis es; in quantum *apud te est Fons vitæ.* Addo, quòd latus tuum apertum sit, ut gratiæ limpham nobis tribueres, quæ creaturarum sitim extinguit. Præterea, non minùs mirandus existis, dum potum exoptulas. Tu ille es, *qui emittis fontes in convallibus, & à Samaritana hauritum requiris?* Benedictus sis, Domine, qui petis, ut tribuas, & in aquæ frigidæ hauritum (quem pauperi porrigimus) cambium, te ipsum retribuïs; sed quòd amplius est, sitis tua est nostra Redemptio, ita ut calicis peccatorum meorum amarissimam potionem suscipias, satiùs ducens, eorum potiùs satisfactionem ebibere, quàm in eorum amaritudine demersum me conspiceret. Attende, Domine, quòd amara sint sicut fel, & nihilominùs animæ peccatrici dicere non dubitas: *Da mihi bibere.* Et his non obstantibus, noxas suas ægrè deserit peccator, ut tibi hoc placitum tribuat. Quid super hoc dicam? Qui tibi hoc negat; quid tibi concedet? Cur hæc affectas, ò anima? Non advertis, quòd peccata te trucidant? Quod, ne contingat, tu ipse mortem subis, mi Deus, & te non amavero? Proprium cruorem, ipsamque ad eò vitam tibi non concessero? *Domine Jesu, accipe spiritum meum.*

Pro Sabbatho post Tertiam Dominicam.

Colloquium.

PRIMA PARS.

1. Oratio præparatoria, &c.
2. Historia : *perrexit JESUS in Montem Oliveti*, &c. Joan. 8. Petit Ecclesia, ut jejunemus à culpis.

Compositio loci; in memoriam revocandum, quomodo de Monte Oliveti Christus in Templum mane, universo comitante populo, advenerit : *Et sedens dicebat eis*, &c.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum, quid dicant, vel agant personæ, &c. Ut videre est in Christo, *qui diebus docebat; noctibus verò ibat ad montem, ut oraret. Item Diluculo ad Templum venit, juxta illud: Mane semina semen tuum; sollicitus ero ad consequendum ex his omnibus exemplum, doloremque de tempore, cujus jacturam nocturnis, matutinisque horis patior. Item, considerandum, uti adulteram adducant Pharisei, eum tentantes*, &c. In quo adimpletur illud Psalm. 33. *Dissipati sunt, nec compuncti*, & tantum abest, ut profectum faciant, quinimò ut magis ac magis ut Pharao indurentur; ut hinc, dum hac in carne vitam duco, timorem consequar. Ut item Pharisei patris sui dæmonis officium gerant; sicut item aded prudenter respondeat Christus, ut omnem accusandi eis tollat occasionem, eam tribuens ad se ipsos accusandos, ut eadem responsa circa proximum valeam imitari. Item, ut misericordiam suam ostendet, adulteram non condemnando, postesque peccatoribus pandat.

2. Perpendendum, ut Christus Phariseos confundat, se inclinans, & in ipsa terra scribens, sacratissimâ nempè Incarnatione se inclinans, & veluti scribens in terra : *Quoniam digitus Dei operabatur in terra nostra Redemptionis Myseria*. Item, ut lege, quæ in Tabulis scripta erat, Pharisei ad tentandum legislatorem uterentur. Quare ipse cordibus nostris eam insculpturus venit, ut in iis fructum germinaremus.

3. Perpendendum, quo pacto mundi Redemptor Phariseos devincit, & animum, quem habebant adulteram lapidandi, protinus tollat; & abeant, Christumque solum relinquunt. Quid futurum est, dum stricta aded peccatorum ratio exigetur, ut justitiæ ipsæ sint judicandæ? Ut item accusatores condemnentur, & adultera liberetur, lexque suo robori ac nervo servetur : quibus omnibus ostendit eis sapientiâ æterna : *Quod omnia benè facit*.

Quis erit, Domine, qui ad te tendere desinat, videns ea, quæ in adultera operaris? Sanè in hoc impletum est, quod dixisti per Jeremiam : *Tu fornicata es*, &c. Quis ad te redire desinat, videns, quanta elongatus perdat, quantaque reversus recuperet? Licet enim anima adultera, quæ te deserit, lapidibus materialibus hic non obruatur : attamen id genus supplicii, idque variis modis non evadit. Cùm enim omnia deficient; amici, quosque velut Crucis suæ fautores possidet, & creaturarum affectus, terribilis & validus tormentorum lapis redduntur, ut appenso de collo molari in mare præceps dejici ei satius esset, quàm corde peccatis indurato vitam traducere; quamobrem, ô anima mea : *Noli amplius peccare, & revertere ad Dominum Deum tuum*. Cùm advertas, quid cum peccatoribus adinveneris.

ADDITIO.

Inclinatur Christus, ut ostendat ei, 1. prius esse inclinandum, qui calumnias absque iracundia, & fastidio verè suscipit. Correctionis rudimenta unicuique ediscenda, ut maturum adhibeat responsum, atque attentè auscultetur subjectum consilium.

Item, hæc operatur, ut tempus Phariseis concedat, ut ad se revertantur, errorem suum cognoscant, ac demum poenitentiam exercent.

Penſitandum illud verbum, *ubi sunt*, 3. &c. Sicut Genes. 2. *Adam, ubi es? Ubi nunc sunt Cæsares, Reges*, &c.

MEDITATIO LI.

Pro Dominica quarta Quadragesima.

PARS PRIMA.

1. Oratio præparatoria, &c.
2. Historia : *Abit JESUS trans mare Galilee*, &c. Joan. 6. Petit Ecclesia, *ut qui ex merito nostra*, &c.

Compositio loci; Christus menti obiciendus, ad mare Galileæ se conferens, multis eum comitantibus hominibus:

SECUNDA PARS.

Considerandum, quid dicant, & agant, 1. &c. Uti nunc apparet in Christo Domino, ad disponendum eos, qui eum sequuntur, ut panem, non materiale solum, verum doctrinæ panem, atque aded Sacramentalem comedere mereantur; utque ad hoc juxta mare procedat, quæ sunt oculorum lacrymæ præ dolore peccatorum. Ut item ad propriam notitiam super fœnum federe jubeat. Item ut multiplicentur, quæ de manu ejus profluant, etiamque superabundent; Atque ut imperet etiam, ne disper-

dantur; propter quæ omnia dicunt convivæ: *Quia hic est verè Propheta.*

2. Considerandum, quantum conducatur Christum sequi, ut hospites ejus effici mereamur; utque nota, vel indicium, quod quis mensæ Sacramentali assidere sit dispositus, est imitatio Crucis Christi; ut confusionem hauriam, advertens, quod huic aliquando mensæ assederim, cum adeo negligenter Christi vestigia insequerer.

3. Perpendendum, ut montem perfectionis conscendere opus sit; & tamen si scopulos conscendere jubear, viribus destitutor; si descendere, molestor: ita ut in utroque adeo gravis existam, ut mihi opus sit, ut Dominus me protrahat; & ad hoc consequendum: *Trabe me post te, & curremus.*

TERTIA PARS.

Colloquium.

Si visis, quæ agebas, signis, Domine, Israëlitarum te insequerentur, te sequar jam ego. Sequere illum, anima mea, videns signa amoris, quæ te creando, te redimendo, te tolerando, cæteraque innumera bonitatis suæ indicia tibi præstando, tecum est operatus. Quare ostende & tu, quanto in eum amore æstues. In quo tam admiranda signa unquam adverteris? Quis unquam pro te ea est operatus, quæ amoris tui ergo ab ipso fieri experta es? O anima mea, sequere Christum: id enim si feceris, panem, intelligentiam, gaudiumque adeo multiplicaturus est, ut in futuros dies superabundent, & tunc perfectius cognosces: *Quod sit verè Propheta; qui venit in nomine Domini.*

MEDITATIO LII.

Pro Feria secunda post quartam Dominicam.

PARS PRIMA.

Oratio præparatoria eadem est.

1. Historia: *Propè erat Pascha Judæorum,*
2. &c. Joan. 2. Petit Ecclesia: *Ut observationes sacras, &c.*

3. Loci compositio; Christus in memoriam revocandus, qui Jerosolyma ascendebat ad Templum, qui que vendentes & ementes ex eo eiciebat.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum, quomodo in his templi ascensionibus res miræ videbantur; ut templa devotè frequentari compellamur, omnemque peccati speciem omnino à nobis extirpemus, & domus Domini zelo afficiamur, majorem in ea pietatis fervorem exhibentes: utque hujus rei defectu mundus corruat, Christusque in pietatis suæ indicium relinquat dictum: *Solvite Templum, &c.* Ut quod in ejus morte includitur mysterium agnoscamus, atque intelligamus.

Perpendendum, ut Christus flagellum accipiendo, potentiam suam manifestam reddat, sicut & clementiam, si differentia flagelli, quo olim in Pharaonem sævierit, referatur. Ut item eximius favor fuerit, ab ejus manu castigari. Quid enim aliud emanaret ex manu, quæ pro nobis cruci affixa est?

Perpendendum, quàm differenter adversus Christum sese Pharisei exhibuerint; ipse enim amantissimè flagellavit; illi verò sævis lethiferisque verberibus eum cædi mandarunt. Item, ut à Christo super vestem vapulet peccator, vel certè si in carne; vestis est, quæ animam contegitur; sed nudam animam, & quidem in ejus parte maximè sensibili, verberibus, plagis, scilicet lethiferis, ferit dæmon: Deus autem nunquam nisi animo retribuendi pro victoria coronas.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Merito dicitur: *Flagellato pestilente stultus sapiens erit:* Quandoquidem ii Judæi cum te adorare deberent, & Christe JESU, ob misericordiam, quæ suavi adeo flagello castigas, tibi dicere audeant: *Quod signum ostendis nobis? &c.* O quàm differentia sunt verbera, quibus à te cæsi, te reverberant. Tu eos cædis, ut illis vitam tribuas; illi verò, ut eam tibi tollant. Tu super vestem; illi verò in carnem vivam, delicatam, purissimamque sæviunt. O quàm atrociter malitiam suam ostentant, cum tam clementer tuam illis bonitatem exhibeas. Cognoscam ego vices, quibus me flagellis tuis cædere dignatus es, ut te idè adorare merear: Siquidem soleas *flagellare filium, quem diligis;* qui enim à disciplina tua alienantur, hi non filii; sed adulteri; sed & abortivi reputantur.

MEDITATIO LIII.

Pro Feria tertia post quartam Dominicam.

PARS PRIMA.

Oratio præparatoria; &c.

1. Historia: *Fam die festo mediante, &c.*
2. Joan. 5. Petit Ecclesia: *Sacra nobis quasumus, Domine, observationis jejunia, &c.*

Compositio loci; Christus in festo, menti objiciendus, &c.

SECUNDA PARS.

Considerandum, quid dicatur, vel agatur à personis, ut ex illis fructus aliquis referatur. Quomodo Christus, sicut Elias, zelo domus Patris sui ad Templum ascenderet, *etsi Judæi quærerent eum interficere:* Ut doceret, non esse timenda pericula, & labores propter zelum domus Domini. Item! dolorem concipiam, quod labores propter mundum nihili adeo fecerim; cum

tamen in his pro Deo meo ac Domino tolerandis, tepidus omninò extiterim. Consideranda item verborum humilitas, dum dicit: *Mea doctrina non est mea*. Hoc dicit: *Quia quidquid habet Filius, habet Pater*, idque habet à Patre. Ut unusquisque sese humiliando, modum investiget, &c. Ut item in templo docens, clarè exclamaret, dicens: *Et me scitis*, &c.

2. Perpendendum, ut doctrinæ Christi non percipiendæ defectus, oriatur ex præparationis incuria, ad voluntatem ejus perficiendam: *Si quis voluerit volentem*, &c. Ut hinc dolor, confusioque eliciantur: non enim erudiri desideravi, nec vitæ cupio præparationem; quandoquidem ut Christi voluntatem observem, meam prius abnegare compellar, idque non faciam. Cur igitur prætenfam doctrinam intelligere, ejusque finem, mediis haud adhibitis, consequi quæram?
3. Considerandum, ut ad Domini voluntatem faciendam ab insensibilibus, sensibilibusque creaturis edocear: omnes enim Creatoris sui voluntati pro modulo suo obtemperant, pœnam, quæ hanc non facientibus inflicta est, me itidem edocentes; nullumque homini, qui ei haud obedit, locum securum existere. Mihi etiam Christus exemplum præstitit, dum Patri suo æterno diceret: *Non mea, sed tua voluntas fiat*, &c. Ex quo intelligam, vitam eam dici non posse, quæ obedientiâ erga Divinam voluntatem destituitur: *Quia vita in voluntate ejus; & ira in indignatione ejus*.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Tantâ diligentia, & robore polles, Domine, ad exanthlandos pro hominibus labores; & hi adèò inertes, & delicatuli sunt, ut eosdem ob tui amorem non tolerant. O si tui gratiâ perficerent, quæ pro mundo operantur, ut oblectationibus suis potiantur! Tuæ enim deliciæ in pauperum conversatione sitæ sunt; eorum verò in tui fuga. O si voluntati tuæ obtemperare tentarent, quàm mirabiliter tua eis saperet doctrina, cum tamen utroque sint destituti, Domine, *Fiat in me voluntas; sed tua, & sicut in calo*; ut te noscam, ac deprædicem in secula seculorum. Amen.

MEDITATIO LIV.

Pro Feria quarta post quartam Dominicam.

PARS PRIMA.

1. Oratio præparatoria eadem est.
2. Historia: *Præteriens Jesus*, &c. Joan. 9. Petit Ecclesia; ut reatus nostri confessio indulgentiam valeat percipere delictorum.
3. Compositio loci; Christus menti obijciendus, qui transiens *vidit cæcum à nativitate*, &c.

SECUNDA PARS.

Perpendendum, quid dicant, vel agant, &c. Hæc Christi verba adnotanda: *Venit nox*, &c. Item, quòd quemadmodum Pharisei cæci miraculo fidem adhibere recusant, id ab eo fieri fermè impossibile rati, quod non faciunt & ipsi. Ut item hic cæcus exhortetur, Phariseos atque convincat; ut indè fiduciam hauriamus, ad eos lumine Domini convincendos, qui Orthodoxæ Religionis veritatem impugnant. Item ut cæcus ille esset mendicus. Talis enim cæcus peccator existit. Ut item postquam ab illis foràs ejectus, atque contemptus fuisset, illum Christus solaretur; ut hinc Dei causâ contemni desiderio conflagemus: tales enim ipse quærit, benigniusque excipit, & ita iste *procidens adoravit eum*.

Considerandum, ut luto à Christo Domino oculis superposito visum cæcus recuperet, quòd Incarnationis mysterium comprehendit. Ut item excæcentur, qui oculis suis lutum non imponunt. Superbi enim lutei haberi non ferentes, cæca caligine obvelantur.

Perpendendum, quàm periculosum sit, cæcum se nolle quem reputari: *Quia si cæci essetis, non haberetis peccatum*. Ut hinc dolorem consequi valeam, quòd non solum humilis non existam, verum nec pauper haberi patiar: quæ duplex est cæcitas.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Fateor, Domine, fateor, me cæcum illum sedentem & mendicum, quinimò hoc cæco longè cæciorem existere: ille enim oculos suos luto deliniri passus est, at ego nec lutum, nec motionem admitto; imò nec pœnitentiæ aquis abluor, & ita cæcus persisto, apertis adèò ad malum oculis, & ad bonum summoperè clausis. O mundi Redemptor, quandoquidem eò te contuleris: *Ut qui non vident, videant*; hunc cæcum illumina, cum etiam veneris: *Ut qui vident, cæcificent*: hanc meam excæca concupiscentiam, ut non carnis videat; sed spiritualibus te oculis veneretur, cognoscat, ac deprædicet in secula seculorum. Amen.

MEDITATIO LV.

Pro Feria quinta post quartam Dominicam.

PRIMA PARS.

Oratio præparatoria, &c.

Historia: *Ibat Jesus in civitatem, quæ vocatur Naim*, &c. Luc. 7.

Petit Ecclesia; ut lætificemur ad capiendâ cælestia.

Compositio loci; Christus Naim tendens cum multa turba, menti obijciendus,

1. dus, utque in defunctum offendant, &c.

SECUNDA PARS.

1. Perpendendum, quid dicant, & agant, &c. Ut videre est, quàm tenerè divinæ misericordiæ viscera commoveantur, vitæ hujus spectatis angustiis, &c. Ut item viduam mox consoletur, ei dicens: *Noli flere*. Item ut accessit, ad ostendendum in eo sitam esse salutem nostram, quòd ad nos ille accedat: *Propter quem habemus accessum ad Patrem*. Ut item contacto Christus Crucis signo genus humanum deperditum restauret; & ut facienda manifestaret, hunc defunctum, ligno contacto, ad vivos revocat, licet sine ejus contactu, æquâ eum suscitare valeret potentiâ. Item ut defunctum ferentes Christus sistere imperet: hoc indicare volens, ut nempè resurgat peccator, & eidem vitiis & peccatis; quæ ad perennem mortem ducant esse abstinendum. Ut item surgere, loqui, & à Domino collaudari, indicium sit, quòd quis à Domino spiritualiter suscitetur.

2. Perpendendum, quo pacto JESVS incedebat; quo verò modo ego procedam: ipse ad Crucem properabat; ego autem ad voluptates: ipse ut extincto vitæ stillaret spiritum; ego verò ad suscitatos malo exemplo meo extinguendos: ipse omnes operationes suas Patri æterno pro me oblaturus pergebat, ego verò hostibus ejus adversus eum memet libaturus festino: ipse cæcis lumen elargiebatur, surdorum aures aperiebat; & ego omnia omninò operor in contrarium.

3. Considerandum, à quo moveri perpeffus sim, quibusque fidam, propriis nempè æmulis, & iis quibus dictum erat: *Quod non potuerunt salvare portantem*. Ut item, licet arduæ, scopulisque refertæ essent viæ; per eas tamen adeò incuriè oberrarem, quasi nulla inibi extitissent pericula: *Quia verberabant me, & non sentiebam*, &c.

4. Considerandum, quantæ esset demeritiæ, vocationem Pastoris, qui super humeros suos me gestare vellet, abnegasse, cum ipse mihi dicat: *Audite me Domus Jacob, qui portamini ab utero meo*. Non sum ut rapax lupus, qui vos in frustra dissecandos abripit, qui que vos apprehendit, ut in profunda devolvat: *Usque ad senectam, & usque ad canos ego portabo*.

5. Perpendendum, quid Christus Dominus peregerit, ut me à pravis vitæ meæ consuetudinibus revocaret, per Angelos me inspirans, aliorum me exercitiis commoens, occasiones subtrahens; aliosque salutis meæ mediatores adhibens, ita ut ea beneficia longè excellentiora fuerint, quàm dum Josue Solem sisteret: quandoquidem

sol justitiæ, ut me sisteret, in cruce sese stiterit, Patri æterno illis se ostentans vulneribus, quibus peccata nostra affici mererentur; petam à meo Domino, ut potentias, & sensus meos detineat, ut præter eum neminem ampliùs affectem.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Quàm sollicitus mei causâ incedis, Domine! cum tui omninò oblitus procedam! Quid de me fieret, nisi eos contineres, qui me in Infernum devolvunt; demeritiæ meam cognosco, & fateor, quòd talibus me deferri perpeffus sim, ab eo ferri renuens, qui pro me cruorem, & vitam liberalissimè profudit: in hunc peccatorem vitâ functum, tua misericordia diffundatur, Domine; ad eum accede, ut sacratissimam manum tuam pertingat; ipsique dic: *Tibi dico, surge*: ut anima mea suscitata, vel peccatorum tenebris explicata, passiones meæ, vel mundus, aut Sathanas, post sese ampliùs me non protrahant. Dolores & angustias, quarum tibi pro me crucem bajulanti, occasio fui, defleam, nec tantæ misericordiæ effectus incassum experiar, ut eâ mediante *in loca pasche* deferri merear. Amen.

MEDITATIO LVI.

Feria sexta post quartam Dominicam.

PARS PRIMA.

Oratio præparatoria eadem est. 1.

Historia: *Erat quidam languens LAZARUS*, 2. &c. Joan. 11: Petit Ecclesia, æterna, temporaliaque subsidia.

Compositio loci; Christus cum Martha & Magdalena; vel dum tumuli lapidem tollere jubet, in memoriam revocandus. 3.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum, quomodò Christus defleat, ipsique deflendi materias subministremus: enimverò deflendum, quòd plurimi haud comitentur Christum JESUM; qui certè malè capiunt, quod à S. Job dictum est: *Pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me*. Ut hinc colligam quantum timere debeam, ne cum Christo medios inter labores verfer. Item, jure meritissimo illacrymatur JESUS, videns peccati effectum: *Quia intravit per peccatum mors*; & prænoscat quanti sibi constet tanto malo remedium adhibere. Item flet, quòd advertat ex hoc mirando admodum opere Phariseorum oriendum esse consilium, quò mortis in se litem discutere gestiant.

2. Considerandum, quænam differentia intercedat Lazarum inter, secundum carnem defunctum, & peccatorem secundum spiritum: namque Lazarus Christo jubente

N 3 fur-

furgit; at peccatori suggerit Christus, imperat æternus Pater, inspirant Angeli, rogitant amici, suadet ratio, quæ tamen una haud obstinationis ejus somnum amovet. Hinc confusionem, & duriciæ meæ dolorem eliciam.

3. Peccatoris consideranda cæcitas: Lazarus enim, dum jubetur, confestim foras prodit; sed peccatori, quantumvis ingeminetur, *Veni foras*; non proinde proficit. Sed quod impensè descendendum est, si quando leviuscula occasio sese offerat, ea, quam possidebat, gratia excidit, ad id instigantibus infernis potestatibus, forasque prodire suadentibus, quibus obtemperare ocyus non dubitat. Ex quo dolorem excitabo, obedientiam, quâ in Lupum feror, advertens, nullo in Pastorem respectu adhibito.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Si Jerem. i. cap. dicebat: *Quis dabit capiti meo fontem lacrymarum, &c.* Ejus jam adimpletum est desiderium. Cum tu, caput Angelorum, atque hominum, illud desleas, quod nos deslere prætermittimus. Ea desleant oculi mei Domine, quæ tuos flere compulerint: & quemadmodum ex Lazari ægritudine gloriam tuam manifestaveris, e meis itidem miseriis tuæ gloriæ manifestationem ostenta; hujus cordis mei induratum saxum amove; hoc impera, ut gemitus me subeat; hocque pacto tuarum lacrymarum particeps efficiatur, ex nunc deslere incipiens: brevi enim lapide in sepulchro operieris, Lazarusque suscitatus vivet. Tu iis illacrymaris, qui nascuntur, & in hoc seculo, periculisque referto Oceano versantur; alii verò lugent, quòd ex eo discedant; ne hos inter, defectu notitiæ annumerer; verùm ex iis sim, *qui à corpore mortis hujus cupiunt liberari*; ut te cognoscam, laudibusque efferam in secula seculorum. Amen.

MEDITATIO LVII.

Pro Sabbatho post quartam Dominicam.

PARS PRIMA.

Oratio præparatoria, &c.

1. Historia: *Ego sum Lux Mundi, &c.* Joan.
2. s. Petit Ecclesia, ut fructuosus sit nostræ devotionis effectus.

3. Compositio loci; in memoriam revocandum, quomodo Christus postquam adulteram liberasset, dicat: *Ego sum Lux Mundi.*

SECUNDA PARS.

1. Considerandum, quid dicant, vel agant personæ, &c. Ut paulò postquam illi omnes singulatim exiissent, dicat: *Ego sum Lux Mundi*, siquidem Pharisei ejus doctrinam & lumen ferre omninò non valebant: *Qui*

enim malè agit, odit lucem. Hincque timorem eliciam, quòd præsertim de ejus doctrina proficere neglexerim, quodque sanctorum mandatorum ejus disciplinam abjecerim. Item timorem consequar ob effectum, quem in peccatoribus excæcatis lux ejus procreet: etenim confusionem, terroremque iis, quemadmodum & Phariseis incutit. Sed quid erit, *Quando scrutabitur Jerusalem in lucernis.* Item, ut Christi testimoniis minimè admissis, suorum excæcatorum, atque adeò passionibus referentorum intellectuim testimonia admittant Pharisei, ut non nisi secundum carnem dijudicent. Sic peccator ubicumque gentium, mundi testimonium, legem vindictæ spirans, amplexatur; Christi verò testimonium nequaquam. Item, ut ea propter, Christi, æternique Patris testimonia agnoscere haud mēruerint: ut hinc aliorum periculis cauti esse discamus, omnem Christi testimonio, & Ecclesiæ Romanæ fidem adhibentes, ne Phariseis assimilemur.

Perpendendum, ut Christus Dominus diceret: *Vos nescitis undè veni, aut quomodo:* Ut ingratitude meæ cum dolore jure succenscam, quòd ille extiterim, qui ob duritiem meam haud perpenderim, ut debebam, undè Filius Dei veniret, & quòd mei amoris ergo perrexerit. Venit ex sinu Patris, ut ad Crucis brachia properaret, & in terra, ut eam me extraheret, sepultus est. Ego verò quasi horum omnium inscius pertransivi.

Considerandum, cum doloris sensu, quàm grande in mundo vigeat malum: si enim hi soli, qui Christi vestigiis inhærent, cæcitate caligine liberantur; cum rari adeò atque infrequentes sint, qui ei adhæreant, totus tenebris scatebit mundus. Itaque ad speciale conversus, diligenter perquiram, an aliqua in re Christi exemplo insistam, quòd si id advertero gratias immortales Deo rependam, de lumine, quod concesserit. Hinc verò illacrymabor, si in re aliqua Christo non adhæretere me animadvertero: quamobrem peccata mea timebo, atque deslebo; etenim ex hæc nubila, cæcitasque exorta sunt.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Magnum sanè populo tuo, de Ægypto exeunti, beneficium contulisti, Domine, quandoquidem eum conduceres *per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* Sed longè maximum extitit, dum tu personaliter illum rectoris venisti, lumine illum illustrans, ne à via aberraret, lucemque tribuens, ut ad verum tramitem reduceretur, si modò eam mediante fructum referre

ferre percuperet. Quid de cæcitate mea enarrem? Quis unquam cæcus tantæ fuerit dementiæ, qui lucem non desideraret? Quis item eâ obtentâ, terram, pulverisque oculis superposuerit, ut iterum excæcetur? Is enim verò miserandus sum, Domine: *Miserere mei*. Cognosco cæcitatem mihi subortam, quòd tibi minimè adhæserim, ut tuum deinceps exemplum amplexus, gratiæ, ac gloriæ lumen consequar. Amen.

MEDITATIO LVIII.

Pro Dominica in Passione.

PARS PRIMA.

1. Oratio præparatoria, &c.
2. Historia: *Quis ex vobis arguet me*, &c. Joan. 8. Petit Ecclesia: *Familiam tuam*, &c.
3. Compositio loci; Christus in memoriam revocandus est, disputans cum Pharisæis, & eos docens cum mirabili omninò patientia, cum temerariâ in eum irreverentiâ exhibeantur.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum, quomodo Christus, & beatissima illius Mater, hæc verba jure dicere possint: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ex his dolorem concipiam, quandoquidem miseræ creaturæ, homines, & dæmones, propriaque ad eò conscientia me gravissimè arguant de peccatis, &c. Item, attendam ad signum, quod datur ad Dei filios dignoscendos, hoc nempe, *Qui ex Deo est, verba Dei audit*. Item, hanc sententiam asservabo: *Ego non quero gloriam meam, est, qui quarat*, &c. Ut in tribulatione recreer, cum me sine culpa invenerim, & sit, qui eam scrutetur, & judicet. Item, id Dei legem custodientis futurum est præmium: *Ut mortem non sit visurus in æternum*, &c. Ut item Judaica malitia eò deveniat, ut Christum in vincula conjicere non dubitet, utque ipse non lapidibus, sed clavis, spinis, flagellis, & cruce velit emori: *Ut sit copiosa redemptio*, meumque amplius commoveat teporem.

2. Perpendendum, ut Christus Dominus, è Templo foràs prodeat: namque in iustorum animarum templis Christus ad majus eorum bonum sæpè reconditur; at è Templo egredi nunquam contingit, ni lethali noxâ à peccatore offensus discedere cogatur: enimverò illum tunc saxis obruit peccans, propriumque cor indurando veluti trucidat.

3. Considerandum, quale remanserit Templum Synagogæ, Christo ex eo discedente; qualisque anima nostra hæreat, dum eam reliquerit idem Christus: *Certè si in Templo materiali obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides*

Sanctuarii: Multò magis est deflenda spiritalis templi ruina: in quo charitatis aurum obscuratum, animæ pulchritudo in turpitudinem conversâ, & lapides virtutum Sanctuarii per plateas contempti abjiciuntur.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Vexilla crucis tuæ jam prodeunt, Domine; jam fulgoris ejus resplendet Mysterium: *Egredimini filia Sion, & videte Regem vestrum*, cum diademate, quo à Synagoga caput ejus redimitur. Tu quoque anima mea ejus obstupesce in respondendo patientiam; attende, ut in spiritu & fide eum conspiciens Abraham exhilarabatur. Filii ejus illum nec vident, nec videre volunt; verum è Templo suo ejiciunt. Quòd si magna eorum, haud eum agnoscentium, fuerit temeritas, quid de tua audacia enarrem, cum eundem haud ignorans, ex animæ tuæ templo ejeceris. Quomodo potuisti hoc facere? Quòd vergebat mens tua, dum hæc faceres? Pro quo alio hospite eum reliquisti? Quove jure eum propriis ædibus expulisti? Quòd si illum audieris, cur expulisti? Si verò non audieris, quâ ratione propriâ non auditum possessione arceas? cum ea carnis, & sanguinis sui pretio ei steterit. Ab eo, peccatum tuum agnoscens, veniam eroga, anima mea; cumque, quem saxis obruere cupiunt, Judæi excipe tu ut in templum se tuum recondat: cum præsertim in Judaico, & quidem in eo quasi asylo receptus, lapidetur. Ei famulare, considerans, ac deflens, quæ his diebus pro te sit perpessus, ut eum in passionibus comitata, præmiorum æternorum gloriâ particeps fieri merearis. Amen.

MEDITATIO LIX.

Pro Feria secunda post Dominicam in Passione.

PARS PRIMA.

1. Oratio præparatoria, &c.
2. Historia: *Quæretis me, & non invenietis*, &c. Joan. 7. Petit Ecclesia: *Sanctifica, quasumus, Domine, nostra jejunia*, &c.
3. Compositio loci, Christus ob oculos ponendus docens, ut Pharisæos ab erroribus revocet.

SECUNDA PARS.

Considerandum, qui sermones inter eos, misceantur, &c. Veluti quantumvis magna fuerit superbia Sathanæ, nunquam tamen eò pervenisse, ut in Filium Dei jurisdictionem exerceret; nihilominus isti *miserunt Ministros, ut apprehenderent eum*. Et Ministri hæserunt, peccator autem non hæret. Indè doloris occasionem sumam; similiter quâ ratione respondeat Christus, cum ad-

admirabili nempè affectu : *Ahuc modicum tempus vobiscum sum.* Quasi dicat, ne iniquo animo feratis, quod vobis dico, quandoquidem nonnisi paucillo tempore amplius me fruimini, cum omnia ista magno affectu, & pro utilitate vestra vobis ingeminem. Quamobrem cavebo, ne in tentationis tempore, cum præsertim ad Christum in anima mea capiendum procedo, quidquam adversus eum amplius intentem, quin potius recorder, quod dixerit : *Ahuc modicum tempus.* Ut item Christus exclamaret : *Si quis sitit, &c.* Veluti tunc temporis me alloqueretur, quamque ejus clamores parvi penderim, utque ardentissimâ siti cum perirem, ad fontem accurrere neglexerim. Item, ut adimpletum est, quod de Apostolis Christus prædixit : *Quia flumina fluxerunt de ventre eorum, & aqua viva præ donorum abundantia, &c.*

2. Perpendendum, ut Christus dicat : *Quòd ego vado, non potestis vos venire.* Ego enim per crucis & obedientiæ viam ad Patrem vado, vobis autem ardua nimis hæc via videtur, &c. Hincque timorem eliciam, quasi mihimetipsi hæc verba dicerentur, considerando, quo in statu in mortis articulo peccator existat, eò quòd Crucis viam non sit secutus : quamobrem Christo adhærere accuratiùs studebo.
3. Consideranda peccatorum illusio, qui in siti sua ad Christum tendere desinunt : ii enim opes sitiunt ; Christus verò paupertatem extollit, &c. Nec advertunt miseri cæci, non aliundè nummorum vim adeò magni fieri, nisi in quantum pecunia suppeditante modus inveniatur, quo voluntati suæ mortalis obtemperet : quare, si eadem pecuniâ deficiente, voluntatis complemento potiretur, nulla sanè de vili adeò creatura, æstimatio concipi posset. Quamobrem qui Deum dilexerit, deque fonte misericordiæ ejus, quæcumque arriserint, epotarit, nummos spernet : is enim omnibus, quæ optabat, suæ scilicet, voluntatis complemento potitur ; è quibus omnibus confusionis opportunitatem assumam, ob cæcitatem meam, cordisque duritiam.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Immitte, Domine, benedictos clamores tuos in auditum meum, *Ut audiam, quod loquatur in me Dominus.* O si quis te attentè auscultaret exclamantem : *Si quis sitit, veniat ad me, &c.* Attende, anima mea, quid boni tum fecerat, postquam miserunt, *ut apprehenderent eum.* Quid non peregisset, si ad præstandam ei obedientiam misissent? Cordis mei debilitatem agnosco,

Domine; fateor enim, bonis nonnunquam me desiderii affici, in quibus aquas gratiæ tuæ, ac dona tua sitire videor. Verum non sitire modò, sed etiam ad te per affectum homo tendere debet, quandoquidem affectus, effectu deficiente, non sufficiat : ideoque ne effectus desint, opus est, Domine ut non modò *velle* tribuas ; sed etiam *perficere.* Ea de re, ne solo desiderio, solaque siti, tibi satisfacias, anima mea, surge, ut Redemptorem tuum convenias ; attende, quòd ad se te vocitet, ad eum advola ; ad hoc enim creata es : *Et flumina de ipso fluxerunt,* ad potentias tuas irrigandas, itaut pro te, tuisque proximis tibi aqua sit redundatura, ut debitam Domino tuo reddas gloriam, in secula seculorum, Amen.

MEDITATIO LX.

Pro Feria tertia post quintam Dominicam.

PRIMA PARS.

Oratio præparatoria, &c.

1. Historia : *Ambulabat JESVS in Galileam,* &c. Joan. 7. Petit Ecclesia, ut jejunando ad remedia perducamur æterna.

3. Compositio loci ; ante oculos objiciendum, ut Christus in scenopegia ad Festum non manifestè, sed quasi in occulto, &c. ascendat.

SECUNDA PARS.

2. Considerandum, quomodo consilium ineant Hebræi, ut Christum cruci affigant ; Christus verò ut eos convertere, eorumque cæcitati mederi, meditetur. Item, quomodo per Judæam, quasi extorris Christus, ut pro nobis satisfaciat, nosque ab exilio æterno revocet, vagetur. Utque Christus dicat : *Tempus meum nondum advenit.* Priusquam enim Resurrectionis Gloriam manifestaret, crucis ei dedecus erat subeundum : ut hinc inferam, quòd nullâ omnino ratione quietem desiderare debeam, quin multos prius labores exanthlarim. Item, ut dicerent : *Ubi est ille?* Eique obmurmurarent ; ut adimpleretur quod scriptum est Job 19. *Cum ab eis recessissem, detrahebant mihi ;* Eum enim nec præsentem, nec absentem tolerare omninò valebant. Sicut nunc quidam reperiuntur, qui ne hoc, nec illo modo, propter densas adeò tenebras suas velint conspicer eum.

2. Perpendendum, quid nefandi illi homines in Christo adverterent, ut eum morti traderent? An fortè ideò, quòd omnem Pharaonis primogenitum occidisset, ad populum è manibus eorum eripiendum? O peccator! *Quare eum vis interficere? Num specialiter, quia eduxit te de tenebris, & umbra mortis, & vocavit in adoptionem filiorum Dei?*

Hinc

Hinc dolor de peccatis eliciendus est, ut eorum veniam consequaris.

3. Perpendendum, quid ego responderem, si Christus mihi objiceret: *Quare me vis interficere?* Quanto pudore suffunderer? Postmodum à memetipso sciscitabor; cur eum velim interficere: quia verus sum Herodes, qui vereor ne sensualitatis meæ regnum mihi rapiatur. Item, Israëlitz eum interfecere: *Quia Filium, Dei se fecit.* Ego verò eum interfeci ingratitude; nam filium Dei me fecit, per adoptionem. O miranda omnino retributio, acutissimo doloris sensu *dignissima!*

TERTIA PARS.

Colloquium.

O quantæ fuit dementiæ Herodes, Domine, dum te ad trucidandum inquireret; sed nondum tot miraculis, ac jam, claueras; nec tam mirandam doctrinam tum, uti nunc exhibueras: verum, quod tuus met populus ad idem præstandum te quæreret, longè maximum est delirium, cum præsertim miris; quæ gesseras, fuisset informatus. Quid de me misero peccatore proferam, qui postquam Crucis mortem subiveris, ut me in filium adoptivum Patris tui eligeres, te quærerem, non ut tibi servirem, verum offensis irritarem: non ut obedirem; sed ut Cruci affigerem. Quod si te Hebræi exulem esse coegerint, meis peccatis te impellentibus à mea anima exulasti. Si quæ dæmones dicere coacti sint: *Cur venis ante tempus torquere nos.* Ego velut miserandus filius, pœnitentiæ, & mortificationis opportuno oblato tempore dicere solebam, quod tempestivè ea hora nimium ingrueret: sicquæ de eo, qui hæc admonebat, conquerens dicebam: *Cur venis ante tempus torquere me?* Cum tamen doloris sensu verè dicere debuissim: *O quam serò te cognovi, Bonitas Divina!* Et quam serò ad tuam vineam me contuli! *Miserere mei Deus secundum magnam Misericordiam tuam.*

MEDITATIO LXI.

Feria quarta post quintam Dominicam.

PARS PRIMA.

1. Oratio præparatoria, &c.
2. Historia: *Facta sunt encania,* &c. Joan. 10. Petit Ecclesia, ut fidelium corda illustret Deus.

Compositio loci, Christus in Porticu Salomonis obversans, ante oculos obiciendus.

SECUNDA PARS.

Considerandum, quomodo Christus à Pharisæis circumdetur, cui hoc correspondet: *Circumdederunt me sicut apes,* stimulis malitiæ suæ. Item, an sit Christus; Prophetas interrogent, Reges atque Pastores,

ipsumquæ adè Præcursores, qui dicit: *Ecce Agnus Dei,* &c. Ut item Christus, passionibus obruta corda feriat, dum dicit: *Oves meæ vocem meam audiunt.* Cum igitur me non audiatis, inter oves meas minimè vos recenseo: ex hac itaque sententia timore percelli conabor. Quantæ item duriciæ corda eorum existerent, quandoquidem ipso dicente, quod scire cuperent, *insani lapides sustulerunt.* Hinc colligam, quantum mihi à peccato committendo cavere debeam: quandoquidem uno admisso, ad alia devolvamur; sicquæ ex uno plures lapides eliciuntur.

Perpendendum, ut Joseph *continere se* non potuit, quin fratribus suis diceret: *Ego sum Joseph.* Cum tamen iidem essent, qui eum vendiderant: Sic nec Christus, ter benedictus Propheta noster *continere se voluit,* quin iis qui eum prodituri essent, declararet, se esse Filium Dei, ut ad ea se quæ agerent, reflecterent: in quo universalis Bonitas Redemptoris clarissimè refulget.

Consideranda sunt cum dolore atque timore hæc verba: *Loquor vobis, & non creditis.* Surdas inspirationibus aures præbes peccator, caput sanis consiliis obvertis, &c. Item, *non creditis* in contemptu honorum, nec in voluntatis mortificatione; *non denique creditis mihi,* in injuriis dimittendis: hisquæ verbis confusione suffundar, quasi ab ipso Domino mihi dicerentur.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Merito sanè Pharisæorum generatio; *prava & adultera* denominatur; quandoquidem à fratribus suis Josephus adoretur, dum sese ipsis manifestat; sed hi miserandi omne bonum suum lapidibus obruunt, verum suum Josephum Messiam. Quam malè impensum in me adverto, Domine, quod tuâ Misericordiâ revelasti; siquidem cum tibi servire, teque cum timore venerari deberem, lumen, quod mihi in Baptismo contulisti, spreverim, saxeoquæ corde meo, te lapidaverim. Deus Misericordiæ, miserere mei, & concede, ut sanctissimum Josephum meum cognoscam, ut eum decenter reverear; quandoquidem is in Pastorem, Ducem ac Redemptorem meum mihi à Domino transmittatur. Sim ego inter oves, quæ vocem ejus audiunt; ejusquæ inhærent vestigiis: etenim si in ipso, ut ovis vera usque in finem perseverem; *Nemo eripiet me de manu ejus.* Si enim David oves suas è faucibus Leonum eriperet, quantò validiùs id David noster præstiturus est, cujus potentia infinita est in secula seculorum. Amen.

O

M E

MEDITATIO LXII.

Pro Feria quinta post quintam Dominicam.

PARS PRIMA.

1. Oratio præparatoria, &c.
2. Historia: *Rogabat JESVM quidam, &c.*
Luc. 7. Petit Ecclesia: *Ut dignitas conditio-
nis humana, &c.*
3. Loci compositio; Christus in domo
Pharisæi ad convivium invitatus, & Mag-
dalena pedibus ejus devoluta, ante oculos
objiciendi.

SECUNDA PARS.

1. Perpendendum, quomodo Phariseus
Christum, ut debebat, nedum cognoscens;
eum tamen & roget, & invitet. At qui
eum in præsentiarum cognoscunt, suâ il-
lum domo expellunt. Item, quomodo
convivia in assidentium utilitatem Chri-
stus acceptet; utque in iis mira operare-
tur. Alibi aquam in vinum convertit, sed
hic vinum in lachrymarum lymphas com-
mutat, vinum mundanè ebrietatis; quod
Magdalena ebiberat, in gemitus conver-
tendo. Ut item Phariseus obstupescat,
quod pedibus suis appropinquare peccatri-
cem Christus patiatur: quam ob causam,
vertebat in dubium, an Propheta esset,
haud memor quod Propheta Elisæus Giezi
à pedibus suis Suramitem avertere volenti,
obstitisset; eam, ut sineret, præcipiens;
quandoquidem esset cum animæ amaritu-
dine. Item ut exclamanti Chananeæ,
Christus minimè respondeat; Magdalene
verò nullum exterius verbum proferenti,
spiritualem salutem impertiat. Uthinc
colligamus, bonum utique esse, exclama-
re; sed *præstolari cum silentio*, obmutescen-
do, atque operando cum poenitentia, lon-
gè optimum.
2. Perpendendum, quantà ratione Evan-
gelium dicat: *Ecce mulier*; cum de pecca-
toribus diceretur: *Non dabant cogitationes
suas, ut reverterentur ad Dominum, quia spi-
ritus fornicationum in medio eorum.* Osee 56.
Ecce mulier, quæ in Dominum suum con-
vertitur. *Ecce mulier*; non sicut Eva, quæ
à Serpente invitata comedit, ac peccavit;
hæc enim venit ad convivium, non ut co-
mederet, sed ut lacrymaretur: *Ecce mulier*;
non sicut cæteræ, quæ bono proprio sti-
mulate, ad Christum rogaturæ accedunt;
nam hæc nihil erogans nisi lacrymas, præ-
tiosissima quæque liberalissimè profudit.
Ecce mulier, quæ statim ac cognovit, quæ
audierat, quæ sivit Dominum, summoperè
dolens, quod velut Absalon in patrem Da-
videm, sic in Christum suum sese ingratham
exhibuisset: quare, ejusdem Christi pedi-
bus, crinibus appensa remansit. E quibus
omnibus dolorem eliciam, considerans

præsertim, quod omnem fastum ac pom-
pam suam pedibus Christi primo die Mag-
dalena demiserit, cum ego post tot dies,
sub Christi pedibus appetitus meos non
exuam.

Perpendendum, quid agat Magdalena, 3:
uti primò unguentum afferat; secundo;
stet retrò secus pedes ejus; tertio, *lacrymis
pedes ejus riget*; quarto, *capillis suis tergat*:
quintò, *eos osculetur*; sexto, *eos ungat un-
guento.* Hæc sex specialiter consideranda.
Sunt autem, qui ad Christum accedunt;
verum non stant secus pedes ejus per hu-
militatem. Alii sunt, qui, si accedant,
non devotione, debitisque lacrymis ac-
cedunt. Alii, qui licet ad lacrymas emol-
liantur; attamen in profundendis, quæ-
cumque possident, pretiosis, indurescunt.
Alii, vestigia, quæ pedibus suis Christus
perlustravit, ægrè deosculantur; alii verò
ea sanctis meritorisque operibus haudqua-
quam perungunt, ut ita de omnibus con-
fusione suffundat, & iis, quæ ad peccato-
res confundendos hæc peccatrix peregerit,
obstupescam.

TERTIA PARS.

Colloquium.

O Domine, quantam rationem habui-
sti, ut diceres Phariseo: *Vide hanc mulie-
rem*, propter eximium omnino poeniten-
tiæ specimen, quod in ea refulgebat, cum
hæreret ille, qui eam in terrâ spinis tribu-
lisque suffocatam, atque aded lapidibus in-
sitam, judicabat. Qui prius agnoverit hanc
mulierem, & postea videt, totus stupore
replebitur. Nam si prodigiosum fuit vide-
re Jordanem retrogredientem, non fuit
minus, quod hæc mulier perditam suam
vitam reprimeret; Adde quod si multum
fuerit, quod Philistæi restituerent Arcam
Testamenti, non minus fuit, quod dæ-
mones hanc foeminam reliquissent, quam
captivam tenebant. O Domine, quis est
hic, qui & peccata dimittit? Ille est, *qui
non venit vocare justos; sed peccatores.* Ille est,
qui relictis in cælo novem Angelorum
choris, in terram ovem deperditam quæ-
situm descendit. Is est, qui ut peccatum
tolleret, peccatoris induit similitudinem.
Is est, qui veniam ad amoris stateram im-
pertiebat. O Magdalena sancta, eximie
sanctitatis exemplar, amorem nobis im-
petra, ut & delictorum remissionem me-
reamur, tuique ardentissimum amoris
æstum, ac poenitentiam imitemur, ut Ma-
gistri tui pedibus recumbere, eosque la-
crymis irrigare, sanctisque operibus in-
ungere condignemur. O dilecta cliens, si
copiosum aded lacrymarum rivum primo
die ad Christi pedes profundis; quid non
perages

prages dum stans ad crucis plantam, eos ipsos pedes, (quos jam tanto amoris incremento deoscularis) dirissimis clavis affixos conspectura es : O mulier, nihil muliebri gerens, confusio hominum, & robur afflictorum, sis Patrona mea ante hospitem tuum, ut crucis ejus doloribus tecum affecti, tecum etiam in resurrectione gaudeamus. Amen.

MEDITATIO LXIII.

Pro Feria sexta post quintam Dominicam.

PARS PRIMA.

1. Oratio preparatoria, &c.
2. Historia : *Collegerunt Pontifices, &c.* Joan. 11. Petit Ecclesia, suis alumni ac filii mortificationis gratiam.
3. Compositio loci, concilium quod de Christo ineunt Pharisei imaginationi obijciendum, & statim considerandum, quid de eo in sacrosanctæ Trinitatis Consistorio resolvatur.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum, quid dicatur, vel agatur à personis, &c. Ut quid isti Judices sese constituant, ubi nihil minùs quàm tales existunt : ut hinc confusione suffundar de tot vicibus, quibus temerariè judicaverim. Ut item, hi Pharisei Christum morti tradere statuant : *Quia multa signa fecit*, quæ ipsi ab eo exegerint. Sic peccatori contingit, cui, si denegetur, quod exoptulat, patientiâ excidit : quod si concedatur, ipsâ ingratitude, & perverso beneficii usu, Christum spiritualiter morti tradere non dubitat. Item, ut Cayphas, eorum licèt, quæ dicerentur, omninò inscius, prophetizet. Item uti hi volunt, ut Christus moriatur : *Ne* (ut ipsi dicebant) *tot a gens pereat*. Sic & peccator statuit, ut Christus moriatur, ne voluptatum suarum illecebræ, unicuique felicitatis suæ scopus, aboleantur.
2. Perpendendum, quæ unquam lex, ut quis ob patrata à se miracula moriatur, fancierit. Quæ item ullum morti addixerit, ut postea comprobaretur, an veritatem possideret; enim verò sic isti judicaverunt: Sapientia 2. *Morte condemnemus eum: erit enim ei respectus, &c.* Ut item : *Ab illo die cogitaverunt illum interficere*. Sic quoque peccator illo die, quo peccatum committere statuit, &c. Item, ut signa Moysis tanti fecerint, cum tamen essent signa mortis; & cum Christi signa, sint signa vitæ, signaque visum cæcis restituendi, & quæ de Messia Isaias vaticinatus est; ea tamen ne vel flocci pendeant : ut hinc timorem concipiam, illa videns, quæ ab hominibus patrata sint; utque sedulo præcaveam, ne cum & ipse homo sim, malitiâ passionibus implicatâ, cor meum id genus affectibus inficiat.

Perpendendum, quid in Consistorio Divino interea determinetur, ut nempe Filius hominis mundum redimat : *Sicut definitum est de illo*, ut fortitudo, virtusque divina, atque æterna Sapientia, tenebrarum Principem vincendo, illucescant. Ut ex ejus malitia major misericordia, & ex hoc Phariseorum nefando scelere, humani generis redemptio exoriantur.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Celsissime Domine, quid dicunt Pharisei? *Quid faciemus?* Cum ii omnes sint quasi nihilum ante te. Sed tu Domine (cujus in manibus omnis sita est potentia) *quid facis?* Quid non efficis, Domine, ut hominum dissimules peccata, ut ex eorum malitia gloria tua, majusque bonum prorumpat, quandoquidem *id fuerit placitum ante*, &c. Sis paratus Samson : mox etenim à Dadila prodendus es. Sis paratus ad Leones, ô Daniel. Et tu Absalon ad lanceas Joab. Sis paratus Abel sancte : jamjam enim præ manibus Cain, ad mortem tibi construendam. Instruere benedicte Isaac ad ferendum fasciculum ligneum, atque adedò ad mortem subeundum. Disponere validissime David, ut lapidibus quinque instructus, id est totidem vulneribus, meritissimam Goliath mortem inferas. Præparetur Jonas noster : ecce Cete hiantibus faucibus jam te est voraturum, dicens : *Quid faciemus?* Sancte Moyses incipe nunc parari ad brachia expandenda, eaque attollenda, ut populus tuus vincat. Attende, Domine, jam adventasse tempus, de quo dicitur Jerem. cap. 116. *Inventa est conjuratio in viris Juda, filii collegerunt ligna, & patres accenderunt ignem*. O popule Israël, quid facis? Ipse te ab Ægypto salvum eduxerat, & tu eum è mundo projecis : ipse dulce manna tibi elargitus est; & tu fel amarissimum illi præparas. Sed tu, ô Dei sanctissima Mater, quid facis? Si pro Absalone tam perditio David ingemuerit, dicens : *Quis mihi det, ut moriar pro te, fili mi Absalon?* Quantò melius tu idem ingeminare, atque facere potes? Disponere, ut cum Filio tuo patiaris : jam enim hora illucescit. Quod si Heli Sacerdos, audiens, quòd Arca Fœderis Philistæorum potestati subjecta esset, mortuus corruerit. Quid ages, ô Deipara, dum audies dilectissimum Filium tuum sub durissimo Phariseorum jugo vinciri : ii enim longè duriores Philistæis existunt. Arcam tandem hi remiserunt, at illi JESVM tuum non priùs dimittent, quàm in Cruce spiritum emisisse conspexerint. Quid tunc facies bellissima Virgo? His & similibus finem imponam, dolorem sensumque Virginis & Matris efflagitans.

MEDITATIO LXIV.

Pro Sabbatho post quintam Dominicam.

PARS PRIMA.

1. Oratio Præparatoria; &c.
2. Historia: *Si vos manseritis in sermone meo*, &c. Joan. 8. Petit Ecclesia: *Proficiat, Domine, plebs tibi*, &c.
3. Loci compositio: Christus Dominus ante oculos objiciendus, populum suum erudiens.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum, quid dicatur, &c. his verbis attentius inhærendo: *Si vos manseritis in sermone meo*, &c. Non coronabitur nisi qui legitime certaverit. Nec sufficit Sodomis egredi, si ea retrospiciatis. Item, præmium veri discipuli Christi est, nosse veritatem, eaque mediante liberari. Item, ex responso: *Abraha semen sumus*, colligendum, quàm parùm profit nomine gloriari, si desint opera, & hinc mendacium emanat: *Nemini servivimus unquam*. Item, Christi sententia altè memoriæ est insculpenda, dum dicit: *Qui facit peccatum, servus est peccati*. Considerando quantæ sit difficultatis divitibus ac potentibus, quibus omnes parent atque obediunt, persuadere quod servitutem & ipsi patiantur.
2. Perpendendum, cujusnam generis servitus sit ista peccatoris; verè onageris assimilatur, quibus moris est non nisi alienâ supellectili humeros suos contegere, quorum pondere nihil præterquam laborem, atque dolorem referunt: & hi, quò plus lucrantur, majori itidem pondere, laboreque molestantur. Illis item triremium labori adactis mancipiis sunt persimiles: nam peccatores voluptatis remigibus adiguntur, ac disrumpuntur, ut à Christo fugiant, cum nihilominus sciant, quòd omne in ipso bonum suum, ac redemptio innixa sint.
3. Considerandum in quantum id mancipiorum genus ab aliis discrepet. Etenim si Israëlita duram Babylone servitutem experti sint, tandem libertatem sunt adepti, & Cantorum Sion recordantes, iis suam solitudinem allevabant, &c. Verùm tanta est peccatori in suâ servitute cæcitas, ut Sion Cantica, resque aded spirituales abhorreat, nec agat de libertate, imò nec eam exoptulet. Hinc præteritorum dolorem eliciam, timoreque percellar propter pericula, quibus hanc vitam obnoxiam traduco.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Quis unquam tantæ fuerit dementiæ, qui sumptus cum hero suo in codicem re-

ferre contendat, sciens, quod primò omnium, dum à servis suis impenfarum rationem exigit, eis oculos excæcet, linguam, auresque scindat, & pedibus manibusque eos truncet? Cùm itaque hæc eadem sint, quæ servis suis retribuatur dæmon, quis eum in Dominum eligat? Sed quis te deserat, Domine, qui pro tuis, oculos ad lacrymas, linguam ad fellis amaritudinem, pedes, manusque ad clavorum affixionem concessisti. O anima mea, vicesdeplora; quibus peccato inservieras; eumque adora, qui sui servam te constituit, ut libertatem consequi posses; & ad hoc ejus in corde tuo verba diligenter recondas, tuaque in memoria indelebiter insculpas. Manus operi adhibe, nec tantulocumque nomine glorieris, si desint opera: & hoc pacto in Christi discipulum evades, ejusque virtute à peccati servitute liberaberis; cordis tui claves Christo confidas, & tum advertes, quòd *ipsi servire, regnare sit*; & contumelias pati, honoris ornamento decorari; pauperemque esse, verè sit esse locupletem: Sic & laboriosam vitam ducere, omni prorsus sit tranquillitate gaudere; ut ex hac ad vitam pervenias æternam. Amen.

MEDITATIO LXV.

Pro Dominica Palmarum.

PARS PRIMA.

1. Oratio præparatoria, &c.
 2. Historia: *Cum appropinquasset Jesus Jerusalem*, &c. Matth. 21. Quod Ecclesia petit, est: *Deus, qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum*, &c.
 3. Compositio loci, erit introitus in Jerusalem, ut dictum est Feriâ tertiâ post primam Dominicam.
- SECUNDA PARS.
- Considerandum, quid dicatur, vel agatur à personis, &c. Ut inde confusione suffundamur; ut primum enim asini, jumentique hero dictum est: *Dominus his opus habet*; ultrò libenter statim totum concessit; mihi verò, licet semel atque iterum ingeminetur: *Dominus his opus habet*; nihil tribuo, &c. Perpendenda item sublimitas, simul ac humilitas Domini, quandoquidem ipsi asinâ opus esse asserant; cum veritas sit, *quòd bonorum meorum non indigeat*; Verùm meam in suam assumit necessitatem, & quia tanto mysterio, quod operaturus erat, egerem; ided *Dominus his opus habet*. Ut item, quæ scripta erant, omnia adimplerentur; cum proditum sit: *Filia Sion, ecce Rex*, &c. Hic earum verè Rex extitit, à Saule longè discrepans, qui earum hereditates usurpabat; sed hic carnem & sanguinem liberaliter pro iis obtulerat:

Ecce

Ecce Rex tuus, pro te agit, quæcumque agit, & tibi mansuetus est: cum tamen persecutor illius esse non erubescas, &c. Ut item & qui præcedebant, & qui sequebantur, omnes unanimiter mundi Redemptorem collaudent: ut hinc colligamus, quòd æquè in adversis, atque in prosperis ejus laudes personare debeamus, &c. Item, ut postmodum, cum vespera esset, abiit ex civitate in Bethaniam.

2. Perpendendum, uti Christum animis nostris suscepturi, Apostolos imitari debeamus, qui indumenta sua super asinam, & subter Christum imponunt, in quo suam ostentant perfectionem: vel certè puero- rum Hebræorum exemplo duci debemus; sicque sensuum nostrorum cupidinem, quæ asina nostra est, refrænare, ut Christum ferre valeat: *Quia jugum meum suave est*. Vel rami, & spinæ, quibus affectibus, & peccatis irretimur, nobis sunt rescinden- di: aut saltem tales habitus, moreisque nos- tros esse oportet, ut lex Christi super il- los cum approbatione gradiatur.
3. Considerandum, ut pro diebus commu- nionis exercitium illud spirituale opti- mum futurum est, quo Christo ingressus eadem ratione, quâ introivit Jerosoly- mam: apparetur, sensibus, potentiisque dicentibus: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, eum sanctorum operum floribus, fervidisque desideriis perfundendo, ita ut dicatur: *Fulcite illum floribus*; eo quòd in tantum nos dilexerit.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Egredimini filia Sion, & videte Regem ve- strum. Attendite ad humilitatem, atque majestatem, quâ stipatus veniat. Attendi- te, quòd hic sit verus David, qui Philis- tæum trucidavit, si ei applausistis, lon- gè amplius huic applaudere tenemini; sed quid dicam, Domine, videns quòd popu- lus, qui te tantâ gloriâ, tantaque pompâ Jerusalem excipit, sit etiam qui te ex eâ crucem bajulantem educat; & ii, qui nunc dicunt: *Ossana Fili David*; postea dicant: *Crucifige*, &c. Quique sub asinam vestimen- ta sua substernunt, sunt iidem, qui te iis spoliant; & qui ex arboribus ramos avel- lunt; postea crucis arborem pro suo Sal- vatore disponant; & qui te ut Regem ex- cipiunt, tandem dicant: *Ave Rex Judæo- rum*, adjectis alapis. Væ mihi misero, qui te aliquando devotâ mente receperam; po- stea velut horum sceleratorum unus, (spi- ritualiter loquendo) te indignè tractavi: *Deus propitius esto mihi peccatori, ut tu sis Rex meus, & Deus meus*. Amen.

MEDITATIO LXVI.

Pro Feria secunda Majoris Hebdomada.

PRIMA PARS.

Oratio præparatoria, &c.

1. Historia: *Aliâ die cum exiret à Bethaniâ, esurivit*, &c. Petit Ecclesia, ut qui in tot ad- versis ex nostra infirmitate deficiamus interceden- te unigeniti Filii Dei Passione respiremus.

2. Compositio loci; Christus ob oculos 3. constituendus dum ad ficum cum discipulis suis famelicus accederet, nullo in eâ fructu comperto.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum, quid dicatur, vel aga- tur à personis, &c. Ut videre est in Chri- sto fame laborante; Item, quomodo præ- monstretur quantâ reverentiâ æterni Pa- tris Templum debeamus venerari: liqui- dem ex eo ementes & vendentes deturbarit. Item, quàm benè Dominus abusum præ- viderat, qui ex cupiditatis simoniæque peccatis esset nasciturus: quandoquidem severam adedò castigationem adhibuisset. Ut item Pharisei eum querebant interficere. Ex quo dolorem eliciam: enimverò tan- tum abest, ut castigationibus, & correctio- nibus peccatores emendationem referant: ut potius majorem cordis duriciem indè contrahere videantur, mediæque inve- stigant, quibus proprio appetitui liberalius indulgeant, Christi licet jacturam patian- tur. Ut item sacrosanctæ ejus vitæ tempo- re elabente, de die pergeret ad docendum, & sub noctis initium sese reciperet in Be- thaniam: *Vt, quòd in urbe non inveniebat, apud Lazarum & sorores in agro parvulo habe- ret hospitium*.

2. Considerandum, ut Christus populi sui Judaici viris in ficulnea, quid verè essent, manifestaret, quidque ipsis fieri oportere- ret: ii enim ficulneæ quæ solis foliis vire- bat, persimiles erant; etenim nihil ipsis inerat, quod comedi posset. Ideoque ut in ficulneam, sic & in eos maledictionem irruisse, consequens fuit.

3. Considerandum, quàm attonitus in mortis articulo peccator sit inveniendus, dum fructificandi tempus jam effluxerit; nam à Christo Domino ipsi dicitur: *Nun- quam ex te fructus nascetur in aeternum*. Væ tibi, qui non nisi volitantia verborum, petitionum, atque ostentationis folia possi- des, siccusque es velut dicta ficulnea, ejus- que quasi tectus foliis, te disponis ad sup- plicium.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Domine, si ficulneæ fructibus intempe- stivè carenti maledicas, quid de anima peccatrice facturus es, quæ nullum ad sta-

tutum tempus reddit fructum? Væ mihi, qui video, quod de cœlo in terram hunc fructum collecturus descenderis, & ejus fumendi desiderio allectus, nihil nisi folia in me invenias; ita ut hostes tui in terra mea hunc fructum dissipant, tibi que nihil præter folia, & alia, quæ nihil valent, reserventur! O si attenderes, anima mea, quis de te fructus promanet! Et quomodo ut spinas illas tribuas, quæ ex sensuali tuo appetitu generantur, pœnitentiæ fructum dare desinas, quem solum acceptat, & de quo tuus Dominus gloriatur! Ipsum humiliter exora, ut maledictionem, quam olim ficulneæ imprecatus est, eâ non te, sed sensualitatem tuam afficiat, ut tam abominandus è sensibus tuis, & affectibus fructus nunquam pullulet: hocque modo oculi tui lacrymarum, manus tuæ bonorum operum, & cor tuum amoris fructus tribuent, ut dilecto tuo complaceas, qui hunc fructum famelicus appetit, eumque ex te depromptum venit, ut eum Patri suo æterno in cœlestem transferat Curiam. Amen.

MEDITATIO LXVII.

Feria tertia Majoris Hebdomada.

PARS PRIMA.

1. Oratio præparatoria, &c.
2. Historia: *Cum mane transirent*, &c. Marci. II. usque ad finem capituli. Quod Ecclesia petit: *Dæ nobis ita Dominica Passionis Sacramenta peragere, ut Indulgentiam percipere mereamur*, &c.
3. Loci compositio; obijciendum ante oculos, quomodo Christus Bethania Jerosolymam, ut Populum edoceat, ei que proficit, revertatur.

SECUNDA PARS.

1. Perpendendum, quid dicatur, vel agatur, &c. Ut Christi miraculum, à sancto Petro advertatur: ut hinc confusione perfundar, quod sapius, quæ Dei erant præterierim, nullâ eorum consideratione adhibitâ. Ut item, orationem & charitatem adversus inimicos Christus commendat: quod opus efficacissimum est, ut ab æterno Patre exaudiri mereamur. Item, ut Pharisei cum ex tam salubri doctrinâ fructum reportare debuissent, magis indurati fuerint, novisque argumentis cum Christo litigari contenderint. Ut hinc dolor eliciatur: quandoquidem peccatores tanto minus operentur, quanto ampliori studio viam virtutis insequi suadentur. Vices quoque deslebo, quibus istis fuerim assimilatus. Ut item eos Christus suo responso confundat: *Et sic inciderunt in foveam, quam fecerunt*. Quod quotidie peccatori evenit, qui cum Domino suo non dubitat oblectari.

Considerandum, quàm parum Genti². Judaicæ profuerit punitio, quæ in ficulneam inflicta est; ignis, injectâ aquâ, ardere desinit; sed Phariseus & peccator, quò abundantius aquis irrorentur, eò & ardentiori passionum suarum incendio conflagrant: è quo timorem consequar, ut à miserando hoc liberer igne, qui talis sit indolis, ut aquâ (Christi doctrina scilicet) quæ ad eum extinguendum illi injicitur, ardentius effervescat.

Perpendendum, quantæ excellentiæ³. donum sit fides, ut Domino ingememus: *Adauge nobis fidem per dilectionem operis*. Eâ enim montes in mare præcipites aguntur. Quod licet visibiliter non appareat; id tamen sancti, atque justiper fidem in oratione ad Dominum invisibiliter consequuntur, dum scilicet peccatores convertunt, qui cum tumentes sint superbiæ montes, eos in pœnitentiæ mare demergunt, quod profectò longè amplius est, quàm ab una parte in aliam montes transportare; ideoque de mirando hoc opere Dominum collaudabo.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Quid hoc est, Domine, quòd Sacerdotes & Scribæ adhuc percunctentur: *In quâ potestate hoc facis?* Vident, quod universus populus te insequatur, & dicere audent: Nihil proficimus. Vident, quòd tibi creaturæ omnes obediant: vident, quòd ipsi adeò dæmones verum te Dei filium confiteantur. Denique, quod de te præcurfor reddidit testimonium. Vident, & adhuc sciscitantur: *In quâ potestate hoc facis?* Quis intravit in potentias Domini? Si è tuâ omnipotentiam scrutari aliquid cupiant, cælos cum stellis, telluremque cum animalibus suis spectent, & tunc visuri sunt: *In quâ potestate hoc facis*. Benedicta sit, Domine, potentia tua, quâ creatus sum, quâ conservor, quâque ex hostium meorum potestate liberatus sum. Tribue, Domine, ut percipiam quod protectionis tuæ potentiam contegi, sit omnis fortitudo mea, &c. ô quid fieret de me, si ab hac custodia, & protectionis tuæ brachio amoverer. Sciant potentes, omnem in hoc inniti potentiam, hoc est, tibi stabiliter inhærere: *Quia omnia possum in eo, qui me confortat*. Percipiant item quod si cælestia deficient, omnes divitiarum suarum acervos in summam egestatem, atque in abjectam miseriam degenerare; si verò ista possideant, meritò dicere valebunt: *Non timebo quid facias mihi homo*, &c.

MEDITATIO LXVIII.

Pro Feria quarta majoris Hebdomadae.

PARS PRIMA.

1. Oratio Præparatoria, &c.
2. Historia: *Et factum est, ut consummas-
sent sermones hos omnes.* Matth. 26. Quod Ec-
clesia petit, est: *Presta quasumus, omnipotens
Deus, &c.*
3. Loci compositio; Christus in domo Si-
monis Leprosi ob oculos repræsentandus,
utque illius Magdalena inunctio Domini
denuntiet sepulturam.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum, quid dicatur, vel aga-
tur à personis, &c. Christus Dominus futu-
ram mortem suam prænuntiat, ut osten-
dat: *Quod potestatem habet ponendi animam
suam, & iterum sumendi eam.* Quodque ul-
trò lubens vitam suam pro generis huma-
ni restauratione profundat. Item, quam
malè tantum beneficium persolvant Prin-
cipes Sacerdotum, quandoquidem consi-
lium ineant: *Quomodo JESVM dolo teneant,
& occidant.* Ut hinc colligamus, quidnam
pro nobis faciat Christus, quid verò & nos
ipsi rependamus. Ipse vitam nobis dare sta-
tuit; at nos necem ipsi inferre decernimus.
Ut item Christo non solum Pharisei; sed
& proprius ejus Discipulus insidietur, qui
Principes, & Sacerdotes conveniens, sic
eos allocutus est: *Quid vultis mihi dare, &
ego eum vobis tradam?* O scelerate Judas!
Quodnam condignum pro eo pretium tri-
bui queat? O peccator, qui turpi eum
vendis oblectamento, ad id, quod das, &
quod tibi datur, attende. Filium Dei dedit
Judas; ei verò funis, quo sibi impiam gu-
lâm frangat, retribuitur. Idem planè suo
modo tecum tua peccata operantur.
2. Considerandum, qualis Judas existeret,
postquam Dei Filium tradendi quæreret
opportunitatem; quomodo hinc eum con-
scientiæ vermiculus cruciaret; quam ma-
chinaretur malitiam animo suo iterum
iterumque prodicionem revolvens; inde-
que ob sceleratam omninò suam malitiam
à dæmone excæcetur: quare mœstitiâ,
curis, molestiisque postea concitatus hæ-
tebat. Pari modo sanè vexatur peccator,
dum jam jam statutum in corde suo pecca-
tum refovet; quam ob causam de ipsâ vi-
tâ agitur, ut nullus peccato consensus
præbeatur. Judas item de bono opere
Magdalena scandalizatur: *Quia fur erat,
&c.* Sic & peccatores de bonis operibus,
quæ alii faciunt propter Christum; scan-
dala patiuntur, occasionem eorum quæ-
rentes ex industriâ; quæ de re dicebat Do-
minus: *Beatus qui non fuerit scandalizatus
in me.*

Joan.
12.

Considerandum, quomodo in domo Si-
monis leprosi fecerant ei cœnam; Lazarus vero
erat, &c. Ad solamen peccantium: etenim
quantumvis de Lazaro Martha hæc protu-
lisset: *Quatriduanus est, & jam fetet.* Ni-
hilominus tamen eum mensæ suæ assidere
jussit Christus, ut indicaret idem cum pec-
catore peragere, dummodò à noxarum
suarum lapsu resurgat; illum mensæ suæ
accumbere jubet, illumque invitat ad pa-
riem Angelorum. Quis igitur mortuus,
putridusque sub terrâ foetens jacere potius,
quàm Christi mensæ dulcissimè accumbe-
re præligat sanus & vivus?

TERTIA PARS.

Colloquium.

O Magdalena; quam luculenter appa-
ret, quod optimam partem elegeris:
quandoquidem Magister tuus te in tua
conversione non modò non defenderit,
quinimò & etiamnum pro te respondeat;
amoremque, quo te prosequitur, ostendet.
Meritò sanè eum amas, atque inungis,
propter unctionem, quâ ab eo donata fui-
sti; sed pedibus ejus sanctissimis, à quibus
tantâ suavitate perfusa es, valedicere inci-
pe. Ecce enim jam appropinquat hora,
quâ eum quæsitura es, nec invenies, hi-
que suavissimi pedes in torrentem amaritudinis
pro te convertentur: quandoquidem, lon-
gè aliud futurum est eos osculis demulcere,
& aliud illos durissimis clavis transfixos
conspicere. Quare hoc tuum cor paratum
habe ad patiendum cum Dilecto tuo; ut
quemadmodum hora illius advenerit, sic
& tua: Nam ut jam *repleta est domus ex
odore unguenti*; sic & cor tuum dolore re-
plebitur ex odore myrrhæ ejus Passionis.
O anima mea si à Redemptore defendi desi-
deras; eum piis, sanctisque operibus inun-
ge, illum ad usque sepulturam comitando;
ut eum in gloria conspicere merearis sus-
citatum. Amen.

MEDITATIO LXIX.

Feria quinta Majoris Hebdomadae.

PARS PRIMA.

- Oratio Præparatoria, &c.
1. Historia: *Ante diem festum Pascha,* Joan.
13. Quod Ecclesia petit, est: *Concede tua
propitiationis effectum, ut sicut in Passione sua
JESVS Christus Dominus noster Latroni, &
Juda diversa utrisque intulit stipendia merito-
rum; ita nos ablato vetustatis errore, Resurre-
ctionis sua gratiam largiatur.*
2. Loci compositio; statuendum ante oculos,
quomodo à Christo Discipulorum suo-
rum pedes in cœnaculo abluantur.
3. SECUNDA PARS.
Perpendendum, quid dicant, vel agant
1. personæ, &c. Ut est: *Cum dilexisset suos, &c.*

O verè amor intensissimus ! Quandoquidem talia à mortalibus opera recipiens, sese in tibus ac mansionem iis præbeat, ac relinquat JESVS, & pedes Judæ abluat, ut eum tantis beneficiis devinctum ad se attrahat. Hic item sermo considerandus est : *Quod ego facio, tu nescis.* Ut confundar perpendendo, quoties tempore præterito ab eo mihi misertum est, cum tamen id non caperem ; Quotque vicibus idipsum injuriæ mihi duxerim, de quo gratias rependere debuissim, &c. Item : *Scitis, quid fecerim vobis ;* tale vobis exemplum statuens. Item : *Scis tu peccator, quid fecerim ?* Tibi, tua tibi scelera toties remittens, te vocans, atque expectans. *Scis, quid feceris mihi ? dum mei oblitus fueris ?*

2. Item considerandum, ut discedente Juda, Christus Dominus dixerit : *Nunc clarificatus est Filius Hominis ;* gloriæ & honori ipsi fuit pro me mori ; & ego pro eo pati summæ gloriæ mihi non duxero ? Quamobrem, dum mihi aliqua tribulatio exoritur, hanc propter Christum libenter suscipiens, dicere teneor : *Nunc clarificatus est Filius Hominis in me.*

3. Perpendendum, quomodo sanctus Petrus dicat : *Tu mihi lavas pedes ?* Quis sum ego ? Sed quis es tu ? Si in navi dixerat : *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Jam potiori jure dicet : nunc, dum miraculis tuis, atque doctrinâ longè majori lumine perfundar ; Nunc cum Patris vocem in Transfiguratione audierim : *Hic est Filius meus dilectus, &c.* Quo pacto perpetiar, ut mihi pedes abluas ? Hinc ab Ecclesiæ Principe exemplum est colligendum, ut corde meo præ Domini amore emollito, oculisque, contritionis lachrymas ad malos affectus meos abluendos stillantibus, Redemptori humillimè & cum admiratione ingeminem : *Domine, tu mihi lavas pedes ?*

4. Considerandum, ut Christus Dominus subdat : *Si non laverò tibi pedes, &c.* Quasi diceret : Ni omnes affectus tuos manuum mearum potestati submittas, non habebis partem mecum. Dum affectus tui penès tuam essent voluntatem, *ambulabas quò volebas ;* Sed ubi sancto Spiritu superveniente potestati meæ subjacebunt : *Alius te cinget, & duceat quò tu non vis ;* Idque ad tuum majus bonum convertetur, tuos enim pedes in manibus meis continebo. *O Domine, non tantum pedes ; sed & manus, & caput.* Tua me, Domine, manus protegat ; *Et cuiusvis manus pugnet contra me.* Hinc ista Dominum flagitare, meque totum in manibus ejus constituere elaborabo.

O anima mea, somno, quo vitam conteris, nunc expergiscere. Attende, quòd Redemptor tuus in Passionis suæ vigiliâ jam jam versetur, & hora illucescat ; *Quâ transeat ex hoc Mundo ad Patrem.* O quantus hic extitit transitus ! In Maris Rubri transitu figuratus est ; sed longè aliter tecum ô Dei sanctissime Fili Israëlita procedunt, ac tu cum ipsis, & quidem in eorum favore, adversus Pharaonem. Etenim illo in transitu Israëlita exspoliaverunt Ægyptios, at in hoc Ægyptii, qui Pharisaei sunt, te verum Israëlitam, in quo dolus non est, exspoliant. Et idem ipse, ut populum tuum ex Ægyptiacâ liberes servitute, surgis à cœnâ, & ponis vestimenta. Alio in transitu Ægyptii maritimis undis immergi, omnes ad unum suffocati sunt, in hoc tu ipse crucis undas subiisti : *Intraverunt aquæ usque ad animam meam.* In alio transitu cæsus est Pharao, sed tu ipse hic laboras. In alio Ægypti primogeniti periere ; verum in hoc Æternitatis Primogenitus succumbit. In alio tua in brachio extensio ostentabatur potentia ; sed in hoc, quatenus homo es, brachia in cruce extendens, tuam ostendis misericordiam. O qualis sit iste transitus tibi, & quanta pateris, *quæ præ magnitudine amoris nihili pendis, ut me ad te transire facias ;* & ego præ tepore inconsideratè admodum pertranseo, absque recognitione debità. *O si nunc scirem, quod feceris mihi.* Hunc tuum transitum intelligam Domine ; hunc oculi mei defleant, hunc cor meum præsentiat. *Quæso te, ut me tecum auferas, nec me in Ægypto derelinquas ;* Teque in tuo transitu sic ego concomiter, ut dolorum tuorum sensus, meus sit transitus, & obitus ; & ita pro te moriens, tecum vivere commerear in secula seculorum. Amen.

A D D I T I O.

Misit aquam in pelvim. Attende, Anima mea, an oculos immundos, linguam impuram, &c. possideas ? Hæc enim nunc in aquam immittere decernit JESVS, ut fordes illorum abstergat ; *super nivem dealbabor.* Psal. 50. & dicit. Psal. 50. *Amplius lava me.* Quasi diceret, lava, omni que ope absterge, ut nihil immundum remaneat.

MEDITATIO LXX.

Pro Feria sexta in Parasceve.

P A R S P R I M A.

Dividatur hæc Meditatio in septem Horas Canonicas, tam in hunc diem, quam in ceteros, ut harum considerationum aliqua in recitando Officio Divino habeantur ; utque illi satisfiat, cui singulis Hebdomada diebus suam tribuere Meditationem convenit.

A B

1. Oratio præparatoria : sanctissimi Spiritus gratia petenda est, ut nostra anima ad Christi Passionem meditandam, ac præsentandam disponatur.
2. Historia, prout ab Evangelistis scribitur. Quod Ecclesia petit, est : *Respice, Domine, super hanc Familiam tuam, &c.*
3. Compositio loci ; fiet secundum materiam, quæ in Meditationibus tractatur, & secundum puncta, & mysteria illarum : quoniam diversæ sunt.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum, quid dicatur, vel agatur, &c. Evangelista dicit : *Egressus est Jesus, &c. Qualis nunc hæreat Jerusalem; egressus est omnis decor ab ea.* Et si Sodomã, egresso Loth, ignibus incensa est, quid fiet de Jerusalem ? Nunc id verè adimpletur : *Si cognovisses & tu.* O Anima mea, si talis hæreat Jerusalem, Christo ex ea egrediente, qualis & tu remanebis, eodem, propter peccata tua, discedente ? Quis remanet in Jerusalem ? Pilatus Judex iniquus. Sic in te tuus remanet intellectus, qui iniquus judex est : siquidem statuit, ut non Christus in te, sed Barabas, qui est dæmon, immoretur. Quis remanet in Jerusalem ? Sacerdotes abominandi. Tale cor tuum efficitur, *Quando immolat abominaciones Aegyptiorum, quæ sunt peccata.* Et ita vidua, & sola remanet tua anima, quæ per *Gratiam erat Domina Gentium* : & sensuum cupiditatibus, mundanisque legibus tributaria redditur, quæ prius hæc omnia pedibus suis calcabat.
2. Perpendendum, ut dicat Christus Dominus : *Tristis est Anima mea.* Etenim, si ad Limbum se convertat, sanctorum Patrum clamores inaudit ; qui clamant, ut ad se acceleret. Si Terram conspiciat, Gentilitatem videt, dolis undique scætantem ; & ipsum populum suum cupidinis, & passionum æstibus conflagentem. Si Discipulos, eos mæstos, debiles, sequæ ipsum mox derelicturos advertit. Si ad Genitricem reflectatur ; doloribus est transfixa : si sese spectet, clavos (qui manus suas sunt penetraturi) & capitis spinas videt : *Et quod à planta pedis, usque ad verticem capitis, &c.* Si ad Patrem suum æternum se convertat, severam justitiam, vibratumque in manu Abrahæ gladium advertit ; ea de causa dicere impellitur : *Tristis est anima mea.* O anima, tantas tamque arduas res conspiciens, incipe & tu cum mærore atque lacrymis Dominum tuum comitari ; ne obdormiscas ; neve cum Discipulis hæreas ; sint, qui ipsum insequantur, siquidem pro

bono ac amore nostri patiat. Sed quodnam, Domine, ad hanc tristitiam expellendam adhibes amuletum ? *Avulsus est ab eis, & positus genibus orabat.* In hoc solamen, remediumque nostrum situm est ; in hoc nos docuit Magister noster ; & ut hujus fructus appareret ; *Apparuit ei Angelus, confortans eum.* At, quo tempore id contigit ? Dum dixit : *Pater, si possibile est ; &c.* Ex quibus colligo, quod si ab Angelo minimè sim animatus ideò fieri, quod voluntati tuæ, sicut teneor, non resigner. Ideo etiam, quod tu solatium, atque animum refumas, ut ampliùs patiaris ; ego verò consolationem tantùm acceptem, non autem mortificationem, ut possim meis passionibus liberari. Sed quid hoc sibi vult, Domine ? Ut quid sanguine manus priusquam patiaris ? An non sufficit unica guttula ? Abundè sufficit ad Redemptionem ; sed cum pro indurato hominis corde, satisfactorius veneris, intensiori satisfactionis dolore afficeris : & ideò ante Passionem, *sicut aqua effusus es per sudorem ; & jam postea tui demortui latus aperitur, ut Patris æterni Justitiæ satisfiat, de indurato admodum peccatoris corde.* Concede ergo, Domine, ut cor meum ex nunc sentire incipiat, quod tum perpeffum est tuum.

Considerandum, ut potestatis tenebrarum horâ subortâ Christus dicat : *Quem quaeritis ?* O si sciretis quem quaeritis ! Ad damnum vestrum quaerendum progredimini, cum propè adeò bonum vestrum possideatis ? O anima mea, quem & tu inquirebas, dum Christum quaerere desineres ? O si eum quaereres, quid non in eo invenires ? Sed cheu miseram te ! Quæ certo quodam modo miserandis illis assimilata es : iis nefandis nebulonibus perfimilis es, qui cum adorare, ac revereri debuissent potentiam, quæ ipsos in terram prostraverat, ad eum vinciendum surrexere. Sic quoque dum prostrato mentis tuæ tumore de eo ampliorem haberes notitiam, eum ampliori veneratione colebas ; sed nunc præ animi impotentia, cognitionisque defectu, ad eum offendendum surrexisti ; ita ut ipsâ castigatione, velut alter Pharao ampliùs indurefcens, & in beneficiis Judam imiteris, qui Magistrum suum vendidit, & illum pacis osculo tradidit. Jesum itaque investiga : ipse enim Creator tuus, solamen, ac refugium tuum ; & dum te cædit, ac in terram demittit, ne surgas nisi ad eum adorandum.

Perpendendum ; ut sanctus Petrus, *hâbens gladium, servum percussit* : Et tamen eum tangere nemo ausus sit. Quid esset, si in Regis sui auxilium Angelorum legio ad-

ventaret? Sed non sine mysterio auriculam sui Messiae doctrinam audire recusantibus abscindit. At videamus, quid Salvator Mundi hic operetur: *Tetigit auriculam*, &c. Ita ut eundem sanet, quem sciebat suum esse hostem. O Domine, ut quid Deus vindictae in Deum Misericordiarum conversus es? Cur tam severas eis, qui Testamenti Arcam abstulerant inflixisti poenas! Et hujus Philistaei, qui ad Arcam Testamenti subripiendam venit, vulnera restituras? O Domine, si eum valide admodum puniri imperas, qui debitorem suum suffocat; quae his Judaeis condigna poena infligenda est, qui eum, cui tantis beneficiis obstricti sunt, & vincunt, & suffocant? O quanta caecitas peccatorum, qui gravius dolent, atque excruciantur, eum palpantes, a quo si amice accederent, sanitatem recuperarent? O anima mea, nunc Dominum tuum ut te liberet, captum aspice: ligatum, ut te solvat: ne captivum hunc, qui pro iis, quae patraisti, detentus est, invisere obliviscaris. Inspice, quam male in vinculis vexetur: etenim postquam sanguineum sudorem emisit, in absterfionis vices tormenta adaugent vincula; novoque propter nos adhibent cruciatus crudelissimi tyranni.

MEDITATIO LXXI.

Ad Primam.

PARS PRIMA.

1. Oratio praeparatoria eadem est.
2. Historia, & loci compositio secundum materiam, de qua agitur.

SECUNDA PARS.

1. Perpendendum, ut Principes Phariseorum *mane facto consilium inierunt adversus JESVM*. O Domine, quantus tibi, quantusque nobis dies illucescit: qualis praeterita nox extitit, qualisque dies futurus est. Attende, anima mea, quam male Servatorem tuum Judices excipiant, in domo Annae eum colaphis caedunt; Princeps Sacerdotum illum damnat tanquam blasphemum; eum Herodes contemnit; & in beneficii speciem dirissimis eum flagellis excipit Pilatus. Attende, quod Dominus tuus devenerit, utque eum mortis reum, crucem illius exostulans, judicet populus. Et haec omnia perpeffus est, ut pro peccatis tuis satisfaceret; quoniam non modò divina Justitia; sed & propria adeò conscientia parem in te ferebant sententiam: & ideò condemnationem vult subire Redemptor, ut te liberum & incolumem reddat. Ad haec, attende, quam damnationem promereris, si servos ejus, quaeque ad eum spectant, damnaveris. Debitorum tuorum notitiam habeas, quantoque me-

rita tua acceptis beneficiis superentur, & Dominum tuum summam, quam potes, laudè praedices.

Considerandum, quo in statu mundi i. Redemptorem, spinis coronatum, Pilatus exhibeat, dicatque: *Ecce Homo*. Utque ad eorum malitiam iis minimè sit sufficiens, eum vulneribus undique conspiciere suaviatum; verum mortem, & quidem crucis mortem exostulant: & ita *super dolorem vulnerum* (inquit aeterna veritas) *meorum addiderunt*, &c. O anima mea, tibi ipsi illacrymeris, quandoquidem doloribus ejus, ac laboribus haud contenta, inter eos quodammodo extiteris, a quibus olim cruci affixus est, &c. Percunctare, quod Pilatus percunctabatur: *Quid enim mali fecit? Quid pro te è manibus ejus profuxit, quidque è tuis pro illo emanavit?* Nunc Hominem inspicere: *Ecce Homo*, qui te tolerat, cum eum minimè tolere: *Ecce Homo*, qui te vocat, cum ab eo fugias: *Ecce Homo*, qui te diligit, cum eum tu à te repellas.

Perpendendum, ut finito judicio, *adjudicavit Pilatus fieri petitionem eorum, & tradidit JESVM voluntati eorum*: eò quod ego inimicorum meorum voluntati tradi meruerim. Quid tum diceret ingratus populus, nisi, hic est, qui Regem sese facere cupiebat, sibi que arrogabat famulatum; devorabimus eum: *Et ista est dies, quam expectavimus*, &c. O si cognosceres, anima mea, te illo die, quo Dominum tuum ostendisti hostium tuorum manibus, demonibus scilicet, propriisque passionibus tradi, tum exclamares ad Dominum: *Ne tradas me, Domine, à desiderio meo peccatori*. Psal. 139. Cognosco, quae pro me egeris, dum, quae in me mei hostes agere debuissent, pro te ipso asservaveris; nec permittas, ut aliis, praeterquam tuis manibus tradar; siquidem ab his creatus, & redemptus fuerim, quandoquidem de his, qui se tuae tradunt voluntati, scribatur Psal. 144. *Voluntatem mentium se faciet*. Hic est, qui verè regnat, & vivit, necis ac vitae potentissimus dominator. Videam, Domine, voluntatem meam, manibus tuis traditam; sisque tu cordis mei Deus, & non timebo, *quid faciat mihi homo*. Psal. 117. &c.

MEDITATIO LXXII.

Ad Tertiam.

PARS PRIMA erit sicut praeterita.

SECUNDA PARS.

Considerandum, ut Christus Dominus *bajulans sibi crucem, exiit in eum, qui dicitur Calvariae locus*. Undè propter ejus labores, dolorem concitabo, considerans moerorem, quem peccatis meis ipsi cau-

save-

Yaverim, & mea ex parte confusione suffundar: quandoquidem ipse humeris crucem bajulans, Calvariam conscendat, & eâ meis impositâ, non modò non conscendo, quinimò contra stimulos recalcitro; nec quiesco dum crucem ejus à me omninò abjiciam. Hanc mihi tribuit Deus, ut Redemptoris vestigia insecutus, majori cum perfectione conscendam in cælum; sed ex ea non ascensum, sed lapsum, propter impatientiam, cognitionisque defectum refero. Etenim colles asperrimi crucis Sathanæ mihi explanari videntur; sed cruce Christi, ipsæ etiam planæ viæ perarduæ effici. Quando tandem percipies anima mea, quòd jugum Christi sit suave, & aliorum intolerabile? O ter benedicte Isaac, qui licet scias, quòd nulla ad holocaustum sit victima, præterquam tu ipse, & quod ita à Domino constitutum sit, ad genus humanum reparandum: attamen montem ligneo fasce gravatus conscendis! *Sed quia fecisti hanc rem.* Genes. 22. ad populi tui utilitatem, Dominus ad te respexit, præmiumque tanti laboris à te exanthlati, retribuet: enimverò planissimè apparet: *Quòd posuit Dominus in te iniquitates omnium nostrum.* Isai. 33. Nunc quod scriptum est, adimpletur; *Quòd sicut ovis ad occisionem ductus es.* Isai. 53.6.

2. Perpendendum, ut nunc Redemptor prodeat, ut adimpleatur, quod Levit. 16. figuratum est; sic enim scripsit Apostolus: *quorum enim animalium effertur sanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & JESVS, ut sanctificaret per suum sanguinem populum suum, extra portam passus est.* Hebr. 13. 11. Vult itidem, ut publicum patensque sit, quod pro hominibus operatur, ut hi etiam pro eo in publico perpeti gloriantur. Adde, quòd cum pro humano genere, quod leprâ infectum est, patiatur, extra urbis castra deferatur.

3. Considerandum, ut Christus se sequentibus mulieribus dicat: *Filia Jerusalem nolite flere, &c.* O si eum cum lacrymis sequereris, anima mea; sacratissimum vulnere suum ad te alloquendum, teque consolandum converteret; sed si à Calvaria, & cruce fugias, ut quid à Dei Filio solatium expectas? Itaque attende, quod si tantis oppressus doloribus gradiens, & ascendens, filias Jerusalem consoletur, & eas admoneat: idem quoque tecum perageret, si & tu faceres, quod ab illis est peractum. At si eum deseras, ad ea, quæ facis reflectere: etenim *si in viridi ligno hæc fiunt, &c.* Quid Patris æterni justitia faciet de iræ filio, cum in filium naturalem tantum ri-

gorem adhibuerit? Quid inobedienti fiet, si taliter obediens exceptus sit? Quid faciet, peccator, si justus, & innocens, talia ferat?

MEDITATIO LXXIII.

Ad Sextam.

PARS PRIMA ut suprà.

SECUNDA PARS.

Perpendendum, quid dicant, vel agant personæ, &c. dum quis ad montis apicem pervenerit, ibi tum labore defessos artus, quiescendo relaxat; sed id tibi nequaquam contingit, Domine; etenim ad Calvariæ summitatem advenientilabores, cruciatuque adaugent tui hostes; & sic eum vestimentis exuunt, qui ad nudos vestiendos venerat, & in ipsa vestium denudatione longè intensissimus dolor extitit, eò quòd vulnera vestimentis velut agglutinata adhærerent. Et hoc ut per eadem vulnera gratiam nobis subministraret, ad veterem hominem exuendum, qui cum tantoperè peccatorum nostrorum vulneribus, carnique nostræ adhæreat, gratiâ omninò cælestis opus est, ut eo à tam tenaci glutine dissolvendo, pares simus: *Quia sine me nihil potestis facere,* inquit Dominus. O quantis tibi beneficiis devincimur mi Deus? Pateris, ut me gratiâ induas, utque exutus tuis vestibus, me veteri homine exspolies. Ista sunt, quæ in me operaris; sed væ mihi misero, qui gratiâ, quâ me induis, memet exuere soleam, veteremque hominem, quo me denudas, assumere non desinam. Quæ stultitia major meâ est? Væ mihi qui ea induo, quæ antiqui hujus hominis decreta sunt vestimenta: malè profectò tibi persolvo nuditatem tuam atque dolorem, qui ex pretiosissimarum tuarum carniarum unâ cum chlamyde illis agglutinatâ, avulsione redundavit.

Considerandum, quid Evangelista referat; *Crucifixerunt eum.* In altum, in aëra sustulerunt, eò quòd peccator in superbix aërem sese extollat, & ut quidam rubore suffundantur, qui crucem quidem patiuntur: verum in cruce publicè extolli neutiquam ferre possunt. Præterea, brachia in cruce elevat, ut ejus populus victoriam de hostibus reportet, cujus mysterii figuram in Moyse videre est. Sed huic ad manus sustentandas adjumento sunt Aaron, & Hur, verum nihil nostro Moyse extitit adjumento, nisi clavi durissimi manus ejus perforantes, qui ipsi ad augendum cruciatum inservirent: quamobrem teneris, anima mea, summoperè JESVM crucifixum presentire.

Perpendendum, ut in cruce tollatur pro omnium salute, & ideò illum inspice,

ô anima mea; Quia à plantâ pedis usque ad verticem, vulnus, & livor, & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. Ut te restauret sua ipsius vulnera curare prætermittit: utque miserandum omninò statum tuum repararet, vulnorum suorum omnem medelam respuit, & negligere non dubitat. Et ideò Christum in Cruce elevatum specta, & tunc curaberis: etenim ad eos sanandum pro se crucifigentibus rogat; sed irridetur, atque contemnitur, ut superbiæ tuæ remedium afferat. Sed quid de te referam, ô Regina Cælorum! intensus sanè est dolor tuus; nam si sublatis serpentis aspectus Israëlitas in deserto sanat, iste visus te ferit, teque præ nimio dolore ad necem veluti usque transfodit: etenim dum ejus adeò miserandum statum conspicias, ea mors te ferit, illiusque visu carere, mortis tibi par est supplicium. Matrem Dei in doloribus comitare, anima mea, quandoquidem meritò dicere queat: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus.*

MEDITATIO LXXIV.

Ad Nonam.

PRIMA PARS. Uti supra.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum, quid dicatur, vel agatur, &c. Quod agit Christus Dominus, est, cruorem proprium tribuere, quod verò gens illius populi operatur, est, eum potare felle, & aceto: sic & tibi, peccator suo sanguine vitam tribuit, cum in retributionem, fel amaritudinum peccatorum tuorum ipsi propines epotandum. Cæterum in impias has voces irrupunt Hebræi. *Descendat nunc de Cruce, & credemus ei.* Quod autem tu dicis, est: *Descendat de cruce, ne mihi pati imperet, aut injurias condonare, aut carnem meam macerare.*

2. Perpendendum, ut dicat: *In manus tuas commendo spiritum meum.* In quo manifestat, quantoperè æterno Patri conformetur. Ostendit etiam, quòd sese filium ejus deprædicans, veritatem protulerit, siquidem ei suum spiritum commendet. Quid dicam, Domine, videns legata, quæ facis in mortis tuæ tempore, quòd vestimenta carnifices referant, peccatores sanguinem, & sepulchrum corpus recipiat; quòd Discipulo Matrem, matricque discipulum ac solitudinis dolorem relinquant, Patri æterno spiritum committas. O Domine, spinæ, clavi que super sunt, mei misereare, horumque dolorum partem concede: *Numquid non habes benedictionem?* Pro miserando hoc pec-

Genes.
22.

catore, cui tecum cruci adusque mortem configi adeò necesse sit?

Considerandum, ut *Clamans voce magna 3. expiravit*: Ut ostenderet, quòd antea protulerat: *Cum exaltaveritis Filium Hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.* O Domine, clamores edens, expiras, ut patris voluntati summa cum obedientia obtemperes, qui te ad hoc, & mortem miserat, quam & clamando in cruce subiisti! O anima mea, si hæc te vox non expergeficiat, quomodo suscitaberis? Attende, quòd cum *circumstantes viderent, quòd sic clamans expirasset, revertebantur percutientes pectora sua.* An duriora, pejorisve indolis sunt præcordia tua? Attende, quòd hac voce clamet, ipsi responde, & dic: Memorare, quòd dixeris, Domine, *cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Trahe me post te, Domine, ut quid me absque plagis, & doloribus tolerem, cum tu illis totus manes? Quando tandem pro te moriar, Domine? *Trahe me post te.* Ut mundana vita mihi mors sit, effice, utque meipsum advertens, meum tormentum conspiciam: quandoquidem crux tua, clavi, spinæ, ipsaque adeo mors tua, à carne mea oriuntur: ideoque te rogo, ut me trahas; vel, si me relinquant, sit, ut pro te moriendo, vivam. Amen.

MEDITATIO LXXV.

Ad Vesperas.

PRIMA PARS Veluti supra.

SECUNDA PARS.

Perpendendum. Quomodo Christus pro 1. Hominibus moriatur, & eorum unus accedit, qui eum feriat lanceâ, ipsum etiam exanime corpus molestans, è quo effluxit sanguis & aqua, ad Sanctorum, vitæque nostræ remedium. Quid hoc portendit, Domine? Dum Moysen ad Montem ascendere juberet, voluisti, ut lapidaretur, qui Monti appropinquaret: & nihilominus eum, qui verum Moysen percussurus cum lancea accedit, non mittis in illum lapides; sed lumen & visum concedis cæco. Satis ille cæcus est, qui, quòd tibi debeat, ad tibi compatendum, & pro te moriendum, ignorat: si præsertim ad sensum, seu dolorem, quem ipse adeò inanimatæ creaturæ in Passione tua præ se ferant, reflectatur.

Considerandum, ut ipsa crux è se Christi 2. solvi passa sit: è quo timorem, doloremque eliciam; etenim cum anima mea, dum in peccato esset, crux ejus efficeretur, ut è cruce spiritualiter solveretur, neutiquam ferebat; siquidem peccatum deserre recusarem, & quantumcumque rogarem, ut eum è cruce illa demitterem, nemo quid-

quidquam proficiebat. Hoc Pilatus concesserat, & ego denegabam.

3. Perpendendum, quid Dei Genitrix præsentiret, dum Filium in sinu suo videret, & etiam dum eum absque motu corpore adverteret, qui cœlis ipsis motum tribuebat. O Mater Dei, quàm verè, quantoque dolore, myrrham stillarent manus tuæ? O Magdalena, hos tu pedes inunge, in quibus peccatorum remissionem invenisti! O sancte, dilecteque Apostole, hoc pectus inspice, cui in cœna recubisti, & quale illud lancea reddiderit, perpende! O te Beatum, qui in cœna pectori recubisti, & juxta crucem in morte stare meruisti. O anima mea, dispone te, ut cum divinæ voluntatis conformatione, juxta pectus Domini recumbas, ut esse, & mori juxta crucem merearis.

MEDITATIO LXXVI.

Ad Completorium.

PARS PRIMA ut suprâ.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum, ut adimpletum est per Jeremiam Prophetam: *Lapsa est in lacu visa mea; posuerunt lapidem super me.* Thren. 34. *itidem in corde terra latitavit*: ut ab ea humana præcordia retraheret, propter obstinationis lapidem, quo sese humanum genus aggravarat. Quid faciam, Domine, videns nullum insanix suæ modum homines imponere, dum te sub terra detruserint?

2. Perpendenda solitudo Dei Genetricis, dum sepulchro valedicens, sacratissimum Corpus, quod Divinitati unitum erat, desereret: utque ad exemplum, & pro ea, quâ semper refulsit decentiâ, solitudinis acutissimum dolorem perpeti maluerit, quàm ibi inter milites commorari, eò quòd eximium virtutum omnium complementum ubique semper extitisset. O Mater sanctissima Dei, si pro Absalone perdito David diceret: *Quis mihi det, ut moriar pro te, fili mi?* Quid & tu pro Dei Filio non proferres? Impetra mihi gratiam, ut cum sincero amore dicere merear: *Quis mihi det, tu ego moriar pro te?*

3. Considerandum, ut revertens Deipara Virgo, transiensque per plateas, & loca in quibus Filium suum Crucis tormentis cruciatum vidisset, doloribus undique transfigeretur: & si fortè in quasdâ cruoris ejus incideret reliquias, in quantum illius dolor intenderetur? O Dei Genitrix, dolorum tuorum participes efficiamur, dolores Filii tui præsentiendo; ut de ejus Passione participantes, glorificatione itidem donemur. Amen.

MEDITATIO LXXVII.

Pro Sabbatho Sancto.

PARS PRIMA.

- Oratio præparatoria, &c. 1.
Historia: *Vespere autem Sabbathi*, &c. 2.
Matth. 28.

Quod Ecclesia petit, est: *Et conservet in nova familia progeniem adoptionis. spiritum, quem dedit, ut corpore, & mente renovati, puram exhibeant servitutem.*

Loci compositio fiet, sese juxta sanctum 3. sepulchrum mentaliter constituendo, ad videndum, quæ ibi gesta sint mysteria.

SECUNDA PARS.

Considerandum, quid dicatur, vel agatur, &c. mulieres ad sepulchrum tendunt, ut Christum perungant. Angelus Domini removet lapidem. Item custodes obstupefacti, & velut exanimes remanent. Mulieres verò eunt cum timore, & gaudio nuntiare Discipulis, &c. Item, Angeli Resurrectionem manifestant; sed Principes, & Sacerdotes eam celare procurant. Item, mulieres, quia Christum crucem suam bajulantem sequutæ fuerant, Resurrectionis prænunciæ fieri meritæ sunt. Terra etiam, dum ex eâ sanctissimum corpus erumpit, gravi motu concutitur ad peccatorem confundendum, qui Christi è sua anima exitum non veretur, nec quàm Domino opus habeat, cognoscit.

Perpendendum, ut Angelus dicat: *No-* 2. *lite timere.* Quasi diceret: Ne timeatis vos, qui Christum quæritis crucifixum: ii verè timeant, qui illum cruci affixerunt, quique nullo crucis dolore afficiuntur, ad eum piis operibus inungendum.

TERTIA PARS.

Colloquium.

O anima mea, unguentis instruere, ad Christum in membris ejus (qui sunt proximi, inungendum. Surge manè diluculo, ut eum perquiras, ne timeas lapidis duriciem, quâ cor tuum aggravatur: hunc enim amovebit Deus, si modò quod in te est, ad eum quærendum, velut sanctæ hæ mulieres, opereris. Et attende, quod si eum sedulo quæsieris, ab Angelo sis adjuvanda, ut timorem abjicias: vel certè cum ipso met timore, gaudium est concessurus. At si eum non investigates, ne mireris, si præ timore, veluti custodes, tota exanimeris. In posterum timeas, quòd Christi destituaris gratiâ: quandoquidem ipsa ad eò terra insensibilis tremuerit, dum ex ea in gloriosa sua Resurrectione surrexit JESVS. Stude Christum crucifixum in hac vita, perquirere, si eo in altera gloriosè gaudere desideres. Ad quod facilius consequendum, festina ad Reginæ Angelorum Re-

surrectionem gratulandum, dicens : *Regina cali latere, alleluia, &c.*

A D D I T I O.

Gaudium Christus exhibuit, dum descendit ad Limbum, injuriæque, quam cælo per peccatum dæmon intulerat, vindicem sese præbuit.

Erat rationi consentaneum, ut cum amaritudinis calice potatus fuisset Christus, novo itidem vini genere in gloriam portaretur; cumque captus vincitusque fuisset ab hominibus, in Limbo detentos relaxaret.

Jobi ad instar in Calvaria, totus vulneribus scatus, jacuit Christus; sed eum Deus curans, divinæ gloriæ fragrantia recreavit, &c.

Quemadmodum, qui paludamentum sparsim hinc inde dissecat, ut internum opus phrygium auro argentoque suffultum, atque intertextum, intuentium oculis aperiat. Sic & Christus animæ suæ sublimitatem, ac gloriam, & quæ latitabat, divinitatem Passionis dissectus ictibus ostentavit.

Illud est hinc adnotandum, quod idè breviores sint Meditationes, quia & ipsa Ecclesia hocce Paschatis tempore breviora itidem officia concelebrat.

Meditatio Dominicæ Paschatis eadem est, quia Evangelii materia est eadem. Nec alia sit differentia, quam in Oratione, quæ sic habet : *Deus, qui hodiernâ die, per Unigenitum tuum, aternitatis nobis aditum, devictâ morte, referasti, &c.*

M E D I T A T I O L X X V I I I.

Pro Feria secunda post Pascha.

P R I M A P A R S.

Oratio præparatoria, &c.

1. Historia : *Duo ex Discipulis JESU, &c.*
2. Luc. 24. Petit Ecclesia, ut Deus populum suum cælesti dono prosequatur.
3. Compositio loci : se in itinere Emaus constituat contemplativus, ut inibi videatur, quid Christus cum Discipulis suis pertractet, utque ipsis sese manifestum reddat.

S E C V N D A P A R S.

1. Considerandum, quid dicant, vel agant personæ, &c. De Magistro suo colloquium miscent Discipuli, & ecce iis colloquentibus, Christus admiscetur : ad ostendendum, quantum oblectetur sanctis bonisque colloquiis. Item, discipuli, dispositi extitere, ut se iis manifestaret Christus : ut hinc confusio eliciatur, quod adeo sint pauci, qui eum in hospitem suscipere desiderant, cum tanta eorum sit frequentia, qui à propriis ædibus eum protinùs ejiciant, &c. Item cor suum auditis Christi colloquiis, dicebant in se arsisse, ut doleam tantæ cor

meum esse duritatis, ut verbis ejus, quam suavissimis, nullatenus moveatur. Item, Discipulis in panis fractione aperti sunt oculi; mihi verò mille licet beneficiis devincto, nedum oculi aperiuntur.

Considerandum, quoties Christus loquatur, ejus tamen nullâ cognitione perceptâ, &c. Quot modis sese exhibet, cum eum nec aspicere, nec audire dignemur : & hinc haud leviter timebo; quandoquidem illius beneficiorum numero, tantò magis aggraver, quantò minus eadem pensito.

Considerandum, quam luculenter Christus cognoscatur *in fractione panis*. Quam bene item appareat, quales & nos simus, in pane doloris, quem ipsi tribuimus. Christo esurienti lapides Sathanas apposuit, & homines sitientem Christum, *sitioque exclamantem*, felle & aceto potavere. *In fractione panis* oculos discipulis aperit, at homines *in fractione panis*, adversus Christum oculos & claudunt, & cæci manent : pessimum etenim ei porrigere panem non dubitant.

T E R T I A P A R S.

Colloquium.

Tu solus peregrinus es in Jerusalem, quia in propria venisti; & tui te non receperunt; nec habuisti, Domine, ubi caput tuum nisi in cruce reclinares; ut mihi proponeres intelligendum, quod si ullus in terra locus, in quo commoremur, sit securus, sit lectulus crucis : & idè, Domine, datum est tibi nomen, quod est super omne nomen, sacratissimoque corpori tuo secundum dolorum multitudinem, gloria est retributa: enimverò si oculi tui in Passione toti lacrymis mædebant, in Resurrectione adèd refulsere, ut verè de iis dici posset : oculi ejus sicut flamma ignis: quod si caput tuum spinis fuerit redimitum; in capite ejus diademata multa : Si que tibi nomen in opprobrium impositum, habes nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse. Et si velut obmutescens coram Judicibus extiteras : de te dicitur : de ore ejus procedebat gladius, ex utraque parte acutus, ut in ipso percussat gentes. Si denique ore blasphemus in te homines tunc debaccharentur, in Resurrectione summis ab Angelis laudibus elatus es, & ab sanctis illis Patribus, qui dicebant : Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, &c. Apocal. 5. Lauda anima mea Dominum Deum tuum, dicque cum Propheta : Laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quamdiu fuero, &c.

MEDITATIO LXXIX.

Pro Feria Tertia post Pascha.

PARS PRIMA.

1. Oratio præparatoria, &c.
2. Historia: *Stetit JESUS in medio eorum.*
Luc. 24.
Petit Ecclesia, ut Sacramentum vivendo teneant, quod Fide perceperunt, &c.
Loci compositio; discipuli præ metu conclusi, deque diei illius apparitionibus colloquentes, in mentem sunt revocandi: illisque taliter existentibus, *stetit JESUS*; &c.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum quid dicant, vel agant, &c. Quod illi de Emaus enarrant aliis Discipulis, est, quod *cognoverunt eum in fractione panis*: quo non obstante, nec quod JESUS esset in medio eorum, refertur ab Evangelista, quod adhuc non credebant mirantes præ gaudio: Ut hinc timeamus hac in carne vitam traducere. Quandoquidem Discipulorum aliqui tot tantisque testimoniis confirmati, nedum crederent, Christum licet sequuti fuissent, ejusque magna adeo miracula præ oculis propriis conspexissent. Quid de illo fiet, qui nec eum sequit, nec audire voluerit? Ut item supremus medicus in tempore necessitatis comparuit; *Et stetit in medio*, &c. Ut certò consideremus, quod non dabit in aeternum fluctuationem justo. Quanta item consolatio, pacem illis tribuisse, qui tanto in timore versabantur. Quanta item satisfactio, adeo familiariter; atque luculentè sese iis exhibuisse.
2. Perpendendum, quomodo (ad Resurrectionis testimonium perhibendum) suadeat, ut oculis conspiciant, & manibus palpent; sicque carne, ossibusque constare se ostendat, nec sensibus modò, verum & intellectui satisfacere intendit; & ad hoc *aperuit sensum scripturarum*, &c. Quæ omnia summæ nobis misericordiæ fuere; ut Apostolorum testimonium cederet in nostrum solatium.
3. Considerandum, ut dixerat: *Videte manus meas*, &c. Quis te amare desinat, Domine, si manus tuas, & opera, si pedes, passus, affectusque tuos conspiciat? Quique latus tuum apertum, & quidem adeo apertum pro peccatoribus intueatur, ut quid suum itidem pro te aperire prætermittat?

TERTIA PARS.

Colloquium.

Luculenta sanè nobis præbes testimonia, Domine, eum, qui tecum in cruce fel epotaverit, mel in Resurrectione comesturum. Meritò favum mellis in ore Leonis fuit repertum à Sampsonè, cum sua-

vem adeo ex Passione tua te præbeas, quam dulcis eris illis, qui te in cruce spiritualiter comitantur totà vitâ? Profecò maximum horum erit gaudium in æternitate. Finiam, gratias quasdam spirituales pro me, totiusque Ecclesiæ Orthodoxæ bono supplex efflagitans.

MEDITATIO LXXX.

Pro Feria quarta post Pascha.

PRIMA PARS.

1. Oratio præparatoria, &c.
2. Historia: *Manifestavit se iterum*, &c. Joan. 21. Petit Ecclesia ut perveniamus ad gaudia æterna.

Compositio loci; Mare Tiberiadis, ubi hoc mysterium contigit, ob oculos statuendum est.

SECUNDA PARS.

Perpendendum, quomodo Christus Discipulos in ea loca quæsitum ivit, ubi laborabant ad vitam suam sustentandam; utque iis in rebus manifestum se præbuerit; quibus opus habebant. Quomodo idem egit miraculum, postquam à mortuis resurrexit, quod in Discipulorum vocatione perpetravit, ut ex uno aliud inferri possset.

Ut eum novit Discipulus ille, qui juxta crucem steterat, ampliusque is viderat in Resurrectione, qui gravius vulneratus fuerat in Passione.

Ut item Ecclesiæ Princeps Petrus, prosequutus sit amore Christum; quandoquidem audito, quod Dominus esset, in aquam se demiserit. Ut item, qui amplius norant, minus percunctari ausi sint.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Finendum est cum aliquo colloquio, petendo gratiam, ad memet in aquas tribulationis, post Christum committendum, & favorem divinum implorandum, ut divi Petri imitatione majori Christi resurgentis cognitione merear illustrari.

ADDITIO.

His, qui laborant, manifestatur Dominus. Illisque, qui suâ sorte contenti, sutori haudquaquam assimilantur, qui pro Domino, Principeque æstimari ambit: *In qua vocatione quis vocatus est, permaneat.* Iis consuluit Christus, dicens: *Mittite ad dexteram navigii*, &c. A Domino regi, eumque sequi præclarum est. Dumque hanc partem quis suscipere studet, ab eum minimè discedendum est. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit*, &c. Iis imperat, ut quos piscati fuerant pisces sibi afferant, etenim vult, *ut cooperemur*, &c.

MEDITATIO LXXXI.

Pro Feria quinta post Pascha.

PARS PRIMA.

1. Oratio præparatoria, &c.
2. Historia: *Maria stabat ad monumentum*, &c. Joan. 20. Petit Ecclesia; ut baptizatis una sit fides mentium, & pietas actio- num.
3. Compositio loci, sit mente, & cogitatio- ne, juxta monumentum versari, adnotan- do quid cum Christo, & Magdalena inibi transigatur.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum, quomodo Christus à mortuis suscitatus inveniatur, magnum nobis Magdalena præbet exemplum: *Quia stabat ad monumentum foris plorans*, &c. *Dum ergo fleret, inclinavit se.* Flere consuetum est plurimis; sed sese animi demissione in- clinare non item: hienim non sicut Mag- dalena lacrymantur; & ita tumore, cla- tioneque mentis tales non rarò laborant.
2. Ut ex eo, quòd quis se cum lacrymis demittat, Angelorum visio, eorumque so- latium exoriatur.
3. Ut item, magni amoris sit indicium, cum ipsa etiam Angelorum visione, in Christo perquirendo haud desistere: undè confusio elicienda est. Etenim re, quan- tumvis tenuissimâ, ab ejus inquisitione supersedeo. Sic quoque ex assidua per- quisitione illius inventio processit; mag- numque illud gaudium, quo tam felicia no- va nunciari possint.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Ex his punctis colloquium componam, petens lacrymas, humilitatem, & perseve- rantiam, ad Christum taliter inquirendum, ut nullâ omninò re à quærendo deficiamus, cum Davide dicentes: *Si dederò somnum ocu- lis meis, & palpebris meis*, &c.

MEDITATIO LXXXII.

Pro Feria sexta post Pascha.

PARS PRIMA.

1. Oratio præparatoria, &c.
2. Historia: *Undecim Discipuli*, &c. Matth. 28. Petit Ecclesia in effectu virtutes.
3. Loci compositio erit Mons Galileæ, quem Christus Discipulis consignaverat.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum, quid dicant, &c. Ut nempè, potestatem, quam habet, revelet Christus, eamque totam ad humani gene- ris utilitatem convertat: ut hinc con- fundar; quandoquidem tam malè impen- dam in obsequium illius arbitrii liberta- tem, quam mihi elargitus fuit. Dolebo item, quod munus, quod Apostolus injun- xit, nempè cæteros baptizare, & docere,

tam parùm æstimeretur; nihilique aded fiat ipsa potestas, quàm ab eodem Domino acceperunt, ad animas à Pharaonis jugo, & quidem gravissimo, cruendas. Ut item illis promittat, sese eis adfuturum, *usque ad con- summationem seculi.* Quod magno eorum gaudio, ac lætitiæ nunc cedit, qui eum dili- gunt, & sequuntur.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Finendum est cum colloquio, gratiam postulando, ad præteritorum malorum emendationem, suamque omnem faculta- tem impendendam in illius famulitium: quandoquidem & ipse potestatem suam nostro in tantum converterit.

MEDITATIO LXXXIII.

Pro Sabbatho post Pascha.

PARS PRIMA.

1. Oratio præparatoria eadem.
2. Historia: *Una Sabbathi*, &c. Joan. 20. Petit Ecclesia, *Ut qui festa Paschalis*, &c.
3. Loci compositio fiet, monumento præ- sentem sese constituendo.

SECUNDA PARS.

Considerandum, quid dicant, vel agant personæ, &c. Omnis Magdalenz diligen- tia, in Magistro suo investigando consi- stit, & ejus humilitas in nuntiando nova Apostolis de illo.

Ut sanctus Petrus, & sanctus Joannes festinent, audito Resurrectionis nuntio; eoque meum in spiritualibus rebus tepo- rem confundam.

Ut divus Joannes Ecclesie Principi, ut primus ingrederetur Sepulchrum quodam- modo reverentiam exhibuerit: ut hinc Christi Vicarium, qui ejus in terra vices gerit, revereri edoceamur. Quàm multi- plex iis præmium ob diligentiam à se ad- hibitam, concessum sit: quandoquidem viderint, & audierint, & solamine pleni remanserint. Hinc diligentie exemplum referre conabor, ad Christum investigan- dum.

TERTIA PARS.

Colloquium.

In fine Meditationis colloquium devotè est faciendum, postulando sollicitudinem, & diligentiam ad quærendum Christum: nam si invenire dumtaxat vestigium ejus; nimirum sudarium, tanti solatii fuit; quantum erit ipsum invenire Dominum?

MEDITATIO LXXXIV.

Dominica prima post Pascha.

PARS PRIMA.

1. Oratio præparatoria eadem est.
2. Historia: *Cum serò esset*, &c. Joan. 20. Petit Ecclesia; *ut qui festa Paschalis*, &c.

Loci

3. Loci compositio; revocandum in memoriam, ut *post dies octo* ad inclusos Apostolos, januis clausis, Christus ingreditur.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum, quid dicatur, vel agatur à personis, ut ex illis fructus aliquis referatur, ut nimirum Christus Dominus propter ovem unicam iterum sese manifestaturus, suisque Discipulis vulnera sua exhibiturus rediderit; ut hoc Pastoribus exemplum statueret, indicans, quantà sedulitate procedendum, ut vel una ovicula ad pœnitentiam reduceretur. Confusionem hinc eliciam, advertens, quòd proximi spiritualem salutem ne vel tertium æstimarim.

2. Perpendendum, quomodo plurimum justis conducat, ut sensum suorum januis clausis vitam degant, ut ipsis sese manifestum præbeat Christus, utque multi bonorum spiritualium jacturam sint perpeffi, quod his non adhibuerint cautelam.

3. Considerandum, uti Christus gratiã præveniente adhuc veniat ad peccatores disponendos; utque sapientiã ac bonitate sua eos alliciens, efficiat; ut cordis, & oris sui januas per contritionem, confessionem, ac pœnitentiam ultrò lubentes aperiant.

4. Uti divus Thomas Apostolus, inserto in Christi vulnus digito, lumine fidei fuerit illustratus, Christum, in Deum suum ac Dominum recognoscens: ex quo dolorem de peccatis mundi, ac propriis, consequatur; quia propter defectum bonorum operum, & quòd tam parum admodum Christi amor in redemptionis operibus palpetur, rara omninò fides in mundo vigeat.

5. Considerandum, quanti roboris, & consolationis sit illa Christi sententia: *Beati qui non viderunt, & crediderunt*; Et ita Dominum semper supplex rogabo, *ut nobis adaugeat fidem*; & in mysteriis fidei experientia hæud inhærens, res fidei exercere elaborabo, petens, egregios vitæ mores, ut nos Ecclesia Romana edocet.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Infinite est sapientia, ac misericordia tua, Domine, quandoquidem me tuã gratiã præveneris, mihi que lumen concesseris, ut cordis mei tibi portas expanderem; sed quis eas aperire desinat, advertens manus tuas, ac pedes tuos, adèd apertos, ad duritiem, ulcusque meum amolliendum. Da Domine, ut te in Deum, Dominumque meum agnoscam, nec ignorem, quòd pro hac misera, ac perditâ ovicula peregeris, ut inter illos beatos, quorum gaudium summum, & ineffabile, merear annumerari. Amen.

ADDITIO.

Duces belli, quos in sua cohorte adverterint debiles, vel animo imbelles, foras expellere assolent: sed Christus languidis animum instillat, ut hodie luculenter apparet; quandoquidem ad eos animandos ingrediatur, qui propter metum Judæorum, januis clausis delitescerant: *Monstravit illis manus, & latus*. Quasi diceret: Ne timeatis, qui enim talia pro vobis perpeffus est, quid præ amore vestri agere prætermittet? Si manus, pedesve vestri culpis aggraventur, mei pro his satisfactione abundant.

MEDITATIO LXXXV.

Pro Dominica secunda post Pascha.

PARS PRIMA.

Oratio præparatoria, &c. 1.

Historia: *Ego sum Pastor bonus*, &c. Joan. 2. 10. Hæc petit Ecclesia: *Deus, qui in Filii tui humilitate*, &c.

3. Compositio loci, revocandum in memoriam insigne illud Miraculum, quo cæcum à nativitate lumini restituit Jesus: quo peracto, mirandam omninò de bono Pastore concionem habuit.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum, quid dicatur, vel agatur à personis, &c. Ut sunt boni Pastoris conditiones, quæ requirunt, ut sit bonus, ut oves suas diligat usque ad proprii sanguinis effusionem pro ipsis, & eas specialiter cognoscat, & vicissim ab eis cognoscatur; nec eas modò defendat, verum etiam pro posse adaugeat. Hinc dolor eliciemus, considerantes, quàm multa nobis desint, ut boni Pastores efficiamur.

2. Perpendenda mercenarii conditio, qui lupum videns, relictis ovibus, fugit, nec ulla prorsus earum cura ipsi superest: ex hoc quoque confusionem eruam in memetipsum reflexus, si neglexerim, quæ penes me fuerint administranda.

3. Ut nemo planè Pastoris officium possit effugere, Curati licet, vel Vicarii hæud obeat munus: enimverò cuique saltem oves octo incumbunt custodiendæ, scilicet suæ tres potentia, & quinque sensus; quibus in custodiendis major cura adhibenda est, quàm si feri leones custodirentur. His etenim domandis, modi inveniuntur: quo peracto tutè somno potest indulgeri; in illis verò ovibus nulla est securitas, dum vivunt in hac carne, quia liberâ voluntate potimur.

4. Considerandum, uti cum has oviculas à lupis propriis, nempe passionibus, sensuallibusque oblectamentis tutas & incolumes custodire debuissim; tantum abfuit, ut id præstiterim, ut iisdem lupis illas tradere

Qg non

non erubuerim; & cum animam meam pro ovibus dare tenerer, eandem lupis tradidi devorandam; in quo ipso mercenario longè sum deterior; ille enim à lupo refugit; ego verò ad eum tendo, ut ipsi oves tradam: è quibus omnibus dolorem de præteritis consequar, emendationem-que pro futuris erogabo.

5. Perpendendum, quàm parùm ducar exemplis boni Pastoris, qui ut me oves meas custodiendi modum edoceret, sensus suos summis in cruce habuit tormentis: oculi enim ejus fleverunt, gustus felle potatus est, manus clavis perforatæ sunt; & Calvariae fœtore olfactus perfusus est: ego verò omnia ago in contrarium; cum enim meas oves servare debeam, illas perdo, & quarum custos esse debeo, lupus efficior.

TERTIA PARS.

Colloquium.

O Pastor gloriose huic oviculæ misereare, quæ adversus suas oves, id est, potentias, ac sensus in lupum est conversa; eam instrue, quam in eas curam adhibere debeat: nihil enim aliud præterquam totalem earum ruinam novit; totus confusione suffundar; Domine, advertens, quàm sedulò me custodieris, & quàm citò memetipsum ego perdiderim, audiat ovis tuam dulcem Pastoris vocem ejusque vestigia cognoscat ac sequatur: etenim aliàs, in laporum insidias delabar; ne quæso me alibi videam, nisi in manibus tuis, quia sic nemo me rapiet de tam cælesti præsidio.

ADDITIO.

Accedit lupo, qui est dæmon, sedem-que suam in peccatoris capite per vanæ gloriæ tumorem constituit, & in obmurmurantis lingua, &c.

Quantum esset illud periculum, gregem in illis campis pascere, quorum herba venenatæ ovibus dulciùs saperent, quàm salutifera: hoc idem discrimen incurrunt superbi qui in mundo vitam trahunt.

Grex totâ nocte in stabulo quiescere solet, & ita somno indulgendo Pastori facultas suppeditatur. Sed nullum hic quieti momentum est: quandoquidem nec intellectus, nec voluntas nisi devicta somno in ipso etiam lecto eâ valeat potiri: *Non est pax ossibus meis; & ideò hoc Ecclesia perorat: Procul recedant somnia, & noctium phantasmata, &c.*

MEDITATIO LXXXVI.

Dominica tertia post Pascha.

PARS PRIMA.

1. Oratio præparatoria, &c.

Historia: *Modicum, videbitis me, &c.* 2. Joan. 16. Petit Ecclesia: *Deus, qui errantibus, &c.*

Compositio loci; Christus menti objiciendus est in ultima illa concione, quam post supremam cænam habuit.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum, uti Christus Dominus magnam in Discipulos misericordiam exhibuerit, sese illis mox manifestando, & iterum ab eorum conspectu mox se subtrahendo: illinc enim eorum debilitatem sublevat, & hinc iis condecit, eosque corroborat, ut à jucunda etiam magistri sui præsentia separati, statum suum conservare possint.

2. Perpendendum, quomodo In me etiam & in suas creaturas misericordiae suæ munera exhibuerit Deus. Uti enim est conditio hominis imbellis, qui arci cuida tuendæ præficiatur, ut nisi quantociùs ipsi succurrant, sese dedere, non dubitet. Quod si apprimè circumvallatum ac omnino obsonio munitu se advertat: tum ad majora enititur, & ita miseriæ nostræ fert suppetias, Dominus eam tempestivè invivendo, ut obsistatur impressionibus hostis.

3. Considerandum eo tempore, quo Dominus invisit, ac consolatur, incumbere oportere, ut ex passionum nostrarum mortificatione (mediate sancti Spiritus favore, quem illi animæ, quam visitat, impertitur) profectum haurire valeamus: *Quando enim nubes Tabernaculum deserebat, proficiscebantur filii Israël.* Sic dum illuminatio, & orationis fervor adventant, tunc ad vitam spiritualem proficiscendi tempus est, ne solum devotionis gaudium referatur.

4. Perpendendum, quo in statu spiritus meus sit dum consolatio recedit; suavis an aridus invenior: etenim si tunc amantis discessum non advertam, & ad alias sensuales consolationes me convertam, exigui sanè amoris est indicium, bonam-que dispositionem me haud possidere. Verum si solitudinis virtutisque amorem experior, optimum signum est.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Opportunè omninò de te dicitur, Domine; *Quod omnia in sapientia fecisti.* Etenim si granum terræ mandatum, aquâ mediante, fructificet, nec minùs frigus superveniens ad radices jaciendas conducatur: sic planè, anima nostra lacrymarum lymphis, dum ipsam visitas, fructum refert, tuâ gratiâ eum etiam consecutura, dum sicca gelidaque fuerit; tunc enim humilitatis jactet.

ciet fundamenta, cognoscens quantæ ex se sit sterilitatis, ac miseræ. Quid de me fieret, Domine, si in tribulationibus meis, haud à te juvarer? O miranda omninò tua statera ac pondus; te Angeli summis laudibus efferant. Eia anima mea, benedic & tu Domino Deo tuo, quòd te visitet, adeò enim misericordia ejus erga te illucescit: etenim unum agit, ut te cognoscas; & alterum, ut illius habeas cognitionem. Ea propter, dum tribulationibus vexaberis, visitationem præstolato; dum verò visitaberis, dilectioni incumbito: & sic de te dicetur: *Egredietur, & ingredietur, &c.*

A D D I T I O.

1. Quemadmodum puerulo mater non tollit mammam, nisi ut eum solidiori pascat alimento; ita planè dum Christus discedit, fit, ut solidius ad patientiam, ac humilitatem in tribulatione corroboret.
2. Justus, dum medios inter labores, bonis operibus insudarit, postmodum gaudio, ac lætitiâ suffunditur; sed peccator, commisso peccato, indeque nato conscientie vermiculo, atrociter cruciatur.
3. Peccatorum momentanea est oblectatio; sed de justorum gaudiis memorie æternæ proditur: *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*
Quis sit Dominus in adventu suo, tibi ostentat; at in discessu, qualis & tu sis, manifestat; nec minùs sese recondens, quam se manifestans suo tempore admirandus est: *Sicut tenebra ejus, ita & lumen ejus.*
4. Integer annus agricolæ haud longus videtur, dummodo speratam seminationis messem in fine colligat, nec litiganti totos decem annos expectare arduum est; dum, quam expectat sententiam, faustè tandem pronunciarì inaudiat; & Deum suum vel tantillum homo nostrè expectaverit? *iterum modicum & videbitis me.*

MEDITATIO LXXXVII.

Dominica quarta post Pascha.

PARS PRIMA.

1. Oratio præparatoria, &c.
2. Historia: *Vado ad eum, qui misit me, &c.*
Joan. 16. Petit Ecclesia: *Deus, qui fidelium mentes, &c.*
3. Compositio loci, ut supra.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum, quid dicant, vel agant personæ, &c. Si postrema verba, quæ Jacob moriens protulit, tanti posteris æstimata sint; quantò ampliùs erunt æstimanda, quæ à Jacob nostro Christo ad Patrem suum discessuro, prolata sunt? Quorum ratione Romana Ecclesia, Christi sponsa, teporem nostrum expurgavit.
2. Perpendendum, uti magnum illud sit

remedium adversus mundi persecutiones, Sathanæque tentationes, dicere: *Vado ad eum, qui &c.* Agant quidquid voluerint hostes ego reverà, *Vadam ad eum, &c.*

Considerandum, velut suo modo dicant 3. creaturæ: *Vado ad eum, &c.* Unum id peccator, (in quantum obedientiæ, quam sibi injunxit Dominus non parer,) dicere prætermittit; scilicet: *Vado ad eum, &c.* Quia ad Creatorem suum nullatenùs tendit. Et hinc dolorem eliciam, de viis, quas peragraverim, cum tamen eos inter minimè inveniar, qui ad Creatorem festinant.

Perpendenda est peccatoris miseria, qui si dicat: *Vado*, Ideò dicit, quòd ad Sathanam se conferat, quo instigante, proximos suos tentaturus revertitur. Heu perditum illum: quam viam pergit miser, cum rectè ad infernum deducatur! O verè deploranda miseria, quòd tam præcipitem se agat! Ah, si ad id attenderet, quam citò à tali via diverteret!

Considerandum, quid causæ sit, cur à tam paucis ea verba proferantur: & quemadmodum dum ea Christus Dominus protulit, crux esset subeunda, ut ad Patrem æternum proficisceretur: cum autem hominès pati abhorreant, ut crucem fugiant à Patris æterni semitis deviantur; ex quo dolorem concitabo: etenim ne Patris æterni vias deambulent, Redemptoris crucem suavissimam, duram atque asperam sibi commentantur.

TERTIA PARS:

Colloquium.

O si quis dicere valeret: *Vado ad eum, &c.* Sed ubi aliud contingeret, trahe me, Domine, etiam invitum, ac renitentem: etenim, væ mihi, si tu me non protraxeris! Sed quid dicam, Domine, cum te Discipulis tuis videam hæc enarrantem: *Expedis vobis, &c.* Et quid agemus sine te; tuaque destituti præsentia? Si dicas, Domine, quòd expediat, ut vadas; quia cruce morteque tuâ Redemptionem operaturus es. Ego dicam, *pulvis ac cinis sum*: id unum proferam, Domine; quòd Judices terræ, visis vulneribus cujusdam qui miserè admodum exceptus sit; justitiæ zelo compulsi, majori cum rigore procedere componentur. Pari ratione si vulnera tua in cælis Pater tuus inspexerit, Mundum universum ultricibus (ut videtur,) flammis decernet concremandum. *O altitudo divitiarum, &c.* Rom. 11. Sed attende, & obstupescè, anima mea, quòd in vices ignis ultionis, amoris ignem ad nos transmittet. O immensæ bonitatis pelagus! Quid hoc est portenti! Ex quo furor erumpere debuerat, amor proficiscitur,

& loco justitiæ Misericordia exoritur. Quis te diligere desinat, Domine? & anima mea, ad eum vade, qui te creavit, & fecit: ad eum tende, qui te vocat; ad eum festina, à quo cum justè vapulare debeas suavissimo pane cibaris: vade, ne fugias, nec eum deseras: quòd tibi iter stravit, ut te ad cælum suum æternum protrahat, inspice; festina igitur: etenim de vita tua agitur, ut eum insequaris.

A D D I T I O.

Attendant in quantum à via devient, qui media inter gaudia, atque oblectamenta oberrant; & sese interrogent; Num vado ad eum, &c. Quia mihi dicitur, quòd angusta, & aspera via sit per quam Dominus pergat; alia verò sit spatiosa: *Non vado ad eum*, &c. Sapiens autem virum illum beatum prædicat, *qui ascensiones in corde suo disposuit*, &c. Quid futurum est, cum ad cæleste illud hospitium ab eo fuerit appulsum? *Vado ad eum*, &c. Multi ei assimulantur, qui Patri suo dixerat, Matth. 20. *Eo Domine, & non ivit*. Nam se ituros promittunt, cum tamen nunquam eant. Sunt, qui in tribulationibus sese ituros, bonaque ut Pharaon, dum in eum sæviret plaga, præstituros se spondeant; sed cessante sævitiâ, omnium promissorum obliviscuntur. Is verè in invisibilibus parùm versatum se ostendit, qui visibilibus spoliari se præsentit.

Quia non crediderunt, &c. Nedum quidem mundo suaderi potest in injuriis remittendis esse fortitudinem; in paupertate veras divitias, in humilitate magnitudinem.

Et de justitia, &c. Si Christus passus sit, & ita intraverit in gloriam suam; an nos nihil patientes, salute potiri arbitramur?

Et de judicio, &c. Arduum sanè est, quod cum tanti Christo constiterit, devicisse obstinationis Principem; nostræque adeò cedat utilitati, dæmoni tamen etiamnum obedientiam rependamus, Christum pro eo relinquentes.

M E D I T A T I O LXXXVIII.

Pro Dominica quinta post Pascha.

P A R S P R I M A.

1. Oratio præparatoria, &c.
2. Historia: *Amen, amen dico vobis; si quid petieritis Patrem*, &c. Joan. 16.
Petit Ecclesia: *Deus, à quo bona cuncta procedunt*, &c.
3. Loci compositio, ut suprà.

S E C U N D A P A R S.

1. Considerandum, ut Christus Dominus id peregerit, quod à patribus-familias fieri amat, dum, à suis procul discedunt: sic & nunc Christus in discessu

mirandam sanè cunctis quasi schedulam nomine suo signatam reliquit, fore ut æternus Pater omnibus necessitatibus Ecclesiæ subveniret; sed quàm parvi feci ego hanc schedulam huncque amorem, & quàm exiguum inde fructum collegi; cum tamen si schedula cambii pecuniarum fuisset, penè adventasset, cum jam solutionem ejus sollicitarem: unde dolorem eliciam propter teporem, quo feror in spiritualia, qui in temporalia admodum sedulus ac diligens existo.

Considerandum, ideo me non petere, 2. quod necessitatem meam haud cognoscam: nemo enim domum suam in incendium exardescere videt, quin ad auxiliatrices lymphas ad ignem extinguendum reclamet. Sic si adverterem, uti passionum mearum flammis vivus comburam, lacrymarum aquas implorarem, ut ignis extingueretur.

Ut, si aliquando me petiisse contigerit; 3. mihi tamen objici posset, quod nihil peterem, *quo gaudium meum esset plenum*: quin potius talia expeterem, quibus dolor, curaque innascerentur; ideoque in iis denegandis, clementer mecum processum est. Item, si aliis in rebus non exaudiar: ideo fieri, quod nec ea advertam, nec ab illis abstineam, de quibus Propheta commemorat: *Si aspexi in corde meo*, &c.

Ut, si ad orationem me disposuissem 4. intimè ac luculenter, me Dominus fuisset allocutus. Sed hæc non mereor; quia nec id, quod clarissimum est, audire cupio. Quis dubio vertat, divitias esse spinas; & labores accumulare eum, qui addit scientiam vanitatis, & à mundo Christum haud cognosci; nihilominus tamen mundum, divitiisque insequor: qua de causa cum ne vel clarè prolata capiam, ob meam culpam, non mereor ut in oratione magis intimè me alloquatur Deus.

T E R T I A P A R S.

Colloquium.

O quàm luculenter in discessu tuo amorem, quo nos prosequeris, ostendisti, suavissime JESU, quandoquidem nostra negotia cum æterno Patre tuo expediveris? Prius eramus filii iræ; nunc verò nobis significas, quod *ipse Pater amat nos*. Beatus ille, qui te diligit, cum amorem ejus tantis beneficiis compenses, tuum Patrique tui amorem in Beatitudinis pignus retribuens. O quàm bene admodum per schedulam, quam nobis relinquis, nobis provisum est! Sed quid agam, Domine, qui quòd amplius amorem tuum perpendo, eò & graviori timore percellor dum meam ingratitude adverto, & in id reflector, quòd petere deserim; qui si quid petieram, talia petii,

petii, quæ nullo modo mihi conducerent : & si quandoque sacrificaverim, vel officia quædam Divinæ Majestati tuæ exhibuerim, Saûli similis eram, ab obsequiis tibi debitis recedens. Talis ego in te exhibeor, Domine, cum tu longè aliter mecum procedas. Tu enim sanguinem, vitamque tuam, & te ipsum mihi tribuisti, & ego abjectus vermiculus me tibi tradere adhuc dubito ? O Anima mea, cur moras contrahis te illi dare, qui sese pro te ultrò dedit. Te tandem tribue : enimverò plus te admittendo efficit, quàm tu illi te donando operaris.

Domine JESU, accipe spiritum meum.

ADDITIO.

1. Si quid petieritis : Magna orationis virtus est, pro omni ægritudinum genere petere : sicque à Christo summè commendatum est. Si de Principe quodam ea vagaretur fama, quòd talis sit indolis, ut coronatos ad millia soleat elargiri ; si verò pauci exposcantur, nihil tribuere ; mundus hunc insequeretur. At hoc idem à Christo promulgatur, ut gaudium suum, &c. Gaudium autem mundi haud completum est, nec integrum oblectamentum tribuit : quia est sicut Scammoneum in stomacho, quod eum non modò non replet ; sed eorum omnium, quibus repletur, protinùs vacuum reddit.
2. Palàm, &c. Manifestè nos alloqui Deus definit : quia nec nos eum ritè & luculenter alloquimur : Revela Domine viam tuam, &c. Psal. 36. Quia item sincerà simplicitate pauci polleat ; rari itidem merentur, ut palàm eos Dominus alloquatur : Quia cum simplicibus sermocinatio ejus.
3. Si te tua terreant crimina, confide : Quia Pater amat vos. Quid negabit ille, qui Filium suum tradidit : quod si ea tribuerit, quæ vel petere non ausus fuisses, quantò magis id tibi est concessurus, quod conditionibus debitis eum flagitaveris ?
4. Sunt, qui loco humilitatis æstimationem propriam ex oratione reportent. Sed, qui bene orant, sunt sicut aurum, quod quoties in ferventem aquam immittitur, eam auram minimè reddit, quin ponderis sui parte quâdam minuatur. Sic isti, mediante igne sacrosancti Spiritûs, dum ab oratione superfedent, leviores existunt : quia minus sese existimant propter cognitionem, quàm de se reportant.
5. Qui rebus terrenis inebriati, orationem aggrediuntur, nullum, aut parvum in ea saporem inveniunt : Quando in Tabernaculum Testimonii intrabitis, non bibetis vinum, & omne quod inebriare potest.
6. Ne deficias, licet, quæ in oratione postulas, haud consequaris tam citò ; quia

quemadmodum si equum à Rege peteres, mulaque te donari juberet ; postea verò caballo, tum centum caballis, & tandem petito veredo, majorem sanè mercedem tibi elargiretur, quàm si statim petatum concessisset. Item, si Regi supplicem libellum porrigas, aliquid ab ipso efflagitans, tecumque per horam integram amicè ac familiariter commoretur, jubeatque in sequentem diem reverti, & per duas horas detineat, tibi que secundò redire injungat, & per tres horas retineat, & tunc mercedem elargiatur, tibi dicens : A primo die mercede te donare statueram ; verùm conversatione tuâ gavifurus, eam distuli. Sic etiam, &c.

MEDITATIO LXXXIX.

De Assensione Domini.

PARS PRIMA.

- Oratio præparatoria, &c. 1.
 Historia : Recumbentibus undecim ; &c. 2.
 Marci 16. Petit Ecclesia : Concede quesumus omnipotens Deus, &c.
 Loci compositio huic, quod divus Lucas scribit, conformabitur : Eduxit eos foras in Bethaniam, & elevatis manibus suis, benedixit eis. 3.

SECUNDA PARS.

- Considerandum uti debeamus timere, 1. quod in hac carne commoremur ; quandoquidem Dominus Discipulos suos de incredulitate arguat ; cum tamen tanta cum iis perpetrasset ; quæ cum ita sint, an putas, quod dum Filius hominis veniet, inventurus sit Fidem in terra. Ex hoc itaque gratiarum actiones colligam, propter donum Fidei, & petam : Adauge nobis Fidem ; quemadmodum Ecclesia Romana credere profiteretur.
- Ut adimpleatur, quod per Josephum 2. cum fratribus suis significatum est, dum hinc eos corripere, verbisque durioribus alloqueretur, & illinc pecunias in saccos eorum reponeret, triticumque abundè elargiretur. Sic Josephus noster Jesus hinc corripit, & illinc potestatem ægritudines sanandi concedit, benedictionemque tribuit, &c. Ut ex hoc fiduciam habeamus, quòd post laborem benedictio sit ventura.
- Ut signa, quæ Christus Apostolis spiritaliter indixerat, singulis diebus impleantur : quare confunderendus sum de colloquiis, quæ in peccato miscuerim, & de loquendi desiderio, de verbis quæ loquor : ex quo admiratione replebor de operibus Domini, quodque parum ad eam cognoscendam, meque in illa gratum exhibeam. 3.
- Ut magna omninò fuerit misericordia, quòd Apostoli Magistrum suum ad cælos 4. ascendentem visibiliter conspicerent, ut eorum affectus ad cælestia commoveret : in quo illud Deuteronomii adimpletum est,

est: *Sicut Aquila provocans pullos suos ad volandum, &c.* Ut insuper timor eliciatur de iis, quæ Angeli protulerint; Act. 1. *Sic veniet quemadmodum, &c.* O peccator, si idem non timeas, quod eum non videas; idem time, quod eum intuiturus sis: *Sic veniet*, quemadmodum fieri solitum est, ut dum aliquò carnem longiùs transferri contingat, ad corruptionem evitandam, conditur sale: ita omninò cum caro nostra ad cælos per iter sanè longinquum, migrare oporteat, ut sale constringatur opus est. *Vos estis sal terra.* Ut sub dio, in frigore, & in aère; *Sicut uter in pruina* incorruptior asservetur: ex quo dolorem consequar, videns, quàm malè parata sit caro mea ad iter tam longinquum; & sic Dei timore conditus id pergere aggrediar.

TERTIA PARS.

Colloquium.

O Rex gloria, Triumphator hodie ad cælos ascendisti, ne derelinquas nos orphanos. Quis triumphorum genera commemorare poterit, quibus hodiè Angeli, & omnes cælitales victorias tuas; & sapientiam, unà celebrant. Lætare, ô Mater, & cælorum Regina: etenim hic ingressus longè alius est, quàm Hierosolymitanus; qui enim hodie laudant Regem suum, in æternum sunt deprædicaturi eum: quia Principem tenebrarum in exilium relegavit, Limbum exspoliavit, mundumque & superbiam ejus superavit. Quis victorias tuas enarrabit, Domine, quandoquidem, quæcumque operatis in servis tuis, ad passionem eorum edomandas, eorum omnium victoriæ palma tibi uni sit adscribenda. Hei mihi, quantas ego reportassem tibi lauros, nisi arbitrii libertate reniterer! Concede gratiam, Domine, ut omne tempus, quod mihi superest, impendam in tuis victoriis deprædicandis, meas passiones mortificando, ut te æternùm merear collaudare, idque mecum peragas; quod in magne fieri advertimus, qui attractum è solo ferrum secum gestitat, ut hoc modo te in vera humilitate sequar, tibi que adhæream. Amen.

ADDITIO.

Mundi colloquia longè à servorum Dei locutione dissident: ille enim duplici sensu intermiscere affectat; hi verò cum simplicitate, ac sinceritate colloqui ambiunt. In hoc etiam differt, quod justus dæmones domo suâ expellit; at peccator eos ad suam congregat.

Sedet ad dexteram &c. Hic Christus laborando pedes processit, iisque persolutis, quæ sibi essent faciendæ, sedit in cæ-

lis: sic quoque nobis priùs laborandum est, si tranquillè quiescere cupiamus.

Lætetur justus: *Quoniam sedet Christus judex vivorum & mortuorum à dextris virtutis Dei.* Licet enim hic judicetur de eo ab hominibus, solatium tamen sit, quod ibi lis ejus disceptetur, ibique pronuntianda sit sententia.

MEDITATIO XC.

Pro Dominica infra Octavam Ascensionis.

PARS PRIMA.

Oratio præparatoria, &c.

Historia: *Dixit Jesus Discipulis suis, &c.* 1.
Joan. 15. Petit Ecclesia, quod supra. 2.

Compositio loci uti supra. 3.

SECUNDA PARS.

Considerandum, quid dicant, vel agant personæ, &c. Ut Christus Dominus, dum solatium aliquod tollit, aliud tribuat: si abeat, Spiritum sanctum pro consolatore spondet; unde Christo cum patientia servire elaborabo, deficientibus licet nonnullis solaminibus: illius enim est consuetudinis, ut uno deficiente, aliud subministret.

Perpendendum, ut animam meam in Spiritus sancti domicilium præparem, attendendum esse ad ea, quæ Discipulis suis Christus mandaverit, & quæ ipsi peregerint, quod fuit: Hierosolymâ festè contulisse, atque ibi in uno se spiritu, in silentio ac oratione congregasse expectantes, &c. Et hinc dolorem excitabo, quod tam parum ex operibus meis constet, quod diu Spiritum sanctum expectem. O quæ Elias non fecit, ut ignis de cælo rueret, ad sacrificium comburendum? Hoc nempè: *Fecit altare Domino, &c.* Cordis mei altare, quod per peccatum dirutum erat, mihi est reædificandum; deinde lacrymis, è peccatorum dolore manantibus, aquæ ductus parabitur. Tum postea in oratione, Dominum supplex rogabo: *Ut agnoscat populus, scilicet sensus mei, atque potentia: Quia tu es Dominus.* Quibus præmiis expectabo, dum ignis, (qui Domini spiritus est) cordis mei sacrificium combusturus descendat.

Pro adventu Spiritus sancti id facturum, quod dicitur Ezechielis 2. *Ingressus est in me Spiritus Dei, & statuit me super pedes meos:* Hoc est, super affectus meos. Itaque mirus omninò pro ejus adventu est apparatus, affectus proprios prosternere, illos ne vel tantillum respirare sinendo: & ita ad eos attendam, qui majori me damno lacerant: & his diebus illos protinùs edomare elaborabo, ut ingrediatur in me Spiritus Domini.

Sicut & dicitur Ezech. 3. *Quod opus assum-* 4.
psit

abit me, &c. Et abiit amarus in indignatione spiritus. Is apparatus est perexcellens: quanto enim homo est infensior in proprium spiritum, indeque amarus incedit, quid sit, quidve fuerit perpendens; eo paratior evadit, ut Spiritus Domini ejus amaritudines, ac labores consoletur.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Quis sum ego, Domine, ut venias ad me: & si tu non veneris, Adventus tui indignum omnino me esse conspicio: quia fui sicut Philistæi, qui Arcam Domini possidentes, eam à terra sua expulere; bonum quod possidebam, dum me Spiritus tui dulcedine solareris, haud cognovi. At licet verum sit, ò infinita bonitas; *Quod ego abii vagus in via cordis mei.* Attamen de te narratur: *Ibidem vias ejus vidi, & sanavi eum.* Ided, Domine, suscipe cor meum: Altare tibi erigens, peccata sua defleat, & cum humilitate, & devotione te exoret; ejus omnes affectus perversos tolle. Illudque reclude in Hierusalem, ut te expectet, & se præparet; *Et in indignatione spiritus sui, cum dolore peccatorum suorum amarum procedat.* Hâc enim ratione, id, quod dixisti, adimplebitur: *Dum non facis vias tuas, & non invenitur voluntas tuâ; tunc delectaberis in Domino, Isai. 58.* tum veniet ille spiritus qui de paupertate, humilitate, & patientia Christi testimonium perhibebit, ita ut anima mea per ejus adventum lumine, salute, atque æterni amoris gaudio perfusa remaneat. Amen.

ADDITIO.

Non venit sæpè Sanctissimus Dei Spiritus, quia non modò non disponuntur homines ad eum recipiendum: quin potiùs idem ingeminant, quod Christo dæmones dixere: *Venisti torquere nos.* Alii idem, quòd cum Christo Judæi præstiterunt, dicentes: *Venite, occidamus eum,* & ita congregantur, ut Dei Spiritum peccatis suis offendant. Etenim intra eos est spiritus Dei, qui à mundo omnino exulant, ac segregantur. Quis autem eum consulit, cum tamen donorum ejus unum sit, donum consilii? Cumque fortitudo aliud donum ejus censeatur, quis, amabo, eâ roboratur?

Non venit quia faciem ei obvertunt peccatores, & ita conqueritur dicens: *Terga verterunt ad me, & non faciem.* Si navis, quæ ad Orientem cupit transfretare, versam continuò ad Occasum proram habeat, quando tandem est appulsura ad peroptatum portum?

Sunt labores veluti cubicularii Domini, & ita eis obviam nobis esset procedendum,

Hominem in adventu suo immutat hic sacrosanctus Spiritus. Itaque ut quis videat an eum receperit, attendat an vitam pristinam exuerit: bonum omnino indicium est, laboribus pro Christo exanthlatis delectari: *Ibant Apostoli gaudentes, &c.*

TRACTATUS II.

De sequentibus Meditationibus.

MEDITATIO XCI.

In die Pentecostes.

PARS PRIMA.

Oratio Præparatoria, &c.

Historia: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus: qui non diligit me, sermones meos non servat. Et sermonem quem audistis, non est meus: sed ejus, qui misit me, Patris. Hac locutus sum vobis, apud vos manens. Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quacumque dixerò vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis quia ego dixi vobis: Vado, & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem: quia Pater major me est. Et nunc dixi vobis priusquam fiat: ut cum factum fuerit, credatis. Jam non multa loquar vobiscum. Venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam. Sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.*

Petit Ecclesia: *Deus qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem spiritu recta sapere: & de ejus semper consolatione gaudere. Per Dominum, &c.*

Compositio loci, quemadmodum in concione cæci.

SECUNDA PARS.

Considerandum quid dicant, vel agant 1. personæ, &c. Quantus fructus ei spondeatur, qui mandata Dei custodit, in sanctissimi Spiritus assumi domicilium amat.

Perpendendum: cui Spiritus sanctus 2. promittatur: Apostolis nempe, dum propter Christi exitum affligerentur; & iis, qui postmodum oculis ad cælum intentis hærebant, dum cælos ascendens eorum visui sese subtraheret: ut hinc elucidetur his & similibus conditionibus eos pollere debere, qui eum desiderant: hincque dolore confusioneque afficiat, exiguum omnino apparatus meum conspiciens.

Ad quos veniat sanctissimus Spiritus? ad 3. eos scilicet, qui relictam à Christo pacem conservant; ad illos qui propter mundi hujus persecutiones nec timent, nec per-

tur-

turbantur; ad illos qui in veritate dicere valent: *Venit princeps mundi hujus, & in me, &c.* Quia ab eo nihil habeo, nec habere cupio; ad illos, qui seriò incumbunt virtutum operibus, ut mundo manifestent amorem atque obedientiam, quibus in æternum Patrem feruntur, *ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem.*

4. Effectus, quos Spiritus sanctus operatur hi sunt; replet totam domum gratis & donis: vehementem omnino spiritus excitat fervorem ad Dominum alloquendum, eumque laudibus efferendum; metum tollit, roburque tribuit, ut mundus contemnatur; ut labores superentur, ipsaque mors, dum modo in eorum contemptu serviatur Deo: visibilia spernere facit, propter ea, quæ sperantur, quia tenebras nostras illuminat: è quibus omnibus in memetipsum reflectat, ut cognoscam quantoperè spiritus Domini mihi opus sit.
5. Quomodo conservetur? iis nempe rebus abstinendo, in quibus perditur: nam Adamus se perdidit, ne Evam contristaret; Cainus præ invidia; Saül præ inobedientia; Judas præ avara cupidine: iis autem vitiis esset abstinendum, ut conservaretur gratia divini Spiritus. Ut item ignis foveatur sub cinere, sic ignis sanctissimi Spiritus cognitione nostrâ propriâ, quæ cinis noster est, conservatur. Item animæ nostræ lampas servatur accensa, si ab auris vanitatis amoveatur. Ignis item uti asservatur excitatione; sic etiam Dei beneficiorum memoria suscitanda, ne divini amoris ignis in nobis extinguatur.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Quid dicam, Domine, quod hic homo animal non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Me adverte tuo spiritu summoperè indigentem, & simul modicè præparatum ad eum suscipiendum. Ad hoc recorderis Domine, quòd dixeris: *Conferam vobis Spiritum meum.* Veniat ergo in me spiritus sapientiæ, ut mysteria tua percipiam; & spiritus fortitudinis, ut mundum despiciam. Da mihi linguam, quæ te deprædicet, cor accensum, quod tui amore flagret: *Veni pater pauperum, veni dator munerum;* siccos oculos meos lacrymis irriga; quòd ceciderit, erige; quòd disruptum est, consolida; afflictum solare; cæcum illumina; mortuum vivifica, ut omnia adventu tuo sanentur, omnia mudentur, ac sanctificentur. Sit memoria tua gaudium meum, ut dicere possim: *Defecit Spiritus meus,* præ amore tui, ô sanctissime Spiritus: amor dulcissime, *Veni in hortum meum, & fluent aromata.* Tu qui nihil odisti eorum, quæ fe-

cisti, (veni:) sit splendor Dei Domini nostri super nos, & opera manuum tuarum ne despicias. Et spiritum rectum innova in visceribus meis, ut te diligendo moriar, & moriendo diligam, in secula seculorum. Amen.

ADDITIO.

Magnum sanè amorem præ se tulit sanctissimus Spiritus, veniens in mundum versantem in crimine. Spiritus sanctificans minimè se tribuit, nisi effuso priùs Christi cruore, & ita eum nulli recipiunt, nisi qui meritis Christi proficiunt, id ex parte sua tribuentes ad quod tenentur; cumque aded rari sint crucis sequaces, pauci admodum etiam sunt, qui Spiritus sancti mansione illustrantur.

Iis sese Spiritus sanctus tribuit, qui eum in Civitate Jerusalem, (quæ est visio pacis) expectant; non verò iis, qui Babylone se tenent, quæ peccatorum fornax est.

Iis se dat, qui carent cupidine, *Quia spiritus Domini explevit, &c.* Nam qui superbiâ carneque tumet, non habet undè eum suscipiat.

Illis se concedit, qui eum cum perseverantia in oratione præstolantur, eumque possidendi optimum indicium est, si humili perseverantiâ postuletur.

MEDITATIO XCII.

Feria secunda post Pentecostem.

PARS PRIMA.

Oratio præparatoria, &c.

Historia: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus est: quia non credit in nomine unigeniti filii Dei. Hoc est autem iudicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus: qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.*

Petit Ecclesia: *Deus qui Apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum: concede plebi tuæ, pia petitionis effectum: ut quibus dedisti fidem, largiaris & pacem. Per Dominum, &c.*

Loci compositio, Christus in mentem, revocandus, Nicodemo respondens, dum hic Judæorum Princeps ad eum nocte venerit.

SECUNDA PARS.

Considerandum, ut æterni Patris charitas exaltatur, cum tantæ intentionis fuerit,

rit, ut filium suum unigenitum tradiderit : hinc gratiarum actiones referam, sicut & amorem in me accendam quàm vehementissimum ad eum adamandum, ei que ferendum, qui in tantum me dilexerat.

2. Considerandum, quis ille sit, qui dederat hoc insigne munus? æternus Pater: & quis datus fuit? Dei æterni unigenitus filius, ut que non debiti solutione, sed amoris gratitudine, summa que bonitate sit concessus.
3. Cui datus sit, scilicet mundo, cuius obstinatio atque cæcitas æternum castigari merebatur; sed vice versâ bonum æternum ipsi concessum est.
4. Cur Dei filius sit datus, ut pateretur, & pro multis hominibus moreretur, qui illum non essent cognituri: ut denique eos vitâ æternâ donaret, qui illum verâ obedientiâ in præcepta Dei atque Ecclesiæ Romanæ veneraturi erant.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Perpende anima mea, quid tibi sit datum, & à quo datum, cui que datum sit? oculos ad cælum converte; Patrem collauda, qui tibi filium suum tribuit; lauda filium, qui venit; amorem que divinum, qui sanctus est Spiritus, quo mediante, hoc donum est missum; & tua omnia, (quantumvis illi tribuas, qui totum se concessit) ut pusilla obsequia tuæ confusioni vertas, cognoscens quantum amplius ipse præstitit te recipiendo, quàm tu opereris donando: ô quàm parum donas, quæ tantum recipis; agnosce igitur beneficium, Dominum que tuum deprædica.

MEDITATIO XCIII.

Feria Tertia post Pentecosten.

PARS PRIMA.

1. Oratio Præparatoria, &c.

Historia: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium. Huic ostiarius aperit, & oves vocem ejus audiunt, & proprias oves vocat nominatim, & educit eas. Et cum proprias oves emisserit, ante eas vadit: & oves illam sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non noverunt vocem alienorum. Hoc proverbium dixit eis JESVS. Illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum JESVS: Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium. Omnes quotquot venerunt, fures sunt, & latrones, & non audierunt eos oves. Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur: & ingredietur, & egredietur, & Pasca inveniet. Fur non venit nisi ut faceret, & mactet, & perdat. Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.*

Petit Ecclesia: *Ut adsit nobis virtus Spiritus sancti: qua & corda nostra clementer expurget, & ab omnibus teneatur adversis. Per Dominum, &c.*

Loci compositio, ut supra Dominicâ secundâ post Pentecosten.

SECUNDA PARS.

Considerandum, ut Christus Dominus porta sit, & via, atque scala ad cælum scandendum, ut que excæcati peccatores, nec ad januam ejus pulsant, nec vias ejus peragrent, nec scalam illius conscendant.

Perpendenda est vocis Pastoris suavitas, ut que illud liquefaciat, quod frigore constrictum est, (nam vox Domini concutientis desertum,) qualicumque polleat siccitate. Ut que venerit, ut vitam haberent, &c. Quia misericordia ejus super vitas, Psal. 62. Et nihilominus nec ab hominibus auditur, nec cognoscitur: hoc unum itaque deslebo.

Perpendenda hominis miseria; etenim cum ad nihil aliud accedat fur, quàm ad furandum atque enecandum, cum que vox ejus sit tristis ac horrida: Quia conturbatus sum à voce inimica. Attamen miserandam inimici ac lupi vocem peccatores sequi non dubitant, vocem Domini ac Pastoris relinquentes.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Tu porta es, Domine, & ad meam pulsas, ut per tuam ingrediar; & cum alia nulla ad cælum tendat, eam nec cognovi ut debui, nec ad illam, ut par erat, pulsavi; sin verò tu aperueris, quis mihi postes expandet? Aut si portam tuam non subiero, quid cæteræ mihi profuturæ sunt? Attende anima mea, quòd Redemptor tuus tibi in suis pretiosis vulneribus portas pandit; inspicere amorem, quo eas aperuit; quove te jam invitat, ut intres in foramina petræ. Ibi habitationem tuam præfigas, nec aliam require; ibi te non deprehendat: Et illa sicut dies illuminabitur. Ibi, quæ tibi opus sint, cognosces: Et vitam habebis, &c. Hanc vitæ abundantiam quis enarrabit, nisi qui eâ potitur? Hanc mihi vitam tribue, Domine, in qua vivere valeam: Quia apud te est fons vitæ. Amen.

MEDITATIO XCIV.

Feria quarta post Pentecosten.

PARS PRIMA.

1. Oratio præparatoria, &c.

Historia: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum: & ego resuscitabo eum in novissimo die. Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audit à Patre, & didicit, venit ad me. Non quia Patrem vidit quisquam, nisi æ;*

Rr qui

qui est à Deo, hic vidit Patrem. Amen, Amen dico vobis: Qui credit in me, habet vitam aeternam. Ego sum panis vita. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de calo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Ego sum panis vivus, qui de calo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum: & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.

Petit Ecclesia: *Mentes nostras, quesumus Domine, paraclitus qui à te procedit, illuminet: & inducat in omnem, sicut tuus promissit Filius, veritatem. Qui tecum, &c.*

3. Loci compositio; Christus ob oculos objiciendus est, qui de mirandis rebus sacrosancti Sacramenti cum populo pertractavit, atque hujus Evangelii verba subjecit.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum, ut Pater aeternus sit, qui nos ad Filium protrahat, ejus nobis potentiam manifestans; quod eò magis admiratione dignum videtur, quo amplius considerentur clamores quibus nos à peccato eruit, atque ad Filium suum allicit; sed quibus modis, quâ suavitate, &c. Ut hinc gratiarum actiones solvam, quòd ita me invitet; sicut & dolorem, quòd ista omnia haecenus parùm pensitaverim.
2. Considerandum, ut ad Patrem Filius per Redemptionem nos conducat; utque in hoc sapientiam suam, ac Misericordiam exhibeat.
3. Considerandum, ut per amorem Spiritus sancti, qui amor est, quo & Pater & Filius inter se diligunt, ad Patrem itidem & Filium protrahar; per hunc amorem creatus sum, per hunc productus sum; & per hunc ad rerum caelestium desiderium allicior; & si aliquid boni in me sit, id omne ab hoc amore communicatum est: quare dolebo, quòd tam exiguo amore hunc aeternum amorem prosequar, cum tot & tantis ei obstrictus maneam favoribus ac beneficiis.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Si Patri aeterno multa debeas, anima mea, quia te ad Filium protraxerit; attende quantis item beneficiis Filio adstringaris, quòd te ad Patrem humeris propriis pertulerit; sicut & Spiritui sancto, qui est amor & bonitas, quâ omnia ea bona, quæ possides accepisti. O anima mea, si tribus his dignissimis personis non obdideris, quis te adjuvabit? Si istæ ad seipsas te non pertrahant, magno te pondere aggravari est indicium; ut quid illuc te protrahi renuis, quòd te perducunt? Cur eas amare desinis, cum tantoperè diligant?

Expergiscere, iterum atque iterum; quis te trahat, quisve te diligit, attende; auditum tuum creaturis obtura, gratias Patri repende, quòd te ad Filium perduxerit, & Filio quia te propriis impensis tulerit, amoriq̄ ac bonitati, quâ tantum bonum ad te manaverat. In accepta beneficia gratum te exhibeas, ut hoc modo tres divinas personas in aeternum laudare merearis. Amen.

MEDITATIO XCV.

Pro Feria quinta, ut in die Pentecostes. Meditationis repetitio Feria sexta post Pentecosten.

PARS PRIMA.

Oratio præparatoria, &c.

Historia est Paralytici Luc. 5. & in Dominica 18.

Petit Ecclesia: *Da quesumus Ecclesia tua misecors Deus: ut sancto Spiritu congregata, hostili nullatenus incursione turbetur. Per Dominum, &c.*

Compositio loci; Christus in mentem revocandus, sedens ac docens, utque tantummodo docere haud contentus sit, verum & mira peragit.

SECUNDA PARS.

Considerandum quid dicebant, vel agebant, &c. Ut confusione perfundar, advertens, quòd tam multi Christum sequerentur, tantaque attentione eum deinde auscultarent, ac deprædicarent; cum verò maximi semper teporis ego exstiterim. Ut item illius domus tectum diruant, ut paralyticum Christi præsentiae exponant; sed ego ne quidem rogatus, expansisque januis, ad ejus me reverentiam exhibere, salutemque ab eo flagitare veniam, quin potius per tecta ipsa profiliam, ut è domo, quam Christus inhabitat, aufugiam. Item, quàm prætiosa in conspectu Domini sint opera, quibus cum devotione insudatur, quandoquidem his non petentibus, nec verbum loquentibus, verum ob solam diligentiam, quâ in tecto operiendo, processerint, Christus dicat: *Remittuntur tibi, &c.* Quanti etiam sit valoris recta devotio unà cum operibus, cum talis ex ea effectus promanarit: & hinc dolorem eruam, remissam admodum esse devotionem meam, si cum horum devotione conferatur.

Ut Christus Dominus hoc miraculum perpetret, ad auctoritatem suam ipsis confirmandam, verumque se Dei Filium esse ostendendum; & tamen ab eo signa petunt, & postea sciscitantur: *Si tu es Christus, dic nobis palam.* Utque etiamnum miserandi hujus seculi tot signis non credunt; alii quia nolunt credere: alii quia ad suum palatum doctrinam exoptant, ita

ut

ut verè de iis dici possit : *Totus mundus in maligno positus est.* Itaque hoc dolebo, quod me in mundo inter gentem tam perfidam advertam, tantisque periculis obnoxius vitam protraham.

3. Considerandum, quòd quemadmodum paralytis corporea nonnunquam aère frigidiori dominante ingeneretur; sic quoque spiritualis è frigidus sed sævissimo superbiz vento proficiscitur; quare etiam atque etiam illi timendum est, qui in spiritualibus frigidus, vel tepidus sese adverterit. Ut item hanc ratione propter temporem meum vitam in continuo timore ducere debeam.

4. Ut ad damni hujus remedium conducatur; aquas lacrymarum exposcere, dicendo cum Propheta: *Converte, Domine, captivitatem nostram sicut torrens in Austro.* Ut enim Austro plente tellus redditur fructifera; sic etiam aqua lacrymarum magnum in animis nostris parit fructum; quodque peccato est congelatum, lacrymis medianibus liquefit ac fructificat.

5. Ut sedulo id agam, quod mundus, vel appetitus proprius suggerit; utque, dum Christus Dominus ingeminat: *Tibi dico, surge;* nihil audiam, surdumque me effingam; si verò dicat Sathanas: *Tibi dico, surge,* in vanitate ac superbia, tum enim verò repente surgo: undè dolorem, confusionemque eliciam.

TERTIA PARS:

Colloquium.

Surge Aquilo & veni, Auster perfla hortum meum, & fluent aroma illius. Quæ alia paralytis animæ meæ causa extitit, præterquam meum in rebus spiritualibus frigus, neque superbiz ventis exposuisse, sicut & mundi vanitatibus, quæ fructum spiritualem protinus exsiccant: ita ut nullus adeò frigidus sit Boreas, qui eum sic decoquat ac perditum eat. Verbi tui suavitate frigus hoc liquefiat, *Domine, sonet vox tua,* &c. Et manus, lingua, & pedes frigore nunc soluti, tunc operum cultui tuo placentium fructum tribuent. Benedicet lingua, diliget cor; *Et omnis spiritus laudabit Dominum:* Tunc nequaquam mihi grave futurum erit tecta detegere, nec ipsos etiam parietes transire, ut te conveniam, tuaque in præsentia me constituam. Ideoque, dic mihi, Domine, quemadmodum & Paralytico dixisti: *Tibi dico surge.* Attende anima mea quid tibi dicat; quod uni dico, omnibus dico. Surge, quandoquidem tibi imperet; resurge ab eo somno, quo vitam conteris; oculos tuos ad cælum eleva; & cor tuum ad Creatorem attolle; attende quod ipse jubeat, cui omnes creature obe-

diunt, præter te, quæ sola ingrata, beneficiorumque immemor existis: quod si surgas, ideò fit, ut ad majora, quam te spectent, eleveris; illa abjice, quæ te stultam efficiunt, & ad ea te erigas, quæ te prudentem reddant ac sapientem; Christi mirabilia admireris, laudansque dicas: *Vidimus mirabilia hodie.* Quam meritò id dicere valeo Domine; quandoquidem meam hodie mihi serves existentiam, è tot ac tantis periculis erepto hodie ea mecum operaturus es, quæ nec fari, nec capere possum; sis benedictus hodie & in seculum. Amen.

Pro Sabbatho post Pentecosten.

Uti supra Feriâ quintâ post Dominicam tertiam Quadragesimæ.

Meditationis repetitio.

MEDITATIO XCVI.

Dominica sanctissima Trinitatis.

PRIMA PARS.

Oratio præparatoria, &c.

1.

Historia: *Cum venerit Paracletus,* &c.

2.

Perpendatur sanctæ Romanæ Ecclesiæ intentio, quæ est mediante sancto Evangelio, tres Personas Divinas his verbis comprobare: *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre;* qua de re pro solemnitate opportunitate tractat. Quod petit, est: *Omnipotens sempiterne Deus,* &c.

Juan.

15.

Loci compositio: in memoriam revocandum est, uti Christus Dominus & Discipuli *hymno dicto, exierunt in montem Olivæ,* euntes & loquentes. Ad Festi meditationem conferet compositio loci interioris in potentiis animæ, quæ trium Personarum Divinarum quandam referunt similitudinem.

3.

SECUNDA PARS.

Perpendendum quid dicant vel agant personæ, &c. spiritualiter ea intelligendo, quæ secunda Trinitatis Persona, Verbum nempe æternum in hoc mysterio pertractat, cujus sermones summâ reverentiâ audiendi sunt. Hoc incomprehensibile mysterium, ita intellectus nostros excedit, ut eorum nullus par sit ad solvendam calcæmenti ejus corrigiam, nisi in quantum ipsemet Dei spiritus creaturis suis communicare dignatur.

1.

Considerandum quid fecerit terræ, cælorumque Conditor, omnia creando pro nostro habitaculo; deinde nos ipsos ad ejus habitaculum, in ejus imaginem ac similitudinem. Quid item egerit filium suum unigenitum nobis tribuendo, sciens quod in hujus remunerationem homines dicturi essent: *Hic est hæres, occidamus eum.* Quid item singulis horis peragat, dum tot mediis, tantæque misericordiâ utitur, ut

2.

nos ad filium suum protrahat : *Nemo enim venit ad me, nisi Pater meus, &c.* Considerando, quod tribulationes atque earum solamina, sint velut funiculi, quibus ad Dei filium liberè ac suavissimè attrahimur. Quid item ego sim operatus in solutionem eorum, quæ Dominus pro me peregerit; quid fecerim de creaturis, quas pro me creavit. Cui ego usui conversus sum, & cui ille sensus, potentiasque meas condiderit; quantas diligentias adhibuerit, ut me ad sese traheret, quantâ verò sedulitate incubuerim ego ut me ab illo amoverem: ex omnibus confusionem, doloremque eliciam, propterque ingratitude meam, emendationem in futurum proponam.

3. Quid filius operatus sit, tot labores in instanti sanctissimæ Incarnationis suæ suscipiendo, ut deletam in me per peccatum imaginis similitudinem renovaret; sic Isai. 25. *Et nunc quid mihi est hic, quoniam ablatum est populus meus gratis.* Item, perpendendum medium, quod ad hoc adhibuit, nostræ scilicet similitudinis imaginem *absque peccato* assumens, ut suam nobis elargiretur, ut in ea quasi in speculo intueremur, quàm nudi simus, quàm deformes, vulnerati, contempti, passionibus nostris cruciati, quàm denique morte peccati veluti exanimis. Utque in eo intuentes, quod à nobis deficit, nostræ miseræ illacrymaremur, illique instaurandæ incumberemus.

4. Perpendendum item, quid pro me fecerit, Dei filius dum vitam ac spiritum in cruce emitteret, ut per eam Spiritus sancti adventu dignum me efficeret; ita ut vivendi spiritum ibi emiserit, ut spiritum mihi tribueret; vitamque cum dolore ac amaritudine tradiderit, ut eam mihi cum amore ac suavitate largiretur: è quibus omnibus timendum atque dolendum, quod totus incubuerim in delenda in me ea imagine, quàm tot laboribus renovare procuravit Christus, ut Spiritus sancti dignum essem habitaculum.

5. Christum crucifixum inspiciens, mei ipsius rubore suffundar, considerando qualis fuerim, & quæ jam sit figura meæ animæ, quamque omni solamine sit expers per peccatum. Confundar etiam, advertens, quod spiritum suum in cruce tradiderit Christus, ut spiritum vitamque mihi tribueret, quodque ad eum recipiendum, vel crucis pedibus appropinquare mihi sit perarduum; cum tamen onerosa crux peccati, intolerabilis licet, gravis mihi aut fastidiosa minimè videatur.

6. Insuper considerandum, quid Spiritus

sanctus adventu suo fecerit; quo amoris quasi fornax est succensa; in eoque nobis datus est ille spiritus, quo summopere Deo placere possimus, nos in eum transformando, terræque nostræ superficiem reformando.

Item, considerandi effectus adventus eius, suam dulcedinem amarum cordibus nostris, & lumen suum cæcis nostris intellectibus communicantis: uti debilitatem corroboraverit ad Evangelium testificandum; uti potentiam in miraculis ostentavit, ut ignorantiam erudiret; uti tristitiam exhilararit, siquidem recipientes eum abundabant gaudio in omnibus tribulationibus.

Perpendendum item, quid singulis momentis in nobis, creaturisque omnibus operetur: in eo enim vivimus, movemur, & sumus.

Si arbores fructum pariant, si nos terra enutriat, omnia propter Domini amorem nobis conceduntur. Si beneficia manuum illius nos expergiscant; Digitus Dei est ibi. Si postulata obtinemus; ipsius beneficio ea obtinemus. Si petimus; ipse ad petendum nos inducit. Si amamus, ipse prius nos dilexit. O divine amor, quid in mundo invenisti, ut in eum descenderes? Quis te diligebat? quis te vocabat? quis tui notitiam habebat? Ex his omnibus dolorem eliciam, nec minorem admirationem referam; quia cum imago Dei in nobis per peccatum sit deleta, opus est ad eam renovandam, ut in fornacem amoris Spiritus sancti immittamur, vel certò descendamus in avernalem fornacem, ad luendum supplicium. Quæ cum ita se habeant, malleos & ictus fornacis Sathanæ præferunt peccatores, cum sciant, quod ex ea nihil, nisi brutorum similitudinem consequi valeant: quæ prælecta, in dulcem sanctissimi Spiritus fornacem (in qua perditam renovaretur imago, si eò tenderent) ingredi desinunt. Quid respondebis, o peccator; cum à te quæretur: *Cujus est imago hac?* O quàm confusus hæsurus es! Quodnam adeò sceleratum unquam extitit mancipium, quod aduisionis suæ notam à se eximi non gauderet, vel quis excoriatus, si in pristinum statum vultus restitueretur, id summo beneficio non verteret? solus peccator, qui horum neutrum admittit stultus ac demens.

Perpendendum, quid in hoc, Pater Filiusque operentur: uti Pater æternus Spiritum sanctum (quem simul etiam mittit Filius) huc mittat. Nam licet sanctissima Crux adhuc tota rubeat ex recente Filii sanguine, qui in illa cruentè effusus fuit; at-

tamen in vices ultricium ignium, misericordiae atque amoris flammam immittit. Uti Filius qui diram Crucis mortem subiit, qui que dixit, quod Spiritus sanctus agueret mundum de iustitia, simul etiam propendit in eandem misericordiam, ita ut *iustitia & pax osculata sint*. Quis igitur tantum Patrem, talemque Filium diligere praetermittat?

11. Ut Christus Dominus de Spiritu sancto dixerit, quod esset Consolator, & simul Spiritus veritatis, ut intelligendum praerberet; quod alii etiam, sed improbi consolatores non nunquam inveniuntur: mundus enim suos assecras recreare studet libidine, demonque assumpta Angeli lucis formam illidem imponere nititur; sed horum nullus est spiritus veritatis: solus sanctus Spiritus simul Consolator, & Spiritus veritatis; & proinde in eius solo solamine vera consolatio sita est.
12. Ut omnis notitiae defectus ex eo emanet, quod nec noscatur Pater, nec ei obediatur, nec ut Creatori & Domino ei reverentia exhibeatur; quemadmodum nec Filio, ut Redemptori & Domino; nec Spiritui sancto, uti oporteret, verbis ac operibus: quare fit, ut porta claudatur ad amandum, seseque amore Spiritui sancto unendum, cujus lumine trium divinarum personarum cognitio adoratioque communicantur. Hinc timorem excitabo, perpendens: Uti permittit Dominus, ut in atrocia peccata, & abominationes ruant, qui operibus (uti tenentur) Patrem, Filium & Spiritum sanctum non cognoscunt, nec debitam iis reverentiam cultumque exhibent. Etenim, si debita hujus gloriosissimae Trinitatis mundo esset notitia, quis tantae foret audaciae, qui Patrem offenderet, qui tali nos Filio donavit, aut Filium, qui tale necis genus subivit, ut nos a morte liberaret; aut Spiritum sanctum a quo tot beneficia recepimus.
13. Perpendendum, uti homines, loco solutionis, quam Dei Filio tenebantur, eod quod hoc sanctissimae Trinitatis mysterium ipsis aperuisset, Apostolos qui altissimi hujus mysterii erant Praecones, persequerentur, eos a se expellerent, excommunicatione velut percussos haberent, omnem operam ac curam adhibentes, ut ferro, flammaque perirent: unde colligimus ejusdem farinae homines esse eos, qui insidiantur, ac male afficiunt eos, qui legem divinam edocent, divinamque iustitiae secreta iudicia ipsis enodant, dicentes: Recede a nobis, &c. & ita nec Christum, nec suos Praelatos audire volunt, quinimod dicunt *se obsequium prestare Deo*, dum eos persequun-

tur: eapropter si de temporibus elapsis sit dolendum, non minus sane sunt deservenda praesentia.

Perpendendum, quod si quis hodie persecutionibus, laceratum; captum, vel male exceptum a Lutheranis, aliisque haereticis sese adverteret, his verbis ad praeventionem nostram prolatis, non parvum solatium ac robur hauriret: cum venierit hora, eorum reminiscamini. Reminiscere homo, quod pro Christo pati, privilegium sit solis clientibus, ac dilectis concessum: recordare, quod ea sit hora beata pro meritis & corona. Reminiscere eorum, quae tibi dixerat Jesus, nec minus illorum, quae pro te fuit operatus; & hoc pacto dum patiendi hora advenerit, erit hora gaudii tui in Domino.

T E R T I A P A R S.

Colloquium.

O adoranda Trinitas, o veneranda Unitas, sit splendor Domini Dei nostri super nos, & opera manuum tuarum ne despicias. O Creator supreme, aeternaeque Pater, quid facerem, nisi tu esse me donares, inque similitudinem ac imaginem tuam me creares? Et cum eam culpis meis in me deleverim, quid agerem, nisi tui filii angoribus illam renovares? Quid faciam, o Dei unigenite fili, quem in cruce spiritum pro me tradidisse conspicio; Quid retribuam Domino, &c. O quanta cum homine celebras commercia? Nam imaginis illius similitudinem assumpsisti: ut ad te etiam me convertam, veni sancte Spiritus. Quia sine tuo lumine non est oculus qui videat; sine tuo amore, non est cor, quod diligat. Sed pro dolor ferè nullus hominum te ad terram invitat: Quis te vocat? Quid in ea advertis, ut venias? Quomodo eam gentem visitas, quae tantum abest, ut hoc mereatur, ut potius infernales rogos sibi demereat, quod sanguinem Agni sine macula profuderit. O spiritus veritatis, in quo solo verum invenitur solatium: cognoscat anima mea opera manuum tuarum, aequè in tribulationibus ac in solaminibus: nec permittas, ut eos inter annumerer, qui nec Patrem, nec Filium cognoscunt; nec inter illos, qui eos persequuntur, qui de his mysteriis testimonium perhibent; Quin potius te vehementer rogo, ut mihi, dum persecutiones patiar, pro veritate Ecclesiae tuae Romanae, vires roburque tribuas: & cum sis donum Dei, da mihi linguam, quae te laudet; auditum, qui te audiat; palatum quod te praegustet; intellectum, qui tibi obediatur; cor, quod te diligat; & memoriam, quae te praesente perpetuo potiatur; ut hoc modo, mirabilis illa promissio in me

adimpleatur. *Ad eum veniemus & mansio- nem apud eum faciemus. Amen.* Huic exercitio finem imponam, dicens: *Benedicamus Patrem, & Filium cum sancto Spiritu, Laudemus, & superexaltemus eum in sacula.*

2. Feriâ secundâ sequenti, præteritum exercitium repeti poterit; secundum punctum assumendo; simulque admirando, quod creaturæ nunquam exciderint ab imagine, quam de sanctissima Trinitate suo modo repræsentant; solus homo; malusque Angelus hujus imaginis similitudinem in se pessumdare: & idè confundar, arbores spectans, quibus inest truncus, rami & fructus; cum tamen truncus non sit fructus, neque fructus ramus; totum tamen unam arborem efficit: sic etiam in cereo, ceram, ellychnium, lumenque advertimus; sed cera non est lumen, nec ellychnium cera est; cum tamen his tribus cereus efformetur. Idem videtur per considerationem ad solem, ignem, & cæteras creaturas, ut de iis confusio hauriatur; nam singulæ velut memoriæ librum exhibent, quo trium Divinarum Personarum memoria refricetur, cum peccator haud etiamnum resipiscat. Illius quoque reminiscendum est, quod dum eas Dominus creaverit, confestim eæ dixerint: *Adsumus.* Et in eo, quod de hominibus exigit Dominus, hanc obedientiam non exhibent, nec dicunt; adsumus; quin potius dicunt: *non lumus hunc regnare super nos.*

3. Feriâ tertiâ sequenti, tertium punctum repetetur, considerando, quod filius Dei ille sit, cujus sapientia in creaturis refulgeat; & sic eæ idem corporaliter faciunt, quod ejus sapientia in nobis spiritualiter operatur: ex iis enim aliæ nos edocent, aliæ nos sustentant, aliæ nos sanant, aliæ nos terrent, aliæ nos castigant, & nonnunquam earum unica diversos in homine effectus operatur, ut in his omnibus rebus sapientia æterna nobis ostendatur. Sanè descendendum est, quod hæc nec advertamus, nec pensitemus; sed omnia ista beneficia, faccum tritum, ruptamque conscientiam subeant. Hinc dolorem eliciam, & in futurum præteritam ingratitude emendabo; & cum admiratione, & gratiarum actione æternam in creaturis omnibus sapientiam considerans, dicam cum Psalmista: *Delectasti me Domine in factura tua, &c.*

4. Feriâ quartâ, repetetur quartum punctum, considerando, quod uti magnam gratiam favoremque Princeps præstaret ei, quem pretiosâ margaritâ donaret à se ipso dolatâ, & pollitâ; sic Deus eò quod tam pretiosis à se conditis creaturis dona-

verit homines, magnum sanè beneficium eis præstitit.

Sed quemadmodum magnâ is laboraret dementiâ, qui testæ fragmentis contentus esset, vel solo coriaceo sacco, quo gemma summi pretii asservabatur, quin ipsam gemmam vellet recipere; ita etiam plus quam stultus foret, qui relicto Deo, omnem suam felicitatem collocaret in creaturis. Confundatur miser ille, qui ad pretiosam gemmam, cælestemque non advertit; sed solummodò in saporem, & fragrantiam creaturarum cum bruto irruit: deinceps stolidum suum vivendi modum emendet, sanctique Spiritus recordetur in omnibus, quæ videt; omnia enim ejus amore creata, atque concessa sunt, & omnes creaturæ ipsius laudes personant, & extollunt.

MEDITATIO XCVII

In die Corporis Christi.

PARS PRIMA.

Oratio præparatoria, &c. Petenda est gratia à Spiritu sancto, ut cum fide, humilitate, atque profectu animæ meæ tam sublime mysterium considerem.

Historia: *Caro mea, verè est cibus: & sanguis meus, verè est potus. Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse vivet propter me. Hic est panis, qui de Cælo descendit. Non sicut manducaverunt Patres vestri Manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

Et hoc commemorat sancta Mater Ecclesia, ut sancti hujus Sacramenti veritatem enodet. Quod petit est: *Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili, passionis tue memoriam reliquisti: tribue quesumus, ita nos Corporis & Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis.*

Compositio loci, erit cenaculum, in quo tam altum Sacramentum fuit institutum.

SECUNDA PARS.

Considerandum quid dicant, vel agant personæ, &c. Nemo nunc loquitur præter Christum Dominum, cujus divina verba attentissimè sunt consideranda, eò quod infinita bonitas ac sapientia in iis adeò refulgeat.

Quanta pro his temporibus fuit misericordia, quod tam jucundis terminis Divina providentia usâ fuerit, & addiderit: *Verè est cibus;* ad evertenda omnia argumenta, quæ dæmon per suos Ministros Hæresiarum producit.

Perpendendus est amor, quo sanguinem

3. factum

suam, & carnem suam nobis donaverat; quamvis adverteret, quid malitia Judaica illâ ipsâ nocte in illam machinaretur. Considerandum uti nullâ re obstante, pedibus, manibusque in Cruce affixis; & capite spinis coronato, offerri constituit pro hominibus. Quis de talibus pedibus ac manibus gustare omitteret? *O sacrum convivium in quo Christus sumitur.*

4. Hic perpendendum est miraculum stupendi istius Medici, qui cum videret hominem appetitu carnis prorsus affectum; & è contrario appetitu spiritus planè destitutum; imò ejusdem nausèa laborantem, divinam suam carnem illi apposuit, in qua spiritus salutis hauriretur: hinc propriæ confusionis causam hauriam, quia cum ollæ Ægyptiacæ mihi sapiant, hic panis celestis à me omittitur. Mundi desidero bubulas carnes, & hanc sanctissimam carnem ipso Mannâ, quod in deserto concessum est, dulciorem atque excellentiorem respicio.

5. Quantum timere debeam, si ex hoc Sacramento nullum hauriam profectum: etenim panis & vinum verborum virtute, in Christi carnem & sanguinem transubstantiantur, miser verò homo ac peccator quidquid seridè dicatur, aut agatur, in Christi spiritum transformari renuit, ut idem cum eo spiritus per amorem efficiatur.

6. Consideranda illa verba: *In me manet, & ego in illo*, dicendumque: In quo mori cupis, anima mea, aut in quo vivere desideras? Si in plantis, solam animam vegetantem possidebis: si in brutis animalibus, solâ sensitivâ afficeris: si in elementis; medios inter ignes & aquas suspenderis. Si in mundo, & ejus pompa, omnia sunt transitoria, & in puncto labascent. Vive per hoc sanctissimum Sacramentum, quod vitæ æternæ fons est, ac perennis gloriæ felicitas.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Quæ comparatio Domine inter omnia alia edulia, & has epulas, quas in fœdus nobis amoris tui eâ nocte dederis, quâ Discipulis tuis ex hoc mundo ad Patrem discessurus valedixisti? O quantum edulium, & quo tempore concessum? O qualis Agnus, & quàm admiranda Agni opera ad Redemptionem nostram? O manus & pedes pro nobis perforati in Calvaria! O mirabiles Agni oculi, qui divum Petrum conspicientes ei vitam concesserant, ut amarè & cum dolore flieret! O præclarum Agni palatum & gustus, qui tam salutarem calicem pro nobis instituerat! O Agni cor admirandum, totum

apertum, ut nostrum petrae ad instar induratum aperiat! O caro admirabilis, ut spiritum mihi tribuat, quo carnem meam abhorream! O quàm pretiosus sanguis, ut cæcos lumini restituat, mortuosque ad vitam revocet! *Comedite, & inebriamini, charissimi.* O qualis vita, quæ in hoc cibo conceditur! Quæ est participatio vitæ, quam Filius ab æterno Patre recipit. O gloriosum omninò solatium! In te, Domine, anima mea commoretur, quia si in te fuerit habitatio mea: *In te inimicos nostros ventilabimus cornu, &c. In te sperabo, non confundar, &c. In te laudatio mea.* Et si in te habitavero, *Dominus diluvium inhabitare faciet, & cujusvis manus pugnet contra me.* Itaque cognoscens, quod hâc mihi dulcedine deficiente, omnia mihi deficiant; & hanc possidens, omnia possideam; Deo meo semper adhærebo. Sed desleas, anima mea, quod quærens, qui tibi daret vitam, toties à vita fugeres; mortemque vanitatis vocares vitam, ut vitam in mortem commutares; duritiam tuam intuere, teque dedas Domino; ad ejus pedes devolvere, ut tecum commoretur, & tu in illo; & hoc modo, non in te, sed in eo vivas; & vitæ gratiæ participans, gloriæ quoque particeps efficiaris. Amen.

ADDITIO.

Primus Adam morfu occidit; secundus vivificat: propter illum, Cherubim in portâ Paradisi statuitur, ut ab ingressu illum arceat: propter hunc verò nuntiatur: *Nisi manducaveritis, &c. Compelle illos intrare; ibi; In sudore vultus tui: hic, gustate, & videte, &c.* Quemadmodum columba, quæ ubi pedem figeret haud inveniens, ad Arcam reversa est; ita si postquam sacrâ Synaxi fueris refectus, quò in creaturis pedem figas haud reperiens; citò ad communionem iterum revertaris; bonum est signum.

Si Arca Testamenti tanta bona tam brevi temporis interstitio Obededon contulerit; quid faciet non figuratum?

Si Christi vestimentum contactum sanat, quantò magis Christus in Sacramento?

Si Elisei farina in ollam injecta omnem amaritudinem ab eâ tulerit; quantò magis divinus hic Panis?

MEDITATIO XCVIII.

Feria sexta post Festum Corporis Christi.

PARS PRIMA.

De præparationibus & mediis ad accedendum ad hoc divinum convivium.

Oratio præparatoria, Historia, & loci compositio ut suprâ.

S E C V N D A P A R S .

1. Considerandus est apparatus , qui requiritur ad Agnum hunc sine maculâ recipiendum , in cujus figura vetus Testamentum Israelitis injungebat , ut Agno Paschali cum lactucis agrestibus vescerentur. Elias sub arbore suscitatus è somno sumpsit panem divinitus missum , cujus robore ad montem Horeb pervenit.
2. Puritate & candore ad hoc Sacramentum accedendum est, quandoquidem Christus ipse Discipulis suis pedes laverit, priusquam se illis in eodem Sacramento tribueret : ad quod præfigurandum , imperatum est in veteri lege ut Arca Testamenti interiùs deauraretur , & exteriùs auro purissimo constaret.
3. Quàm alieni à curiositate esse debemus in scrutandis hujus Sacramenti mysteriis, siquidem comperimus, quòd Bethsamtæ à Domino egregiè vapularint , eò quòd Arcam Testamenti curiosiùs inspexissent.
4. Humilitate huic Sacramento est appropinquandum , cum Christus , priusquam panem materiale distribueret , imperarit , ut sceno omnes considerent ; quantò igitur profundior humilitas requiritur ad sumendum panem Angelorum. Sic ad Benjamin , qui minimus erat inter fratres Joseph , in convivio major pars venit : ad indicandum ; quod Josephus noster Christus minimis humillimisque in suo convivio concedet. Quod si Dominus humilietur priusquam se ipsum præbeat , ad Apostolorum pedes abluendos ; quantò amplius vilem & abjectum servum humiliari oportet , ad eum recipiendum ?
5. Quid ab Israëlitis factum est , priusquam iis daretur manna ? *Respexerunt ad solitudinem , & ecce gloria Domini apparuit in nube.* Ut hinc ostendatur , quòd apparatus ad hunc cibum , recollectionem solitudinemque requirat , ut gloria Domini illucescat convivis.
6. Apparatus ad excipiendum Dominum in tribus potentiis , quæ animarum nostrarum sunt diverticula , talis esse debet , qualem Regi ad suas ædes venienti exhiberet arator ; nam quisquilias tenuemque omnem supellectilem à domo removeret , eam verreret , expurgaret ac rigaret , ut Regis Ministri Regiis illam tapetibus adornarent : idem nobis faciendum est ; affectus proprios ac peccata remove debemus , domumque contritionis lacrymis irrigare , & omnia , quæ nostra sunt foras per poenitentiam expellere ; quia Regiam dedecent mansionem : & hoc pacto domus disponetur , ut eam Dominus donis suis & gratiis præparet , atque adornet , ut ejus fiat habitaculum.

Dominus Levit. 10. Sacerdoti ad altare accessuro prohibuit , ne vinum biberet , aut similia , quæ inebriare possent , ut inde ostenderet in quantum sensualia oblectamenta ei sint perniciosa , qui mensæ Domini appropinquat ; finiendum est cum colloquio , ut supra.

M E D I T A T I O X C I X .

Pro Sabbatho post Festum Corporis Christi.

P A R S P R I M A .

Oratio præparatoria , Historia , & compositio loci , uti supra.

S E C V N D A P A R S .

Perpendendum , ut cœnâ consummatâ 1. confestim ad hortum sese contulerit JESVS , ad Passionis calicem absorbendum , atque ad ipsam mortem in cruce subeundam. Sic quoque qui ad hanc cœnam accedere desiderant , calicem sensus Passionis Christi ebibere quamprimùm debent. Advertetur etiam dilectum Christi Discipulum ideò Crucis trunco adstitisse , quod Magi stri sui pectori recubisset in cœna : & ita cum pauci sint , qui pectori recumbant Dominico ; rari itidem ad pedem crucis immorantur : confusionem itaque is eliceat , qui horum aliqua in se non persenserit ; timeatque , quia ex defectu apparatus hoc provenit ; qui verò tantisper ex iis compulsus fuerit , gratum sese in receptum beneficium exhibeat.

Arcam Testamenti Manna interiùs continuisse ; exteriùs verò pellibus contextam fuisse scribitur : idem apparatus ei animæ appropriandus est , quæ in Christi habitaculum destinatur ; spiritus dulcedine intrinsecè suavis existat ; extrinsecè autem nihil omninò emineat , nisi virtutum pelles , quibus spiritualia dona operiantur.

Considerandum , ut supremi hujus manna effectus sit , tribuere lumen cognitionis priorum defectuum. Hoc signum est admirandum , considerationeque dignissimum , quodque plurimi æstimari debet : quamobrem , si ex hoc majorem tui opinionem inferas ; time quia ut excellentis hujus alimonie sumptio efficit , ut homines eò viliores sese existiment , quòd ampliorem de se conceperint cognitionem.

Ut de Manna memorie proditum sit , 4. quòd omnium aliarum rerum saporem , gustumque in se contineret , ut nostri hujus Manna effectus ostendatur , quod insipida atque aded nauseantia (liceat ita dicere) ut sunt contemptus , paupertas , &c. omnia reddat sapida : *Sicque infamia , & bona fama* , idem sapiunt in Domino.

Ut in Apocalypsi scriptum sit , quod 5. *operum est Templum Dei in calo , & visa est Apoc. Arca Testamenti , & facta sunt fulgura , & 11. 19. voces ,*

voces, & tonitrua, & terramotus, & grando magna, &c. Hinc spiritualiter inferre possumus, idem animabus, quæ sunt Arca Testamenti, in qua Dominus hospitetur, evenire. Ibi enim sunt fulgura, & lumen spirituale, & voces interiores, & motus sese dupliciter insinuantes, & alia similia, quæ nemo scit, nisi qui accipit.

6. Ut magnorum conviviorum effectus est, quod aliqui inebriati, sui que immores recedant: sic quoque gloriosæ mensæ hujus convivæ extra se rapti, & proprium amorem seculique abdicantes, soli vivere servire que suo Conditori ac Domino proponunt, & hoc modo impletur lex convivii, quæ dicit: *Comedite, & inebriamini charissimi, &c.*

7. Quantâ is labore ægritudine, qui hoc Alexipharmaco non proficiat, nullum que in anima sua inveniat remedium. Confundatur, si quis sit talis; sibi que condoleat, & miseriam defleat propriæ suæ ægritudinis.

8. Cum Deo nos gerimus more illius Israëlitiæ, quæ cum vicinæ suæ filiolum absumpsisset, suum postea retribuere noluerat: quoniam Pater æternus Filium suum in cibum nostrum nobis tribuit, cum tamen ipsi paratos nos nullo modo exhibeamus, nec opera manuum, aut cordium nostrorum affectus, aut pedum gressus: Quod omni justitiæ, rationique adversatur.

Colloquium ut supra.

A D D I T I O.

Hic cibus afflictionum remedium est; sic que Agnus, qui illius erat figura; cum amaris lactucis comedi imperabatur. Parvulis Hirundinibus assimilandi sumus, quæ opportunitatem comedendi desiderant, rostrisque apertis expectant matrem: sicut pullus Hirundinis sic clamabo, &c.

M E D I T A T I O C.

Dominica in Octava Corporis Christi.

P A R S P R I M A.

1. Oratio præparatoria, &c.

Historia: *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos. Et misit servum suum hora cœna dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia. Et ceperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei: Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam: rogo te habe me excusatum. Et alter dixit: Fuga bovis emi quinque, & eo probare illa: rogo te habe me excusatum. Et alius dixit: Uxorem duxi, & idè non possum venire. Et reversus servus nuntiavit hac Domino suo. Tunc iratus paterfamilias, dixit servo suo: Exi cito in plateas & vicos civitatis: & pauperes, ac debiles, & cacos, & claudos introduc huc. Et ait servus: Domine, factum est ut imperasti, & adhuc locus est. Et ait Dominus*

servo: Exi in vias, & sepes: & compelle intrare, ut impleatur domus mea. Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.

Quidquid sancta Romana Ecclesia ad admirabile hoc convivium sanctissimi Sacramenti celebrandum paratum velit, hoc ipsum petit ut supra.

Compositio loci, uti superius.

S E C U N D A P A R S.

Considerandum, quid in hac parabola dicant, agantve personæ; sed imprimis Domini invitantis sublimitas; invitati vero hominis vilitas, ejusdemque se excusantis cæcitas considerandæ: quæ Barbarorum inurbanitas jure meritissimo patrem familias ad indignationem inducit. Et his non obstantibus, quam providum sese exhibeat; tum demum quas admisceat minas, ut indè aliquem fructum spirituales referamus, timoremque consequuti, tandem ad amorem excitemur, ne ullus excusationi locus supersit, conspicientes diligentiam & media, quibus utitur Deus, ut nos ad Divinam suam mensam alliciat.

Considerandum, quàm verè hæc cœna magna debeat nuncupari, ratione instituentis, & illius qui in ea conceditur, qui idem est ac ille qui invitat, temporisque quo instructa mensa est duratura, scilicet, ad usque finem mundi. Advertendum etiam, quàm longè ab aliis cibis hic cibus differat: Alii enim quamvis sapiant, non sunt salubres; alii, si lieni conducant, hepatis officiant; at hic cibus omnibus bonus est, omnibus salutaris, ac sapidus, nemini perniciosus aut noxius.

Perpendendum, ut edicto Augusti promulgato, ut omnes inter Cæsaris subditos adscriberentur, JESVS divinus ac supremus Rex, nostri amoris ergò hoc præstare dignatus sit; At postmodum eo promulgante ad regium hoc convivium, omnes sese excusant; quæ ingratitude aut cæcitas gravior excogitari queat; cum tamen adeò pauci inveniantur, qui dæmonum calicem absorbere recusent.

Considerandi sunt excusationum modi, ut animæ meæ objiciam, quàm parùm suæ ipsius studeat utilitati. Cur non vendidisti omnia quæ possidebas, ut illuc te conferres, quemadmodum & ille, qui cum thesaurum in campo reperisset, omnia ad eum emendum vendiderit. Cur ire desisti ut tuorum quinque sensuum sensualia oblectamenta temperares. Si ex omnibus creaturis amorem, quo concessæ sunt inferres; eâ non esses audaciâ, ut te excusares; eæ omnes te ad Creatorem invitant; & propter eandem ire desinis? Ne mireris

S I

fi

Luc.
14

si eum defectu hujus cognitionis indignatum conspicias. Dic mihi homo : Hæcine excusationis tuæ causa est ; quòd socia in laboribus tuis à Domino tibi adjuncta sit ? Cùm hoc unum medium esse debuisset , quo ocyus diligentiusque ires. Vereor , anima mea , ne idèò convivii beneficium despicias , teque ire haud posse inferas , quòd propriæ voluntati judicioque sis adunata. Quis libertatem tuam mancipavit , & abstulit cor tuum ? Ad quam mensam invitaris ? Hoc tibi certum statuas , te famelicam ubicumque fore , nisi dominicâ mensâ fruaris. Confundere igitur , quòd impedimentorum infirmitatumque prætextu toties te excusaveris , vel sub humilitatis specie abstinueris. Cùm præcipua ratio cur ad convivium te haud conferas , aut Arcam Testamenti in domum tuam non admittas , eadem sit , propter quam Philistæi eam abjecerint , quia nempe eorum Dagon trucidabat. Sic quoque Christum ex ædibus tuis expellis , eò quòd oblectamenta , quæ sunt Dii tui , mortificet : væ tibi , si eam pœnam tibi sit inflicurus Dominus , quâ in eos olim sævierat.

5. Perpendendum , quàm meritò paterfamilias indignetur , quòd convivium suum contempserint , cùm tantum esset momenti , omniaque jam essent parata , & apparatus tanti constitisset : quia panis de cælo venit , ut pinferetur in utero virgineo , hocque granum in Synagogæ arca fuit contusum , & cadens in terram mortuum est , inque crucis fornace concoctum , & nihilominus adèò parvi sit ab invitatis. Quis ob id non indignetur ? si aliquo cognitionis zelo , lumineque perfundatur ?

6. Considerandum , uti , quod scriptum est , adimpleatur : *Cum iratus fueris , misericordia recordaberis.* Hic enim peccatoribus portam magis pândere , pluresque congregare consuevit Deus , sibi que cum pauperibus , cæcis , & claudis satisfacere : quam obrem nulla nunc est excusatio , quòd cæcus sis : etenim si cæcus , vade ad lumen ; si pauper ad divitias tende.

7. Consideranda est invitantis magnitudo & charitas ; quandoquidem imperet ut ingredi compellantur : Hoc agit Dominus , nullam nobis vim adhibens , præterquam quòd ejus opera sicut tanti roboris , ut hominem ita urgeant , ut nulla pax supersit obsistenti. Quid , quæso , doctrina signaque Christi , velut veri Messiae , aliud intendebant , quàm populum Judaicum ad virtutem compellere ? Quid Apostolorum miracula , præterquam Gentilitatem cogere ? Quid fuit Christum in cruce obiisse , præterquam nos inducere atque urgere ,

ut eum amaremus ad nostram salutem ? Si quis igitur perpendat , quid pro hominibus Deus operetur ; quid autem tribuant peccatores Deo ; quomodo comprimet lacrymas ? Hinc inferas , anima mea , quantâ obligatione devinciaris , ut Dominum tuum diligas , propter tot stimulos , quibus te ad mensam suam invitat. Enimvero ægri tudines , persecutiones , tribulationesque , Domini sunt famulæ , quæ te vocant. Dumque te , desideriaque tua impugnas , ejusdem vocantis est affectio. Tantum itaque beneficium cognoscas ; hoc unum te confundat , id gravamini te nonnunquam vertisse , quod in tui favorem exequeretur JESVS. Cùm jam id scias ; attende , ut deinceps Domini famulas , quæ sunt tribulationes , dum te vocatum veniunt , benignius excipias : quia ex parte Regis supremi te vocitant , ut divinæ ejus mensæ participanter assideas.

Considerandæ sunt minæ , quibus ille g. intonat , penes quem judicium & pœna existunt : *Nemo virorum illorum , qui vocati sunt , gustabit carnem meam !* Quod idem est , ac si diceret : Eadem ratione , quâ quis calicis mei convivium spernit , hæc ipsâ ad dirum calicem dæmoniorum condemnatur. O homo , si culpæ tuæ notitiam scire desideras ; respice hoc supplicium ; & seridè attende quantum tua intersit , ut assidentium convivarum unus & tu annumereris ; quandoquidem inter vocatos reputeris. Quis suave vinum cum felle commutet ? Quis delicatissimum Domini calicem pro vino draconum deferat ? Hoc attentè consideretur ad deslendum mundi delirium , Hæreticorum cæcitatem , peccatorumque in frequentanda mensâ Domini tepiditatem ; Cùm tamen crebrò admodum mundi convivii , voluptatibus & peccatis intersint.

TERTIA PARS.

Colloquium.

O mi dulcissime Domine , quodnam lucrum est , quòd talem fructum referat , qualem opipara , gloriosaque mensa tua parit iis , qui ad illam accedere merentur ; quandoquidem cæcos , pauperes , & claudos voces ? Hunc miserum pauperem & cæcum digneris vocare , cùm micæ mensæ tuæ solæ hominem verè sustentent , eique satisfaciant , in cognitionis defectu per peccatum bestiis similis factus sit. Nunc mitigetur ira tua , Domine , gratiâ misericordiæ tuæ ; rebellemque voluntatem meam tribulationibus & laboribus , aut aliis modis , quibus misericordia tua assollet , compelle , ne desim vocationi tuæ , quâ præ amore me vocas ; quandoquidem mei causâ Cæsaris Augusti edicto obedire

di-

dignatus sis : concede, ut noscam, quanto me beneficio obstringas, dum digneris me non modò vocare; sed & impulsioni- bus me trahere, ut mensæ tuæ assideam, de qua dicere valeo : *Parasti in conspectu meo mensam, &c.*

MEDITATIO CL.
Dominica tertia post Pentecosten.
PARS PRIMA.

1. Oratio præparatoria, &c.
2. Historia : *Erant appropinquantes ad JESUM Publicani & peccatores ut audirent illum. Et murmurabant Pharisei, & Scriba, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Et ait ad illos parabolam istam, dicens: Quis ex vobis homo, qui habet centum oves : & si perdidit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam qua perierat, donec inveniat eam? Et cum invenerit eam, imponit in humeros suos, gaudens : & veniens domum, convocat amicos & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, qua perierat? Dico vobis, quod ita gaudium erit in celo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentiâ. Aut qua mulier habens drachmas decem, si perdidit drachmam unam, nonne accendit lucernam, & everrit domum, & querit diligenter, donec inveniat? Et cum invenerit, convocat amicas, & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram? Ita dico vobis: gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.*

Intentio Ecclesiæ est, nobis indicare, peccatores & Publicanos ad Christum accedere, cum eoq̄ comedere fuisse solitos; ut idèd vires resumamus, quandoquidem præteritâ Dominicâ fuimus invitati. Hoc illa petit : *Protektor in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum: multiplica super nos misericordiam tuam. Ut te rectore, te duce, sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus aeterna. Per Dominum nostrum.*

3. Compositio loci erit, videre & audire Christum Dominum peccatores docentem, eosq̄ amanter excipientem.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum quid dicant vel agent, &c. Christi Domini in peccatoribus excipiendis mansuetudine informati, charitatis operibus infudandum est, & Scribarum, Phariseorumq̄ murmuratio consideranda, ut ab ea abstineamus; verba quoque Parabolæ sunt adnotanda, ut ex iis confusionem eliciamus, pastoremq̄, qui propriis nos humeris gerit, tantaq̄ exultatione gaudet, dum ovem perditam recuperat, amemus & revereamur.

Si Christus interrogetur, quantum ipsi constiterit ad peccatores accedere? Respondebit per suos Evangelistas, ad hoc pauperem se natum & circumcisum fuisse, in deserto jejuniis vacasse, ipsiq̄ crucis morti sese obtulisse. Item, perpendendum, quanti sit momenti, ad JESUM se conferre; quandoquidem sibi appropinquanti, lanceaq̄ latus aperienti cæco lumen restituerit. Quid illi facturum sit qui appropinquet, non feriendi animo; sed adorandi, ac serviendi? Item, perpendendum, quid foret, si caperent homines, quid sit JESUM convenire; utq̄ id prætermittant, quòd adèd parum penetrent, quid sit à JESU separari: quia si damnum noscerent, quod ex uno resultat; fructum, qui ex alio emanat, ubique cognoscerent.

Cautum erat in lege, ne leprosus, in peccati sui pœnitentiam, cæteros inter homines admitteretur, & quia Rex supremus à leproso peccatore hanc pœnam non exigebat, leprosi Scribæ & Pharisei obmurmurabant. In hoc adimpletum est quod erat scriptum : *Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, &c.* Attende, ô peccator, quod peccatores admittat tremendus ille Judex, qui dixit : *Maleficos non patieris vivere.* Et hoc non obstante, ejus mansuetudini obmurmuras, sanctissimæ Incarnationis beneficium haud recognoscens, propter quod peccatores admittit : *Quia Verbum Caro factum est.* Item, considerandum, quantò melius illi Pharisei loquerentur, si cum admiratione dicerent : *Quod homo sit, qui peccatores suscipiat, iisque patrocinetur, magnæ potestatis indicium est, & ab omni peccato esse liberum.* Item considerandum, pacem cum peccatoribus Christum Dominum longè alio modo iniisse, ac Naas Amonites cum viris Jabes inire voluit fœdus; quia eâ lege id ferire volebat iste, ut dextros oculos sibi eruere permitterent : At Christus pacem cum peccatoribus admittit, oculos suos, manus, pedesq̄ iis tribuens, &c. Item hæc verba profundè in memoria sunt insculpenda : *Hic peccatores recipit; pro tempore, quo consolatione spiritus omninò destituuntur.*

Perpendenda Servatoris clementia, quia cum hæc murmuratio maximam pœnam mereretur; nihilominus tamen, in supplicii vicem eos docet, & quo in nos amore fertur, parabolis manifestat; utq̄ pœnitentibus delectatur, sicut Pastor, qui perditam ovem reperit; & mulier, quæ drachmam, cujus jacturam passa fuerat, invenit; indicans, quòd nonaginta

novem oves, quæ sunt novem Chori Angelorum, propter oviculam perditam, hominem scilicet, reliquerit. O infinita bonitas, ut quid deseris oves, quæ continuis te laudibus efferunt, ut eas investigates, quæ in te ore blasphemio debacchantur? Cur laudes tuas prædicantibus tuos tortores præponis? Item perpendendum, quod si magnus justo honos fieret, si Angelis injungeret ut propriis eum manibus gestarent; longè profectò excellentior peccatori, tanquam ovi deperditæ exhibita est, quandoquidem humeris propriis illam ut Pastor gestaverit; quod factum est dum crucem bajulavit. O Domine, si cognoscerem quàm gravis tibi extiti, quàm graves itidem labores pro me exanthlare dignatus es! Sed hei mihi, qui à lupo calcari, ejusque sub pedibus progredi malueram, quàm super pastoris humeros deferri. Præterea à pastore ad vitam mihi tribuendam me quærente, abscondebam, & carnificem, qui me truci morte afficere statuebat, quæritabam. Perpendendum, ut illud, quod de peccatoribus dicitur: *Gaudium est in calis*, &c. intelligatur de iis, qui pœnitentiæ incumbunt, dolentque Creatorem suum offensis laceffitum conspiciere: etenim de cæteris, qui sine pœnitentia, sine pudore peccatores existunt, dicitur: *Recedite à me, qui operamini iniquitatem*. Hi sunt, qui beneficia Creatoris obliviscuntur, qui castigationibus indurescunt. Hi sunt, qui in vita, nihil nisi tormenta sibi comparant, & in morte remediorum suorum spe totali excidunt. Attende, anima mea, quod tali in statu constituta fueris, ut tempus sis deploratura, quo in eo commorata sis: gratias itaque Deo rependas, quod toties ab illo te eruerit: magnum peccatorum pœnitentium privilegium considera: isti enim sunt vocati, quæsi, & ad cælos præelecti, istis dicitur; *Non veni vocare justos; sed peccatores*. De his festum in cælis celebratur; ad eos visitandos Angeli in terram descendunt; posteaque cælos rursus scandunt, orationes eorum atque opera meritiora sicut incensum in conspectu divinæ Majestatis præsentaturi, misericordiæ ejus fontem collaudantes id propter, quod cum creaturis suis operatur, undè procedit *Totum, quod est optimum*, &c.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Quantum tibi constitit, Domine, ad peccatores accedere? cumque tanti sis pretii, quàm parùm gratos se tibi ob beneficium murmurantes Pharisei exhibere? Quod si illi extiterint ingrati, quid de

me proferam? qui sum illa ovis deviata, quæ à pastore fugio, ejus humeros aspernata, ut luporum pedibus proculcer; cum tu ille sis, qui bonis meis haudquaquam indigeas; & ego talis, qui sine tuis bonis vitæ caream. Leproso concessisti ut ad te se conferret; sed ego hætenus tantæ cæcitatæ eram, ut misericordiam tuam non adverterem. Quid de me fieret, Domine, nisi tu gratiæ tuæ lumine lampadem mihi accenderes, ut deperditam drachmam recuperarem. Peccatorum privilegium agnoscam, Domine, ut quemadmodum peccata mea tibi cruci fuerint, sic mea quoque pœnitentia gaudio tibi, & Angelis in cælesti Curia vertatur. Amen.

ADDITIO.

Non multum est Regem eosmittere in subditos, quos obsidione cinctos tributarios fecerat. Sed Christus peccatores in plurimis angustiis constitutos admittit, tributo pro iis sese aggravans ipse, quod ingens beneficium est.

Et manducat cum illis: Hoc obstupescitis Pharisei? Quid si propriam eis carnem edendum tribuat, sanguinemque suum propinet epotandum?

Quotiescumque à tentationibus ereptum te adverteris, anima mea, uni pastori, qui humeris suis te constituit, gratiam attribuas.

O si peccator attenderet, ad quid eum dæmon, caro, mundusque quærent, ut nempe ad pedes suos eum deprimant, cum Christus quærat eum ut humeris propriis eum sustentet!

Peccatorem quærit Christus, ut Angelorum fiat gaudium; at eum diabolus explorat, ut dæmonum oblectamentum efficiatur.

MEDITATIO CII.

Dominica quarta post Pentecosten.

PRIMA PARS.

Oratio præparatoria, &c.

Historia: *Cum turba irruerent in JESUM, ut audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genesareth. Et vidit duas naves stantes secus stagnum: piscatores autem descendebant, & lavabant retia. Ascendens autem in anam navim, qua erat Simonis, rogavit eum à terra reducere pusillum. Et sedens docebat de navicula turbas. Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent, conluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent, & adjuvarent eos.*

Et

Et venerunt, & impleverunt ambas naviculas, ita ut panem mergerentur. Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu, dicens: Exi à me, quia homo peccator sum, Domine. Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant, in captura piscium quam ceperant: Similiter autem Jacobum & Joannem, filios Zebedai, qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem Jesus: Noli timere: ex hoc jam homines eris captivus. Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus secuti sunt eum.

Petit Ecclesia: *Da nobis, quaesumus Domine, ut & mundi cursus pacifice nobis tuo ordine dirigatur: & Ecclesia tua tranquillâ devotione lateatur. Per Dominum.*

3. Loci compositio erit juxtâ historiam.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum quid debemus facere ad humilitatem Christi consequendam, qui cum omnium Dominus sit, Petrum rogat, ut navim à terra removeat. Quid item lucri fiat si Christo obediatur. Consideranda item cognitio & reverentia, quam Divus Petrus præ se tulit, dicens: *Exi à me Domine, &c.* Ut inde inferamus, quod oporteat, quò majora sint Domini dona, eò & demissiores nos reddere. Item ex hac notitia ortum, ut retia relinqueret: ut inde colligatur, ex cognitione rei divinæ nasci contemptum rerum humanarum.

2. Confundat se igitur anima; sed multò amplius, quod cum pisces è peccatorum aquis extrahere debuisset, suâ suasionem, vel exemplo eò abominationis eos præcipites dederit. Item perpendendum quod si quis seipsum piscari cupiat, conscientia profundum penetrare, motusque suos, finesque advertere oportere, propriamque detegere miseriam, ut ad Christi retia devolvatur. Considerandum item, uti veræ cognitionis probatio sit hæreditatem, cæteraque omnia quæ obstant saluti abjicere, quod haud difficile est amanti. Siquidem labores pro quiete, carnemque pro spiritu, & res omnes relinquere, ut Domino quis potiatur, magnum felicitatis futurum fit incrementum; Illa enim quasi spinæ per se pungunt; at tolerata pro Domino delectant, considerato amore, quo ea tribuit: *Delectasti me Domine in factura, &c.*

TERTIA PARS.

Colloquium.

Quid dicam, Domine, cum te duræ cervicis populus persequatur, & hocce tempore pauci ad eò tibi auditores assistant? Quid in doctrina tua advertunt, ut eam abjiciant. Quid hoc est aliud, quam in diram peccatores rabiem esse devolutos, & velut rabidos canes pœnitentiæ aquis conterri? A quibus fugientes omnimo-

dâ dispositione frustrantur, ut verba tua ipso melle suaviora cognoscant, atque degustent. O si te (pro ut tenentur) audirent, quàm citò inciderent in cognitionem miseræ, quæ illis inest, qui suos ad te labores non dirigunt. Væ illis, quorum officium est, ventum seminare, & spinas metere! Quem fructum retulisti, anima mea ex iis rebus, de quibus nunc nihil nisi pudor confusioque tibi superest? Noscam Domine, quod cum in hominum piscator esse debuissim, eorum pernities extiterim. O custos hominum, pastor, & piscator, quisnam tu sis, mihi indica, ut perfectam mei habens notitiam, totum me abnuam, & solum te sequar: hoc enim non est aliquid boni relinquere, sed acquirere, quandoquidem me solum possidens, peream; teque recuperans mihi restituar, & in hoc perseverans, cæli gloriam sim adepturus. Amen.

ADDITIO.

Meritò memoratur, quod non est natio tam grandis, qui habeat Deos appropinquantes sibi, sicut adest nobis Deus noster. Cum videamus Dominum cum hominibus ad eò familiariter se gessisse, & gerere, prout constat ex hodierno Evangelio.

Duplicis generis Christo est rete; unum misericordiæ; alterum justitiæ. Qui illud fugit, in hoc incidat necesse est.

Multi, qui dæmonis retibus detinentur, ne unum quidem ad evadendum filum procurant dirumpere. Quod si interrogentur, cur offensas non remittant? Quid mundus dicturus esset sollicitè subjiciunt, quod impensius deplorandum est.

MEDITATIO CIII.

Dominica quinta post Pentecosten.

PARS PRIMA.

Oratio præparatoria, &c.

Historia: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum, & Phariseorum, non intrabitis in regnum calorum, &c.*

Petit Ecclesia: Deus qui diligentibus te bona invisibilia præparasti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum, ut te in omnibus, & super omnia diligentes, promissiones tuas, quæ omne desiderium superant, consequamur. Per Dominum nostrum.

Loci compositio, est mons, in quo Christus habuit concionem, considerando, quàm egregium foret eum concionantem intueri, eaque quæ dicebat, auscultare.

SECUNDA PARS.

Considerandum, quid dicatur, vel agatur à personis, &c. ut videam num aliquid de Phariseorum falsa justitia occupem, ut eam à me protinùs expellam; num primas ambiam dignitates; num calicis exteriora

emundem, interiusque spurcusim & abominabilis. Quod si verè sanctus & obediens sim, grati animi affectu referendæ grates Deo, viso amore, quo supremus Medicus cordis mei plagas restaurat, ne malitia in linguam, & postea in manus erumpat.

2. Consideranda sunt gravia omninò iræ incommoda; quantam eâ mundus ruat in perniciem, utque venenata herba sit, quâ diabolus peccatorem feriens, mox ad vomitum excitat, ut proximi famam dilaceret, eumque angorum stimulis vexet. Item perpendendum, uti passionis ira, licet mortis absit supplicium, maximam tamen poenam secum defert; ut Caino accidit, qui quamvis signum à Domino accepisset, ne occideretur; nihilominus habitabat profugus in terra ad Orientalem plagam Eden.

3. Perpendendum, quanto nos amore Christus dilexerat, sua nobis expandens vulnera, ne nostro corde iracundiæ stimulos foveremus. Quamvis enim iracundi damnum exterius non prodant; attamen non secus ac fulmine tacti, pereunt; ita ut in percepto vulnere perimantur. Quamobrem magnoperè Divina in eo misericordia illuxit, quod quæ à Diabolo insidiæ instruerentur, mundo detexerit. Dolorem eliciam, advertens, quàm vili fecerim interiora cordis mei vulnera, quamtumvis lethalia. Quid autem aliud est, præter Dominici amoris pignus, quòd nos Pharisæis perfectiores exoptet JESVS? Cùm signum sit, nobiscum ampliùs velle se communicare, quandoquidem majorem à nobis dispositionem exigat.

4. Considerandum, quàm magna apibus nativa gratia; si tamen rationis capaces existerent, haud abs re ipsis suaderetur, ne pungerent; siquidem pungendo aculeum, & post eum vitam relinquunt: id vellent, præstarent iracundi, ne in hoc apibus assimilarentur, quæ pungentes moriuntur; sed quàm desendum est, videre quàm parùm salutare hoc consilio proficiant peccatores, & quod longè gravissimum est, illud risui habeant.

5. Perpendendum, uti Dominus olim iusserat, ut qui serpentinis moribus infecti fuissent, æneum serpentem pro salute intuerentur; quo significare voluit, irato ac saucio peccatori optimum fore amuletum intueri crucifixum JESVM; charitatemque quâ Patrem æternum recogitabat, ut se crucifigentibus æternùm parceret, considerare; nam cùm ita mitesceret patiens Deus, quis ab ira non absteineat?

Quis æger, mi sanctissime Deus, adeò lethifero morsu infectus, qui si te crucifixum, & ad Patrem tuum, pro hostium tuorum venia exclamantem conspiceret, sanitati non restitueretur, patientiæ tuæ exemplo obumbratus? Quàm amanter ignoscis tuis inimicis, Domine, cùm ego offensas minimè dimittere velim! Tu animarum ita sitis salutem; & meam ipsius ego non sitio? cor tuum lanceæ tradis, & tuis ego manibus meum non tradam, ut id à mundi malitia, dæmonisque tentationibus liberum reddas? Si tuis illud manibus non tradidero, Domine, quas inter securus ero? Id suscipe, mi Deus, tibi que asserva; tuum est, meque eo donasti, eoque illud tibi restituo. Id immaculatum mihi per Baptismum fecisti, idemque ego jam miserum tibi reddo. Igitur in hoc demonstratur infinita tua bonitas ac sapientia, ut confusum illustres, vivificesque mortuum.

O misericordiarum Domine, hanc mihi servulo tuo tribue, ut cor meum in manibus tuis videam: etenim dum in illis constituitur, nec ira, nec superbia, aut aliud quodcumque, quod te vel proximum lædat afficietur: quo pacto dicere valebo: cor meum & caro mea exultaverunt in Deo meo.

A D D I T I O.

Laudem à Christo meruere mansueti, ubi dixit: Beati mites, &c. Et iterum: Beati, qui persecutionem, &c. Sed nisi favores profint, devenietur ad rigorem.

M E D I T A T I O C I V.

Dominica sexta post Pentecostem.

P R I M A P A R S.

Oratio præparatoria, &c.

1. Historia: Cùm turba multa esset cum JESU, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis, ait illis: Miserior super turbam: quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent: & si dimisero eos jejunos in domum suam, deficienti in via, &c.

Hoc Ecclesia intendit, quod nempe, qui sequuntur Cgristum, percipiant quam lautè sequentes eum excipiantur. Petit: Deus virtutum, cujus est totum quod est optimum; insere pectoribus nostris amorem tui nominis, & presta in nobis Religionis augmentum: ut quæ sunt bona, nutrias, ac pietatis studio, quæ sunt nutrita, custodias. Per Dominum Nostrum, &c.

3. Loci compositio fiet, considerando multitudinem, quæ Christum sequitur, quantaque, & quâ charitate, miracula perpetrat Dominus.

1. Considerandum, quid dicant, vel agant personæ, &c. Perpendenda cura, quam de suis gerere præ se fert Christus, dum dicit: Nolo, ut deficiant in via. Ut item jejunos remittere noluit; ut ostendatur vacuos haud eos fore, qui ad ipsum se conferunt, ut ad salutis laborem & nos impellamur. Ut item plurimi faciat, quod jam secuti se fuerint per tres dies: Unde eorum commiserationem suscipit ad animum roburque eis excitandum, ut ne inceptam virtutem deserant.

2. Item ut ob panis visibilis defectum Discipuli animo excidant; quare tum præcipue misericordiam suam manifestat Dominus, ne visibili deficiente ullum in invisibilibus deliquium patiamur: nam nisi in Domini conspectu deficeremus, nihil quod saluti nostræ expediret, nobis desideraretur. Ut item à Christo doceamur, corporali refectioe cibare alios; utque panis ejus ille sit, qui saturat, verumque parit gaudium.

3. Considerandum, quid non Dominus peregerit, ut hominum miseretur. Multa sane in Pharaone profligando ad populum suum de ejus captivitate eruendum, tot, tantisque eandem gentem beneficiis donando, dum ad Palæstinam usque eam duxerit: sed longè ampliùs id fuit, quod humani generis commiseratione ductus in Ægyptum confugeret, ut ibi pateretur. Quare meritò dicere valet jam; *Miserior super turbas*. Siquidem prædictorum omnium testimonia indicarent amorem.

4. Considerandum: Quinam Christi convivæ sint, quinam ejus inaudire doctrinam mereantur; ii scilicet, qui domibus egressi, eum ad desertum usque insequuntur, humiles atque egeni; isti sunt ejus convivæ, qui norunt necessitatem, quam habent esse cum Christo. Hi conditiones ad convivium requisitas possident. Attendat igitur unusquisque, quibus conditionibus polleat, ut convivas inter annumerari possit Christi.

5. Considerandum, quantâ homo stipetur miseriam, qui nedum per tres dies cum Christo ad panem ejus comedendum pati valeat; quanta verò ea sit cæcitas, quâ mundum dæmonaque ultrò lubentes toleremus, cum tamen lapides panis loco tribuere consuecant, utque verè essemus beati, si quæ pro iis toleramus, in Christi honorem pateremur. Item, animadvertendum, quanto dolori in hora mortis illi homini futurum sit, qui nullum de his habuerit profectum.

Quid ii faciebant, qui te comitabantur, Domine; ut eorum laborem tanti æstimares, tantamque eorum commiserationem susciperes? Quid mirum, doctrinæ tuæ suavitatem per triduum inaudire, miraculorumque tuorum sublimitatem intueri vellent? Numquid non tu ille, Domine, de quo dictum est: *Dominus diluvium inhabitare facit?* Num non ille, de quo Job referebat; *Pone me juxta te, & cujusvis*, &c.

Ubinam gentium homines esse potuissent, ubi plus proficerent, quam tecum? *Vox enim tua dulcis*; &c.

An non admodum quid mirum est, quod hominibus bene sit sine te, teque absente vitam ducant? Et si ob tres solos dies tantam misericordiam ostenderis; quidnam pro iis facturus es, qui omne gaudium suum ac oblectamentum in patiendis pro te laboribus; & injuriis, morteque ipsa constituunt?

Quis pro te pati renueret, si adverteret, quanta pro nobis perpeffus sis; Si attendero quantoperè mundum, meque ipsum toleraverim, ô quàm exigua mihi futura erunt, quæ propter te pati valeam! E quidem video, ô mundi reparator, quod mei causâ meritò dicere potuisses: *Usquequò patiar vos?* Cùm itaque in tantum me passus sis, vires tribue, ut pro te patiar: *Quia sustinentes Dominum, ipsi habitabunt terram.*

MEDITATIO CV.

Dominica septima post Pentecosten.

PARS PRIMA.

Oratio præparatoria, &c.

Historia: *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum calororum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in calis est, ipse intrabit in regnum calororum.*

Ecclesiæ intentio ea est, ut ab hæreticis cavéamus, & illis signis proficiamus, quibus eos Christus nobis porrigit dignoscendos. Quod petit est: *Deus, cujus providentia in sui dispositione non fallitur: te supplices exoramus: ut noxia cloneta submoveas, & omnia nobis profutura concedas. Per Dominum.*

Locis compositio; erit mons, in quo Christi.

Christus Dominus magnam illam habuit concionem.

SECUNDA PARS.

- Considerandum, quid dicant, vel agant,
1. &c. Ut colligere est ex amore, curaque, quibus Pater noster de Lupis gregem invadentibus nos commonet, ut vigilantiam, ne decipiamur, hauriamus. Item quem de meis internis cogitationibus profectum referam, ut videam an à bono Angelo oriantur; an a malo, qui in Angelum lucis transformari persæpè consuevit; & licet in principiis bonum sese exhibeat, attamen sub medium finemque deficit, & ideo: *A fructibus eorum*, &c. Timor item referendus ex eo, quod de mala arbore dicitur, quod nempe excidetur, & in ignem mittetur. Id etiam advertendo, quonam devenirem, si hæc sententia in me foret pronuntianda? Attentè item considerandum, minimè fore sufficiens, dicere: *Domine, Domine*; si desint opera, Patrique æterni voluntas non impleatur; nihilque profuturum adde: *Nonne in nomine tuo prophetavimus?*
 2. Considerandum, quis sit falsus Prophetæ: primus fuit dæmon, dum Evæ persuasit, quod licet comederet, haudquaquam moreretur; & sic in more positum habet dicere: hoc nihil est; postea verò mortis adventante tempore, suum nihil in tantum adauget, ut omnem veniæ spem protinus tollat: & ideo quæcumque sponder, omni falsitate referta sunt. Unde Psalmista: *Beatus qui non respexit vanitates*. De cæcitate mea confusionem hauriam, quod cum hoc adeò manifestum sit, ab ipso tamen facillimè circumveniar.
 3. Considerandum Pseudo-Prophetarum qualitates in Jeremia, qui dicit: *Propheta tui viderunt tibi falsa & stulta, nec aperiebant iniquitatem, ut te ad penitentiam provocarent*. In quo Lutherus, Calvinus, & cæteri ejusdem farinae impostores, velut pro tanto digito præsignantur. Item, ovium pellibus vestiuntur, & de amore Dei verba facientes, Ecclesiæ obedientiam timoremque excutiunt. *Et vendunt oleum in Ægyptum*, &c. Item, ad nostram utilitatem inferre possumus, Adamum postquam peccasset, pellibus indutum fuisse; quod & Sathanas ad Adami filios in tentationem inducendos, factitare amat: pellibus induitur, & omni eo, quo sese homo operire consuevit, vestitur, ut ad ejus similitudinem nutumque indutus, illum ad facilius peccandum inducat, eumque ut rapax lupo, naturæque nostræ capitalissimus hostis deglutiat. Hinc inferam, cogitationes, quæ appetitui meo sensibili conformes mihi incidunt, summè esse suspectas; cum

enim eosdem colores præ se ferant; cavendum est, ne sit tentatio illius, qui pelle mea indutus est.

Considerandum, quod non secus ac ille effusus cachinnis esset deridendus, qui è dumeto solis spinis referto, uvas decerpere vellet: sic planè ridiculum est videre homines omittere vinum gaudii Spiritus sancti, quod de Ecclesiæ Romanæ vinea excerptum est, cum felleas ac spinosas uvas divitiarum, voluptatumque mundi collectum eant: Hinc dolorem excitabo, attendendo quoties è tribulis & spinis hujus seculi gaudium reportare contenderim.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Cum necesse fuerit, ut essent pseudo-Prophetæ; *Ut probati manifesti fiant*; magnum misericordiæ fuit specimen, eorum qualitates enarrare, unde eos cognoscere, ab illisque cavere valeremus; sed quid nobis fiet, qui cum tantam eorum habeamus notitiam; *Multiplicati sunt qui tribulant nos*; nostra tamen, mi Deus, tuâ deficiente, haud sufficit custodia. Et ideo *Domine virtutum*, quemadmodum nobis dicis; *Attendite*, &c. Divinam tuam Majestatem supplices rogamus, ut à nobis avertas falsos Prophetas, qui tuam hæreditatem pretioso tuo sanguine comparatam, agrediuntur. *Venerunt enim gentes ad hæreditatem tuam*, &c.

MEDITATIO CVI.

Dominica Octava post Pentecosten.

PARS PRIMA.

Oratio præparatoria, &c.

Historia: *Homo quidam erat dives, qui 2. habebat villicum: & hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona ipsius. Et vocavit Luc. 16. illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ: jam enim non poteris villicare. Ait autem villicus intra se: Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem? Fodere non valeo, mendicare erubesco. Scio quid faciam, ut, cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas. Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam: & sede citò, scribe quinquaginta. Deinde alii dixit: Tu verò quantum debes? Qui ait: centum tritici. Ait illi: Accipe litteras tuas, & scribe octoginta. Et laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filii hujus seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. Et ego vobis dico: facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut, cum defeceritis, recipiant vos in aeterna Tabernacula.*

Ecclesia nobis præmonstrare intendit, quanto

quantò incolumiores viveremus; si, quas ad seculi hujus vana, transitoriaque comparanda, diligentias, cautelasque adhibemus, ad caelestia referenda impendere conaremur: petit: *Largire nobis, quasumus Domine, semper spiritum cogitandi qua recta sunt, propitius & agendi: Ut qui sine te esse non possumus, secundum te vivere valeamus. Per Dominum, &c.*

3. Compositio loci: objiendum ante oculos, quam salutiferis Christus discipulos imbuat praecipis, quantaque eosdem gratia, & spiritu donatos relinquat.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum, quid dicant, &c. Uti videre est, nullam reo inaudito, iudicio litem discuti; unde villicum vocavit Dominus, etsi diffamatus esset apud illum: quare à iudiciis temerariis quam maximè cavendum est. Item, considerandum, quanto opere sibi metipsum noceat homo, dum dicit se laborare non posse: Et ita dum sese ab inopiae quidam excusant incongruo, in aliud majus incidunt, quod est alienum distribuere, & quod vetatur id maximè peragere. Item ut villicus ille hereditatis alienae liberalem se exhibuerit; utque humana indoles in hoc maximè sit propensa. Hinc inferam, quoties haec duo mihi contigerint; parcere nempe proprio sudori, & labori; & res alienas liberaliter profundere.

2. Considerandum, quam verendus sit hic sermo: *Redde rationem, &c.* Quid dictura es, anima mea, cum hereditatis, quam conduxisti, ut gloriae, laudisque annuos Domino redderes fructus, ratio à te fuerit exigenda? *Redde rationem illius: quod lingua tua pronuntiavit, quod pedes tui peragrarunt, quod cor tuum dilexit, &c.* Et attende quod hereditatem usurpaveris veluti propriam, non verò ut conductam, quodque fructus illius in usum tuum converteris.

3. Perpendendum, quam stricta futura sit illa exactio, quam non modò de bono concessio; sed & de inflicto laboribus ratio petenda est; uti videmus Amos 4. ubi dicit Dominus: *Ego quoque prohibui à vobis imbrem, ut sitiretis, & non redistis ad me. Percussi vos vento urente, &c.* Ita ut aequalis mihi reddenda sit ratio de tribulatione, ac de consolatione, quam recepi; & ita non solum de his, quae mihi concessa sunt, verum etiam de iis quae fuerunt ablata ratio exigetur.

4. Considerandum, quod si easdem curas, ac labores, quos in amicis comparandis, domibusque in hoc seculo superbe exstruendis, impendis, eos, inquam, ad

amicos in altero comparandos, mansionemque ibi erigendam, suscepisses; plurimi te amici, plurima manerent tabernacula? Et si quas hic absumpsi pecunias, inibi applicuissem, verè non decoctæ; sed reparatae dicerentur: ex quo de praeterito condolens, in futurum emendationem proponam; cum praesertim tot in caelis amicis, omnibus sanctis, Christoque ipso, velut eorum duce, fruerer, si de tribulationibus, ac persecutionibus, debitum fructum retulisset.

TERTIA PARS:

Colloquium.

Fateor, Domine, me nequam illum, atque peccatorem villicum esse; qui hereditatem tuam, acceptaque bona decoxit; & si eorum ratio à me sit expetenda, quid dicam nisi: *Non intres in iudicium cum servo tuo; Pater, peccavi;* cognosco quod iure meritissimo Dominus aufert à me villicationem. Nec ignoro me cognitione destitui, quandoquidem abjecta hujus seculi, ut sunt honor, & divitiae, mendicare non erubescam, cum tamen res alterius seculi erogare me pudeat; quae omne pretium, mensuramque exsuperant; quamobrem, fateor, *Quod mendicus sum & pauper: attamen licet tantae sim paupertatis, tibi derelictus est pauper.* Quocirca auxilium tuum deprecor, ut quam in luteis, obscenisque amicis comparandis diligentiam, ac prudentiam impenderam, eandem ad patronos in caelo mihi devinciendos adhibeam, & ut nummi, qui vitae meae spirituali fatali erant exitio, nunc in salvationis meae remedium convertantur: absit, Domine, tuaque misericordia avertat, ut qui transitoriae necessitatis aded providus hactenus extiterim; negligens, & incurius in posterum videar aeternorum; etenim si pro his nullum mihi suppetat asylum, quid facturum sum, cum deficiam, nec inveniam, qui me excipiat, mei que misereatur. Beatus ille, qui omnem curam suam adhibet in comparandis amicis in terra viventium, quia cum defecerit, inveniet qui se recipiat, tuaque misericordia fovebitur, dum tua observet consilia, & praepcepta.

MEDITATIO CVII.

Dominica nona post Pentecosten.

PARS PRIMA.

Oratio Præparatoria, &c.

Historia: *Cum appropinquasset Jesus Jerusalem, videns civitatem, flevit super illam, dicens: Quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, qua ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te: & circumdabunt te inimici tui vallo, &*

T. circum-

circumdabunt te: & coangustabunt te undique: & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem: eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae. Et ingressus in templum, cepit ejicere vendentes in illo, & ementes, dicens illis: Scriptum est: Quia domus mea domus orationis est. Vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et erat docens quotidie in Templo.

Intentio Ecclesiae est, immensam Christi Domini charitatem manifestare, dum labores nostros sentit, ac praeventit, nos de iis commonendo. Quod petit est. *Pateant aures misericordiae tuae, Domine, precibus supplicantium: & ut petentibus desiderata concedas, fac eos, quae tibi sunt placita, postulare. Per Dominum.*

3. Compositio loci; Christus in ingressu suo in urbem Jerusalem, quando cum ramis inibi exceptus est, ante oculos obijciendus.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum quid dicatur, vel agatur à personis, &c. Uti videre est, quod in die maximi honoris Christus flet, ad indicandum, quanto honores periculo stipentur, cum tamen super hos aded defudent mortales. Item, uti non flet, quod Jerosolymis est passurus, sed de illius populi scelere, & peccatis: ut hoc exemplo praeventi, proximi ærumnas praesentire discamus. Flet etiam, quod Hierusalem diem suum, pacemque suam haud cognoverit: ut hinc inferam, quod nec dierum, quos mihi ad proficiendum Dominus tribuerit; nec temporis gratiae, ac pacis, nec temporis visitationis, dum per labores me inviseret, notitiam habuerim; sed id dolorem nuncuparem, quod manifestum amoris esset indicium. Quare, quod à Propheta dicitur, reverebor: *Contritio, & infelicitas in viscerum, &c.* Item, ut quaecumque praedixerit Dominus Hierosolymis, contigerint: ut inde illud ipsum de eo hauriam, quod peccatori minatur.

2. Considerandum, quanto amplius praesenserit Christus ruinam spiritualis Hierusalem, quae nostra anima est, quam Hierusalem materialis; utque pro hac spirituali Hierusalem non solum tunc fleverit; quinimò hæc ipsa fuit, quae cor ejus acutissimis doloribus transfodiebat; quamobrem Patri æterno se sine intermissione offerebat. O anima mea, si attentè pensitares, quot & quantis lacrymis, gemitibus, doloribusque ipsi tu constiteris! Priusquam existeres, te vidit, ac flevit; te inspiciens, flebat, quia tu te conspiciens tibi non illacrymabar, quin potius de te ipso gaudebas.

Perpendendum, quod si Hierusalem ementes & vendentes, &c. Christus expulerit, quid non tibi sit expellendum, si modo consideres, quid emas, quidve vendas: nam angores, curasque miseræ hujus vitæ tibi comparas; & alterius; quæ æterna est, sollicitudines vendis, imò gratis donas? Esau affimularis, primogenita lentum pulmento venundans; nec à Juda in justo vendendo discrepas; & ita domus, quæ orationis domus esse debuerat, in speluncam latronum est conversa. Cur, quæ minimè sunt opus, mercaris; & ea, in quibus vita agitur, vendere non dubitas.

Perpendendum, quod hæc mea devenisset Hierusalem, dum peccato devolutam sese adverteret, quem in modum humi serperet, nec aliò præterquam in terram oculos suos figeret; quo pacto hostibus meis stipabar, quorum alter me deserebat, & alius prehenderebat, omnesque me premebant, & pedibus fauces meas calcabant, ita ut nullum respirationi concederent locum. Etenim si ad cælum oculos convertere cuperem, mihi suggerebant: *Major est iniquitas tua, quam, &c.* Quod si resurgere niterer, passionibus meis in tantum eram irretitus, ut non obstante arbitrii libertate, voluntas aded opprimeretur, ut quod optaret bonum operari recusaret, & ita vitia deserere erat mori, & illa non abrogare mortuum absque vita gratiæ refererebat.

Perpendendum, quodnam Filio Dei pensum induratus ille populus perfolverit; cum etenim ab Ægypto aded potenti manu Deus eum liberasset, eique terram promissionis, quæ erat Hierusalem, concessisset. Ea fuit solutio, ut in illa ipsa eum crucifixerint; ita ut in terra, in qua majorem misericordiam fecerat Deus, in eadem majorem offensam invenerit. Ut dolorem, & confusionem eliciam, quia hic quoque adverto, eorum me amplius oblitum fuisse, in quibus majorem favorem, gratiamque mihi Dominus præmonstravit, & ex oblivione ingratitude, & peccatum processisse: quamobrem merito Hierusalem hujus jacturæ illacrymabor.

TERCIA PARS.

Colloquium.

O si eum novisses anima mea, qui pro te tantum ploravit, quam assiduas tu pro ipso funderes lacrymas! Et ad hoc attende, quod non ea fletet, quæ tibi essent ferenda; sed illa, quibus tu esses afficienda: quod si ipse pro te non flevisset, quis oculos tuos madentes exsiccasset? Milvus atque Ciconia tempus suum haud ignorant.

Bos-

Bosque & asinus præsepium sui non sunt ignari. Tu sola, anima mea, ingrata remanes; ea es, quæ emis, quod vendere debueras; & vice versâ vendis, quod à te fuerat emendum; latronum spelunca facta es, cum domus orationis esse debuisses. *O si cognovisses, quæ ad pacem tibi.* Si cognovisses, quantum Redemptori tuo constiterit pacem tibi apud æternum Patrem obtinere, utique visitationis beneficium haud ita vilipenderes. *Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis:* Quia non ad aliud sunt tibi oculi, nisi ad visibile, transitoriumque intuendum. Tuam cæcitatem agnosce, ut gratam te exhibeas, quod toties Hierosolymitica mœnia in te fuerint reparata, & nihil aliud intendas, quàm illa funditus diruere. Manus tuas, Dei que inspice; hoc si feceris cum dolore lacrymatura es, & è dolore vera cognitio consequetur ad eum cognoscendum, atque adorandum in secula seculorum.

MEDITATIO CVIII.

Dominica decima post Pentecosten.

PRIMA PARS.

1. Oratio præparatoria, &c.
2. Historia: *Dixit Jesus ad quosdam, qui in Luca se confidebant tamquam justis, & aspernabantur ceteros, parabolam istam: Duo homines ascenderunt in templum ut orarent: Unus Phariseus, & alter Publicanus. Phariseus stans, hac apud se orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum: raptores, injusti, adulteri: velut etiam hic Publicanus. Fesuno bis in Sabbatho: decimas de omnibus quæ possideo. Et Publicanus à longè stans, volebat nec oculos ad cælum levare: sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Dico vobis: descendit hic justificatus in domum suam ab illo: quia omnis qui se exultat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.*

Intentio Ecclesiæ est præmonstrare, quanti ponderis sint humilitas, atque simplicitas, ut omnes virtutum desiderio accendantur, quod petit est: *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime, & miserando manifestas: multiplica super nos misericordiam tuam; ut ad tua promissa currentes, celestium bonorum facias esse consortes. Per Dominum.*

3. Compositio loci de docente Jesu.

SECUNDA PARS.

Considerandum, quid dicant, vel agant, &c. Perpendendo, quò ii deveniant, qui sibi, propriisque viribus nituntur: *Maledictus homo, qui confidit in homine; &c.* Damnum item eorum, qui justos sese existimant; & idè vitam in timore ducere spernunt: *An speras in baculo arundineo confracto Ægypti; malè tales Apostolum percipiunt, dicentem: Nihil mihi conscius sum; non ta-*

men in hoc justificatus sum. Periculum item, quod nobis ingruit, è quò proximum despiciamus, ut à tali caveamus despectu. Perpendenda item Dei Judicis celsitudo, quæ cadentem erigit, eumque deprimit, qui exaltatus videtur. Quàm item gratæ, acceptæque sint Domino, humiliter orantis condiciones; quare sumpto à Publicano exemplo, pectus meum percutiam, dicens: *Deus propitius, &c.*

Considerandum, ut Publicanus oculos ad cælum convertere vereatur, quia ad seipsum æstimandum non habebat oculos, quamvis eos habuerit ad se confundendum: at Phariseus cum se minimè respiceret, oculis se pollere autumans, iisdem protinus carebat; ideoque advertimus, quò dum à Davide diceretur: *Projectus sum à facie oculorum tuorum:* Psal. 30. statim subdiderit: *Exaudisti vocem orationis meæ.* Quâ ratione quisque ex oculis, quos habet, colligere poterit, quàmnam cognitione donetur.

Perpendendum, quanto sanius à Phariseo dictum fuisset; Domine juste, & pie: *Non sum sicut ceteri hominum; idè misere mei.* Ceteri vident; ego verò cæcus sum; alii sunt humiles, ego superbus; alii patientes, ego amans vindictæ; ideoque misere mei: *Quia hoc modo non sum sicut ceteri hominum.*

Phariseus seipsum laudibus deprædicat, & alium accusat: at Publicanus nihil aliud facit, præterquam sese accusare. Phariseus quò seipso contentus sit, proprioque gaudio repletus, nihil petit; alter autem ut indigens veniam, misericordiamque erogat: Phariseus, qui alium spernebat, à Christo despectus fuit: Publicanus qui semetipsum contemnebat, ab ipso Domino prædicatus est: Phariseus dicto modo gratias agens, gratiam haud consequutus est: Sed Publicanus proprium confitens infortunium, gratiam meruit reportare.

Perpendendum, quanto favore eorum divino numine donentur, qui cæteris pro Deo sunt contemptui: Si à fratribus Joseph vilis sit habitus, postmodum omnes ad manus ejus devenère. Si ab Herode Christus fuit elusus, & paulò post in cruce opprobrium hominum, &c. suam in Resurrectione potentiam, victoriamque ostentavit: quâ ratione, contemptum sanctorum nostrarum nobis suggerit, si in ejus conspectu æstimari desideremus: ex quo dolorem eliciam propter defectum cognitionis meæ, quandoquidem contemptui mei obsistam; quod si quandoque ingredi contingat, velut per januæ rimas subit; cum tamen apertis undique januis, ut

utrumque penetraret, cum deberem invitare.

TERTIA PARS.

Colloquium.

1. *Usquequò piger dormis, &c.* O anima mea, quando tandem à somno, in quo vivis, expergisceris? Enarra mihi, quid desideras, & videbis, quàm decepta vicitas: etenim si pretio haberi cupias eorum unum, quod Deo, atque hominibus te reddit abominandam, ea superbia est: quia vitam cum superbo ducere, cum tygride vivere est; quod si dicas: *Ascendam in caelum*; numquid vides ab eo procul relegatam esse superbiam? Quod si Altissimo similis fieri ambias, attende, quid dicat: *Discite à me, quia mitis sum, &c.* Ubinam gentium igitur tua tibi profutura est superbia, cum in ipso etiam orco superbissimus quisque profundissimis ignibus crucietur? Quomobrem nunc jam à somno tuo suscitare rotam tuam circumage: rectæ rationi te submitte.

2. Si conscendere nitaris, deprime te ipsum: si à Domino foveri, atque laudari desideres; lætare ab hominibus despici, nec ullatenus in te confidas: *Quia omnis caro fanum.* Et postquam, quæ ad te spectant, peregeris, dic: *Servi inutilis sumus.* Oculos tuos præ humilitate deprime, & sic effare: Attende, Domine, ad mendicitatem meam, meosque oculos deprime, ne forte, dum me respicis, attollantur, & damno meo ea convertam, quæ ad meam utilitatem operaris.

MEDITATIO CIX.

Dominice undecima post Pentecosten.

PARS PRIMA.

1. Oratio præparatoria, &c.

2. Historia: *Exiens JESVS de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos. Et adducunt ei surdum, & mutum, & Deprecabantur eum, ut imponat illi manum. Et apprehendens eum de turba, sorsum, misit digitos suos in auriculas ejus: & expuens, tetigit linguam ejus: & suspiciens in caelum, ingemuit, & ait illi: Ephphetha, quod est adaperire. Et statim aperta sunt aures ejus, & solutum est vinculum lingue ejus, & loquebatur rectè. Et præcepit illis, ne cui discerent. Quantò autem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant: & eà amplius admirabantur, dicentes: Deus omnium fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui.*

Ecclesia inter alia nobis ostendere intendit, quo pacto peccatores muti, surdique sanitati possint restitui, cum tremendis ad eò morbis laborent; quod petio est: *Omnipotens sempiternus Deus, qui abundantia pietatis tuæ, & meritis supplicum excedis, & vo-*

ta: effunde super nos misericordiam tuam: ut dimittas qua conscientia metuit, & adicias quod oratio non præsumit. Per Dominum nostrum.

Compositio loci; Christus menti obiciendus, ut per Sidonem transiens ad mare Galilææ pervenerit, ubi surdum, & mutum sanavit.

SECUNDA PARS.

1. Perpendam; quid à Christo hic factum sit, ut ex eo utilitatem consequar; magnum enim his omnibus inest mysterium, cum præcipue tot cæremonias admisceat, licet absque his miracula fieri possent: ad confundendos Hæreticos, qui eas non admittunt.

2. Considerandum, ut Christus Dominus, ad surdum, mutumque sanandum, digitos suos, salivamque adhibeat oculis in caelum sublatis, & cum gemitu. Quà ratione surdum, ac mutum sibi obligaverat. Hinc dolorem eliciam, quod sensus meos in eorum remunerationem, quæ Deus pro me peregerit, non custodiam à mundi vanitate, ac temulentia.

3. Considerandum, quid fecit Christus Dominus in cruce pro peccatoribus. Ibi enim ad sanandum surditatem eorum: *Factus est tanquam surdus non audiens*; ita ut ad auditum mihi enlargendum, voluit surdus in opprobria, quibus cum in cruce lacerabant hostes, esse voluerit. Quà re me docet, ut pro ejus amore surdum etiam me exhibeam mundanis rebus, deliciisque. Quia ut ad sponsum perveniatur, cæteris omnibus aures obturare necesse est. Ex quo confusionem eliciam quod meas aures ad eò arrectas mundo, Christo autem tam surdas porrigam.

4. Deinde factus est tanquam mutus, non aperiens os suum, ut linguam ego ad veniam deprecandam, peccataque mea confitenda, & ejus laudes personandas, gaude-rem. Adde, quod linguam suam amarissimo felle potari permisit, ut me spiritus sui dulcedine bearet: *Et adhæsit lingua ejus faucibus ejus.* Quomobrem mihi perficiendum est, ut *adhæreat lingua mea faucibus meis*, ne obmurmurem; sed *solvam vincula lingue meæ*, ad peccatum meum confitendum, & ad hunc supremum Medicum, qui talibus mediis mutum restauravit, collaudandum.

5. Considerandum, quod quoties anima mea suavem dilecti vocem interioris percipit, vel laudis, aut ædificationis proximi sermonem admisceat; confestim oculos ad caelos convertere teneat, & cum gratiarum actione dicere: *Benedicimus tibi, &c. Manu enim Domini fecit hæc omnia.* Pari ratione

tione, si quando ambitio, & vanitas interloquendum, vel audiendum adhæserit: ea dere dolebo. viso, quod ex Domini operibus, ad meum bonum, meque humiliandum, peractis mihi vanitatem quæram, ita ut purum ipse triticum seminet, & ego zizania colligam.

TERTIA PARS.
Colloquium.

Notus mihi amor tuus est, Domine, in eo, quod ad me sanandum, operatus es: nec mea me fugit ingratitude, ac cæcitas, quod ad tibi serviendum adeo nihil faciam, Solo verbo furdum, murumque me sanare vales, & ut indices, quali, quantoque in tuos amore existues, totus pro nostra salute profunderis. Tibi haud satisfactum fuit, Domine, usque dum, in cruce pro nostra redemptione undique faucibus, ac vulneratus occideres. Quis totam se obsecrare tibi dubitabit, videns, quid hominis gratia sis operatus? Tu, Domine, qui valut mutus effectus es, impera, ut multiloqua hæc lingua mea obediatur, ut solum ea dero loqui liceat, quæ in tuas laudes cedere possit. *Quis tunc exultabunt labia mea, cum canam uero tibi.* Sopitos item auditus meos excussita ad vocem tuam inaudiendam, acque illos sopore aggira, dum ad vocis secundi excitantur: etiam si his anima mea non dormierit, haud illi irvigilabit.

MEDITATIO CX.

De uisione duodecime post Pentecosten.

PRIMA PARS.

1. Oratione preparatoria, &c.
2. Historia: *Beati oculi, qui uidens quem uos videtis. Dicunt enim uobis, quod multi prophetae, & reges uoluerunt uidere quia uos uidetis, & non uiderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt. Et ecce, quidam legis peritus surrexit, testatur illum, & dicens: Magister, quid faciendo uitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? Quomodo legis? Ille respondens, dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus uiribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum sicut teipsum. Dixit que illi: rectè respondisti: hoc fac, & uiues. Ille autem uolens iustificationem seipsum, dixit ad IESUM: & quis est meus proximus? Suscepit autem IESUS, dixit: Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Jericho, & incidit ab Latrone, qui etiam despoliauerat eum: & plagis impressis abiernit, semiuivo relicto. Accidit autem uia Sacerdos quidam descendens eadem uia: & uisum, praeteriit. Similiter et Leuita, cum esset factus locum, & uideret eum, sperxans se. Suscepit autem quidam in eum, uenit secus eum:*

& uidens eum, misericordiam motus est. Et appropians, alligauit uulnera ejus, infundens oleum, & uinum: & imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam ejus egit. Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habet: & quocumque supererogaueris, ego cum rediero, reddam tibi. Quis horum trium uideatur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in Latrones? At ille dixit: qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi IESUS: Vade, & tu fac similiter.

Ecclesia inter alia intendit Christi Domini charitatem ostentare, & quomodo ad se accedentibus, (si modò proficere cupiant,) auxilietur. Quod petit est: *Omnipotens & misericors Deus, de cujus munere uenit, ut tibi à fidelibus tuis digne, & laudabiliter seruiatur: tribue quasumus nobis, ut ad promissiones tuas sine offensione curramus. Per Dominum.*

Compositio loci; memoriae obijciendum est, quod postquam septuaginta duo rediissent cum gaudio, dicentes: *demonia subiiciuntur nobis, &c.* dixerit Dominus: *Beati oculi, &c.* Et paulò post: *Ecce quidam, &c.*

SECUNDA PARS.

Perpendendum, quid dicant, vel agant personæ, de quibus ibi memoratur: *Beati, qui uidens, &c.* Ut flagrante Christum uidentis desiderio accendamus, non ut Pharisei; sed uelut Discipuli, qui uidebant & credebant. Consideranda item horum duorum mandatorum substantia, quæ est amor Dei, & proximi, ut magna in iis custodiendis cura adhibeatur. Item, dolebo aduertens, præceptum amandi ex toto corde, & ex totis uiribus, adeo tepidè à me hætenus fuisse obseruatum.

Considerandum, ut uulneratum proximum, pecuniis non modò non subleuauerim; sed nec uerbo quidem consolationis eum solari dignatus sim, & quod deterrus est, quod quosdam durioribus uerbis laceffens, malè de iis sim suspicatus: cumque id mei muneris non esset; hoc tamen uelut expressum mihi susceperim. Hac item ratione legis naturalis præcepta uiofasse uideor, cum talia mihi ab aliis fieri minime desiderarem.

Considerandum, uti id iniqui muneris non modò erga proximum, uerum & erga propriam animam præstiterim: enim uerò cum ea foret uulnerata, eò quòd Ierusalem descendisset uersus Jericho, à gratia scilicet ad peccatum; magno temporis interstitio, eam oleo misericordiae Domini, Sacramentis nempe, cæterisque salutaribus amuletis destitutam reliqui: ita ut nec mei,

nec aliorum, me misereret. Naam leprosus, ad Jordanis aquas, ut mundaretur, contendit; ego autem velut rabiosus canis à poenitentiae limphis fugiebam.

4. Considerandum, ut non solum durus corde in me, & in proximum extiti, dum vulnerati essemus: sed quod pejus est, cum vulneratus sit Christus ipse, & ille, qui in peccatorum manus devenerit, qui, cum vestibus spoliatum Cruciaffixerunt; illius vulneribus nihil sum commotus, ut vel guttulâ olei ea mitigarem: Nec ullam de illo curam gessi, ut vel solum accederem ad alliganda vulnera ejus; sed eum præterii, nullâ de illo habitâ cogitatione, &c. In tantum ut nec illius, neque mei, nec proximi compassione ductus sim. Quo pacto misericordiam flagitabit, qui nihil omnino misericordiae præ se tulerit? Nisi quia *miserationes Domini super omnia opera ejus.*
5. Considerandum, quantoperè mea interfit, huic incommodo mederi; quod fiet curam gerendo de proximo, ut dictum est: mea item spiritualia vulnera intuitus ad caeleste amuletum, Ecclesiastica scilicet Sacramenta quantociùs me conferam, ut Christo, pro mea obligatione satisfaciam; utque passionis illius devotus esse possim, ejus vulnera, & dolores intimo corde præsentire conabor: hac enim ratione, velut blandâ unctiōe lenientur etiam mea vulnera, & medelam afferre contendam sauciatis proximis: & hoc pacto Christi voluntas adimplebitur, qui dicit: *Vade & tu fac similiter.*

TERTIA PARS.

Colloquium.

Quousque hæc cordis mei durities duratura est Domine, cum nec proximi, nec mea, neque adeò tua vulnera ad compassionem me emolliant? Ad quem, nisi ad te confugiam? Sana mea vulnera? Ne quæso attendas, quòd tua sine dolore, & sine cura pertranscam; *Quia si iniquitates observaveris, Domine, &c.* Sed hoc unum intuere, quod miserrimè saucius sim. Educ me, Domine, ex hac via, ubi à Latronibus, occasionibus, scilicet, peccati, sum exspoliatus; & jube, ut mei curam gerant Angeli tui: hoc enim pacto spiritualia mea vulnera restauranda sunt, & acceptam à manu tua misericordiam agnoscam, ut (miserationibus insudans) proximis, veluti imperas, serviam, & sic faciens, me disponam *Ad diligendum Dominum meum ex toto corde, &c. Et proximum sicut meipsum.* Et sic me, proximumque meum in te, & propter te diligendo, perveniam ad vitam sempiternam. Amen.

MEDITATIO CXI.

Dominica decima tertia post Pentecostem.

PRIMA PARS.

Oratio præparatoria, &c.

Historia: *Dam iret JESVS in Jerusalem, transibat per mediam Samariam & Galilaam. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè: & levaverunt vocem, dicentes: JESV præceptor, miserere nostri. Quos ut vidit, dixit, Ite, ostendite vos Sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt. Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens: & hic erat Samaritanus. Respondens autem JESVS: dixit: Nonne decem mandati sunt? & novem ubi sunt? Non est inventus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi: Surge, vade: quia fides tua te salvum fecit.*

Intentio Ecclesiae est, indicare ingratitude- nem populi Judaici in novem leprosis, qui sese ingratos habuerunt, & hinc omnes confundere quotquot Domini beneficiis parum admodum gratos sese exhibent; quod petit est: *Omnipotens sempiternus Deus, da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum; & ut mereamur assequi, quod promittis, fac nos amare quod præcipis. Per Dominum.*

Compositio loci; menti obijciendum est, ut Samariae iter obambulans Christus, hoc miraculum patraverit.

SECUNDA PARS.

Considerandum, quid dicant, vel agant, &c. Uti videre est in Christi Servatoris mundi misericordia, qui visis leprosis, promptum adhibuit amuletum. *Ite & ostendite vos sacerdotibus.* Res præclara est sanè, quod se velit quis ut infirmum in conspectu statuere, ut commiseratione moveatur Dominus. Ut item confessionis mudentur Sacramento indicet peccatoribus Deus, ut coram Sacerdote compareant, & à lepra peccatorum releventur. Si item novem illi leprosi ingrati extiterint, eò quòd lepræ suæ sanitatem, quam semel fuerant adepti, non grati animi affectu adeò cognovissent; quantâ poenâ mea ingratitude est afficienda, eò quòd noscere prætermittam, quàm frequenter lepram meam Christus sanaverit, Sacerdotem mihi ostendendo. Quàm item necessaria sit nobis erga Prælatos obedientia, quandoquidem leprosi, Christo ipsos alloquente, haud sanentur, usquedum obedientiae Sacerdoti debitæ vacant.

Considerandum, quæ media hi leprosi 2. adhibuerunt, ut à lepra sua corporali sanarentur, ut & nos à spirituali lepra peccati, eosdem imitantes, releveremur. In primis

mis *occurrerunt ei* : hinc dolorem confessor, quia si leprâ continuò inficior, ideò fit, quia à Christo fugio. Quod fit quotiescumque fastidio labores, injuriæque à me haud remittuntur. Et ita contrariam Dei semitæ in ambulo, cumque à Medico fugiam, salus quoque à me retròcedit.

3. Considerandum, ut ii postquam eum vidissent, steterunt; ego quoque si Christum intuitus, huic malæ vitæ meæ terminum imponerem, ab eo utique solitâ suâ pietate conspicerer; sed ut quid prætendo; ut mei misereatur, cum viam peccatorum prosequi non desistam? Continua in me est lepra, eò quòd stare renuam, nec ulterius in peccata progredi desinam: *Elevaverunt vocem, dicentes, &c.* At ego si in lepra mea remaneam, ideò fit, quia non habeo vocem ad clamandum; quòd si clamem, solummodò pseudo-Prophetarum adinstar clamito, qui Deum suum invocabant, nec ullum iis dabat responsum. Et ita peccatores licet sine intermissione mundum invocent propter labores, ad quos eorum voluptates, quæ sunt ipsis veluti Dii, devolvère eos; non proinde tamen audiuntur, neque curantur. Etenim, quemadmodum peccatum vitam non habet, sic auribus, ac potentiâ, unde miseris se sequentibus succurrat, orbatur. Item hi leprosi, Christum præceptorem appellant, quia cupiunt obedire, scientes obedientiam omninò necessariam esse ad salutem; sed peccator quamvis JESUM ore tenens vocitet, & adoret; eum tamen in præceptorem non admittit, ejusque Discipulus fieri renuit. Crux ejus ipsi est intolerabilis, nec advertit quantò intolerabiliòr sit lepra suæ culpæ: quare omni remedio alienus est, quamdiu Christum in præceptorem accipere, ut sancta ejus præcepta in omnibus inviolatè custodiat; non decreverit.

4. Considerandum, ut hi leprosi priusquam ad Sacerdotes accessissent, sanati sunt, ad ostendendum, quòd verus poenitens, dum ad confessionem properat, sæpiùs in via præ contritione sanetur. Sed id summè dolendum est, quod adeò pauci vadant sicut isti Leprosi, quia cum tanto tempore incedunt, ut non modò in via non sanentur, sed nec ad Sacerdotis pedes devoluti, sanitati restituuntur, vel quia proximo satisfacere, aut ignoscere noluerint; aut peccatum, ejusque occasionem deserere; vel propter alias causas, quæ spirituali saluti officiant.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Si puerorum sanguinem (ò mi amantissimæ JESU) ad lepram sanandam quodam-

modo efficacem esse commemorant Medici, quantæ efficaciam futurus est tuus in circumcissione effusus cruor, in pignus Redemptionis, quæ ad peccatores restaurandos in iis etiam locis, ubi non receptus es, concedenda erat; quidni facies in animabus, quæ te quærunt, sui que ipsarum obliviscuntur, ut te inveniant? Sed hei mihi, quid agam miser, qui ex professò devior, ne tibi occurram, quasi esset locus, in quo præsentiam tuam possem effugere! Hei mihi, qui cum perversam vitam meam non emendem, cupio, ut mei curam geras: cum pro rebus mundanis stulti adinstar clamitem; nec lingua, nec anhelitus mihi sunt, ut tibi dicam: *JESU præceptor miserere mei.* Quia doctrinæ tuæ excellentiam haud capiens, jügum suave durum mihi effectum est: & ita sedem in me infixit Lepra; in tantum, ut nec oculos habeam, quibus me conspiciam; nec merear à tuis respici. Sed jam cum Samaritanam perlustres, leprosoque peccatores respicere non dedigneris, talem ego JESU præceptor, summeque Sacerdos, tui in præsentia me constituo, tuisque Sacerdotibus me exponere decerno. *Miserere mei: sana me Domine, & sanabor,* ut hic peccator laudibus te efferat, de que receptis à misericordiam manu tua beneficiis, æternas grates rependat, nec muneribus tuis ingratum se exhibeat.

MEDITATIO CXII.

Dominica decima quarta post Pentecosten.

PARS PRIMA.

Oratio præparatoria, &c.

1. Historia: *Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo servire, & mammonæ. Ideò dico vobis, ne solliciti sitis anima vestra quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca: & corpus plus quam vestimentum? Respicite volatilia caeli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater vester caelestis pascit illa. Nonne vos magis plures estis illis? Quis autem vestrum cogitans, potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? & de vestimento quid solliciti estis? Considerate Lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque metunt. Dico autem vobis: quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. Si autem fenum agri quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quantò magis vos modica fidei? Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei,*

Dei, & justitiam ejus, & hac omnia adjicientur vobis.

Intentio Ecclesiae est, nobis inter alia manifestum reddere, quantam in Domino fiduciam habere teneamur, utque duobus Dominis inter se æmulis serviri haud possit, ne claudicantes procedamus, unde Elias dixit: *Si Dominus est Deus, sequimini eum.* Quod ea petit est: Custodi, Domine quæsumus, Ecclesiam tuam propitiatione perpetuâ: & quia sine te labitur humana mortalitas, tuis semper auxiliis, & abstrahatur à noxiis, & ad salutaria dirigatur. Per Dominum nostrum.

3. Loci compositio; in memoriam revocandum est, uti Christus in monte concionaretur.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum quid dicant, &c. ut elucescat, quàm longè differenter suos excipiat Christus, ac mundus suos. Amorem, & notitiam de ejus misericordiis referam, quandoquidem omnem à suis sollicitudinem removeat, portam fiduciæ planissimè nobis aperieris. Tria item, quæ ab æterno Patre peraguntur perpendam, ut sunt pascere, vestire, & scire indigentiam nostram, ut in illis eum reverat; perficiamque, quod scriptum est: *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Item attendam, quod si Christus eos Gentiles nuncupet, qui nimiam de necessariis curam gerunt, quo nomine ii sint afficiendi, qui præ sollicitudine de superfluis moriuntur? Item ad Lilia & flores me convertam, ut fiduciam unâ cum confusione hauriam: etenim meliorem animâ meâ peccatrice reddunt frugem; nec attendere prætermittam, uti Domini sapientia, & bonitas in eis refulgeat: quia creaturæ sunt liber memoriæ beneficiorum Christi, ad teporem nostrum suscitandum, omninò admirandus.

2. Considerandum est cum dolore, quàm indigna res sit, homines reperiri, qui alteri Domino servire statuant, cum videant, quod divinum Numen de se prædicat: *Non est alius Deus præter me:* Neque eos convincere, quæ Philistæi in Arca Domini, eorum Dagon subvertente, experti sunt, neque ipsum adeò specimen, quod præ se tulit Elias, dum ignem ad sacrificium comburendum à Deo impetravit.

3. Considerandum cum pari dolore, quid Dominus dicit per Jeremiam: *Quid iniquitatis invenerunt in me patres vestri,* &c. Et per Isaiam: *Filios enutrivit, & exaltavit,* &c. Cur eum deseris, ò anima mea? Si castiget, est ad ignoscendum; si feriat, est ad sanandum: is est illius mos, ut peccata dissimulet, eorumque obliviscatur,

dummodò venia admissorum ab ipso requiratur; pro illis ipsis, qui eum occiderunt, mortuus est, ritè ergo quærit: *Quid iniquitatis invenerunt in me?*

Cum pari itidem dolore considerandum est, pro qua re illum mutent: Creatorem pro creaturâ; Dominum pro servo; Pastorem pro lupo relinquunt, & veram libertatem abjicientes, peccatorum mancipia efficiuntur; passionibusque suis dominari desinunt, ut illarum servi evadant; Angelorum cælestium imaginem pro horrida dæmonum infernalium specie despicunt. Denique per amorem unus cum Deo spiritus esse spernunt, ut unus cum Sathana spiritus efficiantur per turpitudinem culpæ.

Considerandum, quantâ poenâ ille miles plecti deberet, qui postquam ad hostiles copias transisset, & inibi cuidam cohorti adscriptus, decoctis stipendiis suis, menstruam quoque pensionem ab eo Duce, à quo defecisset, exigeret. Pari ratione, quid non supplicii Christianus mereatur, qui à Christi cohorte deficiens, Sathana stipendiis militat; & nihilominus beneficiorum Domûs Domini stipendiis gaudere contendit. Ut quid ista petere talis non erubescit? quomodo non confunditur, ac movetur, ut ad Domini castra remigret, cum præsertim, & stipendium, & Dominus longissimè prodesse possint. Hinc timorem hauriam, visis minis, quibus in tales sævitur: *Si autem dereliqueris eum, projiciet te in aeternum.*

TERTIA PARS.

Colloquium.

Quid dicet, (mi Deus) vel quid habet dicendum, qui talem Dominum reliquerit? Quò deveneram, cum mandata tuâ meâ ignorantia gravia mihi facta sunt, & præcepta dæmonis levia? Quanta hæc fuit mea stultitia, ut Domûs tuæ panem ipso mannâ suaviorem, durissimis adeò faxis, quibus me suis vinculat mundus, postposuerim? Quinimo cum tuus ego servus sanguine tuo comparatus sim, nec meus, sed tuus existam; quo jure, quâ justitiâ, ad hostes tuos deficere valueram? Quò meum devenerat judicium, cum non adverterim eo momento, quo te desererem, me perditum iri? *Perdidisti enim oculos, qui fornicantur abs te:* Nec tamen oculi mihi sunt ad videndum, nec lingua mea ad petendum; sed viso, quod pronuncias in favorem Domûs Sion; quò scilicet dum ad te convertitur, eam recipias, magnaque ipsi spondeas, dicens Isai. 60. *Indignatione meâ percussisti te, & in reconciliatione misertus sum tui.* Sed nec hoc solum, verim etiam

etiam: Pro eo quod fuisti derelicta, & odio habitata, &c. ponam te in superbiam seculorum. Idcirco illius misereare, Domine, qui peccatum suum, quod te reliquerit, cognoscit; ingratitude suam, quod tamdiu te non cognoverit; suam malitiam, quod pane tuo vescens, tuus inimicus fuerit: quare nunc statuo me nullum alium Dominum, in posterum velle suscipere. Tu es Dominus meus, & Creator: Tu Redemptor meus, & Princeps. Ad te venio, ad te clamo, te desidero, te diligo, tibi obediam, & obedire in æternum cupio, dum tecum vivam, & triumphem in seculorum secula. Amen.

Dominica decima quinta post Pentecosten, Meditationis repetitio, ut in Feria quinta post quartam Dominicam Quadragesima.

MEDITATIO CXIII.

Dominica decima sexta post Pentecosten.

PARS PRIMA.

Oratio præparatoria, &c.

1. Historia: Cum intraret JESVS in domum
2. *cujusdam principis Pharisæorum Sabbatho manducare panem, & ipsi observabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum, Et respondens JESVS dixit ad legisperitos, & Pharisæos, dicens: Si licet Sabbatho curare? At illi tacuerunt. Ipse vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit. Et respondens ad illos dixit: Cujus vestram asinus, aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die Sabbathi? Et non poterant ad hæc respondere illi. Dicebat autem & ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus ab illo; & veniens is, qui te & illum vocavit, dicat tibi: Da huic locum: & tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere. Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco: ut, cum venerit qui te invitavit, dicat tibi: Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus: quia omnis qui se exultat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.*

Quod petit Ecclesia est: Tua nos, quæsumus Domine, gratia semper & præveniat, & sequatur, ac bonis operibus jugiter præstet esse intentos. Per Dominum.

3. Compositio loci; Christus in domo Pharisæi invitatus menti objiciendus est.

SECUNDA PARS.

Considerandum, uti Christus sciscitatur

1. Pharisæos, an liceat Sabbatho curare? Et ipsi obmutescunt: jam etenim aliàs indignatus fuit Archisynagogus malè sentiens de misericordia Domini, (quando sanavit mulierem, quæ non poterat sursum respicere) Luc. 13. Sed respondente ei JESV,

omni confusione suffusus est: & omnis populus gaudebat in iis, quæ gloriosè fiebant à Christo; ideoque Pharisæi hæc tacuerunt. Illis satius foret omittere malitiam, humiliterque dicere, manum meam ponam super os meum; quia iis, quæ à Domino proferuntur, nulla possunt esse responsa; opera enim illius humanum superant intellectum.

Perpendendum; uti Pharisæi ob superbiam, suamque cupidinem, legis divinæ robur & efficaciam percipere non valent, licet foret perspicuum, quod si Sabbatho bovem, aut ovem è puteo extrahi liceret; id à fortiori in proximi commoda fieri licuisse. Unde colligitur, peccatores ob sceleratam vitam suam, veritatem capere haud posse, & hæreticos ob pervicaciam, superbiamque esse scripturarum falsos interpretes. Quisquis igitur videre desiderat, affectus suos mortificet, suumque intellectum deprimat in obsequium fidei Romanæ Ecclesiæ: tum enim de humilitate loquutus est Christus ad omnem eorum excutiendam hypochrismem, & malitiæ hydropem.

Considerandum est cum dolore, quanto cognitionis defectu laborem; quandoquidem delapsam in puteum ovem, ne vel mediâ horâ extrahere differam; & animam meam in peccatorum abyssis, diebus, & noctibus versari relinquam.

Considerandum, quàm appositè de peccatore affirmari possit, quod laboret pestilentissimâ hydrope; quoniam ardentè appetit voluptatum turbidas aquas, & quanto amplius ipsi ad bibendum porrigitur à mundo, & vanitate, tanto amplius sitit; unde dolorem excitabo, quod tales in me qualitates advertam; quinimò, quod nec per consilia, aut minas ab iis abstinèam.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Quàm luculenter per Hydropici ægritudinem indicatur, Domine, qualis ego sim, cum eadem planè spiritualiter in me experiar, quibus & ipse corporaliter vexabatur. Sed hoc doloris est, quod illius videam ægritudinem; cum tamen felicitatem ejus in obtinenda salute non admittam. Et ita animam meam in peccati puteo morari fino, ne vel id quidem pro illa faciens, quod pro fele, aut domestico cane susciperem. Quæ cæcitas major, aut miserabilior? O Domine, hunc cæcum hydropicum restaure; humilitatem à te peto: & cum asfiduus mensæ tuæ conviva sim, in eaque innumeris beneficiis pascar, infimum in hoc mundo occupare locum noscam: etenim qualiscumque super terram mihi su-

perest : tuum in omnibus ordinem observem ; cumque ordinatione tuâ perseveret dies , ne quæso , sole , aut die , creaturâ insensibili , inferior existam : & quoniam ut me è puteo mei exitii extraheres , aquas tribulationis in lectulo crucis subiisti ; tuam agnoscam misericordiam , ut mandatis tuis obediam , tuisque vestigiis semper insistam ; ut hoc pacto quod memoratus hydropicus in suo corpore adeptus est , idem ego in mea anima consequi valeam. Amen.

MEDITATIO CXIV.

Dominica decima septima post Pentecosten.

P A R S P R I M A.

1. Oratio Præparatoria , &c.

2. *Math. 22.* Historia : *Accesserunt ad JESUM Pharisæi* , &c. Quod petit Ecclesia , est : Da , quæsumus , Domine , populo tuo diabolica vitare contagia : & te solum Deum purâ mente sectari. Per Dominum nostrum , &c.

3. Compositio loci ; Christus Dominus Jerosolymis repræsentandus , uti in feria tertia post Dominicam palmarum.

S E C U N D A P A R S.

1. Considerandum , quid dicant , vel agant &c. Uti Christus dicat : Quod est primum , & maximum mandatum , diligere : &c. Ex quo dolorem , timoremque consequar , cum Deum ex toto corde prout debueram , haud à me dilectum esse advertam.

2. Considerandum , uti cum proximum diligere , bonaque in eum opera exercere debuissim , in ipsum conviciatus sim , amarumque ei , & gravem me præstiterim ; quem ut meipsum diligere tenebar. Quàm parùm insuper ad Dei similitudinem , quæ ipsi inest , attenderim , aut in illius anima Christum per gratiam inhabitare ; quo fit , ut ipsi adversatus , creatori etiam meo , ac Redemptori adversatus sim.

3. Considerandum , uti Christus Phariseos confundit , dicens : *Quid vobis videtur de Christo* , &c. Quantaque cæcitate , & miseriâ illi laborent ; quandoquidem ipsis etiam dæmonibus esse eum promissum Messiam fatentibus , verumque Dei filium , duriores , & quodammodo magis contumaces sint.

4. Quod si peccatores ita interrogentur : *Quid vobis videtur de Christo* ? Quidam obicient ejus mandatum de dimittendis injuriis esse intolerandum : Alii , ejus paupertatem , & contemptum omnem imitationem superare. Quare dolendum est mundi Redemptorem adeo parùm cognosci à mortalibus.

5. Considerandum , quid dictura sit Sponsa , si interrogetur : *Quid tibi videtur de Christo* ? Illic enim proculdubio respondebit :

Dilectus meus candidus , & rubicundus , &c. Unde confusionem hauriam , quia si pro obligatione mea diligerem , aliter omnino de mundanis rebus sentirem ; aliter amore Dei , & proximi inardescerem.

T E R T I A P A R S.

Colloquium.

Quàm parvam tui notitiam tuus populus habuit , Domine , cum aded frequenter à munificenti manu tua beneficia acciperet : sed hei mihi , quod inter illos diu , quibus suavissimum jugum tuum onerosum factum est , ipse quoque extiterim ! cæterum Angelos interroga anima mea : Quid vobis videtur de Christo ? & subjicient , omni se admiratione repleti , quod tanto amore homines sit profecutus , totque , & tanta pro iisdem peregerit , ita exclamantes : Quis est iste , qui venit de Edon ? Roga tandem ejus sanctissimam matrem : quid tibi , cælorum Regina , videtur de Christo , quem tuo purissimo ventre concepisti , dic nobis , quid tibi de eo videtur ? Quid quæritis nomen illius (dicit) quod est ineffabile ? quantò plus eum quis cognoverit , tantò minùs de ejus immensitatis explicatione sermonem miscere audebit , quia incomprehensibilis est : *Et Angeli velabant facies suas* , &c. At si quantus sit nosse desideres , ea attendas , quæ pro te fecerit , & in iis potentia ejus , ac bonitas tibi aperientur ; ut eum possis diligere in hac vita , possidereque in æternitate gloriæ. Amen.

Dominica decima octava post Pentecosten.

Meditationis repetitio.

Meditatio Paralytici in præteritis invenietur , maxime feriâ sextâ post Pentecosten , ubi D. Lucas refert idem , quod S. Mattheus.

MEDITATIO CXV.

Dominica decima nona post Pentecosten.

P R I M A P A R S.

Oratio præparatoria , &c.

1. Historia : *Simile factum est regnum calorum homini Regi , qui fecit nuptias filio suo* , &c. *Math.*

2. Quod petit Ecclesia est : Omnipotens , & misericors Deus , universa nobis adversantia propitiatus exclude , ut mente , & corpore pariter expediti , quæ tua sunt , liberis mentibus exequamur. Per Dominum nostrum , &c.

Compositio loci , & cætera inveniendæ sunt in Dominica prima Octavæ Corporis Christi , &c.

MEDITATIO CXVI.

Dominica vigesima post Pentecosten.

P R I M A P A R S.

Oratio præparatoria , &c.

1. Historia : *Erat quidam Regulus , cujus filius infirmabatur Capharnaum* , &c. *Joan.*

2. Quod

Quod petit Ecclesia est : Largire, quæsumus, Domine, fidelibus tuis indulgentiam placatus, & pacem; ut pariter ab omnibus mudentur offensis, & securâ tibi mente deserviant. Per Dominum, &c.

3. Compositio loci, sit juxta historiam.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum, ut dicit Regulus: *Domine, descende, &c. O filii hominum usquequò gravi corde, &c.* etiamnum vestro modo Dei Filium descendere cupitis? An non sufficit, quòd ad nos sustentandos delapsus sit? in præsepe descendit; postmodum ad pedes Judæ demissus est; & adhuc dicitis: *Descende?*

2. Considerandum, ô anima, quàm malè à te lex naturalis observetur, quæ dicit: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias.* Nam humilitate deprimi recusâs tanto damno proximi; & tamen Christum descendere cupis. Saltem vis, ut descendat Christus, ut proprio tuo commodo, aut appetitui conformetur: Et idè dicebant illi: *Descendat de Cruce, &c.* sic plurimi Christum descendere cupiunt, ne ipsi deprimantur, aut statu suo, vel puncto excidant.

3. Considerandum est, quod si peccator animæ suæ ægritudinem spiritualem adverteret, utque in peccato expirans, rectâ ad inferos detrudendus sit, altiùs sanè comprimeret suam libidinem, & lasciviam: sed quia corpus suum omni in lautitia videt, cogitat, quod omnia sunt in pace, & ita in perditionem delabatur.

4. Animadvertendum tamen uti justus vitæ hujus pericula, in qua nullum momentum est securum, pertimescens, roget Dominum, *ut descendat, antequam moriatur;* quasi diceret: *trahe me post te, priusquam te offendam; omniq; rei humanæ anima mea moriatur potiùs, quàm vitæ spiritualis jacturam patiatur.*

TERTIA PARS.

Colloquium.

Ampliusne ausim te ad humilitatis descensum invitare, Domine, advertens, quantopere pro me depressus sis? ego, ego deprimendus sum, ut tu in me exalteris: quod si hujus creaturæ tuæ misertus, te haud depressisses, quò devenissem jam? Quantò ampliora operatus es in hunc miserum, quàm in Limbos descendisse? Ibi enim sanctos Patres, qui tui flagrabant desiderio, tibiq; fideliter servierant, invenisti; at mihi nec obedientia, nec obsequium ullum inerat. Igitur Domini tui beneficia nosce ô anima mea: attende, quod eo momento, quo te peccati obruebat calamitas, eodem pro te in cruce meritis, tuiq; in illa misertus est Christus. Suâ te gratiâ præveniente disposuit, ut ar-

bitrii libertate veniam peteres, peccataq; tua exueres. Quamobrem convertere ad Dominum, cum omni familia tua, quæ sunt potentia tuæ animæ; uti universa Reguli hujus familia ad eum conversa est. Ut hîc obtineas plurimam gratiam, & postea pulchritudinem gloriæ. Amen.

MEDITATIO CXVII.

Dominica vigesima prima post Pentecosten.

PARS PRIMA.

Oratio præparatoria, &c.

Historia: *Assimilatum est regnum calorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis, &c.* 1.
2.
Matth.
18.

Quod Ecclesia petit, est: Familiam tuam, quæsumus Domine, continuâ pietate custodi; ut à cunctis adversitatibus, te protegente, sit libera, & in bonis actibus tuo nomini sit devota. Per Dominum, &c.

Compositio loci: revocandum in memoriam, uti postquam Christus cum Discipulis sermonem habuisset de fraterna correctione, hanc ipsis miram omninò parabolam explanavit.

SECUNDA PARS

Considerandum, quid dicant, &c. & 1. quid erit, dum Rex supremus rationem omnium cogitationum, verborum, & operum à servis suis exiget, & quomodo non solùm, quæ non justa, sed & quæ justa sunt, judicabit. Hinc timorem eliciam, videns, quàm malè ad illam rationem paratus sim, quamq; strictè à me sit exigenda.

Consideranda est Regis clementia, dum 2. servi sui miseretur, dicens: patientiam habe in me; ejusdemq; servi erga receptum beneficium ingratitude; & memor eorum, quæ mecum sunt gesta circa divina beneficia, nec ignarus quantâ ingratitude eis responderim, misericordiam peccatorum meorum cum dolore flagitabo.

Considerandum, quàm multa promittet 3. servus, dum versaretur in angustiis: omnia reddam tibi, &c. Sed postea oblitus est obligationis, cum deberet eadem proximo facere, quæ sibi ab illo fieri optaret. Et hinc confusionem hauriam, quod tam sæpe dum labore fuerim oppressus, liberaliter promiserim, multaq; proposuerim, quæ tamen nullum effectum sortita sunt.

Considerandum, quomodo hic servus 4. multatus sit, quia tanto rigore exigebat debitum. Quid de eo fiet, qui proximum in eo, quod non debet, molestat? Vel de illo, qui falso testimonio contra proximum obmurmurat? Considerabo ejus sermonem: *Suffocabo eum, &c.* Quando enim proximum infestis molestiis suffocamus,

Christum in membris suis persequimur.
De quo dolorem suscitabo, &c.

TERTIA PARS.

Colloquium.

Non intres in iudicio cum servo tuo, Domine, quia: &c. O quàm stricta futuri iudicii est ratio! quàm magna mea incuria! Si dedit pœnas, qui debitorem oppressit; quale erit meum supplicium, qui ita toties in proximos meos investus sum? O anima mea, quàm multa tibi restant fletibus, gemitibusque solvenda super iis, quæ proximis tuis facesceras? O quàm etiamnum differenter eos excipis, ac tu ab illis excipi desideras! Quid hoc est aliud, quàm defectus cognitionis? Quid est, præterquam in Dominum tuum ingratitude? Expergiscere igitur, & dic coram Majestate Dei; *Patientiam habe in me*. In manus tuas me trado Domine; recipe me; æternùm tibi serviendo, tibi complacendo quiescam. Da mihi noscere, quod si veniam peto, eandem proximis meis dare teneat; si misericordiam cupio, eadem in alios uti etiam necesse sit; & quod in hoc valdè parùm retribuam; quia tu Domine, multa mihi ignoscis; ego verò quamvis omnia dimittam, paucissima tamen dimitto, siquidem inhumanissimè à tuis creaturis excipi merear, quod tam parùm te cognoverim, tibi que servierim: quare *Fili David miserere mei, patientiam habe in me*, &c. Et concede, ut pro te pati, & mori merear. Amen.

MEDITATIO CXVIII.

Dominica vigesima secunda post Pentecosten.

PRIMA PARS.

1. Oratio præparatoria, &c.

2. *Historia: Abeuntes Pharisei consilium iniierunt, ut caperent JESUM in Sermone, &c. Quod Ecclesia petit, est: Deus Refugium nostrum, & virtus; adesto piis Ecclesia tua precibus, author ipse pietatis, & presta; ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per dominum nostrum, &c.*

3. Compositio loci; revocandus est Christus in memoriam, uti ferià tertià post Dominicam palmarum.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum, quid dicatur, vel agatur à personis, &c. Quantæ sint cæcitatibus Pharisei, qui verbis cupiunt illum capere, *qui omnia poterat verbo virtutis sua.*

2. Item ut pro gratiarum actione, quod verbum factum sit, inter se convenient, ut in sermone eum deprehendant. Sed è contra, quantum ipsimet in verbis deprehendantur: unde etiam fit illis misericordia, ut respicere possint, ni quod emandari nolint.

3. Considerandum, quàm sæpe me deceperim, reddens in mundo Cæsari, quod Dei erat; quodque Cæsaris, imo & Dei erat, mihi attribuens. De quibus confundar, propter superbiam meam, & habendi cupidinem.

4. Considerandum, uti quæ dantur Cæsari, nempe reverentia, & cultus, ipsi non dantur, quæ Cæsari est, sed quæ Cæsari Dei est; & per consequens, quæ Cæsari redduntur, redduntur propter Deum: cum enim omnia ad Deum spectent, omnia item propter Deum fieri debent. De quo dolorem suscitabo, quia scilicet omnia non direxeram ad Deum: quinimo respectus humanos habueram, ubi de Dei causâ agebatur.

5. Considerandum, uti hac ratione sinistrè omninò res cedat peccatori, quia adventante jam morte considerabit, (serò licet) imaginem suam esse bestię, & reddendum esse Sathanæ, quod Sathanæ est, tartaræque bestię, quod ejus imaginem retulerit, ejusque maculis, ac notis fuerit sigillatum.

6. Considerandum est, ei qui vestem suam alteri mutuam præbet, si fracta, ac omninò trita restituatur, sine aliquo alio munere non debite satisfieri. Attamen tanta est, tamque immensa Dei bonitas, ut sensus, & potentias, (quas nobis dedit mutuas, ut iis regnum cæleste acquireremus,) dummodo absint peccata gravia, admittat, licet undique sorduerint venialibus. De quo gratiarum actionem hauriam, considerans divinam clementiam erga miseriam peccatorum.

TERTIA PARS.

Colloquium.

O anima, nunc sufficit, quod Cæsari, & mundo dedisti, quandoquidem amplius dederis, quàm ad ipsos spectabat: hoc brevi temporis curriculo, quod tibi superest, tribue Domino, quod suum est. Væ tibi si bestię iconem portans, audias, ipsi esse reddendum, quod ad eam pertinet; Attende lacrymabunda qualiter Domino reddas, quod Domini est: per gratiam Baptismatis, formositatis & splendoris plenitudinem tibi tribuerat; sed tuus tam nitidè renatus homo, postea per peccatum in turpem, cæcum, & surdum degeneravit. O quantum tibi datum est, & quàm parùm reddidisti? Et quod est deterius veteribus nova scelera indices adjicis. Da jam Domino, quod suum est, & aufer à Cæsare, & dæmone, quæ ad eos non pertinent; quod si cum perseverantia id feceris, pulcher, & speciosus in æternitate gaudebis.

MEDITATIO CXIX.

Dominica vigesima tertia post Pentecosten.

PRIMA PARS.

1. Oratio præparatoria, &c.
2. Historia: *Loquente JESV ad turbas, ecce princeps unus accessit, & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta est, &c.*

Quod Ecclesia petit, est: Absolve, quæsumus, Domine, tuorum delicta populorum; ut à peccatorum nostrorum nexibus, quæ pro nostra fragilitate contraximus, tuâ benignitate liberemur. Per Dominum, &c.

3. Compositio loci; revocandum in memoriam, quomodo Christus Dominus separatâ turbâ suscitavit puellam.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum, quàm frequentes erant personæ, quæ ad Christum accedebant, & quod de una, quæ fluxu sanguinis vexabatur, proditum sit, sanitati fuisse restitutam; quia cum fide, humilitate, ac devotione accesserat. De quo dolorem hauriam, advertens, quàm parùm profecerim ego propter humilitatis, ac devotionis defectum.

2. Considerandum, quomodo in maximis laboribus, nobis maximè fides sit augenda: quia in illis potestas, ac bonitas Domini maximè elucescit; quapropter firmâ spe accedendum ad Deum, qui in maximis adversitatibus maximas consolationes subministrare solet, ut olim populo Israelitico contigit, qui è summis angustiis, manuque Pharaonis miraculosè liberatus est.

3. Consideranda Christi Domini patientia, quandoquidem eò loci venerit, ubi certò sciebat, fore, ut derideretur à turba; ut inde me confundam quod adeò nihil Christum imiter, toleranter ferendo, quod me irrideant mundus, & ejus mundioli.

4. Considerandum, uti ad suscitandam puellam effecit, ut recederet turba; ut inde possimus intelligere, piis ac religiosis viris plurimum officere mundanos strepitus; conducereque solitudinem, juxta illud: *Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor ejus.* Ex quo dolorem hauriam, quia mundus, & detractiones, animam meam perditum eunt; cum tamen id non sentiam.

TERTIA PARS.

Colloquium.

O anima mea; quàm tibi multa deflenda manerent, si attenderes te potiùs esse ex numero eorum, qui à Christo transfugæ ei pariebant molestiam, quàm ex illis, qui ipsum tangebant ad sanitatem. O Domine, quis te unquam tetigit cum hu-

militate, fide, & charitate, qui pro suis infirmitatibus sibi salutem, & virtutem non hausit? O anima mea, si debito eum cultu, ac veneratione tangeres, quibus jam divitiis afflueres! Vel saltem, si dum Dominus tribulationibus te tangit, cognosceres quantum ejus divinæ manus debes, quàm citò cum sponsa in hæc verba irrumperes: ego dilecto meo, & dilectus meus mihi. O Domine, concede mihi patientiam, ut eos sustinens, qui me irrident, proficiam in maximis meis laboribus: firmiorem fidem, fortitudinemque mihi adauge; à fluctuantis hujus mundi procellis me remove, ut tibi perpetuò serviam in hac vita, æternumque te possideam in tua gloria. Amen.

MEDITATIO CXX.

Dominica vigesima quarta post Pentecosten.

PARS PRIMA.

Oratio præparatoria, &c.

1. Historia: *Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta stantem in loco sancto: qui legit, intelligat. Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes, &c.*

Quod Ecclesia petit, est: *Excita, quæsumus Domine, tuorum fidelium voluntates: ut divini operis fructum propensius exequentes, pietatis tua remedia majora percipiant. Per Dominum, &c.*

3. Compositio loci; revocandus in memoriam Christus Dominus in monte Oliveti de judicio enunciatis suis discipulis.

SECUNDA PARS.

1. Considerandum, quod uti Hierosolymorum civitas, perdidit omnem suum decorem, eò quòd immanissimâ morte opprèsserit Christum; ita peccatrix anima contabescit amisso Deo. Statim enim traditur in manus hostis, qui eam diripit & evertit.

2. Considerandum, uti pro universalis judicii rigore optimum remedium conceditur mortalibus: ut fugiant ad montes, (scilicet perfectionis;) inferiora, ac terrena in spiritualia culmina commutent; relinquant occasiones peccandi, & ad solitudinis jucunditatem componantur: Unde summo incumbendum mihi dolori, quod omnia è conversò peragam, cum tot irretiar culpæ & peccatis.

Omitto cætera, quia prima, & ultima Dominica Adventus faciunt mentionem de judicio universali, ejusque terrore, ut ratum, fixumque habeamus oportere semper meminisse Dei judicii. Quia Beatus vir, qui semper est pavidus. Et cum ejus rei oblivione, ita devastetur mundus, inter vastatos vastationi meæ mihi illacrymandum est.

Tua abominatio nunc in conspectum prodiit, anima mea: quid nisi punitionem, desolationemque expectas? Quid moraris? Quare ad montes non advolas? Ne (amabo) ultra immoreris; agedum; nunquid dies vindictæ te non terret? Heu miseram te, nisi peccatis tuis illacrymans te ad Myrrhæ, pœnitentiæque montem tempe-

stivè recipis! Væ tibi, si horâ mortis frigore constrictam, siccam, & omni bonorum operum fructu destitutam te inveniat Dominus! Jam tempus est, excitandi temetipsam è peccati profundissimo somno; jam tempus est, ut inorneris gratiâ ad consequendam gloriam, quam tibi præstet noster amantissimus Deus, unus in essentia, sed trinus in personis, nempe Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Amen.

S A N C T I
F R A N C I S C I
B O R G I Æ
O P E R U M
L I B E R S E P T I M U S.

Instructio in ordine, ad bonum regimen Principis in suis Dominiis.

P R Æ L U D I U M.



1.

*V*ideris charissime in Christo ardenti flagrare desiderio, ut litteris consignem quaedam capita de modo, quem supremi Domini observare tenentur erga subditos, ut tanquam Domini hereditatis fidi administratores, de iis rectam reddant rationem. Et quantum ad primum, licet per ardua sit petitio, cum legatur in Evangelio, difficilius esse divitem ad vitam, quam camelam per foramen acus ingredi; & quoniam peccator sum, persuadeor, quod si in hanc incidissem aurifodinam non ita facile mundo valedixissem. Ideoque; sive quod plurima in eo se mihi difficultas objecerit, sive quod ob inscitiam meam periculosum mihi videretur eo de argumento disserere, proclivis fui, ut crederem fore opportunius, ut hoc ipsum ab alio intelligeres, à quo experienciâ ampliori, & majori industriâ pradito, supradictis saniora consilia adhiberentur; verùm ne quidquam devotioni tuæ, justaque ad eam petitioni subtrahere videar, utque majori suffundar rubore omnibus exponens, quam longè ab his, qua nunc profero abierim, ope divinâ favente tradam tibi, qua sese offerent, ratus id mihi pro te concessurum Dominum, quod pro me dum id tractarem haudquaquam promeritus sum. Faxit divina bonitas, ut id in exequendo, ego verò scribendo illi serviamus, Amen. Demum cum omnibus se adstrictum, ac debitorem diceret Apostolus ad Rom. 1. Eo consilio declarabo quod in textu citatur, opusque, ad majorem lucem in tres partes dividam. 22. Januarii anni 1552.

C A P U T P R I M U M.

De lumine naturali, quod in administranda Republica Philosophi consecuti sunt, & specialiter Aristoteles.

2. **A** Deo magnæ sunt tenebræ, quas in scelerum nostrorum vindictam aliqui Reipublicæ administratores patiuntur, ut non abs re fuerit aliqua leviter perstrin-

gere de iis, quæ antiqui Philosophi consecuti sunt, ad majorem illorum confusio- nem, præsertim, qui Orthodoxæ fidei lumine haud, destituti valde excellentes ad regimen virtutes adepti sunt; nam id magnæ Christianorum cedit ignominia, ob exiguum profectum quem de superna- turali lumine reportant, cum oculos magis intentos ad indulgendum oblectamen- tis, passionibusque suis, quam ad eas refræ-

nan-

mandas, habeant. Attendant igitur, qui talia agunt, animumque in se reflectant, vel ob id, quòd videant Philosophum in sua eos docere politica, nempe ei, quæ cupit esse beata, civitati virtutibus omnibus esse affluendum. Ratio est, quia uti vera beatitudo in Dei contemplatione sita est, ad quam sine virtutibus; tum speculativis, cum practicis, nulli omninò patet aditus; ita expedit cives virtutum omnium ornamentis decorari, si gloriâ beatitudinis cupiant insigniri. Hinc itaque inferemus quanta sit illusio, Rempublicam opibus diffluentem, felicibusque auspiciis fruentem, beatam dicere, si virtutes ipsi desiderentur, prout scriptum est. *Popule meus qui se beatum dicunt, ipsi se decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.*

3. Alia non minùs miranda eodem in libro traditur sententia, quæ sic habet: *Rex gubernandi regulam sumere debet à fine.* Finis enim regula, & ratio est earum rerum, quæ diriguntur ad finem; cumque in ultimo fine consistat beatitudo, suos magna cum sedulitate, ac diligentia ad veræ beatitudinis finem inducat, animetque bonus Gubernator oportet; & ob hanc ipsam causam ab omnibus iis, quæ ab hoc fine remonent, illos diligenter amoveat. Ad prædictum institutum ea sunt edocenda, quæ cum majori facilitate ad finem inducunt, inter quæ aliqua hîc referam, quæ Philosophus tradit. Primum est: multitudinem paci reddere propensam. Secundum: pacificos ad virtutis bonum dirigere. Tertium: iis, quæ ad vitæ sustentationem spectant, necessaria subministrare, & insuper tutos, atque incolumes ab omnibus hostium infestationibus custodire. Ultimium: si quis obrepserit defectus, illi promptam adhibere medelam; quia ulcus maturè haud sanatum, latè plerumque diffundi solet. Amplius addit. *Quod debet etiam amare patriam, zelare justitiam, & esse benevolus, & pius erga subditos.* Sunt enim excellentissima ad Reipublicæ conservationem media, nam si Romanos propter has causas secundas, (ut quodammodo credi potest,) in orbis universi dominium pervenisse advertimus; cum tamen à vero veritatis aberrassent scopo; quid non cum fidis, & orthodoxis gubernatoribus Deus noster non facturum est, si talia in populi sui regimine adhibeant media? Amplius adhuc subdit Philosophus. *Debet providere pauperibus de arario publico; & meritò sanè; etenim in hoc naturam imitabitur, quæ in necessario minimè deficiens, de iis quæ sibi superflua remaneat, quin ex ea hauriat pro-*

fectum. Quinimo Regni miserias Reipublicæ caput, & suorum labores sentire debet, haud secus ac pedis, manusve dolor in caput ipsum redundat. Sed his prætermissis manifestè declarat Philosophus ad bonos Gubernatores animandos, eum, qui rectè gubernat, sublimiorem beatitudinem esse adepturum, quia majori virtuti majus item præmium (si cætera sint paria) adscribetur; tum quod opus sit magis arduum, tum etiam magis universale, quinimo ad Dei similitudinem, cujus providentiâ omnia reguntur, propius accedat. Quare gratiùs ipsi futurum est; tam propter majores labores, & pericula, quæ, qui gubernant, incurrunt, quàm ob perseverantiam, & fortitudinem, quæ ad id requiruntur. Præter dicta, rectè admonet Regnum boni rectoris, in omnibus, regno tyranni validius existere; quia bonus Dominus subditorum amicitiam ultrò conciliat; & ubi amor inest, ibi & fiducia, quæ securitatem parit, levioribusque sumptibus & se, & suos tutatur; quam ob causam regnum ejus fortius est, ac durabilius; è contra verò tyranno, cum in timore regat, supradicta omnia desunt, & ita majori personæ suæ discrimine, majoribus crumenæ impensis, & cum minori securitate, & per consequens pauciori tempore gubernat. Finem tandem Politicæ suæ imponit Philosophus, dum dicit. *Regem oportet maxime ad divinum cultum intendere.* Quia omne Dominium à Deo pendet, & sicut omnia, quæ moventur à primo motore motum sortiuntur; ita planè cuicumque gubernanti, pro primo, & summo gubernatore gubernandum est, auxilium, & sapientiam ad regendum ab ipso erogando, ipsumque in omnibus circa regimen imitando. Illi enim gloria, & imperium, & gratiarum actiones, & cognitio debentur; omnia enim manu ejus velut primæ causæ, Regis Regum, & Domini dominantium gubernantur.

C A P U T I I.

De consiliis Platonis circa idem.

4. **S**Item advertimus, quæ de eadem materia senserit Plato, inveniemus ipsum dicentem: *Si rectè civitatem gubernaturus es, virtute instruendi sunt cives.* Ut itaque indicaret, quantopere illi conducatur, qui horum custos esse debet, sui quoque ipsius custodem fieri, inquit. *Nempe ridiculum est custodem indigere custode.* Etenim, væ gregi, cujus Pastor est Lupus. Quodnam gravius malum Reipublicæ ingruere potest, quàm

ab

ab illo ipso sibi esse cavendum, à quo tutamentum sperandum esset. Et ut doceret officia, atque munera iis esse tribuenda, qui illa minimè ambiunt, minusque æstimant, dicebat: *Magistratus dandi sunt hominibus Imperii minus cupidis.* Quia reverà, ambitio, desideriumque imperandi certo quodam modo defectum præ se ferunt cognitionis in eo, qui gubernator fieri cupit: quandoquidem imperium cupientes, bene indicant se nescire quid sapiat imperium. Utque Principes moneat quo pacto legi servire teneantur, non verò legem subdere, eâ abutendo, vel illam ad nutum, propriaque commoda, vindictas, aut tyrannidem convertendo: addit magnum bonum inesse illi civitati; *ubi lex servientibus Magistratibus dominatur.* Etenim lex non imposita est, ut malè eâ Domini uterentur, verùm ut ipsimet illi fervirent eam servantes, & servari curantes ad Reipublicæ pacem, & tranquillitatem. Utque intelligant, qui regunt sibi oculatissimè esse procedendum; ait. *Duas artes, aut studia diligenter exercere humana natura non potest.* Unde si alteri officio, muneri, vel occupationi multum intentus sit Gubernator, multis in rebus regimini deficere necesse est; quia duæ artes cum debita diligentia neutiquam valent exerceri, si præsertim earum una sit gubernatio, quæ tanti est momenti, ut de illa proferatur: *Hominem regere ars artium est, & disciplina disciplinarum.* Qui igitur illam in accessorium assumit, quid (amabo) facere queat, & quid à tali Pastore nisi totale gregis exitium possit sperari?

C A P U T I I I.

De aliis aliorum Philosophorum consiliis super iisdem.

5. **Q**uid de Socratis exhortatione proferam, quæ sola in hoc negotio ad Gubernatoribus lumen tribuendum sufficit? Quia inter alia dicit: *Qui multam habet potestatem rerum, primum purgare conscientiam debet, utque delicta corrigat, ea non admittat. Stultum est enim ut velit quis imperare, cum sibi ipsi non imperet.* O si hæc verba debitâ ponderatione pensarentur, quantum fructum Gubernatores inde haurirent! quandoquidem, quæ primariò intendit Socrates, ad conscientiam munditiam dirigantur; malè enim sordibus conspurcatus aliis emundandis elaborat, qui itidem vitiis manet irretitus, haud bene ea suscipit extirpanda: non denique aliis regendis prudenter præficitur, qui proprias passiones sui ipsius rectores agnoscit. Nemo cæteros sibi

subdere intendat, quin & ipse domesticas sibi subderit inclinationes, quemadmodum id à Seneca edocemur; *Si vis omnia tibi subdicere, te subdice rationi; si te ratio rexerit, ab illa disces quid, & quemadmodum Reges aggredi debes.* Illa enim polus est, & magnes eorum, qui feliciter, & faustè regere desiderant. Sicut enim foret ridiculum, delirantem Navarchum, vel phræneticâ passione, aut stultitiâ raptum, aut certè gravi mentis stupore hebetatum conciere; sic planè magnæ vertitur dementia, quempiam ad gubernationis fastigium promovere, aut seipsum ad gubernandum offerre, si phræneticus extra se rapiatur; qualis ille est, qui sese rationi non subicit. Væ navi illi, quæ talis Navarchi regimini creditur! Væ corpori, quod tali capiti subjacet! quia, ut insuper dicit Seneca: *Ut in corporibus, sic in imperio gravissimus est morbus, qui à capite diffunditur.* Et quoniam de Cicrone, (cujus sententiæ planè sunt memorandæ,) aliquid non proferre, à ratione alienum videretur; inter alias unam, quæ erat in votis perstringam. *Optandum enim, (inquit,) est, ut hi, qui præsumunt Reipublica, similes sint, qui ad puniendum non iracundiâ, sed aequitate ducuntur.* Quia ratum in mente teneo, illorum unum; quod subditos ab obedientia subtrahit, vel saltem ab ea discendendi fomitem excitat, propriam esse passionem, quâ ipsi superiores inter imperandum ducuntur. Hujus nobis sit argumentum obedientia, quâ inviolabiliter sanctis parebatur, quia nempe magna cum humilitate, & affectu, obediendi magis animo, quàm imperandi, regebant. Itaque, qui cæteros ad nutum suum obedientes effingere nititur, is prius omnem iræ, & superbiæ tumorem à sese avellat; ista quidem alio in loco nobis suadet Tullius, subdens: *Rectè præcipere videtur, qui monet, ut quantum superiores simus, tanto submissius nos geramus.* Nam quidquid superbiam redolet, id ipsum aliqua ex parte sapit & feritatem; & idèd. *Nihil, quod crudele, utile.* E converso, quidquid humilitatem, sanctitatemque cum intimo pietatis affectu redolet, id nobis perutile censendum est; proximos ædificat, ipsique Deo redditur gratissimum; quemadmodum idem Tullius nobis proponit: *Deos placatos pietas efficit, atque sanctitas.* Si quis itaque Deum placatum habere desideret, illi incumbendum est ut cæteros de se reddat per sanctitatem contentos. Si Deum erga se singulariter pium experiri cupiat, in suos item pietatis amore ducatur ipse. Si velit ut sanctè secum Deus operetur, secundum quod scriptum est: *Cum sancto sanctus eris; Sit & ipse sanctitatis cultor; illam*

illam cordi insculptam gerat; in oculos suos proximi commiseratione, & in nervos misericordiae opere, eandem instillet; & eo modo, *Deum placatum pietas efficiet, atque sanctitas.* Et cum id sufficiens pro eis, qui proficere cupiunt, futurum esse opiner, nihil amplius de lumine naturali addendum puto, quandoquidem horum Philosophorum exemplis nostra confusio ad cumulum eliciatur, attentione adhibita ad ea, quae illi dicebant, & faciebant, & similiter ad ea, quae nos dicimus, & operamur.

C A P U T I V.

De regulis & praeceptis, quae à Divo Augustino Reipublica Gubernatoribus traduntur.

6. **S**I de Philosophis per quaedam Doctrinae lumine naturali acquisitae praecepta fructum referre possumus, quantum is excellentior futurus est, quem sanctorum Doctorum eruditione consequemur, utpote qui non modò hoc à natura indito lumine, sed & supernaturali divinitus imbuti sint, & qui hac de causa longè excellentiores extiterunt, quia gratia perfecit naturam? Sic nobis attentè considerantibus fiet perspicuum, eò majori claritate, atque excellentiâ eos fuisse praeditos, quantum ad infallibile Dei, ac Domini nostri lumen propius accessere. Et cum inter sanctos illius, gloriosus Augustinus haud modicè refulgeat; quas de Gubernatore habet considerationes, hîc & ego referam; tanti enim sunt ponderis, ut ipsae solae sufficerent ad bonum Gubernatorem constituendum, si modò secundum illas regeretur; quarum prima sic se habet: *Neminem debet, (nempe Rex,) injustè per potentiam opprimere.* Non enim pro insontibus, sed sceleratis viris gestatur gladius; & quoniam certâ quâdam ratione vices gerit supremi Regis caeli, & terrae Conditoris, è cujus manu omne pendet imperium (*non enim est potestas nisi à Deo;* ut ait Apostolus) multum interest ad illum, cujus vices gerit, oculos convertere, ut pro viribus illi conformetur. Sicut in Deo nostro non est acceptatio personarum, eadem & ipsi lex observanda est; *sine acceptatione personarum inter virum, & proximum suum judicando.* Non in hoc solum eum, cujus est minister, imitari conabitur; sed & exterorum etiam sese praebendo defensorum, viduarumque & pupillarum causis patrocinando. His enim adeò benignum se exhibet Dominus, ut dicat: *Judicate egeno, & pupillo, & venite, & arguite;* quasi diceret, in hac re potissimum (inter om-

nes quibus tenemini) mihi satisfacere, & complacere debetis. Praeterea attendat ad Religionem, & summam justitiam, & noscat unicuique quod suum est esse tribuendum; & huic rei quàm maxime intentus, cohibendis, atque amovendis à Republica furtis invigilabit, ut unusquisque quod suum est possideat, nec quisquam detrimentum patiatur. Et cum in sacris Paginis legamus Heli ob nimiam indulgentiam erga filios graviter à Deo fuisse punitum, opus est bonum Pastorem invigilare, ut scelerum vindicem severum sese praebat, quandoquidem in lege veteri adulterum, adulteramque capitaliter plecti à Deo imperatum videamus: monitum enim accepit populus, ut omnem fornicationem, adulteriumque à se removerent; hoc enim non parùm proderat ut non perirent, nec destruerentur, ut patet ex sequentibus: *Ne fortè spoliem eam, & statuam secundum diem nativitatis suae, & ponam eam quasi solitudinem, & statuam eam quasi terram invidiam, & interficiam eam siti.* Verba sunt ista omni Gubernatori pertimescenda, si in castigando incurius habeatur; nec quidquam remissiùs populo significant, si in delinquendo relaxetur. Caveat etiam Rex, ne sit inter illos, qui iniquos exaltant; enimverò tales potiùs abhorrescebat David dum diceret: *Iniquos odio habui.* Et: *Perfecto odio oderam illos.* Magnâ siquidem mortales ad peccandum feruntur audaciâ, dum iis faveri, qui puniri debuerant, conspiciunt; quapropter Histrones, & id genus scurræ non modò non sunt educandi, si praesertim murmuratores sint, & inhonesti; verum etiam à rebus publicis velut una Pestium, quae in illis grassantur, in exilium procul relegandi; etenim oblectamentum, quod secum impensas crumenæ, & animæ damnum invehit, amaritudo potiùs quàm oblectamentum potest nuncupari, & ita mirandum est aliquos ejusdem farinae hominibus victum exhibere, quasi Reipublicae deessent pauperes, aut Religiosi, quibus sumptus utiliter impendi possent? Cæterum quo pacto hac de pecuniæ summa rationem Deo reddent, cum inordinatè admodum, & inutiliter decocta sit? Quid Gubernatori illi Dominus dicturus est, qui pecuniam suam tam malè insumperit? Quare longè profectò magis ipsi expediret eam impendere, ut scelerati de regno ejicerentur, quàm ferre, ut Parricidæ, falsarii, & pejerantes blasphemi illud habitarent. Sensualium igitur loco oblectamentorum unum sit decus Ecclesiarum defensio; quia hodiernâ die res est summè deploranda, quod nempe cum Magnatibus honor exhibeatur,

ut Ecclesiarum tutores existant, & Patroni; istius obliti muneris, illarum impugnatores efficiantur; & inde honorem sibi tribuant; res est violenta; quia sublatâ causâ, tollitur effectus, & si honor propter Ecclesiae tutamentum tribuitur, sublato tutamento honor itidem tollatur, necesse est; itaque vix illis, si suæ non intendant emendationi! Cùm enim in hoc seculo honorum obtinuerint fastigium, laborum depressionem humiliati, atque contempti in alio patientur. Quod si suas pecunias impendere cupiant, eas impendant *pauperes elemosynis alendo*: quia tandem hoc modo Dominorum redimentur peccata; ratio enim per poenitentiam illa redimere consuetum ipsis est. Bonos etiam, & justos, super negotia constitui oportet; etenim in talibus magis confidit populus, & Gubernator securior existit. In iis, quæ tractanda sunt, sint consilarii ejus sapientes, senes, atque sobrii; malè enim cæteris consulent, qui talibus virtutibus spoliantur; *quia nemo dat, quod non habet*. Magos item, Pythonissas, & Ariolos tollat; quidquid enim vel dicunt, vel operantur mera est vanitas; magnasque olim ob talia scelera poenas inflixit Deus. Incumbat insuper, ut iracundiam suam differat, eamque differendi terminus usurpetur: quia temporis spatio tepescit passio, faciliè postea ratio subsequitur, & eâ dominante perdifficile; eò quòd intellectus sit cæcus, & passione ruat voluntas; ea propter implacatâ irâ nulla sententia, cui passio non immixta sit, proferri potest. Quòd si eam aliquis affectaverit, illa pro salute patriæ tuenda in hostes fortiter, justeque feratur; ad hoc enim utilitatis suos redditus elargietur; non verò ut propriæ voluntati inserviat. Itaque super omnia, quæ dicta sunt, *debet per omnia in Deo considerare*. Non enim aliud est, in quo sit confidendum, cùm de hominis fiducia scriptum sit: *Maledictus homo qui confidit in homine*. Et de Principum fiducia in Psalmis traditur: *Nolite considerare in Principibus, neque in filiis hominum, in quibus non est salus*. Sed de sola fiducia Dei proditur, quod, qui in eo confidit, *non morietur in aeternum*; quia quantum amplius in illo confidimus, tantò majorem de nobis ipsis diffidentiam referimus, cumque id nobis tam conveniens, & frugiferum sit, quàm damnosum aliquam de nobis habere æstimationem, animumque in secundis attollere; expedit ut illos inter qui vanitati fidunt, minimè adnumeremur. Enimverò ut stultus ille est, qui quod in quodam præludio, aut comœdia Regis egerit personam, vanus inde admodum remanet; sic planè indignum est de hujus vite

prosperitate gloriari, cùm tam citò transeat, sitque tam breve exhibitum præludium; undè longè melius est non assuefieri his rebus, quidam inducendus animus ad *toleranda patienter omnia adversa*. Istud facilem suggeret notitiam eorum, quæ peccatis nostris meriti sumus; & quantum Deo adstricti maneamus, obillius misericordias, quibus disponendi sumus, ut Orthodoxæ fidei incrementum in nobis vivaciter experiamur, sine qua impossibile est placere Deo, & cujus favore *Sancti vicerunt Regna, & operati sunt justitiam, &c.* Et licet omni ævò id maximè necessarium fuerit, quo tamen nunc vitam ducimus, tantò major est necessitas; quantum majus instat periculum. Quamobrem prona Orthodoxæ religioni obedientia, præceptis ejus reverentia, & fidelitas in illos, qui eam tegunt magis nunc debentur, & Deo accepta sunt. Sed quia non solum de iis qui foris sunt, sed etiam de Domesticis curam gerere debet bonus Gubernator, attendat, *& ne sinat filios suos impie agere*. Cùm enim bonis eos præceptis imbuere teneatur, si quod delictum illius incuriâ admiserint, id omne oneri ejus subjicietur. *Nam qui curam suorum non habet & maxime Domesticorum, is infidelis est, & infideli deterior*. Licet omne supradictum sit perutile, non minus est notanda penultima ista regula, in qua docet divus Augustinus; *quòd certis horis orationi insisti debeat*; quia reverà, oportet *orare, & non deficere*; & eò ferventiùs, quò quis divino amplius eget auxilio. Si Moysen respiciamus, eum totum orationi intentum inveniemus: Idem Josue, & excellentes alii Gubernatores faciebant. Tandem sanctus hic Doctor concludit suadens, ne edatur, nec cibus nisi solitis, & congruis ad refecionem horis prægustetur. Etenim si in omnibus laudatur sobrietas, longè maxime in Gubernatoribus laudanda est, quorum intellectus majorem ad dirigendum, ac providendum dispositionem requirunt. Unde cum potissimum esu, & potu potentia quodammodo inhabiles reddantur, ut in debita dispositione permanant, summè ipsis de sobrietate curandum est; & ut non modò pro se, sed pro aliis vivant, se non Republicæ Dominos, sed servos esse existiment; quandoquidem ad illi serviendum, aliosque regendum, gaudia sua, epulas, oblectamenta, & delicias seponere teneantur. Quia fortè quis erit, qui hæc divi Augustini præcepta videre gaudebit, hic ex originali fonte deprompta dilucidè explanantur, ut videri possint, utpotè digna quæ sæpiùs legantur, memoriterque teneantur. „ Nemina

„nem injustè per potentiam debet Prin-
 „ceps opprimere : sine acceptatione per-
 „sonarum inter virum, & proximum suum
 „judicare : Advenis, & pupillis, & vi-
 „duis defensor esse : furta cohibere : Adul-
 „teria punire. Iniquos non exaltare : Im-
 „pudicos, & Histrones non munire : Im-
 „pios de terra perdere : Parricidas, &
 „pejerantes refrænare : Ecclesias defende-
 „re : Pauperes eleëmofynis alere : justos
 „super negotia constituere : senes, & fá-
 „pientes, & sobrios consiliarios habere :
 „Magorum, & Ariolorum, & Pytonissa-
 „rum superstitionibus non intendere : ira-
 „cundiam suam differre : Patriam strenuè,
 „& justè contra adversarios defendere :
 „per omnia Deo confidere : prosperitati-)
 „bus non superbiùs levare animum : cun-
 „cta adversantia patienter tolerare : fi-
 „dem Catholicè in Deum habere : filios
 „suos non sinere impia agere : certis ho-
 „ris orationibus insistere : antè horas con-
 „gruas non gustare cibum.

C A P U T V.

Depromptum ex doctrina Divi Thomæ circa eadem.

7. **L**icet supradicta in præcedenti Capitu-
 lo sufficient, quod à divo Augustino
 oriantur, in iisque substantiam illorum,
 quæ intenduntur, resumpserit. Attamen
 cum voluntates inter se discrepent, ali-
 quid de his, quæ Doctor Angelicus divus
 Thomas scripto tradidit, succinctè perstrin-
 gam : reliqua ad tractatum de regimine
 Principum remittens, quem Principes, &
 Gubernatores sibi assumere possunt, ut spe-
 culum, in quo sese conspicientes, se pro-
 pter ea, quæ deesse sibi vident, confun-
 dant, Dominoque benedicant, si quid bo-
 ni ad gubernandum in se nanciscantur.
 Ait igitur sic sanctus Doctor : *Ad unitatem
 Civitatis requiritur quadruplex unitas, scilicet
 ductoris, legis, insignium, & finis*; suntque
 ista adeò necessaria, ut quantumvis sincerâ
 intentione, (quæ finis est,) Guberna-
 tor procedat; si legum tamen postponat
 scientiam, desitque prudentia, & indu-
 stria, quibus insigniorum, præcipuorum-
 que Reipublicæ animos sibi conciliet, im-
 pendentis periculo, ac necessitati semper
 subiacebit. Et aliunde magnâ licet polleat
 industriâ, legumque peritissimus existat, si
 bonus finis, & intentio ipsi desint, & vero
 in Rempublicam zelo non feratur, ipsi pã-
 rum profutura sunt. Ideoque si quatuor
 ista inter se minimè jungantur, & an-
 nectantur, plebi sine dubio detrimento

erit Gubernator. Aliud etiam nec minus
 fructiferum est; Principem scilicet, tribus
 rebus informari oportere; in iisque, (si
 modò bene regere cupiat,) non medio-
 criter esse versatum; hoc est, *in veritate,
 & humilitate, & correctione*. Magnâ sem-
 per veritate coram Deo suo procedet, om-
 nia agendo tanquam in divina illius præ-
 sentia; summam humilitatem profitebitur,
 propriam debilitatem agnoscens; & uti
 aliorum curæ proficit, qui sibi met regen-
 do vix sufficiat. Subditorum item, corre-
 ctioni invigilabit, ad quam non infrequen-
 ter tenetur, nempe ad vitia in dominio suo
 protinùs cohibenda. Ut denique sanctus
 hic Doctor indicet, quomodo qui regunt,
 aliis debent imperare, & aliunde aliis
 subijci, dicit; *Quod Reges debent subijci Sa-
 cerdotibus, sicut mos fuit etiam apud antiquos
 Romanos*. Et ut de cultu divino magnopere
 solliciti sint, illis in exemplum statuit; *Quod
 omnes Reges solliciti ad reverentiam Dei habue-
 runt felicem exitum; qui autem eum neglexe-
 runt, fuerunt infelices*. Perfufficiens est
 exemplum istud, ut divini cultus res seridò
 suscipiatur; nec per id intelligendum huic
 muneri solâ auditione rei sacræ, musico-
 rumque concentuum modulatione, &
 cæteris hujusmodi satisfieri; id enim licet
 bonum sit, cælisque gratum; verumtam-
 en puritate vitæ præterea Deo placean-
 dum ad obtinendam æternitatis coro-
 nam.

C A P U T VI.

De iis, quæ alii Doctores Sancti de hoc ipso tractavere.

Magni momenti res est hoc nego- 8.
 tium ab iis percipere, qui non
 modò speculativâ, verum etiam practicâ
 scientiâ illud norunt, quos inter cum di-
 vus Gregorius refulgeat, non abs re erit
 illius consulere opinionem, utpote qui
 rem totam apprimè callet. Hæc itaque
 dicit: *Quod summus locus bene regitur, cum
 is, qui supra est, vitiis potius, quam fratribus
 dominatur*. Pro certo habetur, subditis im-
 perare esse arduum: at vitiis propriis do-
 minari perdifficile. Nec dubium est, il-
 lum, qui vitiis subjugandis exercitatus
 est (cum ea fortiores, pertinaciores, ac
 magis periculosi hostes existant) longè
 faciliùs cæteros inimicos esse debellatu-
 rum, qui minoris, leviorisque sunt mo-
 menti, ut fatentur experti: plus etenim
 vitio expugnando, illoque subigendo,
 quàm debellandæ civitati immorandum
 est: nam in illo vitæ humanæ curricu-
 lum

lum conteri solet; hæc verò etiam sine expugnatione vinci contingit. Isidori doctrinâ finire volo, cum ea quæ his nostris præceptis inferatur, dignissima videatur. Ita dicit: Reges à rectè regendo vocati sunt, ideoque rectè faciendo regni nomen tenetur; peccando amittitur. O si hoc seriò pensaretur, quantæ hominibus essent sollicitudines, ne Christiani tituli, nominis, atque adeò statûs jacturam paterentur! & quàm diligenter excubarent, ne per animarum suarum portas peccatum sese insinuaret; quemadmodum omni sedulitate provideri solet, ut civitatis materiales portæ claudantur, ne fortè per eas irrumpant inimici! O quàm decepti vivunt aliqui! O si scirent quod, cum sint peccatores, sint & Reges: sed per peccatum in servos degenerantes, & quidem servos vilissimos illius mancipii, qui non secùs quàm è cælesti Principe in infernalem per peccatum conversus est; & per hoc idem efficit, ut Reges fiant mancipia, & de Gubernatoribus in subditos, de liberis in captivos commutentur. Magis igitur tales sibi à peccato caveant, quàm à quacunque alia re. Hoc enim est, quo regni nomen unà cum anima, & vita amittitur. Et cum rem solummodo commovere intendam, ad ulteriora progredior.

C A P U T V I I.

De iis, quæ à Scriptura Sacra de iisdem educuntur.

9. **S**I de Philosophorum naturali lumine, & supernaturali, quod sanctis divinitus est infusum tantus profectus emanet; quid de infallibili sacræ Scripturæ lumine futurum est, à qua quidquid sancti capiunt pendet? Vel ut melius dicatur; in tantum verum lumen cæterorum est, quanto majori istius participatione refulserit, ut eleganter in quadam ad sanctum Hieronymum Epistola divus Augustinus tradit, ubi ait. *Solis enim scripturarum libris, qui Canonici appellantur, didici hunc honorem deferre, ut nullum Auctorem earum in scribendo errasse aliquid firmissimè credam: alias autem ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque præpollent, non idèo aequè putem, quod ipsi ita senserunt, vel scripserunt.* Si igitur impossibile sit quidquam errati in eo inveniri, quod hi libri sacri nobis tradunt, ex iisdem nunc ad interrogatum respondere intendendo. Scilicet de ratione quâ Gubernator, vel Toparcha valeat salvari? & dico institutum, & præoptatum finem illum consecuturum, si sapientiâ divinâ duce gu-

bernet; illâ verò ei deficiente, sibi, suisque regendis defuturum: etenim in veritatum infallibilium libro scriptis traditum est, illâ mediante Reges regnare, ac Dominos gubernare; & illâ favente bonos Gubernatores esse salvandos. Tantum interest eam, in anima possidere, ut de illa dicatur: *Sapientiam qui abjicit, infelix est.* Anima enim, cui non immoratur tristis est, & miseranda. *Qui enim tenuerint eam, vitam hereditabunt; & quò introibit, benedicet Deus.* Sed illud dolendum est, quod cum maximum sit, de quo in hac vita agitur, negotium; cumque ea res sit, ad quam maxima cura rectoribus esset adhibenda; illam quasi adventitiam reputant, & nullam de eorum gerunt. Unde igitur id emergit, nisi quod se sapientes malè autement, nulliusque aliùs rei indigere posse arbitrentur? Ad quos hæc dici possunt: *Va qui prudentes estis in oculis vestris.* Nulla enim in re ignorantia nostra magis proditur, quàm cum illam non noscimus. Hi divinam sapientiam in animis suis non habent, quandoquidem illam non quærant. Quod si illam non quærant, illius se desiderio haud teneri præbent indicium; quod si eam non desiderant, signum est, ab illis non cognosci; quod si eam non noscant, signum est non amari; si verò illam non ament, signum itidem est, eos ab eadem sapientia haud diligi, quæ dicit: *Ego diligentes me diligo:* Et si ab illa non diligantur, nec illam quoque diligunt. Væ illis! quid enim proderit *totum mundum lucrifacere, si in Gehennam mittere semetipsum non dubitant.*

C A P U T V I I I.

Quid agendum sit ad divinam sapientiam animis nostris acquirendam.

NUnc aliquis sciscitari posset: cum tantum in hoc pendeat momentum, quâ ratione divinam sapientiam invenire valeamus? O si sincerâ veritate, qui id sciscitantur, illud dicerent; non quidem illorum foret animus, in ejus cognitionem venire, ut illius statim obliviscerentur! qui humiliter eam desiderant, facile eamveniunt: qui vivâ fide eam petent à Deo, obtinebunt illam. Etenim, sapiens Salomon, qui illam invenit, eam summis exoptavit votis: *Optavi, & datus est mihi sensus.* Illam desideravit, & ipsi concessa est. Attende quantâ facilitate inveniatur, quantâque parvo pretio vaneat: quod si hujus rationem indagaveris, est: *Quia præoccupat, qui eam concupiscunt, ut illis se*

se prior ostendat. Quid igitur amplius desideratis, ut ei investigandæ promptam detis operam, quàm quod constet, illam tam citò inveniri? Aut quo validiori argumento demonstrari potest à paucissimis perquiri, quàm cum ipsa sese palam objiciat, à tam paucis tamen inveniri? O quàm dolendum est hominum cæcitatem intueri! & videre quantis impensis, & laboribus, tenebras, molestias, amaritudines, ipsumque adedò infernum investigent! Utque quærere prætermittant, quod ipsis tam appositè convenit, tamque faciliè invenitur, ut ipsemet, qui illam tenebat, tradidit, dicens: *Qui de luce vigilaverit ad eam non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inveniet: cogitare ergo de illa sensus est confirmatus, & qui vigilaverit propter illam citò securus erit.* O quàm evidens indicium illam non prægustasse plurimos mortales, quandoquidem adedò pauci illius vestigiis insistant! O si eam gustarent, quantò præstantiorem Regnis suis, atque Dominiis illam judicarent! vel certè hoc dicat Sapiens: *Veni in me spiritus sapientia, & præposui eam requis, & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius.* Nec miror quod tantis eam efferat laudibus, tanti que illam faciat, quia subdit; neminem diligi à Deo nisi eum, qui cum sapientia inhabitat. Ratum igitur, fixumque sit hanc sapientiam, quæ una nobis est perquirenda, ab optantibus, atque flagitantibus esse inveniendam.

C A P U T I X.

De verbis, quibus divina sapientia est petenda.

11. **C**UM aliqui sint, qui regulis generalibus haud contenti, alias in omnibus singulares velint; non solum divinam sapientiam petendam esse dicimus, verum etiam de forma, & verbis; quibus petenda est, hinc tractabimus. Et quoniam perfecto Medico consuetum est illa pharmaca applicare, quibus brevi integram expertus est restitui sanitatem; nos quoque illa, quibus Salomon sapientiam flagitabat, & tam brevi invenerat, verba applicaturi sumus, ut iisdem verbis iterum, iterumque repetitis à nobis flagitetur ad illius quoad hoc imitationem: *Mitte illam de calis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tua, ut mecum sit, & mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te; scit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis sobriè, & custodiet me in sua potentia; & erunt accepta opera mea, & disponam populum tuum justè.* Tantæ sunt virtutis, & efficaciam divinæ sapientiæ effectus, ut citra illos nihil dicendum supersit:

hoc solum restat, ut Dominus oretur, ut omnibus populi sui rectoribus quietem in illa concedat, ut illam desiderent, & quærant; quærentes inveniant; invenièntes possideant; & possidentes in ea delectentur; & eâ delectati laudent Deum, qui effecit, ut illam desiderarent, & quærerent, rationemque apposuit, ut eam invenirent, ut per eam in gloria æterna gaudere mereantur.

C A P U T X.

De exemplo, & modulo Davidis in regimine; & damno, quod resultat, quando ducitur gubernatio quieti, cum tantus in ea sit labor.

QUibus magnæ perfectionis imago delineanda est, prototypum excellentis, & perfectæ speciei perquirere solent, ut illo institutum suum perfectius consequantur. Mihi huic prototypo perquirendo insudanti nullum magis perfectum occurrit, quàm David Rex, qui adedò subtili, elegantique decore est delineatus, ut ipse Deus de eo dixerit: *Inveni hominem secundum cor meum: Quod si ipse ad Divinæ voluntatis nutum sit delineatus, qui hoc exemplar sequi cupiunt, illius vestigiis citra omne periculum poterunt inhærere, & exoptatam perfectionem faciliè consequentur.* Quod mihi primum occurrit circa hoc vobis exponendum est, quis esset David, dum gregem pasceret; qualis autem in Saülis Domo esse cœperit advertemus, dum Pastorem ageret tantis viribus, tantaque animi fortitudine valuisse, ut Ursùm, & Leonem interficeret: è contra in Saülis ædibus, curis, metu, & periculis plenum fuisse. Ille, qui leonem neci dabat, fugitivus inter imperia aberrare coactus est. Ut hinc colligamus quanta pericula, & labores sub quietis, & tranquillitatis specie Regna, & Domina secum invehant; tranquillam enim, omni que labore alienam vitam ducebat David cum esset Pastor; postquam verò in Regem unctus est; statim metus, curæ, & angustiam illi subortæ sunt. Quare non est mirandum, si illi decipiantur, qui ex regiminibus, & dominiis quietem, & tranquillitatem sperant; quemadmodum & ille sibi imponeret, qui ex aquis maritimis, cum salcæ sint, dulces intenderet exhaurire. Pro certo habeatur quod qui in hac vita luxum, & quietem regendo quærirat, laborem in alia sit reperturus, ni respiscat, qui verò hic cum gratia, & labore rexerit, perfectâ ibi quiete potietur.

*Quo pacto cum vitiis, & peccatis sit dimi-
candum Regi?*

13. **U**Num inter præclara, & memoranda facinora, quæ David postquam unctus est in Regem præbuit, fuit singulare illud certamen, in quo de Gigante Goliath, à quo populus Israëliticus angustiis premebatur, gloriosam victoriam reportavit; ut statueret exemplum omnibus Regibus, Principibus, ac Dominis, Chrisma Domini, ejusque gratiam in vanum non esse suscipienda; neque inde tribui ut homines in regnis, & dominiis lautius sibi indulgeant, sed ut magnâ animi fortitudine, ac diligentia decertent contra Goliath, qui interpretatur revolutio, & per quem Dæmon rectè potest intelligi, qui mundum suscipit, & de quo vertit. Is itaque superbus Gigas ab illo est superandus, qui Davidis susceperit imitationem; cum hoc in campum progredi debet seipsum persequendo, & membra propria, quæ peccaverunt, macerando, quousque peccatum è terra exterminetur; tunc enim capite truncatus manebit maximus tyrannus, cum peccata publica à mundo exulaverint. Sed res una summi momenti attendenda est, quod scilicet David cum armis Saülis contra Gigantem pugnare noluerit, sed assumptis quinque lapidibus in campum progressus sit, victoriamque non suis viribus, sed gladio, sed dei favore reportavit: *Non in arcu meo (inquit,) sperabo, nec gladius meus salvabit me;* & progressus ad pugnam dicebat: *Tu venis ad me cum gladio, hasta, & Clypeo, ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum Dei agminum Israël.* Ut omnibus Regibus, & Gubernatoribus exemplo esset, non solum in decertando, verum etiam modum, & formam in certamine observandam edocuit: neque dubium est illum parum profecturum, qui propriis armis tantummodo Dæmon superare innititur. At si Christum elegerit, qui verus est lapis; & quinque lapides, quæ sunt quinque vulnera ejus, assumpserit, primo lapidis jactu hostem humi prostraturus est, populumque Israël opprobrio, & confusione liberaturus. Res est sanè acutissimo sensu digna, quod Domini, ac Principes egrè admodum ferant, quod suæ auctoritati, vel tantillum derogetur, cum tam parum iidem sentiant, dum Dei honori, & gloriæ detrahitur. O pulvis, & cinis! Numquid non vides quantum te amplius, quam Deum tuum sic diligas? Si enim eum plus diligeres, magis etiam,

quæ ad illum spectant, sentires: sed cum te solum tuo amore prosequaris, ferre non vales, ut in tua Provincia quidquam mali de te proferatur: & licet multi in illa sint, qui ore blasphemus in Deum debacchantur, dissimulatione eos prætermittis; vel saltem cum non dissimules, lentam adhibes medelam; aut proclivo ad ignoscendum ducis animo; indeque fit, ut blasphemorum numerus adaugeatur. O quam longè aliter illum excipis, qui tibi, licet occultè, & in veritate detrahit! Ne igitur hoc fiat, sed omnes Davidis Regis exemplo moveantur, qui ad campum progreditur non proprio commodo, sed solâ Dei gloriâ ductus, ad cujus nomen victoriæ palmam reportat; quæ omnia perpetravit, ne Philistæi super populum Israël obtinerent imperium. Qui itaque ista non egerit, David Regem non imitabitur. Sed quid dicemus de illis Dominis, qui non modò adversus Goliath non pugnant, quinimo eum in patriam suscitant, & inducunt, ut in Israël absolutum habeat imperium? O perfidia nulli æquanda! quis hoc proferre audeat, nisi viderit? Vel potius quis licet viderit, illud ausit dicere? Quid ergo aliud est lutores, & sceneratores, blasphemiarum, & sensualitatis parentes in regnum convocare, præterquam Philistæos conducere, ut Israëlitarum pretioso Christi cruore redempti ipsis tradantur? Quid amabo est festivitatum vanitatibus semetipsos mancipari, quid conviviorum excessibus ingurgitari, quid mundanæ gloriæ cupiditate duci, nisi Philistæo turpiter se dedere, & efficere ut subditi, regni que filii omnimodam ei præstent obedientiam, fidemque publicam polliceantur? O quam benè indicant parvi sibi Oves esse, cum tam vili pretio eas vendant! Attendite igitur ad ea, quæ Deus dicit Pastori, cujus incuriâ Oves pereunt: *Ego ipse requiram Gregem meum de manu eorum; & cessare eos faciam, ut ultra non pascant Gregem, nec pascant amplius Pastores semetipsos; & liberabo Gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in escam.* Sed nec ista solum præstabit, imò justo judicio suo efficiet, ut pro munere proditor, qui Philistæos in patria detinet, vel eosdem in illam conducit, illorum in æternis incendiis hæreat mancipium; & quos è populo nullius criminis invenerit reos, à Philistæorum unguibus liberabit, ne justii pro peccatoribus luant, sed soli mali, & in regimine potenter iniqui, de quibus scriptum est: *Potentes potenter tormenta patientur.* Prætereà dicere non præmittam (ut ii in Domino corroborentur, qui illi placere in regiminis admi-

nistracione, & sese bene gerere cupiunt, animarum suarum saluti studentes,) David Regi ob victoriam adversus Goliath reportatam Saülis invidiam, ejusque persecutiones subortas fuisse: sic planè Magnates, qui Philistæos, peccata scilicet publica, persequuntur, subditorum detractio- nibus, & id genus calumniis subito appetuntur: quia ut Saül interpretatur sepulchrum; ita sepulchrum patens est horum guttur adversus eos, qui justitiam administrant; quia nemo vult illam domi suæ exerceri; licet eandem in aliena observari probet, nisi sit ipse valde Christianus, & servus Dei. Sed his non obstantibus, qui Davidem voluerit imitari, vires resumat, nec Philistæo ullatenus parcat. Etenim Davidem insidiis licet undique periclitantem, Deus è Saülis non solum eripuit futuro; sed etiam eum illi tradidit in spelunca, dum chlamydis illius oram silenter præcidit: & postea tandem omnium Dominus effectus est, quemadmodum erit & ille, qui illius vestigiis inhærens contra Philistæos perseveranter pugnaverit.

C A P U T X I I.

Quam difficultate ad gubernandum perveniatur?

14. **M**inimè id oblivioni tradendum est, quod in Davide advertimus; licet enim unctus, à Deoque electus post Saülis peccatum, multis tamen annis illius in Judam imperium dilatatum est, prout colligitur de iis, quæ Divus Augustinus tradit: quinimo postea, septem annis cum dimidio in Juda regnavit, priusquam super universum Israël obtineret imperium: ut hinc inferamus, quantà difficultate ad dominandum perveniatur. Ecquid, amabo, iderit nisi papillam materni uberis veluti colocynthide linire ad eos ablaquandos qui imperii, & regiminis admodum studiosi sunt? O si labores conferrentur, quos David illis annis absconditus jam, & per deferta oberrans, jam verò stultum se fingens exantlavit; quantum abesset, ut quieti æquiparentur, quàm regimini inesse sibi homines persuadent! Sic planè si seriò metirentur mortales, quid constet negotii ad officium, vel beneficium promoveri, omnes illas curas, ac sollicitudines absque dubio procul à sese abjicerent; cum præsertim etiam postquam David unctus esset, illi tantum constiterint. Quid ille faciet, qui sine istius spiritus unctione est, & passionis propriæ, & vanitatis ardore incensus, ad id pro visibus immititur; cum tam-

dem omnibus sit notum, Davidem non regnasse, nisi postquam occidisset Saül! Hinc infertur nemini esse regnandum, licet subditis abundet, priusquam Saul è vivis discedat. Nomen istud, prout aliqui volunt *infernus* interpretatur: etenim propriæ in nobis passiones sunt infernus, quo miserè torquemur. Enimvero nisi proprius amor mortuus fuerit ad imperium pervenire non licet iis, qui propriam voluntate, & opinione reguntur; quia non omne id quod regnandi præ se fert speciem, regnare est. Arduum illud est negotium; *Durus est hic sermo*. Sed ampliora adhuc supersunt: etenim priusquam in Israël regnaret David, Domui Judæ imperavit, ut nemo sibi persuadeat, cuiquam patere ad Israël aditum, quin prius per Judam progressus sit: hic dicere intendo, quod Israël interpretatur: *Videns Deum*, Judas verò: *Confessio*; hoc est neminem ingressurum Domum videntium Deum, quales sunt Israëlitarum, quin prius per confessionem, quæ est Domus Judæ, transierit: *Quia corde creditur ad justitiam, & ore fit confessio ad salutem*. Nemo itaque salvabitur nisi ex his Israëlitis, non quidem secundum populum Judaicum, sed spiritualiter id intelligendo, nisi inter illos adfuerit, qui divinam gratiam ad Dei visionem fruuntur. Si igitur ad consequendam gratiam confiteri oporteat, magni momenti est negotium regnare super Judam. Summè dolendum est, quod res tanti momenti adè parùm capiatur, quandoquidem homines sibi persuadeant, quod licet Deum fide, & opere, cordeque, & ore non confiteantur, eum tamen videndum à se autument. O quanta cæcitas! transi, transi prius per Judam, si ad Israël pervenire desideras. Quod si quæras cur pauci ad Israël imperium perveniant? Respondeo idè fieri, quia pauci itidem regnant in Juda: si etenim multi forent, qui illum in veritate, & gratia confiterentur, multi quoque ad illius visionem pervenirent. Sed cum rari sint illi, hi quoque infrequentes habentur. Consolentur itaque quicumque in Juda imperant, frequentique confessione utantur, quia in illa perseverantes, in Israël regnaturi sunt: & si magnam facilitate, & brevi tempore, Domini favente gratiam, quibusdam Saulem trucidare contingat, ut scilicet veri sint rectores, perfectumque in sese, & suos dominium obtineant, gratias ipsi, laudesque rependant; nec in illum ingratos se habeant, cum sibi tam leviter id concessum sit, quod aliis adè multum constiterit. Nihilominus unusquisque sibi attendat, videatque an Saül omninò sit mortuus; multam enim

moriendo moram contrahit; & ita Amalicitæ imperavit, ut se omninò extingueret. Ista dico, quia passiones, commoda, & amor proprius latent abscondita, quamvis mortua videantur; sed non ita est, quin potius cum Saùle dicunt: *Adhuc tota anima mea in me est.* Non enim omninò extincta sunt. Quam ob causam multum interest advertere an omninò Saül mortuus sit, ut omnimodum acquiratur Dominium, inque Juda regnari possit, ut postea triumphetur in Israël.

C A P U T X I I I.

Quid faciendum sit, ut in nobis Saül moriatur, cujus morte ad gubernandum promoveamur?

15. **C**Um itaque liqueat, quod nulli imperare fas sit, priusquam Saül obierit, qui est infernus propriarum passionum, quibus regimur potius, quam imperamus: non abs re futurum est scire, quo pacto Saül iste, hoc est infernus noster, in nobis sit extinguendus, quandoquidem de vita nostra hic agatur; vel ut verius dicatur, illius vita à nostra morte pendeat; ita ut impossibile sit nos, ipso vivente, vitam ducere; quemadmodum & ipso moriente vitæ certissimè reddimur. Si oculati essemus hoc unum sufficeret, ut quantocius ipsi necem inferremus, siquidem dicitur neminem vivere posse, quin ille moriatur. Nihilominus tamen ad majorem supradictorum explanationem notandum superest, quod si aliquis mancipium haberet, quod tantæ foret nequitiae, ut coquum agere iussus aconytum in ollam injiceret; si ciborum emendorum ei cura demandaretur, serpentes, & lacertos emeret: aut si januis præficeretur, cum furibus, & Domini sui hostibus conveniret, ut eum spoliarent, aut mactarent; cum hic fructus servuli hujus foret sævitiae, ac tyrannidis, neminem certè arbitror tantæ fore insaniae, qui domi eum exciperet? Quacunquē quis esset præditus pietate, quomodo compedibus alligare omitteret illum, ne ab eo damnum aliquod pateretur? Quod si aliquis foret, qui his non obstantibus, nefandæ illius malitiæ non ignarus, omnia suæ domus munera ipsi ultrò traderet gerenda, an non talis plusquam stultus esset? Numquid & ille catenis vinciri, & pro furibundo, ac mente capto haberi mereretur? Id ipsum tamen multis contingit. Antiquum hominem exuere deberemus, vel certè pro mancipio esset habendus, ut pareret rationi, cum tam in-

signis proditor sit, ut si janitorem agere illi demandemus, conveniat cum nostris inimicis, qui sunt sensualia oblectamenta, ut illos per portam domus sensuum nostrorum introducat, ut omnia adeò moriantur; & nosipfos, animâ per peccatum extinctâ, trucidet. Si verò sumptuum ad rem cibariam spectantium munus obeat, adeò vilis est, & miser, ut nullo cibo recreetur, nisi viperis, & serpentibus, quæ reptilia sunt animalia, venenis refertissima: in sola etenim vindicta, ira, & inordinato appetitu oblectatur; hi sunt ejus cibi, & negotium. Si tandem coqui officio fungatur, (cui muneri, spiritualiter loquendo, incumbit considerationis nostræ ollæ sapientiam infundere, ad illam sapore, gustuque spirituali condiendam,) tantum abest, ut infernale hoc mancipium hoc faciat, ut Aconytum in falis vices ollæ injicere non dubitet, quod ingratum, obstinatumque animum denotat, & scelerum abominatam consuetudinem. Quamobrem animadversis damnis, quæ ab eo resultant, stultus sanè erit Dominus ille, qui tale mancipium mortis poenâ non plexerit, aut proditoris reum non pronunciarit. Id genus opera ab illius manibus procedunt; propriè infernus appellatur, quia ad eum nos conducit. Quis igitur hæc omnia apprimè sciens, tam antiquum proditorem interimere prætermittet? Vel quis illi domesticâ credet officia? Sed quid mihi dicturi estis de his, qui illo oblectantur, illum demulcent, tumentur, & vocitant? Quomodo, qui hæc advertit, illum per plateas solum incedere patitur? O terra! cur te talibus hominibus, (si tamen fas sit eos homines vocare,) præbes calcandam? Saxa cur eos pondere vestro non obruitis? O ferarum rictus! cur ad illos dilacerandos non convertimini, quandoquidem hominem novum pro antiquo deserant, lucem pro tenebris, veritatem pro mendacio; cum esse sui decoris in merum nihil commutent? Enarra mihi homo quid in hoc mancipio invenis, ut in illo fidem habeas? O quanta in eo invenis, ut totus corruas illius horrore? Quid à te exigit, quod totali tui perditioni non vertatur? O si attentius pensitares quanti ei satisfaciendo, tibi stet! & postquam illi satisfeceris, quam citò sumat arma ad te dilaniandum, ô quam longè ab ipso fugeres, si integram de illo haberes cognitionem! imo te ipsum fugeres, usquedum eum in te adverteres mortuum. Sed objicere mihi posses, quando id fieri valeat? Respondeo, quod si eum cupis interimere, tibi esse attendendum, quid in te operetur. Enimverò si excusâ oculorum cali-

caligine attentè eum considerares, majorem conatum ipso occidendo adhiberes, quàm dum aliquod venenatum animal, quod te infestat, suscipis occidendum; Nam cum majus damnum, utpote æternum in hoc pendeat, major etiam diligentia illo fugando est adhibenda. Reverà enim licet illo enecando auxilium supremum opus sit, nunquam tamen ulli defuit, si quis quæ ad se spectant, pro viribus exequatur. Quòd si scire cupis cur ad eò pauci Saùli huic extinguendo laborent; id inde proficisci contendo, quod tam pauci itidem ad damna, quæ ab illo accipiunt, reflectantur; & ideò ab eo non cavent, sed cum eo in infernum præcipites ruunt. Sed licet alia deficerent, ejus nominis interpretatio, illiusque recordatio sufficerent ut occideretur. Quis domi degere velit cum ipso inferno vitam? Quis tantæ est in se perfidiæ, ut domi suæ hospitem excipiat, qui solum advenit, ut illum interimat, & in infernum devolvat? Hinc facillè conjicitur quod illum rarè mentaliter considerent, cum domi familiarem eum habere non vereantur. Quod si, quæ ab eo transiguntur, impensè cogitarent, non profectò Saulem inter vivos tam diu paterentur, quandoquidem ipso vivente & infernus vivat in illa anima, ubi sedem fixerit. Pereat igitur tyrannus. Cùm in morte Christi munitissimum subsidium habeamus, minus operis ipso interficiendo nobis superest. Præ manibus adest victoria, si tamen illà utamur. Opportunitas non prætermittenda, cum in ea summum pendeat momentum.

C A P U T X I V.

Quid fecit David priusquam regnaret in Juda, & in Israël?

16. **I**N secundo Regum traditur, Saule de mortuo, Amalecitam, qui rogatus illi extremum vitæ halitum clauserat, ad Davidem, ut id nuntii referret venisse: & quantumvis diadema seu coronam, quam in capite gestabat Saül, illi afferret; attamen morte eum castigari jussit, quia nempe in Christum Domini manum injecerat, indicans majori zelo in Christum Dei æstuarè se quàm foret ejus in Saulem inimicitia, ab eo licet hostiliter peteretur. In quo ostentabat propriis se passionibus haud superari; quinimo in eas plenum, priusquam Rex esset, se habuisse imperium. Quamobrem Saùli, & Jonathæ vehementer illacrymatus est. Quòd accidit priusquam regnaret super Domum Juda. Sors tulit postea, ut Davide bellum movente

cum Saùlis filio Isboseth, duo Latronum Principes Baana, & Rechab ingrederentur domum Isboseth, qui dormiebat, abscessumque caput illius ad David afferrent lætabundi, dicentes: *Ecce caput inimici tui.* Quibus respondit David; vivit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia, quoniam qui mihi annuntiavit nuntium mortis Saül, ratus se prospera nuntiare, occidi eum in Seceleg; *Cui oportebat mercedem dare pro nuntio.* Nunc igitur idem vobis præstabo, quandoquidem vos homines impii interfecistis virum innoxium in domo sua super lectum suum. Numquid non quæram sanguinem, quem effudistis? Addit amplius textus: *Præcepit itaque David pueris suis, & interfecerunt eos.* Ad quod Nicolaus de Lira asserit, hoc Davidem ea de causa perpetrasse, ut Principibus, & Prælatibus exemplum statueret, ne sceleratis hujusmodi viris ignoscant, qui id genus impia facinora perpetrant ad se gratos exhibendos. Præter hoc, aliud mirabile omninò consilium producere possum; puta, ut priusquam quis regnet, omnes calumniatores, ac susurrone decernat esse perdendos; tales etenim lethalibus novis, quibus magnatum aures collidunt, student, rati magna se inde munera reportaturos. Hi sunt qui zizania seminant; hi sunt, qui in communitatibus, & familiis pacem perturbant: Hi sunt garruli illi, qui potentes linguis suis infestant; sed id omne ultrò merentur Principes, qui attentas illis aures præbent. Tales itaque prius pereant mimi, nec ullo modo admittantur; vera namque hæceorum mors est; enimverò ad regnandum in Israël, quæ est visio pacis, magnà antea in Juda animi tranquillitate opus est. Sed quid nobis dicendum occurrit de iis, qui magnoperè solliciti sunt de eo, nempe; *quem dicunt homines esse filium hominis?* Christi Assertoris nostri imitationem omni laude prædicandam assero: sed ut adverto Christus neminem præter Discipulos istud interrogavit. Ita qui de se, vel de populo suo aliquid scire voluerit, non garrulos illos, & obmurmuratores interroget, sed Christi Discipulos; illos, qui omni passione exuti nudam veritatem proferunt; ut hoc pacto rectà omnium ratione informentur.

C A P U T X V.

Quid præstandum in ipso limine administrationis.

DUm Tribus Israël venissent in Hebron ut David inungerent in Regem

gem, illi dixerunt; ecce nos os tuum, & caro tua: quàm primùm inunctus fuit, Jerosolymâ profectus est: sed ibidem dictum, eum minimè ingressurum, quia cæcos, & claudos auferret. Tandem magnum præmiùm pollicitus, cepit arcem Sion, & in illa moratus est, eamque suam civitatem appellavit. O egregium exempli specimen illis, qui regere incipiunt, ut Sion scilicet confestim possideant, per quam speculatio vel contemplatio intelligitur, ibique habitare, civitatem suam, munimentum, mansionem, & quietem eam nuncupando: unde colligimus, quòd si quidam regere prætermittant, inde fieri, quòd in Sion non maneat, nec sibi honori ducant illam civitatem suam vocitare; & quia illam non norunt, illius quoque ignorant pretium; nec tanti illam uti par est, faciunt; aut illius habitatores reputari gloriantur. Fieri etiam potest, ut in Sion vitam ducere non valeant, quia cæci sunt, & claudi; cæcos dico, utpote qui peccati caligine irretiuntur; claudos autem, quia in via Domini claudicantes procedunt: inde proverbium, quod cæcus, & claudus non intrabunt in templum. Quare autem in eo commorari non merentur? quoniam cæci sunt, & claudi in spiritualibus, & per consequens Regem istum, sanctumque Prophetam nullatenus imitantur. Itaque, apage cæcitas intellectus, & claudicatio in operibus rectis, ut mereamur incolatum in Sion, velut in domo refugii. Ad id nos impellat, quod sequitur in eodem capite; quia quàm primùm David ingressus est Sion, dicit textus: *Cognovit David quoniam confirmasset eum Dominus Regem super Israël, & quoniam exaltasset Regnum ejus super populum suum Israël.* In Sion cognovit confirmationem Regni sui, ut sic bene affecti, & studiosi essent erga montem Sion, quicumque optant securitatem dominiorum suorum. Sed ulteriùs progrediamur, ut videamus, quid David fecerit in Sion. Cuique notum erit, eum vocasse, ac selegisse electos populi Israël, qui triginta millibus constabant, quibus cum Arcam Domini adduxit; cumque illam de Domo Abinadab deferrent, David; & omnis Israël variis instrumentis Musicis gaudebant *coram Domino*. Tum demùm è domo Obhedon eductam, in suam civitatem, & Arcam Sion magna cum lætitia eam transportavit; cumque transcendissent, qui portabant Arcam Domini, sex passus, cum bove, & ariete, ovis immolata est. Neque his contentus

2. Reg.
5. 12.

2. Reg.
6. 14.

David, *Saltabat totis viribus ante Dominum;*

utque majorem præ se ferret humilitatem Ephod lineo sese accinxerat, & hoc pacto ducebat cum cæteris Arcam Domini in civitatem suam in júbilo, & clangore buccinæ. Cùm autem intrasset Arca in civitatem, Michol filia Saül prospiciens per fenestram, vidit Regem David saltantem coram Domino, & despexit eum in corde suo: cui postea subjecit David: *Vilior sum plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis;* hinc indicans non modò se ejus rei non pœnitere, quinimo paratissimum esse viliores, atque humiliorem fieri in oculis suis. Præter hæc nihil superest dicendum; verùm multa agenda restant: Etenim cùm ambient honorem, & auctoritatem homines; ea saltem eo fine ambient, ut gloriam omnem offerant, & concedant Deo, cui omnis gloria, & cultus exhibendus est. Quamobrem qui sublimioribus dominiis præsumunt, cultus divini zelo non modò intrinsecè, verum etiam extrinsecè exardere tenentur, haud contenti solis Musicis instrumentis, aut solis linguis, ut divinam laudem personent; sed cordibus suis illam quoque modulentur, ne sint ex illo populo, de quo dictum est: *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè est à me.* Non boves aut arietes materiales offerant; horum etenim immolationis jam tempus exolevit; sed cordis obedientiam Deo frequenter immolent; illam jugo supponentes, quòd per bovem caput submittentem significatur; & mansuetudinem, quæ nobis indicatur per ovem & arietem. Ut autem humiliùs procedamus molliusculis exutis vestibus, solitis, & communibus accingamur; quandoquidem in omnibus unum nascendi quoad temporalem nuditatem communiter sit principium, & finis; unus ingressus, & unus exitus, unum exordium, unusque & idem terminus; spiritualiter insuper advertendum, quod licet Michol, filia hostis nostri Saül (qui infernus noster est, & nostra effrænata cupiditas) garriat, illique obmurmuret; qui Davidem sanctum sibi statuit imitandum; non proinde fidus Davidis asseclaturbandus est; quinimo illi respondendum fore, ut non solùm in posterum populo, sed & oculis propriis viliores exhibeat semetipsum. Maximè attendendum est, aliquos videri, qui in aliis humilitatem desiderant, cùm eam minimè in se habeant, nec tales in oculis suis reputentur; hi ignari nec se, nec opera sua capiunt, dum vanitate stimulati, propriisque viribus innixi, illa operantur. Sed qui Davidem in speculum assumpserit, non erit inter

inter istos ; verum humilem se , & populo , & oculis suis præstabit , nihil potius ducens quam adhærere Christo. Quid , amabo , Princeps , vel quis alius Dominus Christi sectator , non debeat agere , ut vilitatem suam , imo suum nihil coram Deo manifestet . Nam si David taliter incedebat coram Arca , quæ solùm erat figura ; quomodo procedendum Christiano coram figurato , quod est sacrosanctum Sacramentum , in quo latent Manna illud absconditum , arboris Crucis victima , & ipsa ad eò legis Christi Domini perfectio ? O pudor ! quod se multum præstare homines putent , si eum vel solùm comitentur. O quanta Dei benignitas ! quod liçtores suos illis foras expellendis non occupet , quandoquidem tam parvi faciant , quod summo Angelis pretio est. Cæterum videamus jam , quomodo David zelum domus Dei zelaverit , qui in veritate aiebat : *Zelus Domus tua comedit me* ; Quia impensè sollicitus , ut in quantum posset Dei gloria adaugeretur , dixit Nathan Prophetæ : *Videsne , quòd ego habitem in domo cedrina , & Arca Dei posita sit in medio pellium ?* Animo ædificandi Domum Domino , ferre non valebat , ut Domus sua foret cedrina , & Arca testamenti in medio pellium versaretur. O quanta hinc omninò confusio , & pudor illis , qui sibi vestiendis ad eò largi sunt , & liberales ; tam verò parci in Templis , Altaribus , & Ecclesiis construendis ! Bene indicant tales omnem sibi gloriam asservare , amoremque proprium in sinu fovere , & seipsos veluti sua templa reputare ; quandoquidem ad eò comptè vestiantur , Dei honoris , & templorum ejus subortâ oblivione. Davidem ergo imitentur ; maximam de Deo curam gerant , & ejus divinâ manu protegi merebuntur ; quemadmodum & David , cui in præmium recti illius desiderii inter alia significavit Deus per Nathan Prophetam : *Requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis. Et ulterius. Regnum tuum usque in aeternum ante faciem tuam , & thronus tuus erit firmus jugiter.*

2. Reg.
7. 2.

C A P U T X V I.

Quid erga semetipsum agendum sit Principi ?

81. **C**Um jam sit explanatum , quomodo cum suo Deo se gesserit David ; nunc videndum restat , quâ ratione procederet cum semetipso. Una res inter cæteras sese mihi objicit magni momenti , cui vitæ spiritualis substantia penitus innititur ; ea est , quam in Psalmo centesimo decantat idem David ; veluti indicans , pro viribus

incumbendum esse viris Principibus ; ne otiosam , vel inordinatam ducant vitam. *Pfallam , & intelligam in via immaculata quando venies ad me ; perambulabam in innocentia cordis mei in medio Domus mea.* O Prophetæ ; & Rex sancte ! indica nobis quanti ponderis sit istud negotium , quod commemoras , & quo modo gressus tuos dirigebas in innocentia cordis : id eò cor tuum in innocentia totum versabatur , quod cordi Dei omninò fuerit conforme , & id tibi concessum est mediante sanctæ simplicitatis , & voluntatis participatione ; tuumque illud vocabas , quia Domini esse agnoscebas : cor etenim , quod Domini non est , neque reverà hominis esse videtur , cum id inimicorum manibus traditum sit. Quære ab eo , qui passionibus irretitus suo peccato subjicitur ; an cordis sui habeat potestatem ? respondebit : minime ? *Cur ? quòd nolo , hoc facio* : Quia ad eò invaluit morbus , ut non nisi divinâ fretus ope à cæno , cui me immerseram , valeam liberari ; ita ut is solus cor suum possideat , cujus cor ad Dominum spectat. Meritò itaque dicere valebat Sanctus Prophetæ , quod in medio domus suæ in innocentia cordis procederet , & ut hoc modo melius pergeret , aiebat : *Pfallam & intelligam in via immaculata , quando venies ad me.* Id verò unicum medium est ad finem optatum consequendum ; Dominum scilicet collaudare , & sine peccato illius adventum sollicitè præstolari : scire cupitis cur tam pauci in innocentia cordis ambulent ? quia pauci item sunt , qui Deum in toto corde suo collaudant. Plurimi verò hac in via multo sanè impedita pulvere , ac luto , vitæ candorem servare non curant ; & quod longè deterius est , non solùm ducunt vitam illorum hominum , qui Domini adventum spernunt , verùm etiam in sua vivendi ratione nec ad ejus gloriam spectare se indicant. O quanta in fallacia sese tales deprehensuri sunt , ubi Dominus veniet , & acceptorum talentorum exiget rationem ! O quales invenientur , cum bonorum operum oleo sese carere animadvertent ! quid non tunc tribuerent pro unica temporis horula ? nullum tamen aliud responsum accepturi sunt præter hoc : *Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Cui dubium esse potest istud maxima inter vitæ discrimina adnumerandum ; Deum scilicet non præstolari ; nec curare de eo , quod animæ conveniat ; surdas suggerenti Deo aures præbere ; ad mandata illius non attendere ; ejus voluntatem non capere ; vel datas inspirationes non sequi ? O Davidis sectatores nec in hoc deficiatis. Hoc summum

num vobis ducite negotium. Deum nempe expectare, dum venerit; non enim sufficit dicere ore tenus, nisi perficiantur opera iustitiæ. Attendite illum variis modis loqui solitum esse: *Multifariam, multisque modis olim locutus est Deus.* Attendite, quod loquatur per creaturas; attendite quid Deus vobis loquitur per solem dum vos illuminat, & calefacit; quid per panem, dum vos nutrit, & per aquam dum vestram sitim mitigat. Attendite quod per Concionatores; Scripturam, & inspirationes vos alloquatur: Itaque pro viribus incumbite in illius laudes; ejus mandata in munditia cordis observate: quod si ista præstiteritis, tantisper expectate, & mox ad vos veniet: *Stat ad ostium, & pulsat:* Si igitur ille pulsat, vosque eum expectatis, citò illum invenietis. Ita enim expertus fuit Rex ille, optimum Regum exemplar, dum diceret: *Expectans expectavi Dominum, & intendit mihi.* Quid se inventibus retribuet, cum & quærentibus favere, & nec exiguo favore studeat? Illius etenim adventus magnos in anima producit effectus, ut idem Rex David fatetur: *Expectabam eum, qui salvum me fecit à pusillanimitate spiritus, & tempestate.* Hoc enim habet singulare illius adventus, ut tenebrarum tempestatem dissolvat, & animæ debilitatem corroborat, se inventes animando, pacemque, & tranquillitatem illis tribuendo. Itaque hoc unum sit Christianorum Principum, & Gubernatorum exercitium; enimverò, quemadmodum supra memoratâ incuriâ omni damno manat; ita ex hoc exercitio maximum bonum ad eos, cæterosque orietur. Præterea his addere, quæ sequuntur, non est omittendum. *Non proponebam ante oculos meos rem injustam:* Quia sic omnium censuræ cohibentur. Enimverò si attentius consideremus; *Frequenter cognitio nostra mediatè oritur à sensu.* Quod si rem nullam, aut malam, aut turpem patimur in sensu, nec agens intellectus, nec passibilis ejus tum objecti attinget æstimatoriam; neque illam voluntas spectabit, quin prius ab intellectu ipsi fuerit objecta. *Quia nihil est volitum, quin prius cognitum;* At nisi ametur, consensus item cessabit, & per consequens peccatum. Quod si advertamus, magna plerumque mala videmus inde oriri, quod sensuum portæ haud bene claudantur. Quoniam verò & intellectus suos etiam habet oculos, per suas species intelligibiles visu interiori spirituali illi objectas: rectum erit, nullam cogitationem, aut iniquitatis speciem admittere, in quantum fieri possit, ut voluntatis lapsus devitentur.

CAPUT XVII.

Quid erga familiam agendum sit?

NON minus exemplum hic consecuturi sumus, si, quod hoc in Psalmo tractatur attentè consideremus; in illo enim edocemur, quales debeant esse servi, & familiares Principis; quia familia Domini subditis speculo esse oportet; praviq̄ue illorum mores, atque incuriæ, modestiâ, & temperantiâ familiæ sunt cohibendi. *Oportet enim incipere iudicium à Domo Dei.* Ideoque Dominis summè erit attendendum, quos Domo excipiant famulos; quia vel unus nequam sufficit ad inficiendum integram familiam. Ob hanc causam, cum aliquis Domo suscipietur, plus ad hominis mores erit attendendum, quàm ad favores, & vestium venustatem; quemadmodum & sanctus hic Rex factitare consueverat; ita ut neque superbo, neque avaro, aut suis commodis dedito escam porrigere dignaretur: *Superbo oculo, & insatiabili corde, cum hoc non edebam:* Eum itaque qui proximum suum mordaci linguâ secretò lacerebat, non solùm non cibabat David, verùm eum etiam acerrimo animo prosequeretur: *Detrahentem in secreto proximo suo hunc persequer.* Quid plura? Omnes iniqua operantes summè abhorrescebat: *Facientes pravaricationes odisti.* Et quid ita Rex sancte? Vultis scire? In promptu est responsio: quia istius farinæ homines, non modo quas habitant domos; verùm etiam loca, in quibus vitam degunt, venenosè inficere amant. Domini, qui talia incuriæ prætermittunt, scire obliviscuntur se teneri ad rectam domesticorum doctrinam; illisque bonis exemplis prælucere: etenim certo quodam modo illorum Curati reputantur. Quis igitur ausit humeris suis imponere oviculam superbiæ pondere adedò gravem, ut decem omninò currus ipsi vehendæ haud sufficerent; & multò minùs homines in virtute debiles, qui ab aliis geri vix possint, ut ad optatum finem perducantur? Itaque qui regunt, à Davide sumant exemplum: non enim omnes utcunque respiciebat, neque cum quolibet paciscebatur: cum quo igitur? Cum bonis, & fidelibus: Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum; ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat. Teneantur, qui à vitis verè sunt alieni, humiles corde, mundi, fideles, nullo commodo proprio remorati, honoris Domini zelotipi: hi dignissimi censendi sunt: Cum tales servi reperiantur, sunt servandi, & lautitius excipiendi;

tantoque pluris faciendi, quanto minorem de se conceperint opinionem.

CAPUT XVIII.

Quid erga plebem sit agendum?

20. **E**X priore, ac posteriore hujus Psalmi versiculo intelligi possunt ea, quæ cum plebe agenda sunt; unde dicebat Propheta: *Misericordiam, & judicium cantabo tibi Domine, Misericordiam, & judicium meis adhibendo.* Primo loco constituit misericordiam, eò quòd creatura primario ferri debet ad imitationem Creatoris, de cujus benignitate proditum est: *Miserationes ejus super omnia opera ejus.* Ergo priorem locum obtinet miseratio, utpote quæ quantum fieri potest, est adhibenda; neque ad rigorem est veniendum, nisi cum veniæ facilitas peccatori præbet delinquendi opportunitatem; vel tale est scelus, ut nullam dissimulationem patiatur. Ut paucis comprehendam; ubi miserationi nullus est locus, (licet illi quoad res patitur, nunquam non sit concedendus;) justitia circa particularem est exercenda, ut ab ea universa Respublica liberetur. Et ista est magna illa misericordia, quæ in ultimo versiculo decantatur: *In matutino interficiebam omnes peccatores terra, ut disperderem de civitate Dei omnes operantes iniquitatem.* Quasi diceret: Ideò ad tollendum de terra peccatores festino, ut civitatis Dei incolæ miserationis effectum fortiantur, nec graventur molestiis, nec ansam habeant cum aliorum peccatis communicandi: *Quia non relinquet Deus peccatores super sortem justorum, ut non extendant justis ad iniquitatem manus suas.* In hoc nobis statuit exemplum David, dum aquam bibere recusavit dicens: *Num sanguinem hominum istorum qui profecti sunt, & animarum periculum bibam?* Ut indicetur, nihil esse accipiendum quod in periculum damni plebis resultet. Et quoniam istud in primo capitulo aliqua ex parte discutitur, utrumque mixtim sufficet legere; quod si hoc pacto non procedatur, nulla omninò res onerabitur fructu, nihil certiùs verum subditorum amorem in eo consistere, ut is, penes quem est imperium, ab omni Dei offensa absteat; quia peccata Domini damnant pariunt subditis. Superioribus quoque attendendum est, si quando populum adverterint pacificum, & contentum, ut omnia hæc Deo tribuant, à cujus bonitate, & sapientia pax, & tranquillitas procedunt. Davidem imitentur qui Domino benedicebat, dum illum Deum suum, ac protectorem vocabat; quia tu es Domine,

Qui subdis populum meum sub me. Nemo itaque sibi persuasum habeat humanam prudentiam sufficere ad illum reddendum pacificum; quia mundus dare non potest pacem; nec illius verè participes efficiuntur, nisi qui ab infinita bonitate, ac misericordia divinitus eam accipiunt.

CAPUT XIX.

Quomodo reliquis fructus hauriri possit ex Historia Davidis?

Dicere quis posset, non in omnibus esse imitandum Davidem, quia Populum enumerans vanitatis peccato implicitus est; homicidii verò in morte Uriæ; adde quod in Bersabee suam quoque imbecillitatem præ se tulit. His responderi potest, quod licet in peccato minimè imitandus sit; atramen si impensius omnia consideremus, multa in istis etiam rebus sese nobis offerunt imitanda; ut est peccati cognitio, & quod nullatenus se excusaverit veluti Cain, & Saül, sed illud profundâ humilitate agnovit. Quam ob causam illius veniam statim meritus fuit. In poenitentia quoque imitandus. Ita enim doluit, ut diceret; *Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam:* Sed his prætermisissis, magnum præbuit exemplum, dum eò quòd populum numerasset, illi Dominus ex tribus unam præbuit punitionem eligendam: aut septem annos famis, aut trium mensium persecutionem ab adversariis suis, aut certè trium dierum pestilentiam; & pestilentiam eligere fatiùs duxit, ratus longè meliùs esse, incidere in manus Domini; (*mille enim misericordia ejus sunt,*) quàm in hominum manus; licet (quatenus Rex erat,) persona ejus à fame, quemadmodum & ab hostium persecutione posset esse securior: cum autem in pestilentia idem periculum ipse incurreret, ac vassallus, illam inter cæteras prælegit, eò quòd Divinæ manui magis confideret, quàm viribus, copiisque humanis. Quâ in re magno omnibus exemplo fuit, sed præcipuè illis, qui impensius ejus gesta consideraverint. Magnum etenim timorem, & stuporem pariunt hujus Regis incuriæ. Quis non timuerit vanitatem, hunc Regem in ea immersum conspiciens? hunc, qui dicebat: *Vilior sum in oculis meis?* Si iste studens vilifieri, præ se tulerit vanitatem, quid omittet ille, cujus omne studium est, vanitatis suæ fumum adaugere? Et si hunc Deus aded fortiter puniverit, ut septuaginta omninò hominum millia pestilentia grassante perierint;

quo pacto in illum sæviet Deus, qui epulatur, bibit, vestitur, ambulat, & loquitur in vanitate? Si que Rex iste totus benignus, ut ipsemet agebat: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus*; in homicidii inciderit reatum, quid faciet ille, qui nullam passionum suarum curam gerit; quinimo à mortificatione alienus, illis effrænate solvit habenas? Si denique Rex iste mortis Uriæ poenas luerit, Domino ipsi dicente per Nāthan: *Non recedet gladius à Domo tua. Et insuper. Filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Quis inordinatos motus, propriasque passiones, iram, odium non metuat, cum istæ sint, quæ ad severum Dei iudicium nos compellant? proinde scriptum est: *Tremendum est incidere in manus Dei viventis.* Si Rex iste orationi adeo deditus, verusque Dei servus de tam spirituali in carnalem degeneravit; quid ille faciet, qui nullam divinarum rerum, nec orationis, nec spiritus curam gerit, quinimo talia plerumque irridet? In David etiam animadversum est dicente Domino: *Eò quòd despexeris me, & tuleris uxorem Uriæ Hethai, ut esset uxor tua, ego suscitabo super te malum in Domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo; tu enim fecisti absconditè, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël.* Si ergo hæc in Davidem peragantur, in illum, de quo dictum est inventum fuisse secundum cor, & voluntatem Dei; quid non fiet adversus sensualem, & eum, qui suæ voluptati indulgere, illamque veluti sibi finem proponere studet? Omnes itaque periculo alieno fiant cauti: hac in misera carne metuentes sibi consulant, quandoquidem vir tam strenuus ab illa consterneretur: semetipsos humiliant propriis viribus diffidentes, & se coram Domino confundentes, *quia Beatus vir, qui semper est pavidus.*

C A P U T XX.

De magnitudine, & perfectionibus Davidis.

22. **T**Ot, tamque egregia sunt virtutis exempla, quæ Sanctus hic Rex reliquit iis, qui serio, & perseveranter illum imitari voluerint, ut particulatim de illis disserere processus in infinitum videatur: cum tamen ea silentio omnino præmittere magnum sit inconveniens, medium assumemus, illa velut ad epilogum reducendi, cætera ad perfectiores, qui ea ex proprio fonte videre, haurireque voluerint, remittentes. Itaque in viri istius sancti excellentias ingredi me statuente, introitum metuit calamus, abstinereque vel-

let res adeo sublimes pertractare; Sed Deo favente, & ad sacrosancti ejus nominis gloriam, dicam primò; quod si spectemus exemplum ab eo traditum, multa in illo inveniemus imitanda, ut ad propriam nostri notitiam, (in qua vitæ spiritualis fundamentum situm est) perveniamus. Istud est quod perpetuo versari debet ante oculos Christianorum Gubernatorum, scilicet mundi nihil, miseriæque, quemadmodum Rex iste sanctus faciebat, dicens: *Substantia mea tanquam nihilum ante te; quia ex nihilo nati sumus.* Et ad dies suos reflexus, agebat: *Dies mei sicut umbra declinaverunt.* Et alibi: *In imagine pertransit homo; Quia quidquid vitæ hujus est, ventus, & umbra, & imago est.* Quapropter de peccatoribus loquens dicebat. *Imaginem eorum ad nihilum rediges.* O exemplum eximium, ut in rebus prosperis non extollamur, quandoquidem, ex nihilo producti sumus, & in nihilum nobis sit revertendum! ad hæc addebat: *Sana animam meam, quia peccavi tibi.* Et cæcitatem propriam spectans, dicebat Domino: *Animam meam sicut terra sine aqua tibi.* Hujus verò mundi divitiarum vanitatem contemplatus, & è converso rerum divinarum stabilitatem, in hæc verba erupit: *Omnes sicut vestimentum veterascent: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Ad ipsa quoque damna attendens, quibus vexari se affirmabat, & à seipso cavere statuens, dicebat: *Observabo me ab iniquitate mea;* Nam quantum sibi homo prior est, tantò majus illi ingruit periculum. Adde quod videns fructus, quos vitæ hujus tribulationes producere solent, eosque corripiens, qui tribulationis fructu neglecto contristantur, agebat: *Latati sumus pro diebus, quibus vidimus mala.* Habitâ ratione Divinæ charitatis, quæ hujuscemodi calamitates etiam aliquando per hostes permittit, ut animæ puriores, perfectioresque evadant. Si demique sancti istius Regis memoriam conspiciamus, in Dei sui delectatione sitam esse eam advertemus, ut ipsemet fatetur, dum dicit: *Memor fui Dei, & delectatus sum.* Si ad illius intellectum reflectimus, illum tam eximiis donis præditum advertemus, propter summam, quam habebat in lege Divina sedulitatem, ut aliquando diceret: *Super senes intellexi, quia mandata tua custodivi.* Si curas ejus spectamus, nullum potius ipsi superest negotium, quam sese Domini præsentis præsentem constituere; *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commovear.* Si illius desideria; videbinus quoque dicere: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea*

mea ad te Deus. Si illius cernamus oculos omni imitatione dignos eos inuenimus; quia, *Oculi mei semper ad Dominum, quia ipse euellet de laqueo pedes meos.* Egregia sanè admonitio ne cadamus; nec minus excellens est illa, quæ sequitur; *Audiam quid loquatur in me Deus.* De sua lingua dicebat: *Benedicam Deum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo: In Domino laudabitur anima mea.* Non in vanitate gaudebat, non in caducis, non in seipso, sed *in Domino: exaltemus nomen ejus in idipsum.* O quàm fortis est amor iste! quamque magni solatii! si convertimur ad illius manus, grande etiam in illis nobis statuit exemplum. Non enim elatus fuit propter ea, quæ operatæ sunt, nec operum suorum robori innitebatur, sed quod illis inerat virtutis, id omne Omnipotentis manus tribuebat eum profunda humilitate: *Opera manuum tuarum ne despicias.* Non enim procedit vis mea ex eo quod manus meæ sunt operatæ, sed ex eis, quæ tu in me operatus es, hæc itaque in manibus meis assumo, quas rogo, ne despicias. O quæ manus! sed quales manus peccatoris, ut ab illis fugiatur! nam *in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* Licet manus habeat rectè tamen palpare nequit; sic haud injuriâ dicitur de insensatis: *Manus habent, & non palpabunt.* Si gustum Davidis conspiciamus, non in vitæ hujus illecebris, sed in ipso Deo esse patebit, & sic nos ad eum prægustandum invitat: *Gustate, & videte quàm suavis est Dominus.* Si ad pedes illius conferimur, eos non claudos, sed velocissimos videbimus: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Sed quid de ejus strato enarrabimus? *Lacrymis meis stratum meum rigabo.* Quid autem de corde ejus referam, illud advertens præ ardore divini amoris velut cerâ liquatum, & aliunde exultatione, & lætitiâ refertum? *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Quid etiam de illius oratione dicam, cum non semel, nec bis, sed septies quotidie laudibus Domini personaret: *Septies in die laudem dixi tibi?* Quid de optionibus illius velim proferre, quando quidem pluris faciat in domo Dei despici, quàm plurimum æstimari in tentoriis peccatorum? Ut dicam aliquid de ipsius petitionibus, non res temporales, non mundanos honores, non dominia in orbe, sed unam solùm rem flagitabat. *Et hanc requiram,* aiebat, *ut inhabitem in*

domo Domini omnibus diebus vita mea, ut videam voluptatem Domini, & visitem Templum sanctuarium ejus. Quid dicam de viva spe hujus Regis, ipsum advertens dicentem; *Quoniam tu Domine spes mea?* Quid de rectitudine ejus in justitia, cum dicat; *Feci judicium, & justitiam, non iradas me calumniantibus me?* Sed quid plura? deficeret sanè tempus, sed non materia oratori, quantumvis eloquens esset, qui omnes virtutes hujus sanctissimi Regis enumerare vellet.

C A P U T X X I.

Et ultimum: complectens cetera exempla, quæ nobis reliquit Rex David.

NON solùm in vita, sed etiam in sua pretiosissima morte reliquit nobis^{23.} egregia admodum exempla hic potentissimus juxta ac sanctissimus Rex. Prius enim quàm occiderat. Filium Salomonem in Regem inungi jussit; tum demum saluberrimis consiliis eum instruxerat, ut legi possunt in sacra Historia Libri tertii Regum Cap. 2. 2. *Ego, (inquit,) ingredior viam universa terra: confortare, & esto vir. Et observa custodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, ut custodias caeremonias ejus, & præcepta ejus, & judicia & testimonia, sicut scriptum est in lege Moysi: ut intelligas universa qua facis, & quocumque te verteris: ut confirmet Dominus sermones suos, quos loquutus est de me, dicens: si custodierint filii tui vias suas, & ambulaverint coram me in veritate, in omni corde suo, & in omni anima sua, non auferetur tibi vir de solio Israël.* An inveniri potest clariùs exemplum parentibus, quantumvis regii, & illustres sint, ne excedant hâc inconstante vitâ, quin decenter relinquunt statum suis filiis, quin eos imbuant virtute, ac monitis, quin hortentur illos ad Dei cultum, ad pietatem & amorem erga subditos? At non prætermittam, quod antea proponens David domum ædificare domino, in primis collaudatus fuerit à Nathan Propheta, sed postea ita jubente domino prohibitus ab ejus executione, ut id officii perageret ejus filius. Quâ re monentur Patres, ut non tantùm studeant ditare liberos honoribus, & divitiis, quæ ipsis debentur ratione conditionis, & statûs; verùm etiam celsissimo spiritu serviendi Deo, quo plurimas operati virtutes in hac vita, consequantur in altera æternitatem gloriæ.

S. FRANCISCI BORGIAE
 SANCTI
 FRANCISCI
 BORGIAE
 OPERUM
 LIBER OCTAVUS.

Pia quædam Opuscula observatione digna.

A P P R O B A T I O P R I M A.

Vidi, & accuratè perlegi sex Tractatus hoc Volumine contentos viri clarissimi FRANCISCI BORGIAE, olim Gandiæ Ducis, & tandem Societatis JESV Præpositi Generalis. Et eorum si doctrinam spectes, sana est, verè Catholica, & ab omni erroris labe aliena: si autem pietatem, videbis eos undique Christianæ suavitatis odore fragrantés, & veræ humilitatis aculeos, ac sinceræ Religionis stimulos animis hominum sensim injicientes. Quocirca dignos esse reor, qui typis mandentur, & in communem Fidelium usum evulgentur. Compluti anno 1575. die verò Decemb. 23.

M. DEÇA.

A P P R O B A T I O S E C U N D A.

Documenta hoc libello contenta sunt Catholica, & sana, & que ad pietatem amandam, & alendam, mirificè legentium animos inflammabunt. Nihil habent, quod doctrinis nostræ fidei adversari videatur. Possunt imprimi, & ad omnium Christianorum manus sine ulla periculo, & cum magno fructu pervenire. Ita mihi visum est. Madridi Augusti 24. Ann. 1576.

FR. LAURENTIUS A VILLAVICENTIO.

A P P R O B A T I O T E R T I A.

Opuscula isthæc Christiani hominis tyrocinium continentia, exactissimè percurramus. Quæ pia nimè, & Catholica, atque animis hominum in Christo JESV formandis aptissima visa sunt, atque idè digna, quæ typis mandentur. Hoc est nostrum de hac re judicium, sub doctiorum censura. Mantuzæ Kalendis Septembr. Anno Domin 1576.

FR. JOANN. DE TOLEDO.

A P P R O B A T I O Q U A R T A.

FRANCISCI BORGIAE Ducis Gandiæ, & Societatis JESV Præpositi Generalis Tractatus sex, pietate pleni, Christum ubique spirantes, digni sunt, qui typis excudantur. Continent enim ea rudimenta, quibus Vir ille clarissimus, & nostri seculi decus seipsum exercebat ad sinceram Religionem. In qua sic adè profecit, ut in uno Francisco videre liceat absolutum pietatis exemplar, ad quod Catholici omnes, sive in aula Principum nutriti, sive in Monasteriis educati, mores, & vitam componant. Madridi 26. Januarii 1577.

FR. FERNANDVS A CASTELLO.

Illustrissimo, ac Reverendissimo D. GASPARI QUIROGÆ, Archiepiscopo Toletano, Summoque Concilii Sanctæ Inquisitionis Præsidi, Alphonsus Deza Theologus Societatis JESV. S. P. D.

FRANCISCVS BORGIA, Dux Gandiæ antequam se ad nostram Societatem adjungeret, Tractatus quosdam ad sui profectum scripsit, rudimenta continentes ea, in quibus seipsum adhuc tyronem exercebat ad pietatem. Qui cum amicis nonnullis communicati, quod essent & sanctissimis documentis pleni, & à viro illo profecti, qui genere erat, atque vitæ splendore clarissimus, magnam imprimis admira-

admirationem habuerunt. Nam cum Francisco proavorum sanguine illustrissimo, & multis, magnisque peramplæ familiæ, ac proprii dominatûs negotiis implicato, & in aula Regum, & gratia educato à puero, de canibus, de equis, de accipitribus (Principum virorum more) non de moribus, atque virtutibus, deque orandi, meditandique ratione tractationes congruæ viderentur; & ab illo civilia potius, quam religiosa, militaria magis expectarent homines, quam spiritalia, & ea quæ specie suâ fallaci perstringunt imperitorum oculos, non ea quæ depulsâ animis offusâ caligine, pectora nostra complent clarissimâ luce, & ad bene, beateque vivendum juvant; hæc ab ipso sapienter conscripta, (quod præter opinionem hominum accidissent,) admirabilia multis sanè sunt visa. Itaque Francisco ipso incio, atque invito, in vulgus editi hi tractatus Hispanicè, typisque etiam excusi sunt. Intellexerunt nimirum homines, non esse angustis Dei gratiam finibus circumscriptam, neque cultu corporis tantummodo, & habitu, virtutum pondera æstimanda. Nam ut sub vili palliolo latet sæpè sapientia; sic sub holosericis interdum, atque aureis vestibus humilitas, sui que contemptio inclusa est, atque humanarum rerum despicientia. Quod si unquam aliàs, in Francisco certè nostris temporibus vidimus. Qui ætate florens, Regiâ stirpe natus, opibus, copiis, liberis, amicitii, clientelis abundans, magnâ Regis sui, & hominum laude publicis muneribus honorificè perfunctus, rebus denique omnibus, quæ in bonis vulgò numerantur, ad voluntatem fluentibus, quæ fuerunt lucra, hæc arbitratus est propter Christum detrimenta; mundi que omni inanitate rejectâ, paupertatem divitiis, asperitatem *Philip.* deliciis prætulit: aulico splendori humilem squallorem, potentie sui ludibrium longè anteposuit: 3. & nudus nudum Christum sequutus, in eo se abjectionis statu collocavit, in quo docuit gravissimo exemplo pietatis, & adumbratis vera & solida, caducis sempiterna infinitis partibus antecellere; cælestia terrenis, humanis divina. Præterit enim verè figura hujus mundi, ut ait Paulus; & id quod in præsentia *1. Cor.* est, (ut idem scribit) momentaneum, & leve tribulationis nostræ in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt. Franciscus itaque aspiciens in auctorem fidei, & consummatorem JESUM, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contentâ, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improprium Christi, exivit extra castra illud portans; præclarissimum nobis ad imitationem, posterisque omnibus exemplum relinquens. *Heb. 21.* Hujus igitur viri tractatus (quos supra commemoravi) verè Catholicos, verè pios, de Hispano sermone *Heb. 11.* in Latinum conversos denuò in lucem emittimus. Primum quidem, ne tanti viri memoria temporum vetustate obsolescat: Deinde ut constet, quibus quasi gradibus, ad tantam virtutum excellentiam pervenerit: postremò, ut quibus præluxit vitæ exemplo, eos quoque doctrinâ instruat; & non solum præsentibus profit, sed etiam futuris. Habent enim multa, ex quibus, si studium diligens, & assidua exercitatio accesserit, magna percipi possit utilitas. Latina autem hæc opuscula evulgamus, quòd fructus latius pateat, & non tantum ad Hispanorum, sed ad exterorum etiam manus perveniant. Tibi autem, Præsul illustrissime, hæc dicamus, tum quoniam in ista quasi vigilia fidei Catholicæ tuendæ præsidet; tum quia truculentam circumfremantium hæreticorum rabiem, qui sub ovina pelle lupos tegunt, à nostris regionibus procul arces; & ne quid Apostolicæ, atque avitæ Religionis candorem obscuret, aut inficiat, pro officio tibi divinitus dato, summâ vigilantia, atque sapientia provides: & justissimum sanè est, ut te omnes gratâ animi pietate colant, in quos tantum, tam turbulentis & calamitosus temporibus, tamque eximium abs te confertur beneficium. Sed ego præcipue propter singularem meam in te observantiam, eamque excitatam virtutum tuarum admirationem, & summâ tuâ in nos benevolentia, & perpetuâ nostræ religionis defensione, quam ædè peramanter suscepisti; eo que non magis mihi propria est, quam communis cum omnibus nostræ Societatis hominibus. Sed quoniam omnibus sigillatim hoc facere non licet, ego, & meo, & eorum omnium nomine, hoc munusculo testari volui, quantum tibi in Christo & debemus omnes, & cupimus. Vale Compluti.

TRACTATUS I.

Sermo super illud Lucæ 19. *Ut appropinquavit JESVS, videns Civitatem flevit super illam, dicens: Si cognovisses & tu, &c.*

I.
Luc. 12.

In capilli nostri omnes Deo numerati sunt, quemadmodum in Evangelio legimus, quantum magis Christi, hoc est sapientie Dei verba numerata esse credendum est: Quantis porò hæc ab Angelis laudibus efferrî putandum? Quanti ab hominibus fieri debent, in quorum utilitatem dicta sunt? Si negligamus certè, aut si non ea attentissimè consideremus, magnâ reprehensione dignissimus necesse est, si qui-

dem omnia Christi Domini nostri facta, & dicta, nostra sint instructio. Cæterum, cum ad eam rem humanæ vires non sufficiant; eos imitari opus est, artem aliquam perfectè addiscere cupientes, ad perfectissimum ejus artis magistrum sese conferunt, ut videlicet præceptoris sapientia discipuli imperitiam suppleat, & reformet. Cum ergò de rebus quatuor, quæ sub præfato themate continentur tractaturi simus, ejusmodi aliquem præceptorem adire oportet, cujus præsidio ignorantie nostræ tenebræ depellantur. Et quidem in verbis thematis, quòd appropinquavit Dominus, quòd vidit civitatem, quòd flevit super eam, postremò, quòd locutus est, legimus: quibus quasi quatuor gradibus ad illud quod sequitur, si cognovisses

& tu; hoc est, ad nostri ipsorum cognitionem pervenire in promptu est, modò diligentia adhibeatur. Necessè primùm est, ut appropinquet JESVS: si enim ab ejus gratia, & lumine longè simus, nec nos ipsos poterimus, nec illum cognoscere. Aperiaraus ergo oculos: Sic enim docet Isaias dicens: *Caci intuemini, & videte.* Nam de tertio, quàm scilicet necessariæ sint lacrymæ, illud satis indicat, quod per Prophetam dicit Dominus: *Expergiscimini ebrii, & flete:* Jucunditates enim hujus vitæ, mentem inebriare solent, & de gradu rationis, & dignitatis dejicere. Denique fuisse locutum Dominum videmus, ut intelligeremus nobis etiam loquendum esse, ne taciturnitate illud malum nobis contingat, quod Davidi, cum dixit: *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, &c.* Quæ omnia, ut addiscere, & complecti mente, & sermone possimus, præceptor aliquis quærendus nobis est, ut paulò superiùs dicebamus: haud verò peritior inveniri infra Deum potest Domini Matre, quæ Deum mente per fidem concepit, voluntate autem per charitatem, suis denique eum ad nostram redemptionem visceribus induit. Quis enim ita aspicere novit, ut illa, quæ nihil habuit, quò minùs respiceret Dominus humilitatem ancillæ suæ? Et quis unquam ita flevit ut illa, cujus animam doloris gladius pertransivit? Quis postremò tam sapienter locutus est? ita enim dixit: Magnificat anima mea Dominum, ob magna videlicet ab eo accepta beneficia. Et cum dixisset; fiat mihi secundum verbum tuum; novâ gratiâ facta est Patris filia, Filii Mater, & Spiritus sancti Sponsa. Non alium igitur Præceptorem quæramus, quandoquidem in puris creaturis ei æqualem invenire non possumus: sed huic humiliter supplicemus, nobis ut faveat, quo possimus ea intelligere; & facere, quæ in themate proposita sunt, mente piâ dicentes, Ave Maria.

Ut appropinquavit, &c.

Non minùs necessarium est, Deum cognoscere cupienti, ut appropinquet Domino, quàm iis, qui videre volunt, ad lucem accedere: cumque vera lux sit Christus Dominus, quâ vident se sancti in cælo, & justi in terra obsitmantur, ante omnia opus est, ut appropinquet Christus. Ex quo illud facilè conjicere licet, quòd nondum eam cognitionem simus adepti, quam cupimus, in causa esse; quòd nondum appropinquaverit Christus; aut non adeò simus ei propinqui, si fortè jam appropinquavit, ut conspiciere in eo, ejusque ope velimus. Quod cum nobis admodum sit necessa-

rium, debemus certè ei appropinquare, quòd & ipse etiam nobis appropinquet: sic enim scriptum est; Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis, &c. Jam verò, quàm id necessarium nobis sit ad cognitionem perfectam consequendam, illud aperte declarat, quòd in Joseph velut in figura expressum est. Ille enim cum in Ægypto degeret, nondum à fratribus agnitus, ^{Genes.} 45. dixit illis: Accedite ad me, & cum accessissent propè; ego sum, ait, frater vester, quem vendidistis in Ægyptum. Quæ quidem verba, nobis nos certè ostendunt, qui simus. Noster enim Joseph, noster inquam frater JESVS, bonumque nostrum, tam multis ab eo acceptis beneficiis jubet propius accedere; atque cum accesserimus dicit, ego sum frater vester, quem vendidistis in Ægyptum. Jubet itaque, quo eum possimus agnoscere, ut propius ad se accedamus, ubi verò accedimus, quo nota nobis sit nostra malitia, & in eum iniquitas, ait, ego sum, quem vendidistis in Ægyptum. Id verò illi perfectiùs cognoscunt, qui ei propinquiore sunt; participant enim magis ejus lumine, quo eis sua apertius miseria demonstratur. Quare nos in hac re Prophetæ consilium sequi oportet dicentis: Accedite ad eum, & illuminamini. ^{Psalms.} 33. Atque hoc de primo. Quod verò ad secundum attinet; idèd Christus civitatem aspexit, ut nobis ostenderet, quantum teneamur inspicere animam nostram, quæ civitas est quædam, & cives ejus nostra videlicet opera. Quocirca nullum aliud efficacius inveniri potest medicamentum illo, quo Dominus sanaturus cæcum, usus dicitur in Evangelio; expuit enim in terram, fecitque lutum, & posuit super oculos ejus: ad eandem etiam normam debemus nos, si spiritualiter videre volumus, ponere super oculos nostros propriarum miseriarum lutum, ut conspicientes nostrum nihil, cognitionem nostram, quam quærimus, consequamur: consequemur verò eam, si quod Rex David nobis præcinit, attentis auribus audiamus; ille enim hujus civitatis labores adeò peculiariter prævidit, ut ex ejus mente possimus magnam partem rerum illarum agnoscere, quæ ipsi convenire videntur. Sic enim ait ille: vidi iniquitatem, & contradictionem in civitate. O quàm aperte ^{Psalms.} 54. iniquitas civitatis hujus, id est, animæ nostræ, ab his percipi potest, qui considerant, quòd in iniquitatibus concepti sumus. Quid verò est iniquitas, & peccatum ^{Psalms.} 50. aliud, quàm nihil? Nihil ergo est origo civitatis hujus, nihil etiam cætera putari debent, quæcumque in omni vita præter

cæ-

Psalms.
31.

Luc. 1.

Psalm.
38.
Psalm.
145.
ad Rom.
7.
Psalm.
54.

cælestia consequuntur : ait enim idem Propheta : & substantia mea tanquam nihilum ante te ; finem verò ejus similem esse principio ; illud ostendit : exhibit spiritus ejus , & revertetur in terram suam , & in illa die peribunt omnes cogitationes eorum . Quis se existimet esse aliquid , cum suæ etiam naturæ initium ignoret , cum nec intelligat modum , quo conditus est , quomodo genitus , quando moriturus , nec animæ suæ naturam ; nec quid in ea insit , nec quomodo existat satis unquam cogitatione assequutus fuerit . Quis non suum nihil videat , si miseras corporis , si carnis corruptionem , si , quàm sit fami , frigori , aliisque infirmitatibus obnoxius contempletur ? Nam de pugna mentis , & corporis , quid opus est dicere ? Quis enim arrogantiam , & superbiam suam non deploret , si id cogitet , & secum reputet , quantum Dei inspirationibus sanctis resistat , quantum in bene operando difficultatis sentiat , quemadmodum luci à Deo missæ rebellis sit , quoties operandi opportunitate oblatâ in aliud tamen tempus bonum opus differat , causamque negligentiam quærat ? Aliàs quidem prudentiam speciem prætexens , aliàs verò ibi trepidans , ubi non est timor : videtur diruere scilicet bonum , quod in eo ædificat Deus , salutique propriæ adversari , & libertatem suam attenuare . Hæc est nimirum contradictio illa , de qua Apostolus ad Romanos : Video (inquit ,) aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ , & captivantem me in lege peccati . Tantam enim vim habet ejusmodi contradictio , ut non , quod volumus , bonum agamus ; sed quod nolumus malum . O magnam civitatis hujus calamitatem ! Sed graviora adhuc idem Propheta in his , quæ sequuntur , planè declarat , dicens : Die , ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas , & in medio ejus labor , & injustitia . Nullam namque aliarum civitatum ita hostes premunt , ut non interdum quiescere sinant : Cum enim nox , tum temporis diurnitas , & qui continuus esse non potest armorum usus , nonnullum relinquere solent induciarum locum . At civitatem hanc , de qua loquimur , tanquam expertus miles inquit Propheta , die ac nocte circumdari iniquitate : quibus verbis satis ejus laborem , & periculum indicat ; quippe cujus inimici , mundus scilicet , dæmon , & caro , nec labore , nec temporis diurnitate fatigati ullum intermittunt oppugnandi tempus : idque adeò , ut non solum obsideant , sed & super muros ejus iniquitatem constituent . Quod quidem nobis

tum accidit , dum veterem hominem non mortificantes , eum iniquitatibus subiectum , adeoque in majori periculo constitutum relinquimus : in magno enim periculo civitas versari solet , cum in ejus muros hostes ascenderint . Accedit ad hæc , quod in medio ejus dicitur labor esse , & injustitia , & quidem si ea consideremus , quæ hæcenus dicta sunt , vere dici potest , quod sit in medio ejus labor , sed quiddam etiam gravius forte reperiemus ; id verò est , quod cum civitatem oporteret his armis continuo se defendere , quibus suos Christus instruxit in horto , dicens : Vigilate , & orate : armis profecto excellentissimis ; quod vel illud abundè confirmat , quod eadem nocte cum duos gladios satis esse dixisset ; ad hæc tamen arma commendanda ter ab oratione surrexit , ut eorum nimirum necessitatem , & excellentiam declararet : cum , inquam , his armis civitati nostræ perpetuò utendum esset , non leviter deplorandum est , quod ea tam facile aliàs quidem somno oppressi , aliàs negligentiam , & tepiditate deponamus ; atque ita in labore civitatem constitutam relinquamus , quippe quam , cum hostes obsideant , defendere negligimus . Quid verò de iniquitate dicemus , nisi quod iniquitate civitas plena est ? Et de voluntate quidem , si advertimus , sensus , & superiores animæ potentiæ ita velut expostulantes conqueruntur ; memoriæ quidem cum sit delectari in Domino , eam tamen obcæcata voluntas propriis passionibus oblivisci Dei facit , atque in eas miseras præcipitat , quibus in perpetua amaritudine versetur . Intellectus verò , quod ei cælestium , & æternorum considerationem adimat , transitoria quærit , atque terrena . Queruntur oculi quod aspicere ex concupiscentia cogantur , unde jure poenas daturi sint : atque in eum malum reliqui sensus queruntur , ut facile civitatis hujus iniquitas appareat : nec tamen hic dicendi finem facit Propheta , sed addit : Et non deficiet de plateis ejus usura , & dolus : quod certè non minus , quàm ea quæ hæcenus dicta sunt dolendum est , quando non solum bono est destituta ; sed est in ea etiam & usura , & dolus . Quod ut intelligi melius possit , advertendum est , usuram esse mutuum dare , plusquam dederis sperando absque omni justitiæ titulo : erit itaque spiritualis usura , si simili animo quis laboret , atque operam suam collocet . Quis autem verbis consequi possit quot civitatis hujus usurarum modi sint ? Reperies , qui eleemosynam det ob vanam gloriam ; alium , qui oret solum ob orationis

Marc.
14.
Luc. 22.
Psalm.
54.

tionis suavitatem ; alium denique jejunantem humano tantum timore perterritum ; ita misso principali fine , qui Deus est , omnia in usuram quandam convertuntur , ut meritò his , qui ita agunt , dicat Dominus ; quod receperunt mercedem suam. Quanta verò est civitatis hujus miseria , quæ nec ex laboribus suis fructum aliquem capit ; nec ea colligit , quæ seminavit ? Ad dolos veniamus : qua quidem in re potius tempus , quàm materia deficiet. Quis enim civitatis hujus dolos dicere possit ? Quoties nos propriæ passionibus decipiunt ? Quoties tentationes ? Quantus verò error ille est , quo communiter mortales se esse aliquid putant , & suis ipsi viribus ita nituntur , quasi in manu propria vita sit ? Ut mirum non sit toties cadere , qui tam miserè decipiuntur , nec resistere dum infirmitatem propriam non cogitant ; qui si proprias vires considerarent , longè aliter profectò sentirent. Nec solùm nos ipsi decipimus , sed & proximos etiam miris dolis , dum videlicet alios honoramus , quo nos ipsi etiam honore prosequantur : alios quia timeamus , laudamus ; aliis , aliis de causis obsequimur , denique mille dolis , & fraudibus pleni sumus. Quamobrem dicit Scriptura : *Væ duplici corde. Eoque procedit res hæc , ut putent quidam Deum se posse fallere : sic enim in vitis quidam vitam agunt , ut illud Psalmi dicere videantur : Non videbit Dominus , nec intelliget Deus Jacob. Miserum te , qui Deum etiam fallere posse putas ; nec vides , quod paulò post scriptum est ; qui plantavit aurem , non audiet ? aut qui finxit oculum non considerat ! Usque adèd malum invaluit , ut boni quodammodo etiam in hac parte aliquando decipiantur ; qui cum meliora , & perfectiora videant , à sensualitate retentam tamen , aut alias ob causas revocati , dicere solent , nihil hoc est , mortale non est , & non videbit Dominus , nec intelliget Deus Jacob. Quos ego ita libenter interrogarem : si Deus se voluit dici Deum Jacob luctatoris , an non vobis videtur eos aspicere , qui luctantur , num se videlicet sinant prosterni ab hostibus , an contrà ipsi eos dejiciant , strenuè illorum illusionibus resistendo ? Est alius , qui spirituales viros ut insignis error detinet , qui cum sentiunt in se paupertatis , obedientiæ , & cæterarum virtutum desiderium , in eo sibi placent , & quasi à debitore Deo petunt sibi , ut faveat , quando ejus causâ pauperes , & obedientes esse cupiunt : nec advertunt hi , quantum Deo debeant , à quo ejusmodi desideria habuerunt. Ita obliti , quâ viâ in eum statum perducti sint , & quantâ obli-*

gatione Deo ea de causâ devincti , non intelligunt non sibi nova à Deo deberi beneficia , sed pro acceptis nova à se deberi obsequia. An quisquam eorum qui inopem vitam ducunt , si ejus filium Rex aliquis dedi sibi postulasset , eum ut regem faceret , regi putaret , aut dicere auderet beneficium se præstitisse , eò quòd filium non ei negaverit ? Quis ergo putare audeat obstrictum sibi fore Deum si ipsi Deo concedat ille filiam , id est voluntatem , ut paupertatis virtute decoratam Reginam eam faciat ? Servire enim Deo regnare est , pauperemque esse spiritu , esse omnium rerum Dominum : denique obedientem esse , & mansuetum , est terram possidere ; sic enim scriptum est : Mansueti autem hæreditabunt terram. Cui , rogo te , obedire solebas , cum viveres in peccato , ut magnum putes nunc si Dei legi obedias ? Meminisse certè deberes , quàm duram vitam viveres , cum dives esses ; ita posses videre quantum ei debebas , qui te ab illis priorum affectuum molestiis liberavit. Hi , atque ejusmodi alii multi sunt civitatis hujus errores , quorum non minimus is esse putandus est , quod ex his , quæ in nobis operatur Dominus , cum humiles fieri deberemus , superbi reddimur. Solet enim plerumque accidere , ut cum in operando facilitatem aliquam experimur , eam nobis temerè tribuamus , dum non cogitamus de infirmitate nostra , cujus rationem habens Dominus ita solet nobis favere. Facit enim Deus more peritissimi Ducis , qui cum iis , quos videt esse debiliores milites , solet mitius agere , ne si illos durius tractet , fortè eos amittat. Hæc dum contemplatur *Jeremias* , meritò flens dicit : Quomodo sedet sola civitas plena populo ? Meritò certè flet solam esse , cum plena sit populo. Flet verò etiam , quia plena est ; nisi enim plena esset , sola non esset. Sed his Prophetæ lacrymis omissis , nos ad Christi lacrymarum considerationem convertamur , qui videns civitatem flevit super illam. Solent quidem Medici , cum deprehenderint graviolem esse morbum , atque in periculo magno constitutum ægrotum , vultu tristitiam dissimulare , ne ille , si tristem eum videat , suum quantum sit periculum , agnoscat ; ita , dum lætitiã ostendit , se ægroto consulere putat : longè secus verò Medicus noster Christus nobiscum agit , qui cum sciat , quanti referat , ut proprias infirmitates , nostraque pericula agnoscamus , tristitiam vultu præ se fert , & ægrotum conspiciens flet , ut iste videlicet ex eo posset morbi gravitatem con-

Eccles.
2.

Psalms.
93.

Jerem. l.

ficere. Si enim medicus, in cujus manu fa-
 lus est, ob ægritudinem tamen infirmi
 flet, quantò æquius esset. ut fletet ægro-
 tus? itaque dicebat filiis Hierusalem Do-
 minus: Nolite flere super me, sed super
 vosipsas: indicans planè nonnullis la-
 crymas, quia non super se flet, parùm
 prodesse. Scimus flevisse Esau, sed non
 super se, sed causâ sui; ita nobis sæpè
 solet proprius amor lacrymas exprimere,
 dum nobis laborantibus tenerè compati-
 mur. Flet autem Christus, ut extergat,
 depellatque inutiles lacrymas ab oculis
 nostris; jubet verò flere nos super nosip-
 sos; possumus quidem passionem ejus fle-
 re, sed super nos solos culpas flere debe-
 mus. Flendum quidem est, quod tam
 multa passus sit Christus, sed illud non est
 omittendum, ut super nosipfos fleamus,
 qui ei doloris tanti causâ fuimus: idque
 nobis cogitandum est, quod illum quidem
 Judæi comprehensum tenuerunt, sed eum
 tenemus nos etiam tanquam comprehen-
 sum, dum quò minùs in animis nostris re-
 gnare possit, imperfectionibus propriis
 impedimus. Deduxerunt illi Christum
 à iudicibus ad iudices; idem facimus nos,
 qui tam sæpè malè de proximis judica-
 mus, & eorum facta per varia mentis
 nostræ iudicia traducimus. Vulnerarunt
 illi, Christi jam mortui latus, nos con-
 tra voluntatem regnantis, & in æterni-
 tate viventis, dum aliquid facimus; quid
 aliud, quàm ejus cor vulneramus? Id
 quod ille aliquando de Paulo conquestus
 dicebat; Saule, Saule, cur me persequeris?
 Quantò verò nos Judæis crudeliores
 sumus, qui Christum in laboribus positum
 nulla ex parte levamus; cum illi Chri-
 sto laborem, quæsito Simone, qui cru-
 cem portaret, nonnihil levaverint. Bo-
 num quidem est flere, cum Christum vi-
 deas opprobrium esse hominum, & ab-
 jectionem plebis, sed illud nihil minùs
 utile, si fleas cum te vides tam libenter
 honores admittere, parumque curare, ut
 Christi exemplo contemni velis. Flendum
 quidem, & meritò, cum Christum vi-
 deas adeò à suis derelictum, ut dicat, con-
 siderabam ad dexteram, & non erat qui
 cognosceret me, sed illud non minùs do-
 lendum, quod tanto neglecto exemplo,
 nunquam nos nec notis, nec amicis de-
 stitui patimur. Est quidem æquum senti-
 re Christi paupertatem; sed illud est ni-
 hil minùs flendum, quod eam nolimus
 imitari: Denique pium est Christi mor-
 tem flere; sed illud etiam pium, si ge-
 mamus toto pectore, quod nos nec-
 dum ejus causâ mortuos sentiamus. Ne-

Luc. 22.

Genes.
27.

Mat. 9.

Psalms.
141.

que (quod deterius est) dum vide-
 mus Christum mortuum, optamus mor-
 tem, nec nobis vita hæc longa esse vi-
 detur: sunt certè tam multa, cur me-
 ritò flere debeamus, ut nullis me ea pu-
 tem verbis pro dignitate persequi posse.
 Ad id igitur veniamus, quod est in the-
 mate nostro postremum, & videamus,
 quàm nobis necessarium sit nobiscum
 loqui. Audiamus verò primum dicentem
 Isaiam: tacui, semper silui, patiens fui,
 sicut parturiens loquar; dissipabo, & ab-
 sorbebo simul. Ex his profectò verbis fa-
 cilè potest intelligi, quàm sit incommodum
 tacere, & ad sensualitatis nostræ impetus
 connivere, quamque sit necessarium par-
 turientis more, id est, vehementer, & ex
 magno dolore loqui; vehementer quidem
 ut dissipentur peccata: dolore verò, quod
 ea fuerint à nobis commissa. Quando ve-
 rò loqui necesse est, quæ alia, obsecro,
 possumus verba dicere, quæ tantùm, aut
 possint valere, aut nobis prodesse, quan-
 tùm ea valent, quibus usus est Christus,
 dicens. Si cognovisses & tu? Si cognovis-
 ses inquam, quanti sit pretii, de Deo ex
 amore cogitare? Si cognovisses quantum
 tibi nocuerit in eis non esse, quæ Patris
 cælestis sunt, multò profectò diligentius
 dirutæ civitati remedium quæreres. Si
 cognovisses, qui sis dum terram amas;
 enim verò dum diligis Deum, facilè timo-
 rem omnem abjicis, ut Dei charitate re-
 pleri possis. Si cognovissetis mei oculi;
 quàm fueritis inutiles, incautè, bruto-
 rumque more circumspiciendo, immen-
 sam profectò lacrymarum copiam profun-
 deretis. Eoque magis si perpenderetis,
 quantum ex creaturarum contemplatione
 fructum percipere potuissetis, quantum-
 que in ejus amorem excitari, qui eas vo-
 bis tanto amore concessit; essetis quidem
 potentiis animæ tanquam folles quidam,
 quibus in eis divini amoris flamma excita-
 ta indes cresceret. Si cognovissetis, & meæ
 aures, quale fuerit vanis fabulis delecta-
 ri; quale verò sit ea, quæ per suos con-
 cionatores Deus loquitur, interioremque
 sponsi vocem auscultare, de qua scriptum
 est: Anima mea liquefacta est, ut sponsus
 loquutus est; certè surditatis vestræ duri-
 tiam sentiretis. Quod si cum perditè quæ-
 reres, anima mea, suaves odores, pari
 diligentiam Dei suavitatem in omnibus quæ-
 sivisses (potest enim facilè conjici ex so-
 le Dei claritas, fortitudo ex igne, ex
 melle dulcedo;) quantum (Deus bone)
 quem nulla ex alia re recepisti, hunc fru-
 ctum inde percepisses? Facilè profectò di-
 ci non potest, quàm fueris Deo ingrata,

Isai. 42.

Mat. 5.

ò anima ; cui cum deberes , tamquam myrrha electa dare suavitatem odoris , pro suavi odore foetorem dedisti. Nam de gustu quid dicam aliud , quàm quod in hunc modum Job ait : Potest aliquis gustare , quod gustatum affert mortem ? Utinam videres , quid sit delectari amaris , & quod verè dulce est , amarum non putare ; diceres profectò cum eodem Job : quæ prius nolebat tangere anima mea ; nunc præ angustia cibi mei sunt. Si cognovissetis , maris meæ quanto cum labore , & periculo peccati mortua opera faciebatis , videretis profectò apertè , quàm verè illud de vobis scriptum sit : Manus habent , & non palpabunt. Si divinas considerationes , quas laborantibus in vinea Deus afferre solet , cognosceretis , diceretis certè cum Propheta : Deum exquisivi manibus meis , & non sum deceptus.

Psalm.
76.

Denique si cognovisses & tu , anima mea , ut non possis , quin aliquid agas , quantum verò periculi plenum sit , si malè agas ; quanti autem detrimenti , si non benè agas ; quantum porrò in eo lucri , si sis in Dei gratia ; quantam (bone Deus) in charitatis operibus diligentiam poneres ? Nullam (sat scio) bene operandi intermissionem faceres. Nec ullum , plura ut inde posses opera facere , somnum dares oculis tuis. O te beatam , si te cognovisses ; si te inquam , aliquà posses ratione cognoscere. Quid dicam tandem de meipso ? quid aliud sum , quàm clavi , quàm flagellà , quàm crux , quàm hasta , quàm causa mortis Christi Redemptoris nostri ? Nam nec clavus , nec crux illa in culpa fuerunt , nec Christo potissima doloris ratio. Quin etiam suum ipsæ de Christi morte dolorem insensibiles creaturæ quodammodo testatæ sunt. Ego autem , ego inquam sum , qui Christi manus meorum operum nequitiam transfixi , ejus corpori carnis meæ infirmitas tanquam flagellum fuit. Ego ejus latus tanquam hastà aperui , dum ejus voluntati non parebam : ei acetum propinaveram dum de aliis detraherem. O filii hominum , usquequò gravi corde ? En , ò homo , quis sis , & demittes facile alas vanitatis tuæ : O si cognovisses & tu , quàm æquum sit , te , qui durus fuisti clavus Christo , esse amarum tibi , & cum anima tua durius agere ; Quique fuisti Crux Christo , esse crucem tibi ipsi negando propriam tuam voluntatem , eamque tanquam perfidam puniendo , & qui fuisti mors Christo domino , esse mortificationis causam tibi , cum pudore cogitando , vitam te ab eo accipere , cui tu mortis causa fueris ! O quàm est tibi necessarium , pec-

cator , hæc non oblivisci , sed in crucifixo Christo tanquam in speculo te ipsum conspicere , in ejus transfixis manibus agnoscere crudelitatem tuam , in ejus vulnerato capite tuam superbiam , in tormentis ejus , & laboribus tui peccati gravitatem ! Quod si æternus Pater in filio unigenito tam severum justitiæ exemplum edidit , quid de te fieret , si tecum , ut justitia postulabat , agere voluisset ? O si diligenter perpenderes , quemadmodum tecum Deus agat , quàm clarè cognosceres , neminem hominum unquam tanto amore quempiam dilexisse , aut tam multas amandi rationes excogitasse ! Nullum certè reperire potes sponsum , qui sic sponsam dilexerit , ut Christus animam. Nam si solent sponsi eis , quas charissimas habent , sponsis & blandiri , & quibuscumque possunt in rebus placere , facit idem Christus cum suis , qui se , (modò advertas ,) mille tibi modis , quo te inveniat , & recreet , præsentem , exhibet. Si egrediaris ad forum in paupere tibi occurrit , ut ei subvenias ; imò verò , (ut melius dicam ,) quo tibi ipse subveniat : petit aliàs tanquam infirmus à te salutem , te ut servet ; aliàs te in carcere expectat , ut oppressos liberes , sed te ipsum à tetiori carcere liberaturus. Quid plura ? Consilium suis fidelibus à te quærit , ut dum tu eis consilium das , æternà te ille sapientià donet. Jam verò si sponsi sponsis munera mittunt , quanta illa sunt munera , quod tibi tot ejus creaturæ continenter serviant , quòd Christus tibi vitam , & spiritalia dona largiatur ? Si læticiam , & gaudium sponsi inter se procurant , sepius id Christus facit , quotidie cælestia sponsis suis gaudia præsentans. Quid enim nobis aliud Ecclesiæ militantis celebritates referunt ? Quod si sponsi maximam temporis partem cum sponsis traducant , sponsus hic animarum nostrarum nos nunquam deserit ; in eo enim vivimus , movemur , & sumus. Si gestant quidam sponfarum nomina argento , & auro impressa , Christus nos , quemadmodum legimus , in manibus suis scriptos habet. Si celebrant illi convivia , Christus suo sanctissimo corpore suos pascit , suasque dicit delicias esse cum filiis hominum. Demùm rationes vide , quibus te in sui amorem pertrahere studuit , ut enim duritiam tuam in oratione molliret , sanguine sudans oravit ; ut ejus doloribus compatereris , alligari ad columnam voluit , & flagellari ; ut te humiliares , spinis se coronari passus est : Denique ut eum amares , mori voluit. O si cognovisses & tu , ex quanto id amore processit , videres certè parum esse semel pro illo mortem

oppeterè, justumque putares, ut omnes in te creaturæ conversæ, tuæ ingratitude nis à te pœnas repeterent: diceres montibus, cadite super me, & collibus coope rite me; nihil tibi asperum esse; nullus labor gravis videretur: quin eos etiam, qui te persequerentur, amore prosequeris, quippe quibus in persecutione tua tecum conveniret: caperes ex lapidibus fructum, dum iis pro pulvinari uteris; ex vestibus item, dum asperioribus indueris: ex cibis denique, dum amarioribus pasceris. Illud jam reliquum est, ut quæ diximus, quatuor illa opere exequamur, quandoquidem & necessaria admodum sunt, & per gratiam facilia. Quid enim facilius, quam appropinquare Deo, qui tam propè est? Illud est potiùs difficile, ut ab eo separari possimus: nec enim possumus usquam ire, ubi ipse non sit. Itaque mirari debemus eos, qui audent inimicum sibi Deum facere, à quo nec longiùs abire possunt, nec nisi in ejus conspectu dormire, & vigilare. Unde David; Quò ibo (inquit) à conspectu tuo, & quò à facie tua fugiam? Quod si omnibus tam præsens est, quantò erit his præsentior, qui eum quærunt? Id quod velle eo possumus faciliè intelligere, quòd prodigum illum, de quo est in Evangelio, cum adhuc longè esset, videns eum Pater ipsius, misericordiâ motus est, & occurrens cecidit supra col lum ejus. Rem profectò consideratione dignam, quòd à longè adhuc pos itum pater amplexurus accesserit; indica tur verò inde infinita Dei bonitas, magna que per eam in eo inveniendò facilitas. Ec quid esse facilius possit, quàm eum inve nire qui dicit: inventus sum à non quæ rentibus me. Quantò putamus hunc faciliùs ab his posse inveniri, qui eum quærunt? Num, quod secundò propositum est, cui sit difficile, nempe videre; quando viden di cupiditate permoti homines tam longè à patria peregrinari solent, idque ut va num aliquid videant? Cur ergo quod sine labore, & periculo per Deum possunt, non seipsos vident, quando in se homo multò habet plura, quàm mundus conspectu digna; omnia enim propter homi nem creata sunt. Id ergo quærant homi nes; etenim scriptum est; Videbunt recti, & lætabuntur. Audiant verò, ut ad lacry mas (quod erat tertium) excitentur, quid summa Veritas promittat, dicens: Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Postremò, ut nobiscum nosipsi interiùs loquamur, illud Job nos moveat: Loquar in tribu latione spiritûs, confabulabor cum ama ritudine animæ meæ, & revelabor lo-

quens mecum in strato meo. Quod si tan tus hic vir, & tam sanctus, dum esset in tri bulationibus suis, seipsum interioribus collo cutionibus consolabatur, cur nos tantum remedium negligamus? Cum præ fertim id tantum, tamque verum gaudium speremus? Sic enim scriptum est: exulta bunt renes mei, cum locuta fuerint recta labia mea. Quæramus igitur thesaurum cognitionis nostræ, isque quâ ratione quæ rendus sit ex. Evangelii verbis intellexi mus: quem nos si viderimus, continuo ut eum possimus emere, omnia nostra vendemus: tantum enim est consecutus, qui reperit thesaurum hunc, quantum nec argento, nec auro emi possit: multò nam que majus est gaudium eorum, qui se per Deigratiam agnoscunt, quàm si ex teterrimo carcere educti orbis totius dominium obtinerent. An tibi non videtur summæ esse causâ lætitiæ, quod se quis sentiat vi vere super terram, sub qua esse se videt suis peccatis commeruisse? An ille lætitiâ plenus non sit, qui inferni, quas meruit, cum Domini claritate, & creaturarum pul chritudine, quas conspiciat, tenebras con fert? An non est illius gaudium meritò maximum, qui dum considerat, quemad modum à dæmonibus tractari meruit, non se ab hominibus tractari videt; quando quidem si malè ab his tractaretur, boni de beret id consulere, & in lucro ponere. Jam verò si cogitet, quæ sit illorum vita, de quibus dici potest: Bonum erat, si na tus non fuisset homo ille, seque probabi liter videt & Deum amare, & ei placere, illumque Angelorum more laudare; cur hic non maximo gaudio repleatur? Appa ret planè illum prudenter agere, qui pro agro hoc, in quo tantus est thesaurus, id totum dederit, quidquid habet. Sunt ta men nonnulli (quod dolendum est) qui quamvis res suas exterius reliquerint; nec dum tamen agrum hunc reperire volue runt. Cujus rei causam hanc possumus di cere, quòd non plenè omnia reliquerint, sed aliquid vel affectum, vel proprietatem adhuc retinent, quæ illos, quo minùs possint thesaurum hunc cernere, offusis videlicet tenebris, impediatur. Quocirca diligens nobis est adhibenda opera in re hac. Argumento autem esse poterit ad id cog noscendum; an videlicet in nobis sit vera nostri cognitio; quod nosipsos odio prosequamur. Ubi enim se quisque agnoscit maximè, tum se maximè odio habet; quo autem se minùs agnoscit, minùs etiam se odit. Supplicemus igitur, Domino, suæ nobis sapientiæ lumen infundat, quo civitatem hanc, id est, animam nostram conspi-

Psalm.
138.

Luc. 16.

Psalm.
106.

Matth.
5.

Job. 7.

Proverb.
23.

Matth.
15.

Matth.
14.

spicientes, super eam fleamus, atque in dies in Dei cognitione crescere, & in ejus amore proficere mereamur. Amen.

TRACTATUS II.

De Christianis Operibus.

Auctoris epistola ad Religiosissimam feminam Franciscani Ordinis sancta Clara Monasterii Gandiense Abbatisam, suamque amatam, & in Christo Dominam.

4. **C**Um cuperem, Reverenda admodum Mater, tibi pro iis molestiis, aliqua ex parte satisfacere, quarum tibi meis sæpè peccatis causâ fui; non me id putabam, nisi bonis operibus, facere posse, eaque mihi deesse videbam: id ergo consilii cepi, ut me Christi operibus sanctissimis conjungere assiduâ meditatione contenderem, sperans futurum, ut ejus meritis, atque exemplis, boni aliquid tandem aliquando possem efficere. Eâ itaque gratiâ in hunc tractatum, qui speculum Christianorum operum dici potest, nonnulla congesti, quæ mihi ad eam (de qua supra dixi) satisfactionem commoda videbantur. Ea tibi, Mater observandissima, mitto, atque offero, tuamque Reverentiam oro, ut me tuis orationibus adjuvare non desinas, quandoquidem ad eum infirmus sim, ut nec tibi sine ope tua audeam satisfacere. Debes quidem hoc, si non mihi, at saltem Domino, & præceptorum tuo Christo, qui in cruce pro nobis omnibus, ut satisfacere pro peccatis possemus, se patri obtulit. Cum sit, (ut est in Psalmo) redditurus Deus unicuique secundum opera sua; illud nos Apostoli consilium amplecti oportet, quo admonet, ut operemur bonum, dum tempus habemus. Veniet enim (ut est apud Joannem) nox, quando nemo potest operari. Quamobrem simul ac conceptum est aliquod bonum opus, judicioque rationis probatum, & à voluntate ita admissum, ut id, quod sit ad Dei gloriam; aut utilitatem proximi, aut Scripturæ sacræ consentaneum, facere instituerit: diligenter, nullaque interpositâ morâ exequendum est. Si enim bona cum possumus operari, negligamus, magnum ex eo accipiemus detrimentum, satiusque foret non deliberare, quam ubi deliberamus non facere, quæ facienda esse duximus. Vulgatum est illud: infernum esse plenum bonis desideriis. Unde nullum ego putarem præsentius esse remedium hominum malis, quam bona opera. Si enim peccatum sit, ut peccatum deseramus, ad-

juvant: si verò satisfaciendum sit, non nisi bonis operibus id præstari potest: si velit quis perseverare, nec id nisi operibus bonis consequi potest: Quia qui operantur in me, non peccabunt, sicut dicitur in Eccles. Quare imitandus est nobis Isaïas Propheta, qui dicit: Et opus meum cum Deo: faciendaque nobis in Deo opera, & ad Dei gloriam referenda: ita enim fiet, ut sint stabilia, & permaneant. Quia verò nostra opera Deo, nisi per Christum, placere non possunt: ut & possint esse grata, atque in ejus conspectu consistere, cum Christi operibus conjungenda sunt, patrique æterno offerenda: ita enim fiet, ut quæ per se, nullius ad beatitudinem momenti sunt, Christi meritis, & gratiâ, in Dei conspectum admittantur, idcirco enim Christus induit paupertatem nostram, ut suis nos ipse divitiis indueret: itaque voluit ambulare, comedere, jejunare, dormire, vigilare, atque ejusmodi alia opera facere, nostræ utilitatis causâ, ut ea videlicet Patri offerremus, atque ex ea oblatione possemus fructum plurimum referre. Quamquam verò pro talento sibi credito possit quisque ex hac exercitatione fructum capere; nec sit necesse his esse alligatum, quæ hîc dicemus: visum est tamen pauca de hac re scribere, quæ possent rudioribus saltem prodesse.

ARGUMENTUM.

TRia sunt, quibus exerceri animam convenit, ut ejus opera in divinæ majestatis conspectum ascendere mereantur. Ea verò sunt. Primum, ut se in singulis rebus confundat. Secundum, ut Deo gratias agat. Tertium, ut aliquid à Deo petat. Quibus quidem etsi in omnibus uti possit; nos tamen ea hîc solum accommodabimus, quæ quotidiana sunt. Tu verò ex his possis facillè intelligere, quemadmodum te in reliquis gerere debeas. Ut ergo à primis incipiamus.

Cum te manè vestibus induis.

Confusio. Confundere, quod te induas, cum Christus in cruce nudus tuâ causâ sit.

Gratiarum actio. Gratias age, quod nostram ille humanitatem pro nobis induerit, quos sciebat fore beneficio tanto ingratos; quod nos gratiæ, quam sæpè laceravimus, veste induerit.

Petitio. Petas autem ut quando te vestis, sit ei gratum illud opus; atque id eum ores per eam ignominie vestem, quâ ab Herode indui jussus est.

Cum audiendi sacri causâ templum adis.

Confusio. Confusio sit, quod Deum ad-

remissè dilaudes, dum audis rem sacram, cum ita perfectè Angeli, & perpetuè ejus laudibus personent.

Gratiarum actio. Grates ipsi reddas quod cum domo peccatis implicitus tam sæpè abieris, ille tamen toties te, & stans ad ostium, pulset.

Petitio. Pete, ut per eam charitatem, quâ beatissima Virgo filium in templo præsentavit, tu Deo præsentari, & Spiritûs sancti templum effici merearis.

Cum oras.

Confusio. Considera tuorum peccatorum multitudinem, & cum Publicano dic: Deus propitius esto mihi peccatori.

Gratiarum actio. Gratuleris, quod pro te Christus orarit, idque tibi impetrarit, ut cum tu oras, exaudiaris.

Petitio. Pete, ut per eam orationem, quam in horto Christus fudit, ea dignetur dona concedere, quæ nos oratione Dominicâ petere jussit. Recitabis verò eam semel.

Cum Sacrum audis.

Confusio. Confusio sit, quòd te negligenter præparaveris, ut Deo in Sacro assisteres; quodque beneficii hujus continuationi, quæ te debuit magnoperè permovere, ut id magni faceres (est enim immensæ Christi charitatis argumentum); negligentem; adeoque ingratum te reddideris.

Gratiarum actio. Gratuleris, quòd te veluti Angelum efficiat, dum vivâ eum quem adoras, fide confiteris. Est enim Angelorum, Deo assistere, eumque sine intermissione laudare.

Petitio. Pete, ut per illud Crucis sacrificium, cujus hoc monumentum est, sui sanguinis tibi merita impertiat: tibi que hujus sacrificii virtute eam lacrymarum copiam det, quibus peccata abluas; faciatque, ut mortuo in te veteri homine, cum Christo resurgas.

Cum mensa assides.

Confusio sit: Quod ejus pane vescaris, cui infidelis, & ingratus hætenus fueras.

Gratiarum actio sit: Quod te, cum ipsius inimicus esses, hætenus enutrierit.

Petitio sit: Ut per eum amorem, quo in deserto turbas paucis panibus saturavit, suæ gratiæ pane te quotidie pascat.

In negotiis, quæ ad nostram, vel proximi utilitatem pertinent.

Confusio sit: Quod nos nostram, vel proximi causam Deus agere velit, cum nos nobisipsis, atque aliis sæpè detrimenti causa fuerimus: cum præsertim tanti momenti sit proximorum utilitati studere, ut eâ causâ Christus in hunc mundum venerit, ut nostram videlicet, & proximorum causam ageret.

Gratiarum actio sit: Quod cum Deus tuis negotiis nihil indigeat, ita ei tamen, quasi iis indigeret, grata sint.

Petitio sit: Ut per eam charitatem, quâ dixit in iis oportere se esse, quæ sui Patris erant: Eam nobis gratiam concedat, ut in iis semper simus, quæ ad ejus gloriam, & honorem pertinent.

Cum vesperi oras.

Confusio sit: Quod Deum ita alloquaris sine attentione, quem timentes Dominationes, & Potestates adorant.

Gratiarum actio sit: Quod ad orandum animum nobis tribuerit, & jubeat, ut à se petamus.

Petitio sit: Ut per eam voluntatis suæ cum Patris voluntate consensionem, quâ in horto sanguine sudans, Patri dixit: Non quod ego volo, sed quod tu: divinæ voluntati conformes, & in vita, & in morte esse mereamur.

Cum cænas.

Confusio sit: Ob negligentias eo die commissas: Quare dolens comede, & dic cum Propheta: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte.

Gratiarum actio sit: Quod prandii beneficio ingratis cœnam etiam præparaverit.

Petitio sit: Ut per eam charitatem, quâ se in ultima cœna in cibum dedit: nos præparet, ut humiliter recipiamus tam cælestes delicias, tantoque Deo semper charitatis vinculo conjuncti simus.

Cum oras, cubitum iturus.

Confusio. Confusio sit, quod cum Christus in cruce tanto & amore, & dolore pro te preces fuderit; tu tamen parum ames, parumque doleas.

Gratiarum actio. Jesu gratuleris, quod mori pro te dignatus sit, ut tu vivas.

Petitio. Pete ut per eum dolorem, quem sensit in acerbissima cruce moriens, id nobis concedat, ut in morte nostra mortis ipsius recordemur, & propter ipsius mortem nostra sit æterno Patri accepta.

Cum te noctu vestibus exuis.

Confusio. Confusio sit, quod requiescere in lecto vis, idque exutus vestibus, cum pro te Christus, & indutus vestibus somnum ceperit, & ubi caput reclinaret aliquando non habuerit.

Gratiarum actio. Gratuleris, quod iis, quæ pro te passus est, tibi veterem hominem exuerit.

Petitio. Pete autem, ut per eum dolorem, quem sensit cum vestibus crucifigendus exueretur, nos malis mentis habitibus, & moribus exuat, ut nudi rebus terrenis, crucem amplectamur; atque in cruce morientes, nuptialem vestem

A a a merea-

mereamur, quam præparavit æternus Pater diligentibus se.

FINIS PRIORIS EXERCITII.

6. **Q**uia verò longum esset exercitii hujus formam ad omnia nostra opera accommodare, hæc satis sint; ex quibus, quemadmodum reliqua ad hanc normam redigenda sint, facile colligi potest. Quod si cui placeat in cæteris etiam exerceri; hac quæ sequitur, formâ uti poterit.

Cum stat, qui huic devotioni incumbit.

Meminerit stantis ante judicem, nempe Pilatum, Christi.

Cum sedet.

Sedentis Christi, cum ei illudentes impii dicerent: Ave Rex Judæorum.

Cum ambulat.

Per Samariam transeuntis; itemque in Calvariae montem ascendentis.

Cum defatigatur.

Defatigati ex itinere, & super fontem sedentis.

Cum equo insedit.

Veſti aſino, atque Hieroſolyman ingredientis.

Cum agrotos inviſit.

Ægros ſanantis.

Cum ejus bona opera reprehenduntur.

Accuſationis Judæorum; eorumque murmuratiſſionis, quod Chriſtus in Sabbatho curaret.

Cum ei ab aliquo aſperius reſpondetur.

Recordetur ejus reſponſionis; ſic reſpondeſ Pontifici: ejus etiam colaphi, quem in Chriſti faciem ſacraſſiſſimam impius miniſter impigit.

Cum fame premitur.

Ejus, quam in deſerto paſſus eſt Chriſtus.

Cum friget.

Algentis in præſepio Chriſti.

Cum ſitit.

In Cruce ſitientis.

Cum excitatur à ſomno.

A ſuis Diſcipulis, cum in Navi dormiret, excitati.

Cum in adverſis deſeritur ab amicis.

A fugientibus Diſcipulis deſtituti.

Cum diſcedit ab amicis.

A Virgine ad paſſionem abeuntis.

Cum de ejus bonis operibus detrahatur.

Detractionis Judæorum contra Jeſum, cum dicerent: in Principe dæmoniorum eſcit dæmonia.

Cum publicè contumeliâ patitur.

Producti Domini ad populum à Pilato, dicente, *Ecce Homo.*

Cum falſò accuſatur;

Accuſati in domo Caiaphæ.

Cum injuriam patitur;

Ad mortem iniquiſſimè condemnati.

Cum dolore, aut morbo gravatur;

Flagellis cæſi ad columnam, ſpinisque cincti, atque in crucem adacti, ubi à planta pedis ad verticem non erat in eo ſanitas.

Denique cum morti propinquus eſt;

Morientis Chriſti recordetur, atque in Patris manus ſuum ſpiritum commendantis.

Atque ita in omnibus Chriſto, quem ſimilia aut feciſſe, aut paſſum eſſe meminit, ſeſe offerat. Ita ex his, & ſimilibus affectibus, magnum; qui ſe ex charitate hoc modo diligenter exercere velit, fructum reſerre poterit.

Porro, quia haſtenus ſerè exteriorum rerum exempla poſita ſunt; de interioribus nonnihil etiam addendum putavimus. Idque in ſpiritualium præſertim virorum gratiam, qui non tam corporis, quam ſpiritûs moleſtias, & labores ſentiunt.

Cum igitur à ſe datum ex charitate conſilium videt à proximo non recipi: meminerit Chriſti etiam conſilia fuiſſe à plerisque ſpreta.

Cum offendi paſſim Deum ægrè fert: vehementer commotum Chriſtum ex Templo vendentes, atque ementes aliquando eſſe recordetur.

Cum videt ſpiritualē aliquem amicum virtutis viam deſerere: quid Chriſtus ſenſerit, cum Judam vidit veritatis viam deſerentem, ſibi ob oculos ponat.

Cum conſiderat, quàm pauci ſint Paſtores in domo Dei; qui ſuo pro dignitate munere fungantur: cogitet, quid ſenſerit Chriſtus, cum dixit: Meſſis quidem multa; operarii autem pauci.

Cum dolet ob defectus proprios; ſciat vidiffe Dominum eos antequam eſſent, & doluiſſe.

Cum videt collapsum aliquem ex perfectionis ſtatu; meminerit quàm Chriſtus ægrè tulerit caſum Petri, cum antea eum fuiſſet conſeſſus Filium Dei, & tranſfiguratum in monte eum vidiffet.

Cum tentationibus premitur; quas Chriſtus tulerit in deſerto, recordetur.

Cum videt malis bonorum ſocietatem diſplicere: quo animo Chriſtus fuerit cogitet, cum Gerafenos, ad quos bonitate, & charitate permotus venerat, rogantes videret, ut ab illorum ipſe finibus tranſiret.

Cum dolenter proximi alicujus peccata videt; cogitet appropinquantem Chriſtum Hieroſolymorum civitati ſuper eam fleviſſe.

Cum

Cùm imperfectam fidem habere quemquam videt : meminere dicentem Christum : O generatio incredula, usquequo patiar vos ?

Cùm irridet bonos mali : sciat dictum esse Christo in Cruce; alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.

Cùm hi, qui malè vixerant, moriuntur: magnopere doluisse Christum noverit videntem paucis suum esse sanguinem profuturum.

Cùm sibi devotionis spiritum deesse sentit : dicentem Christum audiat ; Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ?

Cùm Dei quis nomen blasphematur : vidisse id Christum olim sciat, & doluisse.

Cùm se dulcedine quæ oritur ex familiaritate Dei privari sentit, ei quæ cupit esse quàm conjunctissimus; aut cum se hujus vitæ periculis eripi optat : cogitet quanta illa fuerit Christi charitas, cum Patrem pro re hac ita oraret : Pater pro eis rogo, ut unum omnes sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.

7. Hæc (inquam) ita cogitanda; & cum quid accidit, id in mentem reducendum, quod Christus in simili statu constitutus senserit, ei quæ quod nos vel agimus, vel patimur, offerendum. Qua in re sedulam quisque debet operam ponere, nec sibi tantam salutis occasionem oblatam eripi sinere : alioquin non solum turpis negligentia, sed etiam insignis nobis erit ingratitude nota, si quæ tam facile possumus assequi bona, parvi faciamus. Quare te oro, moneo, atque hortor, ô anima, quæcumque sis, ne tantum bonum negligas, sed cogites quàm sit facile, quod à te exigit Deus; quanta verò tibi largiri cupiat. Petit enim à te, quæ etiam ipso non petente deberes facere. Deinde ambulandum est, & comedendum, & laborandum, & ægro-tandum denique, ac moriendum. Quæ tu, & hujusmodi cætera, si tuâ, aut mundi causâ agas, vel patiaris, & laboriosa erunt, & nullum ex iis fructum referes : si autem Christi amore agas, ac feras illa; & erit tibi levior labor (recreat enim Christus pro se laborantes) & ubi ipsa transacta erunt, præmium accipies, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec ulla potest lingua enarrare. Quamobrem committendum nullo modo est, ut tantam culpâ nostrâ felicitatem amittamus : sed in id potius totis viribus incumbendum, ut Christum in omnibus imitemur. Ita fiet, ut illa nos subinde verba consolentur. *Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vite* : Lucem videlicet illam, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc

mundum, omnesque beatos in vitæ æternæ portum feliciter perducit; Quo nos Deus gratiâ suâ tandem aliquando perducere dignetur, ut Patrem, Filium, & Spiritum sanctum laudemus, & glorificemus in secula seculorum. Amen.

TRACTATUS III.

Collyrium Spirituale.

PROLOGUS.

EX damnis, quæ nobis superbia affert, potest humilitatis fructus agnosci, quæ eò in scriptura magis celebratur, quod magis est ad vitam spiritualem inter virtutes cæteras necessaria; quippe quæ totius est ædificii spiritualis fundamentum. Parùm enim proderit, scientiam, aut fortitudinem, aut liberalitatem, aut ejusmodi virtutes acquisivisse, nisi eas quis humilitate conservet. Etenim quid prodest Elæmosyna, quam, cum destituitur humilitate, vanæ gloriæ vitium inficit? Quis porro fructus ea, quæ fortiter facta putantur, sequi potest, si humilitate careant ii, qui ea gesserant? Quod cum de reliquis virtutibus dici possit planè apparet, magnum esse superbiæ detrimentum : id quæ vel ex eo cognosci potest, quod hæc una de cælo. Luciferum deiecit, & hominem ex eo, quo fuerat honore præditus, deturbatum, similem jumentis effecerit. Quod cum ita sit, non puto esse necessarium humilitatis virtutem magnopere commendare, sine qua, quod altum hominibus esse videtur, abominabile est ante Deum : tantùm itaque ea tradam, in quibus si diligenter versemur, hanc poterimus humilitatis virtutem facilius consequi; quàm nisi diligenter custodiamus ab ea, quæ est inimicorum nostrorum in oppugnando dexteritas, facile erit amittere. Quare attentè quæ sequuntur consideranda sunt ei, qui velit tanto hoc præsidio contra omne genus mali uti, de quo scriptum est; Deus superbis resistit; humilibus autem dat gratiam. Quod ut studiosè facias, amice Lector, id te monere possit, quod cum Beata Virgo virtutibus omnibus cumulata esset, humilitatis tamen solius videtur meminisse, cum Dominum magnificans, dixit: Respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ; Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quod cum ad humilitatis commendationem magnopere facit, tum etiam illud quod Dominus præ cæteris virtutibus humilitatem, & mansuetudinem à se homines discere velit : quod certè omnes deberet maximè excitare ad diligenter

in hac præcipuè virtute operam ponendam.

ARGUMENTUM.

9. **C**Um id unum præcipuè nos soleat in superbiam efferre, quod nobis plus æquò tribuamus: par est tantum malum, atque animæ detrimentum, quod ei sui ignoratio affert, contrario adhibito remedio pellere. Quocirca ut solet adversarius ea menti offerre, quæ hominis cogitationem dissipant, atque à sui cognitione averunt: ita contra opus est, iis mentem assiduè exerceri, eaque considerare, quibus in vera humilitate conservetur. Quare tractatum hunc (quo instituimus docere, quo se quisque pacto in spiritualibus rebus, atque corporalibus, etiam in exterioribus, atque interioribus possit confundere, id est, de se ut debet humiliter sentire, seque in omnibus humiliter gerere,) ita dividemus, ut primo loco dicamus, quemadmodum eorum, quæ sub terra sunt, possit consideratione confundi: Secundo verò, ut ex iis, quæ sunt super terram, inanimatis videlicet creaturis, atque iis, quæ vegetandi, & sentiendi vim habent; & ex proximis denique, atque ex seipso, humilitatis fructum possit referre: postremo, ut ex iis, quæ in cælo sunt, Angelis nimirum, & sanctis, divinâ denique majestate eundem confusionis fructum reportet: ita ut possit anima ubique & humilis esse, & Deo placere.

PRIMA PARS.

Quâ traditur, quemadmodum eorum, quæ sub terra sunt, se possit anima consideratione confundere.

10. **M**Ultra sunt in inferni consideratione, quæ ad nostram confusionem, atque humilitatem plurimum valent. *Confundit nos Infernus.* Primum enim quem non moveat, quod pro superbiam peccato in tanta supplicia dæmones sint coniecti, se tamen homines qui tam multa commiserunt, necdum vident digna supplicia pati? Quem inquam, non confundat, qui in se Dei patientiam tantam experitur, ut cum Deus tam severus iudex fuerit in dæmones, sibi locum pœnitentiæ tam benigniter concedi videat? Quod eò magis permovere unumquemque debet, quod eam soleant homines in persuadendo aliis peccato diligentiam adhibere, quam à Lucifero factam nusquam legimus: non enim verbis tantum homines, solaque ut ordinariè Luci-

fer, significatione, tentationeque, sed importunis etiam precibus, sed pecuniâ, sed honore, sed vitâ; omnibus denique quibuscumque possunt modis, alios in peccatum impellunt, ut hominum malitia hac certè in parte Luciferi malitiam excedere videatur. Quod unum, hominum superbiam, eò usque deberet deprimere, tantamque eis confusionem afferre, ut ea, aliqua saltem ex parte, quod in inferno supplicii peccata merentur, compensarentur. Accedit huc, quod eò usque procedit plerumque hominum nequitia, ne dicam insania, ut ipsum etiam dæmonem soleat ad se tentandum provocare, eique ad sui interitum tanquam arma præbere; unde mihi immeritò facere videntur, qui cum ipsi damni causa sint, in dæmonem culpam solent rejicere. Quod si qui alios ad crimina pepulerunt, vix præ confusionem inter reos consistere possunt ante terrenum etiam iudicem; quantâ, par est, confusionem suffundantur, qui se cum dæmonibus ante Christi tribunal sistendos confiderent! Hæc dum quis, quâ debet attentione, secum reputet; certè debet ob propriam malitiam eò usque confundi, dum plenè intelligat, quantò non solum in hac vita, sed in ea etiam, quæ nullum sit finem habitura, suis peccatis supplicia promeruerit. Ita fiet, ut leve ei videatur omne, quicquid in hac patitur, si cum iis conferat, quæ in inferno (si cum eo pro meritis actum esset) fuisset passurus. Itaque confusionem plenus, & suam miseriam agnoscat, & eam, quâ se indignum sentit, misericordiam petat.

Ne verò quisquam eorum, qui se iis, *II.* (de quibus jam diximus) malis liberum putat, existimet non esse, cur se magno opere confundat. Unusquisque secum de hac re reputet, nihil esse cur de se minus humiliter sentiat, quin potius eò majori se confusionis obligatione obstringi, quod una eum tantis malis Dei gratia per singula temporum momenta eripiat: quæ nisi hominibus præsens esset, quis non in peccati foveam caderet, adeoque æternis suppliciis dignus esset? Cum verò hæc Dei misericordiâ effugerit, quas non ei gratiarum actiones debeat? Magna certè iis se confundendi causa inest, qui cum perpetuò Dei misericordiam tantam experiantur, tantopere nihilominus sunt ingrati, atque eò magis humiliari debent, quò se minus Dei gratiâ dignos agnoscunt, nihilque minus in Dei obsequio facere debent, quam si ex inferno educerentur, fuissent facturi. Quam si quisque obligationem rectè consideret, seque pro beneficiorum magni-

magnitudine parum posse Deo referre intelligat, tum non animum despondeat, sed illa se Prophetæ admonitione consoletur: Ne avertatur humilis factus confusus, pauper & inops laudabunt nomen tuum.

Damnati. Denique si coram dæmonibus habet homo multa, quibus se confundat, nihil se minus debet coram reliquis damnatis confundere, quando existimet multos esse ob unum peccatum tantum coniectos in infernum. Quid sentire igitur æquum est eum, qui se tanta, tamque multa peccasse agnoscit? Debet certè, dum hæc consideret, quantum illos peccatis, tantum etiam confusione, si potest, superare.

12. Jam verò si eos, qui in Limbo sunt, consideres, quantaque te Deus misericordiâ à multis, quæ accidere solent, periculis ereptum, ad Baptismi gratiam tandem perduxerit; est certè, quod plures, lacrymisque tuam in Dei obsequiis ingratitude diluas: eoque magis, quoniam qui in Limbo sunt, nullum unquam actu mortale peccatum commiserunt; tu verò quoties id commisisti, toties fuisti infernum promeritus. Quod si illi minori peccato in tam profundum locum dejecti sint, quâ tu fronte audeas super terram vivere, qui Deum toties gravissimè offendisti? quo timore vivendum, ne venias, ubi non possis Dei visionem contemplari, quâ illi multò minore culpâ privati sunt? Hæc si rectè consideres, nec illos qui in Limbo sunt, dum tua cum illorum peccatis conferas, intentis audebis mentis oculis aspicere sine maxima confusione.

Purgatorium. 13. At eorum consideratio, qui in Purgatorio sunt, eò nos debet magis confundere; quoniam illi quanquam tuto jam loco sint, tantisque mundi malis erepti, certi præterea nunquam se amplius Deum offensuros, in suppliciis tamen sunt. Nos verò & tempestatibus jactati, & salutis nostræ incerti, inter astutos admodum, & acerrimos hostes, adeoque in perpetuis periculis versamur. Quod si cuiquam confusionem minuat, quòd illos intelligat digna peccatis supplicia pendere; is ita putet, nonnullos fortasse ibi cruciari quod eos vel malo exemplo, vel pravis consiliis, vel scandalo, vel denique negligentia in peccatum impulerit; multos etiam ibi diutius retineri, quòd ejus orationibus, aliisque suffragiis minus adjuventur. Id ergo eum (quisquis ille sit) confundat, quòd eis fortè, ut patiantur, causa fuerit; & quod opem, ut liberentur aut nullam, aut exiguam ferat: propriasque putet quodammodo eorum culpas, & ob suas, quia nescit, an solo purgatorio igne sint diluen-

dæ, eò se magis, magisque confundat.

SECUNDA PARS.

Quæ traditur, quemadmodum eorum, quæ in terra conspiciamus, consideratione confundi debeamus.

14. **S**I eorum, qui noxii sunt, comparatione, nocentiores ipsis invenimur, quales coram innoxiiis, quæso, apparebimus? Etenim si eorum, qui peccarunt, consideratio nostram magnopere superbiam deprimit, quantum nos magis eorum consideratio humiliare debet; quæ nunquam à creatoris præcepto ulla in re discesserunt; inanimes dico creaturas, quæ solum vegetandi, vel sentiendi vim habent? vehementer quidem arguunt nostram inobedientiam, ingratitude, atque inertiam. Terra quidem, quæ fructum profert, nos planè reprehendit, qui infructuosi, atque steriles sumus. *Confundit nos terra.* Aqua verò, dum prata irrigat, eaque facit, ob quæ à Deo data hominibus est, quantum eos arguit, qui eam tunc creatori negant, cum ipsius nomine eam pauperi præbere omittunt. *Aqua.* Jam verò ignis, dum lapidas carnes reddit, quantum eorum crudelitatem condemnat, qui proximi carneri inclementer tractant? *Ignis.* Quantum porro aer, qui nostram perpetuò vitam tuetur, negligentiam nostram in Dei obsequio corripit, quos vel una hæc res maximâ Deo serviendi obligatione devincere potest. *Lapides.* Petræ verò, quæ in Christi passione, quanquam insensibiles, scissæ sunt, quantum deberent nostram duritiam, atque incivilitatem confundere? Est mel palato dulce; nos verò Deo amarissimi. *Mel.* Suavis est florum odor; at nostrorum quantus est peccatorum foetor? *Flores.* Crescunt plantæ, sursumque tendunt; at homo dum superbit magis, magisque indies insolescit, cui quantum esset consultius vel in hac re arbores imitari, quæ quòd in profundum plures radices jaciunt, majorem ad ramos virtutem trahunt: sic enim homo si profundas humilitatis radices jaceret, magnum virtutum fructum referret. *Plantæ.* Jam verò quem non moveant jumentorum servitia; cum illa præsertim iis exhibent, qui se peccatis jumentis similes reddiderunt? *Jumenta.* Quantum verò dignior est, qui hæc malè tractat, ut ipse deterius tractetur? aut quis non jure miretur obedire hæc illis, qui Dei voluntati repugnant? *Aries.* Induit te ovis pelle, & vestit lanâ, suisque sustentat carnibus: tu verò his, atque aliis Dei beneficiis abuteris, dumque mille modis tuæ concupiscentiæ

studes satisfacere, & creaturis, & Deo injuriam facis. Fatigatum labore levant supposito tergo jumenta, seduloque in ea resio, qui eas in hunc finem creavit, Creatori parent. Tu verò nihil minùs quàm finem tuum aut cogitas, aut quæris; certè, par erat, Deo aliquam (si ita dicere licet) quietem adferres, quandoquidem ex ejus creaturis tantum in labore levamen capias. Non est quidem, quòd quiete putemus indigere Deum, qui summa est sui, atque omnium felicitas; sed quiescere tamen (talis ejus est benignitas) quodammodo vult in justorum animis, deliciasque suas esse habitare cum filiis hominum, de quibus in hunc modum meritò conqueritur: Laboravi sustinens. O quantum verbum hoc ad nostram confusionem valere debet, cum nostris Deo operibus veluti laboris causa simus, cum quietis tamen esse deberemus? itaque non de brutis, sed hominibus dictum est: Pœnitent me fecisse hominem. Hæc te ô pulvis, & cinis humilient; hæc tibi lacrymas excutiant; idque præsertim cum creaturam suo servitio quietem tibi adferri sentis, quando non tu similiter te erga Deum geris. Cum verò jumentis tuis pabulum das, puta, quantum æquius foret illis te, quàm tibi illa servire, quæ nunquam Deo nec rebellia, nec ingrata fuerunt.

15. *Serpentes.* Serpentium prudentia, qui feruntur admotâ alterâ aure terræ, alterâ autem ne vocem incantatoris audiant, caudâ oclusâ de tua te imprudentia admonet, qui nec ad dæmonis quidem tentationes aures claudere didicisti. *Formica.* Tuam tibi inertiam formica demonstret; ea enim in æstate præparans, quæ sint ipsi in hyeme usui futura, planè tuam negligentiam arguit, qui non ea dum vivis merita præpares, quibus statim post hanc vitam maximè indigebis.

16. *Apes. Bombyces.* Quòd verò sit latior meditandi campus, Apes cogita, & Bombyces, & ejusmodi reliqua animalia; ita tibi admiranda multa, quæque magnam in te excitent confusionem, occurrent: quæ nos consultò omitimus, ne prolixiores simus: simul quòd nobis id propositum sit, ut rem tantum indicemus, quæ sit diligenter ab unoquoque cogitanda, majora melioribus ingeniis relinquentes. Hoc verò interim admonemus magnam nobis in creaturis omnibus suppetere confusionis materiam, si quoties singulæ occurrunt, persuasum habeas, te, quoties Creatorem offendisti, non id meruisse, ut earum obsequio utereris; sed ut illæ etiam in te Dei injuriam ulciscerentur. Quod cum eas necdum fecisse vides, sed tibi adhuc servire, quantas enar-

rare debes, quantaque cum humilitate Dei misericordiæ laudes & quàm sæpè porrò te ad Dei obsequium paratum offerre?

Ne verò quemquam impediat quorundam brutorum consideratio, dumque vel volutantem se in luto Suem ^{Sus.} conspicit contemplativus; aut cum resumentem Canem ^{Canis.} videt quod antea evomuerat, se illis putet esse sordidiorum; utque de rebus judicet quisque, ut par est, sciendum existimet, nihil per se malum esse, nisi quatenus in conspectu Dei, vel Dei judicio malum est. Quare cum ea, quæ de Sue, & de Cane diximus, (quippe quæ sunt eis naturalia) non habeantur mala coram Deo, non sunt à nobis mala existimanda: sed illud potius cogitandum peccatori, quale sit ipse, aut quas mereatur pœnas; etenim cum faciat Sus secundum naturam, dum volvitur in luto; facit ille contra naturam suam, cum salutem nec amat, nec Deo servit. Cumque in peccato quiescit, in quanto sordidior, quàm Sus, luto volvitur & quantoque, (cum ad relictum peccatum redit) foediùs, quàm Canis, ad vomitum revertitur? Id eum confundat, eoque magis, quod ista intelligat Deo magnopere displicere. Non itaque quemquam revocent à confusione, quorundam irrationalium animalium facta; sed sua quemque malè acta confundant, qui judicio libero præditus omne potuit, & debuit malum vitare. Atque hæc de iis quæ ratione carent. Sequitur ut dicamus; quemadmodum debeat rationalium creaturarum, id est, ^{Rationalia considerant.} proximorum nostrorum consideratio nos confundere. Sunt igitur in his superiores alii, alii æquales, alii verò inferiores. De superioribus pauca dicam; nam eorum ^{Superiores.} autoritas, & potestas, te debet movere ad humilitatem, ubi præsentem sunt; etenim nisi te humillimè coram ipsis geras, rationis judicio carere videberis, cum non consideres quam, & qualem illi personam gerant.

Confundat verò te, magnoque timore concutiat, quod cum sint hi ministri Dei non de te, qui divinam Majestatem læseris, pœnas sumant. Itaque si jubeant aliquid, si reprehendant, si castigent, id tibi, quamquam aliis durum videri possit, debet leve, & suave videri, si ve id cogites, quod mereris, si ve id memineris, quod olim sub dæmonis potestate faciebas; cum videlicet sub ejus vexillo peccatò servires, ejusque jugum ferres. Utebatur enim te tanquam carnifice, cum videlicet te, ad perpetrandum opere, aut mente homicidium adigebat. Te denique tanquam fætidorum corporum, & animarum vectore

ut-

tionibus undique oppugnare, atque ita vehementer, ut magnâ ei diligentia opus sit, qui ab illo magnum nolit accipere detrimentum. Est itaque necesse ita ejusmodi veluti habitum acquisisse, ut simul ac cum proximis aliquid agendum sit, eo singulos in honore habeamus, tanquam si nostri essent omnes aut Domini, aut præceptores: eaque unumquemque attentione audiamus, eorumque consilia sequamur, tanquam si nobis per eos Deus loqueretur: caveamusque magnopere ne nostrum illorum iudicio iudicium præferamus. Quia in re, duabus de causis peccari solet; alterâ, quod nemo in causa propria idoneus sit iudex: alterâ, quod aliquando adulatione; sæpè verò ex ignorantia haud de rebus sentiantur, ut par est. Itaque nonnunquam astuti, & vafri tanquam prudentes laudantur, & qui omnia irident, sapientes habentur, cum contrâ tamen de iis sentiendum esset. Quocirca tutum est etiam in bonis, tum gratiæ, tum naturæ, & timere, ne decipiamur, & Deo in omnibus, quæcumque in aliis viderimus, gloriam dare, omniaque semper in meliorem partem interpretari. Quod si contingat eos aliquid facere, quod rectum esse non videatur, ne utique iudicemus, quandoquidem nisi nostri non nobis liceat iudices esse; sed vel excusemus factum, vel inde mente eorum beneacta consideremus, nostraque cum illorum virtutibus vitia comparemus, ne ullum confusionis gradum amittamus. Itaque si viderimus vel mortaliter peccantes, id cogitemus, vel fecisse eos ex ignorantia, vel jam ad Dei gratiam per pœnitentiam rediisse, futurumque illis peccatum majoris hîc pœnitentiæ, adeoque gloriæ in cælo perfectioris occasionem. Ne verò quicquam confusioni depereat, advertendum in conversationibus, ubi majora solent esse pericula; ut si de mansuetudine agatur, veniat in mentem irarum tuarum: Si de rebus pulchris, tuorum peccatorum scditatis recorderis: Si de magnatum potentia sermo fiat, id consideres, quàm nihil sis, nihilque possis, tum etiam cum maxime aliquid efficere coneris; Si de aliorum avaritia quis loquitur, tua inordinata desideria videas: Si de humilitate, tuam superbiam memineris, atque ita de reliquis. Cum de urbis mentio sit vitiis, nostrorum recordemur; cum autem virtutum, eas nobis deesse cogitemus. Ita fiet, ut confusionis materia nobis semper suppetat: idque in conversationibus præsertim, ubi majus est confusionis amittendæ periculum.

In conversationibus confundunt nos.

Mansuetudo.

Pulchritudo.

Potentia.

Avaritia.

Humilitas.

Vitia.

Virtutes.

At verò, ut ad eam, quæ ex nostrorum rerum consideratione nascitur, confusionem propius accedamus, pauca quædam attingenda nobis sunt breviter; nam lectori profundiorum eorum considerationem relinquimus.

Prælatum igitur confundat; quòd cum Christus dicat; animam meam pono pro ovibus meis; ipse in pascendis ovibus adeò sit negligens, ut ne eas quidem agnoscat omnes.

Noverit Sacerdos, cum Christus dicat; qui mihi ministrat, me sequatur; cui ipse viæ institerit, quæque iis manibus egerit, quibus solet in sacrificio Christum tenere.

Si Concionator est, confundatur quòd Christi officium exercent, & ejus quæ prædicat exempla, non sequatur, neque iis, quæ dicit consentanea opera faciat: veniat & illud in mentem; Eloquia Domini, eloquia casta: Videatque, si non satis mundum vas sit, quantâ sit confusione dignus, timeatque. Peccatori dixit Deus; quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Quod si Paulus timebat, ne cum aliis prædicaret, ipse reprobus efficeretur; quantum debet quisque concionatorum timere, seque magnopere confundere.

Confundantur præterea Præceptores, & Doctores, utpote qui confusione præcipue opus habeant. Ait enim Apostolus, scientia inflat. Quod si quis ob scientiam extollitur, eâ vel maxime causa confundi debet, quia in eo sapit, in quo oporteret non sapere.

Confundat discipulos sua ipsorum ignorantia, qui nisi docerentur, brutis animalibus similes essent: simul etiam, quòd parùm, & in litteris proficiant, & suâ aliis scientiâ profint, cum debeant tamen eò magis prodesse multis, quò sapientiores sint. Denique, quòd cum addunt scientiam, addunt etiam & dolorem.

Religiosus autem multò magis debet coram infidelibus, & Christianis reliquis confundi: quandoquidem ei non solum fidei lumen datum sit, Christi que jugum dulce impositum: sed & vita quoque omni sollicitudine vacua speciali quodam privilegio concessa. Confundatur, quòd ex tam multis millibus electus sit, qui si vocati fuissent, multò erant Deo gratiores futuri. Confundatur, quòd tam negligens, & distractus sit in Choro, ubi Deo assistunt Angeli. Confundatur ob servitia cæterorum fratrum in culina, in valedinario, atque aliis in locis, cum neque cui serviat, neque qui serviat dignus ipse sit. Confundant eum in cœnaculo ferula,

cula, quæ Deus ipsi sine ullo ipsius labore, aut sollicitudine apponenda curat. Vestes etiam, quibus induitur, & omnis domestica supellex in ejus usum parata: homines, quorum operâ, & agri quorum cultu, omnia denique, quibus tanquam mediis res eæ in hunc tandem statum ad ejus utilitatem devenerunt. Super omnia verò debet eum confundere, quòd servus Dei dicitur, cum ei tamen sæpè sit inimicus. Nomen eum confundat, de quo Virgo Beatissima gloriabatur, cum se diceret Ancillam Dei, quod sanè magnoperè superbos quosque confundere debet.

31. *Confundat nos domus Dei.* Confundat præterea Religiosum magis, magisque domus Dei, quam tanquam filius inhabitat; cum tamen à Patris cælestis perfectione tam longè absit, quotque in ea passus conficit, tot tanquam fluctibus confusionis pelago immergatur. Nam si domum Domini decet sanctitudo, quomodo in ea iniquum fert Deus? aut cur orationis domo non ejicitur indevotus? Si porro ejusmodi est domus Domini, ut magnus Rex, & Propheta David eligat in ea potius, quàm alibi habitare; seque in ea contemptum, & abjectum esse pro beatitudine ducat; quanta ejus debet esse confusio, qui illic invitus maneat; aut si manet libenter, tantò tamen magis est Dei beneficiis ingratus in cæteris rebus.

32. *Ceremonia Religionis.* Postremò eum omnes Religionis cærimoniz confundant, quando, vel non intelligit quorsum spectent, aut non ad eas advertit, aut grave sibi onus esse putat, aut sibi denique utiles esse non curat.

33. *Piorum Eleemosyna.* Confundatur, cum pro amore Dei eleemosynam petit. Est enim ea res insignis cujusdam privilegii, cogitetque quale sit; quoniam ipse Deus, tanquam qui indigeat, his qui ei mendicanti aliquid dant, se debitorem constituit, eique suum thesaurum credit. Quod si aliquando, quæ ipsi Dei causâ data sunt, non in eum, in quem ea petit usum insumpserit, tanquam sacrilegus confundatur, cum Deo auferat, quod alii hujus nomine ei dederunt. Cogitet, cum petit tanquam pauper, nisi animo pauper sit, falso se nomine petere; si verò petit ex curiositate, adeoque contra quàm Deus vult, deceptor est, & more eorum qui falsis utuntur diplomatibus, nummos à proximo surripit.

34. *Angelorum munus.* Confundatur denique, quòd cum Dei nomine petit, Angelorum munere fungatur; quoniam hi ab hominibus semper tanquam Dei legati petunt: ab aliis quidem, ut pauperibus subveniant, ab aliis autem, ut injurias sibi factas remittant; ab aliis verò, ut Deo, quam debent, gloriam, & ho-

norem dent. Cum verò eleemosynam acceperit, confundatur, quòd & danti Deo, & proximo ingratus sit. Ita autem fiet, ut cum ei aliquid erit petendum, incipiat confundi, tanquam qui intelligit quantà eum eleemosyna obligatione devinciat.

Cum verò peregrinatur, caveat in eam cogitationem veniat, ut se Apostolicam vitam agere putet: sed illud potius cogitet, eam pœnitentiæ loco sibi esse vitam attributam. Quod si est è religiosis inclusis, putet se tanquam feram indomitam voluisse Dominum ab hominum conversatione remove.

35. *Peregrinatio.* Si Rex sit, aut Princeps, confundatur, quòd in eo statu sit, quem Christus vitavit, cum eum vellent Judæi Regem creare. Mirum verò est, audere quemquam id munus assumere; quòd Christus recusavit, nisi forte id pro cruce habeat, & Christi amore subeat.

36. *Reges & Principes.* Confundantur Domini, quòd sint inquirendis redditibus valdè diligentes; in puniendis autem peccatis publicis admodum negligentes: timeant verò, quòd pecuniâ, aliisque bonis utuntur tanquam suis, nec ejus soleant meminisse, à quo cuncta acceperunt. Confundantur porro, quòd se magnum aliquid facere putant, cum eleemosynâ pauperi subveniunt: nec cogitant se dare aliena, Deoque, quæ sua sunt; in eoque, in quo se putant beneficium facere, magno à Deo beneficio cumulari. Quòd si vel tum, cum eleemosynam dant, se debent confundere; quantò magis cum in vanos usus pecunias expendunt?

37. *Dominus.* Cogitandum autem est Nobili in Evangelii defensionem, adeoque ad promovendum honorem Dei, assumptum sibi fuisse gladium. Quod si hujus rei memoriam proprii honoris studium delet, suumque divino honorem præfert, quid nisi Evangelii persecutor est? Confundatur igitur tanquam Deo infidelis, cogitetque, cum gravioribus culpis illigatur, se, quamquam ab hominibus honorabilis habeatur, esse peccati servum, adeoque Dei, & Sanctorum judicio nullo non modò dignum honore, sed inferni suppliciis destinatum.

38. *Nobiles.* Commendatarii autem, qui in Religionem aliqua professionem fecerunt, de observationis votorum negligentia confundantur. Eoque magis, quòd sciant, quàm ægrè ferre soleant sibi ab aliis præstitam fidem non servari, utque de iis, qui sibi aliquid promiserunt, plerumque ob violatam fidem pœnas sumant.

39. *Commendatarii.* Confundantur Famuli, quòd adeò sint solliciti in Dominorum gratia incunda: quam

B b b

quam

quam diligentiam si in Dei servitio adhibuissent, quanto citius, quamque verior gratiam iniissent? Servire enim Deo, regnare est.

41. *Judices.* Cogitent Judices, quantâ severitate in reos sententiam ferant: confundantur verò, quòd Dei iudicium, de quo scriptum est; iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet; nec secum diligenter reputent, nec perhorrescant.

42. *Advocati.* Confundantur Advocati, quòd cum alienis causis patrocinium ferant, sint tamen conscientiae propriae magnoperè negligentes: nec verò idcirco efferantur, quod suâ alios videant operâ indigere: indigent enim & ipsi multorum auxilio in his, quæ ad animam pertinent.

43. *Medici.* Confundantur Medici, cum cogitant, quemadmodum ægrotos tractent; si enim in morbum ipsi inciderent, quantâ vellet valetudinem suam aliorum diligentia procurari. Cogitent etiam animarum suarum vulnera, eoque confundantur magis, quòd cum Medici appellentur, peritiores tamen sint inducendi in se morbos, quam pellendi eosdem à semetipsis.

44. *Mercatores.* Confundat Mercatores sollicitudo ea, quam in emendo vili, caroque pretio vendendo adhibent: quod regnum cælorum, quod gratis datur, comparare nesciant: emunt verò infernum, quod magno & pretio emitur, & dolore possidentur.

45. *Sartores.* Confundantur Sartores, qui tantum in conficiendis alienis vestibus studium adhibent, cum sint ipsi tamen innocentiae vestis acceptæ in baptisinate valde negligentes.

46. *Sutores.* Confundantur Sutores, qui cum durissimum etiam corium acu penetrant, se tamen divinis inspirationibus penetrare non sinant, ita ut debitum ferant fructum.

47. *Fœminæ.* Quis autem possit de fœminarum statu pro dignitate disserere, his præsertim temporibus, quibus tantoperè vanitas aucta est.

48. *Virgines.* Confundantur tamen, sed præcipuè Virgines, quòd sæpè statuerint sequi prædictam vanitatem; quantò tamen satiùs Christo soli sponso placere? atque essent quidem ipsæ Christo solo contentæ, si eum quanto possent amore, diligerent.

49. *Matritæ.* Confundantur maritatæ, quòd in ornandis se sint admodum diligentes, eisque rei causâ tam multas insinuent excusationes: contra verò in eo negligentissimæ, ut Christum induant. Cum autem se torquibus aureis ornant, meminerint durissimas fuisse Christi catenas, eisque ignominiae causâ injectas. Cum manus armillis ornant, ligatas Christi manus fuisse

recordentur. Cum porrò se vestibus albis elegantiae causâ induunt, fuisse Christum albâ veste indutum ignominiae causâ meminere. Et confundantur non ipsæ modo, sed etiam viri, qui cum eiusmodi vestium lautitias ferant, Christi vituperiis gratiam parem non referunt. Quod si manuum suarum opera considerent, detrahent, credo, digitis annulos, cum earum indignissima opera conspexerint.

Confundantur viduæ, quæ virorum mortem tam ægrè ferunt, quod cum ipsæ Deus omnia impedimenta perfecti in se amoris abstulerit, tanto beneficio adeo ingratae sint, ut sibi melius cum creatura esse, quam cum Creatore, significare videantur. Conqueruntur enim ereptos sibi viros: sed profectò de illis æquius conqueretur Deus, qui se ab illis sperni videt. Confundantur ergo, audiantque his verbis conquerentem Dominum: Me deliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Itemque illud: Quid invenerunt in me iniquitatis, quia elongaverunt se à me? Atque de his rebus dicta sufficiant, ne propositam brevitatem excedere videamur: simul etiam quia facile est ex dictis reliqua colligere: nam si quis ea diligenter cogitet, se confundendi occasionem semper habere poterit.

Jam ut ad interiora veniamus; confundere, ô homo, ob memoriam tuam: cum enim hanc admirabilem potentiam tibi scias à Creatore esse datam, ut sui posses & semper, & suaviter meminisse: tu tamen in ea vitia quam plurima reposuisti, hisque indies ita eam occupas, ut vix ejus, qui eam dedit, possis recordari: itaque fit, ut nulli ipsa minus, quam Creatori serviat. Confundere igitur, quòd eâ in Domini sui injuriam abusus sis, cum in mentem tibi sæpè reduceretur ab Ecclesia, admoto quotannis cinere capiti, recordatio mortis: Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris: à scriptura verò, nunc quidem finis tui, cum dicit: Memorare novissima tua; nunc verò eorum, quæ causâ tuâ Christus passus fuit, cum dicit: Recordare paupertatis, & transgressionis meæ, absynthii, & fellis: aliàs autem sæpè alia: tu tamen nihil minus quam hæc, & hujusmodi alia meminisse videris. Unde meritò flere debes, & cum Propheta dicere: Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum: eoque magis confundi, quòd etiam fortassis Dei aliquando oblivione fuerit recreata tua memoria.

Jam verò ut ad intellectum transeamus, quantus in eo confusionis campus se aperit?

rit: nam cum intelligat se in eum finem creatum esse, ut summum bonum possideret; sæpè tamen non vana modò, & inutilia, & transitoria, sed pessima etiam cogitat: atque in iis occupatur, quibus intelligit minimè se debere esse intentum. Flendum tibi certè est de malo hoc; imò quantà possis confusione deplorandum.

53. *Voluntas.* Quid autem de voluntate dicemus, quâ cum Deum super omnia deberes diligere; ea tamen prosequutus es, quæ vel etiam cogitare pudeat, nedum dicere? Quid tibi inquam dicam, ô cæca voluntas, quæ bonis æternis sensuum delicias prætulisti? Te enim cum dulcis Dei charitas in Seraphinorum choro posset constituere, mundi fœdus amor ad infernum deiecit. Meritò quidem, ô anima, tuæ te debent potentiæ confundere, quibus tam fœdatam te vides: tu quidem eas deberes summo cum dolore reprehendere, dequæ eis in hunc modum conqueri. Quis vos, ô potentiæ meæ, quis inquam vos perdidit? Quis tibi, ô memoria Dei memoriam abstulit? Quis tibi, ô intellectus, mentem eripuit? Quis te decepit, ô voluntas? O quàm illud quadrat in te, ô Anima, facti sunt Principes tui sicut arietes non-invenientes pascua. More enim arietum cum pascua non inveniunt, potentiæ tuæ, quasi in Deo pascua non haberent, venenata pascua quæsierunt; adeoque defecere viribus, ut nihil miserabilius, aut tristius.

Ad sensus transcamus.

54. *Ut oculi.* Dedit quidem Deus tibi oculos, ut creaturarum pulchritudine conspectâ, in re omni eum amares; ipsique pro omnibus gratias ageres: tu verò contrâ quæcumque vides consumis, aut irâ veluti incensus, aut avaritiâ mundum concupiscens. Itaque cum oculi tui coram Deo esse deberent, sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ; basilisci, (qui quæcumque conspiciunt, visu interficit) oculi facti sunt. Confundere igitur, quod lumen tibi datum in tenebras verteris; quod aures tuas sanctis inspirationibus claudis, & eas murmurationibus aperis; quod quâ deberes Deum linguâ benedicere, hominibus maledicis: quod cum sollicitus sis, ne quicquam tibi malè oleat; grave olens tamen peccatum non sentis: quod admodum tibi durum videatur, si quid pro Christo patiendum sit; suave verò, quod pro mundo pateris.

55. *Caput. Capilli.* Deplora itaque sensuum mala, atque ejus rei memoria humiles tibi, & confusionis plenas lacrymas exprimat. Quod si necdum satis hæc sunt, te caput tuum confundat, quod spinis pressum non sit: confundant te capilli, quod non sint

evulsi; manus autem, & pedes, quod non transfixi clavis: reliqua te membra confundant, quod, cum nisi Dei virtute moveri non possint, fueris tamen eis Christum persecutus; quod manibus, atque operibus ipsum vulneraris, & læseris. Denique si rectè omnia reputer, tu tibi ipsi magna confusionis materia es: nec enim est in te quicquam, de quo, si diligenter cogites, non debes magnopere confundi. Quod si in te sint, quæ non intelligas, vel eâ ipsâ causâ maximè confundi debes, quod te nondum plenè noveris. Nam vel quæ sit anima, aut quid in se habeat, aut corpori quemadmodum unita sit, aut ab eo separanda; si id à te quæras, non poteris respondere. Quod si in rebus propriis tam inscius sis; quid eris, obsecro, in alienis? illud interim verum est, & in iis quæ de te scis, & in iis quæ ignoras, magnam tibi confusionis materiam suppetere.

56. *Boni.* Quid si mihi quisquam hoc loco objiciat, non in bonis, sed in malis tantam operibus confusionis causam reperiri, id ego, & ritè (ni fallor) negabo: Puto enim in bonis etiam propterea nos posse confundi, quod ad bonum sumus admodum imbecilles; adèd verò proclives in malum, ut magis mirum sit, extam corrupta natura boni aliquid prodire, quàm ex inculto rosario rosam nasci: est enim id rosæto, licet deficiat cultura, naturale, ut rosam proferat, at perfectum opus non sola hominis natura potest producere: nec enim Deo gratum quicquam sine ejus gratia esse potest. Qui ergo miratur inter spinas ortam rosam, multò magis mirari debet boni aliquid à se factum, tantoque debet magis confundi, quod videat se plurimis immersum sceleribus, cum in tam sterili solo tot mirabilia operetur Deus, atque id etiamnum excolere perseveret. Quare non de malis tantum operibus, sed de bonis etiam confundi possumus, & debemus. Si aliqua enim facimus bona, Deus est qui ea in nobis inchoavit, & perfecit: nostrum illud est, ut magis, magisque confundamur, atque humiliemur, qui Deo tam sæpè restiteramus; eam licet, quàm meruimus, poenam ejus clementiâ evaserimus.

P A R S T E R T I A.

Quæ traditur, quemadmodum celestium rerum contemplatione possimus confundi.

57. **V**ix scio, quibus possim verbis de celestibus dicere, qui ne in terrenis quidem pro dignitate quanta confusionis causa sit, potueram declarare.

Confundens nos cali. Est certè, vel in sola cælestium motuum contemplatione magna confusionis materia, si cum tam admirabili ordine nostrorum actuum inordinationem conferamus.

Planeta. Jam verò de Planetis quid dicam? quos scimus semper & à superioribus vim recipere, & quam receperint virtutem perpetuò inferioribus communicare? Homo sibi ipsi quò minus à Deo cælestia bona recipiat impedimento est: eaquè jam recepta aliis negligit impartiri: cumquè cæli omnes, & stellæ Solis lumine vestiantur, homo Solis justitiæ lumine indui recusat: magisquè (quemadmodum scriptum est) tenebras diligit, quàm lucem.

Angeli. Quod si Angelos contemplemur, quantum eorum, quæso, nos puritas, atque innocentia confundet? ubi eorum tantâ sapientiâ, & charitate imbutum consilium negligimus? Deficient mihi quidem verba, si quam debemus habere, pro dignitate confusionem explicare velim; sive cum Seraphinorum amore tepiditatem nostram, sive cum Cherubinorum scientia nostram ignorantiam comparemus.

58. *Sancti.* Quod si cui fortè videbitur sublimiores esse spiritus Angelicos, quàm ut cum illis pulvis noster, & cinis debeat comparari, ad sanctos veniamus, qui carne, & sanguine constiterunt, neque eis, (quanquam hominibus,) humana fragilitas impedimento fuit, quò minus pro Dei honore magna quædam, & admiranda opera perpetrarent. Cælestium itaque hominum, terrenorum facta confundant. Martyrum quidem in tormentis constantia, & virtus, nostram in propositis inconstantiam, atque infirmitatem.

Confessores. Confessorum verò pœnitentia, vitæque austeritas, nostras delicias, *Virgines.* Virginum autem puritas, turpitudinem nostram confundat. Atque etiam, quod sacratissimæ Virgini propter filii educationem, ut esset pro nobis Patri in cruce offerendus, gratiam beneficio dignam nunquam rependimus.

59. *Christus.* At verò Christi consideratione quis præmittet confundi? Quæ hîc profunditas? Quis considerabit sine lacrymis unicum suum remedium, atque confugium ita spre- tum, & contemptum? Cæterùm ejus pedum vulnera, segnitie tua, & torpor infixit; tua ejus latus inobedientia aperuit; manus ejus opera tua clavis confixerunt: tua illi lingua fel propinavit: tua ejus caput superbia spinis cinxit: atque ut uno verbo dicam, nihil est in Christo, nisi quò debeas meritò confundi; siquidem scriptum est: confundantur superbi, qui injustè iniquitatem fecerunt in me.

Jam verò quid dicemus de confusione, 60. quàm sanctissimæ Trinitatis conspectus tibi potest asferre? aut quanta valet esse coram Deo confusio, si coram dæmone tanta confusionis sit materia? Quibus oculis audebis Patrem æternum aspicere, cujus unicum filium huc missum, ut à te dissipatam hæreditatem recuperaret, non solum, (ut par erat,) non excepisti, sed in crucem tuis culpis etiam adegisti? Quam reddes Deo pro credita tibi hæreditate rationem? Quid verò pro iis, quæ ab eo accepisti, & temporalibus, & spiritualibus bonis respondebis? Quid porò dices Dei filio, qui pro te passus est? Potest quidem ille meritò hominibus dicere: confundantur homines, quod cum ego Deus è cælo in terras eorum causâ descenderim, proque eorum salute homo fieri dignatus sim, nolunt illi tamen meâ causâ peccati sordes relinquere. Confundere, ô homo, quandoquidem prius ego te dilexi, quàm tu me diligeres, & prius ipse prospexi tibi, quàm mihi servires tu. O dura hominum corda! O ferrea pectora! Qui cum me alligatum columnæ videant, flagellis cæsum, & vulneratum amore, alligari peccato malunt, quàm mihi adhærere, meoque postponere mundi amorem honori: non intelligunt, quàm sævis à dæmone flagellis cæduntur peccatorum vinculis colligati! Dedi ego homini viscera meâ, quibus tanquam firmissimæ columnæ complexu adhærescat: contemnit ille tamen, eaquè sequitur, quæ ipsum coram me meritò condemnant. O hominum ingratitude! O insensatas humanas mentes! mihi serviunt bruta, me arbores, & sylvæ dilaudant, unus ex omnibus homo me non agnoscit: sed more rabidi canis, qui Dominum suum morsu petit, contra me insurgit, dignus, quem terra dehiscens absumat. Confundere, ô homo, pro quo agnus mansuetus factus sum, & leo esse ferox tandem aliquando desine. Amplector ego te charitate, & tu me cupiditatis flagellis cædis: cum ego te pretiosis humilitatis margaritis ornem, tu meo superbiæ tuæ spinas capiti infigis. Intelligant aliquando homines non arcis includenda, sed in pauperes eroganda bona se accepisse. Considerent quantopere à me diligantur, pro quibus ego in carcerem coniectus passus sum. Confundere, ô homo, quem cum aspiciunt Angeli, tum contemptui te habent, cum te decipiunt dæmones, atque in conspectu meo condemnant. Confundere inquam, & judicium meum time, qui nisi hîc confundaris, & peccata tua fleas, magna-

magna te manet & amara confusio. Quem verò non confundat, quod ego Deus, & Dominus, venatoris more homines inse-
quar, ne mihi, qui tanti constiterint, for-
te pereant: Illi verò me tanquam veneno-
sum serpentem semper fugiunt. Cur me
non timent, & mea iudicia? Cur non vi-
tam mutant, qui mortis nec horam, nec
diem sciunt? Quid autem Spiritui sancto
respondebis, aut quo ipsi ore loqui aude-
bis, cum ei toties animæ tuæ portas occlu-
seris, eumque à te, (ut dæmonem reci-
peres) impiè, atque impudenter excluderis.
Confundemini, ô miseri homines,
quos cum Deus creavit, ut essetis filii Pa-
tris vestri, qui in cælis est; digna tamen
cælesti Patre opera vix unquam facitis.
Est in eo infinita mansuetudo, & benignitas;
paratusque semper est peccata remittere.
Vos verò iniquitate pleni non solum fa-
ctas vobis injurias non condonatis, sed iis
etiam, qui de vobis nihil malè meruerunt,
injuriam facitis. Est in eo summa bonitas,
quâ inimicis etiam, dum eos conservat,
benefacit: Vos autem etiam amicis malè
facitis. Est in illo æterna sapientia, & pro-
videntia admirabilis, quâ universum mo-
deratur; in vobis autem insigne perditio-
nis studium, ut soli regnare velitis. Sed
vos per Prophetam Deus ita reprehendit:
Nunquid habitabitis vos soli in terra?

Conclusio Operis.

61. Me non materia his in rebus, sed tempus
deficit: sint itaque satis hæc sapienti lecto-
ri, qui possit ex paucis multa colligere, &
confusionis fructum consequi; si præsertim
assiduè, & diligenter in iis se exercent:
quod singuli debent eò majori studio face-
re, quod in eo maxima spiritualis fructus
pars posita sit, ut nostram infirmitatem, &
miseriam agnoscamus. Quod qui conse-
quuti sunt, atque ejusmodi fundamento
jacto ædificare cœperunt, possunt reli-
quam partem tuis superextruere: nam
qui secus opus ædificant; cum altius sur-
tulerit, miserabilius corruet. Accidet
enim, ut orationis consolationes, quæ ad
virtutes solent conferre, nisi humilitate
conserventur, in perniciosas fallacias eva-
dant. Unde boni desideria, bona quidem
sunt, sed si ea nobis ita tribuamus, ut non
Dei esse beneficia agnoscamus, tum mag-
nopere fallimur, tum etiam non possumus
tam infirmo jacto fundamento, quicquam
firmum extruere. Quamobrem qui sua
vult opera esse perfecta, ea sui confusione
conservet, nec nisi eâ comitante progredi
quoquam audeat. Ita fiet, ut qui confu-
sionem nunquam deserit, à Deo nunquam
deseratur, qui cor contritum, & humilia-

tum nunquam despicit; sed cum humili-
bus libenter conversatur. Hanc quodam-
modo possumus dicere nuptialem vestem,
quâ qui erit indutus à nuptiis non exclude-
tur. Hoc est insigne filiorum Dei: hac in-
dui oportet, qui Christum sequi velit;
nam ipse eâ ita indutus est, ut diceret:
Totâ die verecundia mea contra me est, &
confusio faciei meæ cooperuit me. Quod
si Christi faciem confusio cooperuit, qui
est Angelorum speculum, & Sanctorum
gloria; cur non eâ peccatoris facies coope-
riatur? Aut quis nisi eâ indutus in Dei con-
spectum venire audeat, cum scriptum sit:
induantur, qui detrahunt mihi, pudore, &
operiantur sicut diploide confusione suâ?
Attende porro dicentem Dominum: su-
per quem requiescet spiritus meus, nisi
super humilem, & contritum spiritu?
Quod si justos etiam induit Deus confusio-
ne; non est, quod putet se peccator sine ea
vivere posse: cum præsertim non solum
justi in terra; sed etiam in cælo sancti veste
hac induti sint. Quod vel ex illis Evangelii
verbis intelligi potest, quibus Christum in
die iudicii ita alloquentur: Quando te vi-
dimus esurientem, & pavimus te? Id enim
dicent tanquam admirati, tam parvis ope-
ribus, tanta se præmia meruisse: Id quod
satis Augustinus indicat, cum sic dicentes
inducit: Domine cur tantam, & talem
nobis gloriam præparasti? Quod si hæc
humilitas in cælum evehit, æquum est nos
eam hinc amplecti, eique nos ipsos tan-
quam tabulæ in naufragio credere; neque
dubitare futurum, ut ei innixi, periculoso
miseræ hujus vitæ pelago trajecto; in cæ-
lestem tandem aliquando portum Dei mi-
sericordiâ perveniamus. Amen.

TRACTATUS IV.

De præparatione ad Sacram Eucharistiam.

Confessio Beneficiorum Dei.

62. Domine Deus omnipotens, Creator
omnium! omnia obediunt tibi, & à
te sibi præfixum ordinem servant: soli ho-
mines, inter quos ego miserrimus sum, à
tua voluntate recedunt. Non autem so-
lum à me peccatum est, sed alios etiam
volui meæ esse voluntati obsequentes,
nec homines modò ad imaginem tuam fa-
ctos, sed etiam elementa volui mihi in ser-
vire ad culpam: adeoque si aliquando se-
cùs accidisset quàm volebam, id ægrè fe-
rebam, ac si cuncta ipse creassem. Quan-
tò fuisset æquius, si omnia mihi restituis-
sent, atque in meam mortem conspirassent,
qui tua fueram mandata transgressus? Sed

miseri cordiã tuã factum est, ut nec in me illa injurias tuas ultra sint, nec de me ministri justitiã tuã, meique hostes dæmones pœnas sumpserint. Dissimulasti hactenus, Domine Deus meus; mihiq̃ue pœnitentiã tempus bonitate tuã immensã concessisti, quo possem cæcitatem meam agnoscere; atque aliter, quã antea vitam instituere. Eaque de causa multis me, mirandisque modis, nunc concionibus, nunc lectionibus, aliã verò inspirationibus sæpè admonuisti: quæ tamen omnia cum faciliè oblivioni traderem, nullas in me firmas radices jaciebant. Sed cum medicina tua omnia vulnera mea, (quanquam maxima,) longè superaret; addidisti id etiam Deus, ut mihi te omnia visibilia prædicarent. Videbam morientes homines; cumq̃ue nemini viderem mortem parcere, sed vitam nostram aliquo tandem sine concludi, movebat me quidem res hæc, finemq̃ue vitæ contemplanti lux quædam affulgebat: Sed heu faciliè inde mens avocata, in solitas faciliè tenebras recidebat: nec me (quæ tua clementia semper fuit) unquam, quamquam id sæpè meritum, deseruisti; quin etiam alia subinde, atque alia remedia adhibebas. Cumq̃ue satis tanto malo non essent visibilia, tu ipse Domine propius accessisti, dormientem excitasti, & ad cor meum dulciter allocutus, ita me invitasti, quasi te nunquam offendissem: Quod si ego beneficium, ut par erat, agnovissem, vel id unum me semper in officio continuisset: Sed heu, offendi te sæpius, sæpiusq̃ue necesse fuit subinde cadentem à te levare. Mihi autem dolendum magis est, quod cum benignitas tua humiliare me maximè debuisset, divinaq̃ue consolatio tua ad id valeret, ut passiones meas faciliùs mortificarem; tantis abusus beneficiis, humilitatisq̃ue, & mortificationis propriæ oblitus, tuis donis superbiùs efferrer, quæ me magis, magisq̃ue humilem reddere debuerant. Neque id tibi satis fuit, Domine, ut me desereres, quod in rem meam illicitam, in proprium ego damnum cuncta converterem; sed adjecisti plura, majoriq̃ue mecum misericordiã usus; consolationem, quæ aliquando mihi superbiæ causa erat, subtraxisti; ut vel sic agnoscerem tuum esse donum, quod nisi te dante eam habere non possem; nec eam, te auferente, paulisper etiam retinere. Et (quod mihi reliquis majus videtur) me ita rursus consolari dignatus es, quasi ego, ut me omni consolatione privares, non meruissem. Quid retribuam tibi, ô Domine, pro omnibus, quæ retribuisti mihi? Sufficere hæc quidem

mihi debuerant, ut tuas laudes nunquam intermitterem; sed mea me rursus iniquitas in aliud malum conjecit: cum enim frequenter experirer consolationes tuas, iis tanquam mihi debitis uti cœpi: cum nova semper beneficia esse agnoscere debuissem, atque in singulis consolationibus charitatem tuam, & misericordiam renovatis laudibus confiteri; ego tamen cum tua beneficia renovares, novam ingratitude pro gratia referebam. Usus es etiam hîc Domine misericordiã tuã: lumenq̃ue, quo malum istud agnoscerem, & agnito morbo remediũ quærerem, concessisti. Quo video, quoties ipsi mihi impedimento fuissẽ, tuisq̃ue vocationibus restitissẽ: tu verò meam quanta cum charitate semper salutem quæsisisti? Intellico id jam, Domine, me mihi damnationis causam esse, atque id agere, ut peream: te verò id velle, atque id quærere, ut salvus sim. Quod cum ita sit, cur sim tam cæcus, tam mihi inimicus, ut à me non quã longissimè abeam, teq̃ue unum sequar, quandoquidem ego mihi mortis, tu mihi vitæ sis causa; justumq̃ue est, ut cum desero voluntatem tuam, meamq̃ue facio, me creaturæ tuæ eoque persequantur, dum perimant. Sed si tibi obediens sum, omnia mihi scio esse dulcia futura, cum omnia serviant tibi, cui velim jam etiam ego ad mortem usque obedire. O immensa bonitas, & unicum peccatorum refugium, misereat te miseri hujus, quem proprio sanguine redemisti. Scis, Domine, quã infirmus sim, oro favorem, ut non tantum semel veluti manu cor meum contingas, sed etiam, ut nunquam inspirare intermittas, ut faciam voluntatem tuam: alioqui si taceas, ero similis descendantibus in lacum. Fac, Domine, agnoscam, quid tibi debeam, cum sancta inspiras; quantaq̃ue debeam diligentiam exequi quod jubes: in eo enim frequenter pecco, quod tuas inspirationes negligo, vel eis remissè admodum obtempero. Agnoscam, inquam, quantæ misericordiæ sit, quod jubes, quantoq̃ue amore jubes: agnoscam, quam tuis præceptis obedientiam, & diligentiam debeam: etenim si terrenorum Regum præceptis tanta cum diligentia obeditur, tantoq̃ue honori ducitur eorum jussis parere; quantã oportet tua jussa obedientiam, & sollicitudine capessere Rex Regum, & Domine dominantium? agnoscam te Creatorem meum, & meipsum ut pulverem, & cinerem; agnoscam nominis tui sanctificationem, cui gloria

gloria omnis, & honor debetur: intelligam præmium, quod humiliter & diligenter tua mandata observantibus in cælis præparasti. Video quidem, O cælestis Pater, indignum me esse, qui à te exaudiar; sed si respicis filium tuum unigenitum, per quem id peto, si ejus merita, & quod pro me solvit sanguinis pretium attendas, exaudies orationem meam. Cum autem ille nobis promiserit, quidquid in nomine ejus à te peteremus, id nos esse consecuturos, æquum est Domine, ut fiat; quod ille promisit: cum præsertim, nisi ita fiat, nos, uti debemus, voluntatem tuam facere non possumus.

Alia præparatio ad sacram Eucharistiam.

63. Quibus divinam misericordiam concessum est, ut Sacrosanctum Sacramentum frequentent, hos tribus saltem ante diebus habitationem tanto hospiti præparare non pigeat.

Et primo quidem die supplicandum erit æterno Patri, ut per eam charitatem, quâ sic dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, nos disponat ad tantum hospitium recipiendum: ita etiam movit Patrum sanctorum, & Prophetarum corda, ut filii charissimi adventum magnis precibus flagitarent; quippe qui divino lumine illustrati, intelligebant in illo urto suam esse salutem positam. Per horum merita, lacrymas, & desideria, dignetur ad hoc sacrosanctum Sacramentum nostra corda præparare, cum summæ veritatis ore dictum sit, nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum; ad id autem utendum erit sequenti oratione tempore Matutino.

Oratio.

64. Excita, Domine, corda nostra ad præparandas unigeniti tui vias, ut per ejus adventum purificatis tibi mentibus servire meseamur. Qui tecum vivit, &c.

Excitatorium.

65. Emitte Agnum, Domine, Dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion. Petet autem, cum hæc dicit, ut à Domino augeantur sibi sancta desideria, eaque mentis mundities concedatur, quâ filii Dei templum fieri possit.

Aliud Excitatorium.

66. Quis poterit cogitare diem adventus ejus? & quis stabit ad videndum eum?

67. Vesperis verò ad Angelorum Reginam eundum erit, eique flexis genibus supplicandum, nobis præparationis gratiam impetret: offerendæ autem ei novem Angelicæ salutationes.

68. Prima quidem commemorando illud desiderium, quo tanquam peccatorum

Mater Domini adventum, adeoque humani generis remedium tantoperè expectavit: simul etiam supplicando, ut ipsius meritis, & Dei, & salutis animarum ferventia desideria consequamur.

Secunda verò, illam ipsius præparationem commemorando, quam habuit semper per divinam gratiam: simulque supplicando, ut nobis à Deo dignam ad Sacramentum hoc præparationem impetret.

Tertiam verò offeremus, cum humilitatis ejus memoria, quâ Dei Filium in Incarnatione suscepit: ut itidem nos eum humiliter recipiamus, supplicabimus.

Quartam autem, in ejus amoris memoriam, quo natum complexa est, supplicantes ut eum nos plurimam charitate amplectamur.

Quinta erit in doloris memoriam; quâ de Cruce depositum Filium suscepit in gremio: petemus verò, ut cum devotionis sensu eum etiam recipiamus.

Sexta verò, in ejus fidei memoriam, quâ eum resurrecturum sperabat: petemus verò, ut cum incremento fidei Christum suscipiamus.

Septimam ei offeremus, supplicantes, ut per eam præparationem, quam ad Spiritus sancti adventum pro se, & Ecclesia tota habuit, nobis à Deo gratiæ incrementum obtineat, quâ dignè Christum suscipere valeamus.

Octavam autem, ut per devotionem, quâ Christum ipsa in Sacramento suscipiebat, eum & nos etiam devotè suscipiamus.

Denique ubi novam offeremus supplicabimus, ut per gaudium, & lætitiâ, quâ à Filio in die Assumptionis recepta fuit in cælum, nos itidem Christum cum spirituali gaudio recipiamus.

Dies secundus.

Secundo die supplicandum Christo, ut quâ charitate dignatus est in hunc mundum venire, eumque morte æternam eripere, nos sacramentali suo adventu vivificet: dixit enim nos, nisi ejus carnem manducemus, vitam habere non posse.

Oratio Matutina.

Excita quæsumus, Domine, potentiam tuam, & veni, ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis te mereamur protegente eripi, & te liberante salvari. Qui vivis, &c.

Toto hoc die in eo ponenda est opera, ut conscientia nostra mundetur; eaque de causa meditandæ erunt septem sanguinis Christi effusiones; videndumque quid nobis ornamenti desit, atque id omnè à Christo peteridum, quem sursum ipsi hospitio suscepturi: supplicandumque ei, ut suis

divitiis, divinoque cordis sui thesauro paupertati nostrae subveniat. Inde enim expectandum cuique est, quod ad ornandam animae domum erit opportunum. Petemus verò id his verbis, quae excitatorii loco esse poterunt.

Excitatorium.

80. O Rex gentium, & desideratus earum, lapisque angularis, qui facis utraque unum! veni salva hominem, quem de limo formasti.

Aliud excitatorium.

81. E fursùm Agnus mittitur, laxare gratis debitum, omnes pro indulgentia, vocemus cum lacrymis.

Vesperis adeunda erit Dei Mater, cujus medio hic panis datus est: orandumque, ut quandoquidem hoc sacrum convivium in Crucis mensa apparatus sit, per eos, quos sensit ad Crucem ipsa dolores, nobis eam à Deo gratiam impetret, ut Filii sui Passionis nos participes faciat.

82. Offeremus verò ipsi quinque Orationes Dominicas, totidemque Salutationes Angelicas, supplicantes, efficiat suis precibus apud Deum, ut Christi quinque vulnera in nostris cordibus per amorem imprimantur.

Dies tertius.

83. Die tertio supplicandum Spiritui sancto, ut quâ charitate Apostolorum corda ad se recipiendum praepravit, & adveniens summo solatio die Pentecostis replevit, nostra corda inflammet, atque ita praepraret, ut eum toto pectore, totisque viribus amemus, qui se nobis tantâ dedit charitate. Id verò hisce verbis petendum.

Oratio Matutina.

84. Mentem nostram, quæsumus, Domine, Paracletus, qui à te procedit illuminet, & inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem. Qui tecum vivit, &c.

Hodiè conandum est, ut eò sint ferventiora desideria, vehementioresque affectus, quò propinquior est solemnitatis dies, eorumque more, qui ostia claudunt, quò possint domum commodius ornare, claudendi erunt sensus, & animæ potentiae ad interiora continenda: vocandus autem hospes sæpè his verbis,

Excitatorium.

85. Veni Creator Spiritus, mentes tuorum visita, imple supernâ gratiâ, quæ tu creasti pectora.

Aliud excitatorium.

86. Hierusalem surge, & sta in excelso, & vide jucunditatem quæ veniet tibi à Deo tuo.

Vesperis oranda erit Sponsa Spiritus sancti, & peccatorum Mater, ut nobis Spiritus

sancti gratiam impetret, quæ templum sanctissimæ Trinitatis facta est; nostræ ut paupertati succurrat, cui ille suum ita adventum promisit: si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.

Recitanda verò septies; *Ave Maria*; quod dona Spiritus sancti impetremus. 87.

Ne verò post communionem in ingratitudinis vitium incidamus, in gratiarum actione tres item dies consumemus.

Primus dies.

Primo die agendæ gratiæ Patri æterno pro nostra Creatione, summoque beneficio, quod nobis jam tribuit in communiōne: quos enim suâ bonitate ad imaginem, & similitudinem suam crearat, eosdem Eucharistiæ Sacramento renovat, suamque, quæ in nobis fuerat peccato deformata, imaginem reformat.

Recitabimus autem versus hos novem; & cælestes creaturas ad Patris nostri, qui in cælis est, laudes in hunc modum invitabimus. 89.

Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate, & superexaltate eum in secula.

Benedicite Angeli Domini Domino, benedicite cæli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ super cælos sunt Domino. Benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite Sol, & Luna Domino; Benedicite Stellæ cæli Domino.

Benedicite omnis imber, & ros Domino: Benedicite omnes spiritus Domini Domino.

Benedicite ignis, & æstus Domino: Benedicite frigus, & æstus Domino.

Benedicite rores, & pruina Domino: Benedicite gelu, & frigus Domino.

Benedicite glacies, & nives Domino: Benedicite noctes, & dies Domino.

Benedicite lux, & tenebræ Domino: Benedicite fulgura, & nubes Domino.

Hoc inquam modo creaturas invitabimus, ut pro nobis gratias Deo agant, & pro beneficiis in Sacramento præstatis. 91.

Fecit enim nos ex hominibus veluti Angelos, ex terrenis cælestes; effusisque in nos gratiæ, & lacrymarum aquis, admiranda suæ charitatis opera declaravit. Illuminavit nos Sole justitiæ, ut præsentis vitæ Lunam, id est, inconstantiam mundi contemneremus: convertitque cordis nostri frigus in suæ charitatis ardorem, nostrasque luce suâ tenebras depulit. Grandinem denique, fulgura, & nubes affectuum nostrorum removit. Ita versus illi non tantum gratiarum actio-

actiones, sed etiam monumenta quædam possunt esse beneficiorum Dei, in Eucharistiæ Sacramento acceptorum: si videlicet per singula verba singula Dei beneficia in Sacramento præstita recolamus. Interdium excitanda mens erit; & hoc subinde exercitium ita renovandum.

Excitatorium.

92. Benedicimus Deum cæli, & coram omnibus viventibus confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Aliud Excitatorium.

93. Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.

94. Vesperæ Regina nostra, & Dei sanctissima Mater adeunda, recitataque ter salutatione Angelicâ, agendæ ei gratiæ, de præparatione ipsius ad Incarnationis mysterium, quo tanquam medio ad nos cælestis hic panis pervenit; maximum verò beneficium; nam quem edimus cibum, caro, & quem bibimus potum, sanguis ex Virgine acceptus est: orandum igitur, ut ejus meritis, & precibus ad Christum diligendum digni inveniamur & nostra nobis peccata remittantur: quare pro omnibus virgini agendæ sunt gratiæ.

Dies secundus.

95. Diei secundi matutino tempore Christo Dei filio, & Domino nostro de Redemptionis beneficio, cujus hoc Sacramentum monumentum est, gratiæ agendæ: invitandaque terra ad Dei laudem, quam sibi Dei filius tantâ benignitate factus homo conjunxit: dicendumque, Benedicat terra Dominum, laudet, & superexaltet eum in secula. Ascendit enim ipse in Calvariæ montem, ut germinaret terra nostra, quæ ex se tribulos, & spinas post Adami maledictionem producebat.

Benedicite montes, & colles Domino: Benedicite universa germinantia in terra Domino. Benedicite fontes, id est, oculorum lacrymæ Domino. Benedicite maria, dolorum scilicet, & sanguinis flumina Domino. Benedicite Cete, id est, maximique sancti, & omnia quæ moventur in ejusmodi aquis, id est, justitiæ Domino. Benedicite omnes volucres cæli Domino. Benedicite viri contemplativi, qui in supremo cordis nidificant Domino. Benedicite omnes bestię, & pecora, id est, peccatores Domino, quoniam vobis penitentibus peccata remittit. Benedicite filii hominum Domino, per quem facti estis filii Dei. Hoc, inquam modo, agendæ erunt Deo gratiæ, recitatis illis quinque versibus Cantici, quorum jam hæc fecimus mentionem.

Excitatorium ad Dei laudem.

Benedicimus Deum cæli, &c. ut supra.

Aliud anima excitatorium.

Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus, qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia, & miserationibus.

Vesperæ adeunda Regina nostra, & Dei Mater; recitataque ter Ave Maria, agendæ ei gratiæ; quod lacte proprio, magnisque laboribus panem hunc nobis ad victum paraverit in crucis ara pro nobis oblatum tanquam Propositionis panem, atque in altari in nostrum & remedium, & levamen quotidie æterno Patri offerendum; atque in sacrario ad solitudinis nostræ consolationem reponendum. De his, atque aliis nobis in Sacramento collatis beneficiis etiam erunt virgini agendæ gratiæ.

Dies tertius.

Tertio die agendæ gratiæ de beneficio adoptionis, & regenerationis, ejusque in sacra Communionem confirmationis. Est enim hic verè panis filiorum, non mittendus canibus: id est, iis qui ad peccatorum vomitum regressi in malo statu existunt. Est, inquam, panis, quem cum comedimus, augetur in nobis gratia adoptionis, & ille spiritus, in quo clamamus; *Abba Pater*. Est etiam fons, in quo renovatur animæ, sicut aquilæ juventus, id est, quam in Baptismo accepit, pulchritudo, & innocentia: augentur enim hujus panis vigore virtutes, & fides, cæteraque dona, quæ animæ in Baptismate infusæ sunt.

Benedicat igitur Israël Dominum, laudet, & superexaltet eum in secula. Cumque anima cum hac hostia, & sacrificio Sacerdotum more Deo se totam offerat; ejusque virtute ex illorum numero simus beatissimi servi, quibus dicitur: Euge, & intra in gaudium Domini tui: est autem Domino gaudium, nobis Eucharistiæ Sacramentum tanto amore communicare; sunt enim ipsius deliciæ esse cum filiis hominum. Benedicite Sacerdotes Domini Domino. Benedicite servi Domini Domino. Benedicite etiam spiritus, & animæ justorum Domino: facit enim hoc Sacramentum veros vos adoratores, qui Deum in spiritu, & veritate adoratis, unitique sitis Deo charitatis vinculo. Benedicite sancti, & humiles corde Domino, per quem sancti estis, quique ad vos tanta cum humilitate descendit. Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino, quibus indicari possunt animæ potentiæ, quas tanquam tres illos pueros ab incendio liberavit suæ gratiæ rore; intellectum quidem ab ignorantia, &

Cec

er

errore; memoriam autem ab ingratitude, & oblivione; à tepiditate verò, & malitia voluntatem. Laudate ergo, & superexaltate eum in secula. Benedicamus Patrem, & Filium cum sancto Spiritu, laudemus, & superexaltemus eum in secula. Benedictus es Domine in firmamento cæli, & laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in secula.

Excitatoriam ad Laudem.

Benedicamus Deum cæli, &c. Ut suprâ.

Excitatorium anima.

100. Benedicite Domino omnia opera ejus, in omni loco dominationis ejus. Benedic anima mea Domino, qui replet in bonis desiderium tuum: renovabitur ut Aquilæ inventus tua. Vesperis misericordiae Reginam, & Spiritus sancti sponsam adibimus, eique recitatâ ter salutatione Angelicâ, gratias agemus, quod charitate maximâ, redemptionis nostræ causâ filium æterno Patri in Cruce obtulerit. Quod si homines iis, quorum operâ à misera aliqua servitute liberari se vident, magnâ se fateantur obligatione devinctos, Matri huic misericordiae, quæ pro libertate nostra in filio carnem suam, suum sanguinem, amorem, vitam, bonum denique omne pro nobis dedit, quantum, quæso, debemus? Pro his, atque aliis in nos ab ipsa collatis beneficiis, quas debemus ipsi gratias persolvere? Non id quidem opis est nostræ; sed quas possumus tamen pro nostra pusillitate & sanctissimæ Trinitati, & Beatissimæ Virgini, & sanctis omnibus referamus.

TRACTATUS VII.

Quo spiritualis quadam exercitatio ad nostræ cognitionem comparandam in septem dies hebdomada distributa continetur.

PROLOGUS.

101. **N**E ex illis simus, qui acceperunt in vanum animam suam: duo sunt nobis frequenter consideranda; quid videlicet Deus erga nos fecerit; quid etiam nos erga Deum facimus; ut diuturnâ meditatione istarum rerum ad cor nostrum conversi, cum utilitate infirmitatem ejus agnoscamus, & ingentia, quæ quotidie à Deo accipimus, beneficia, eorumque datorem Dominum totis viribus, omni que conatu æstimemus in hac vita, ut postea perpetuâ illâ perfruamur gloriâ. Hæc exercitatio in septem partes distribuetur, ut singulis hebdomadæ diebus singulæ etiam partes respondeant. Ad calcem item cujuslibet partis, brevis quædam oratio propo-

netur: aliquot præterea Scripturæ verba, quorum frequenter memoriâ renovatâ, toto illo die ad meditationem excitemur, illi exercitationi adjungentur. Qua ex re fructum ille sanè percipiet, qui in eadem se diu exercebit. Ut enim incalêscit, qui ad ignem accedit, sic qui ad divini amoris flammam piè meditando accedit, inflammatur, necesse est. Age ergo anima devota, Deo excitare; id enim tibi proponitur, quod Beatorum Seraphim officium est, hoc est, sine intermissione diligere: id nobis concedat Dominus. Amen.

Preparatio ante Exercitium.

Confessione internâ conscientiam examinet susceptor hujus exercitii; dolorem peccatorum pro viribus habere studeat; sacram confessionem proponat; conjugat orationem Dominicam cum Angelica salutatione, preceturque Christum Dominum, ut divinæ cognitionis lumine, igneque sui amoris animam ita collustrat, atque inflammet, ut suis viribus diffidens, divinaque bonitate nixus cæli clivum scandat. Suam miseriam Redemptori præsentem esse, & per eum æterno Patri propositam certissimè intelligat. Et ita ad orandum sibi gratiam concedi humiliter postulabit, his verbis: mi Deus, quia non possumus cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex te est, veni Creator Spiritus, mentes tuorum visita, imple supernâ gratiâ, quæ tu creasti pectora. Amen.

Dia Luna.

Quid Deus erga nos? Perpendo me, antequam essem, nihil fuisse; ab eo me fuisse procreatum; ab eodem, ut essem, accepisse.

Quid nos erga Deum? Doleo, quod à tanta gratiæ dignitate meâ culpâ exciderim; quod ipsius manibus constructa meis destruxerim.

Quid Deus erga nos? Me ad suam imaginem, & similitudinem conformavit.

Quid nos erga Deum? Ipsius imaginem, ac similitudinem infeceram: vili pretio adductus, tantæ rei feci jacturam.

Quid Deus erga nos? Quod me creaverit, nullum aliud tanti operis pretium à me exigit, quàm ut se mihi donet.

Quid nos erga Deum? Cum id quod à me exigit tam sit mihi utile, ego tamen nihil hætenus volui, nisi ut ipsum fugerem, quasi separatus ab eo vivere possem.

Consideratio.

Ultimo loco perpendam ejus benignitatem, qui, cum nosset qualis futurus essem, humanam naturam induit, ut mea crimina suo lavaret sanguine; Atque ita finem

finem imponam meditando incarnationis mysterium, gratias agens pro tanto beneficio.

Oratio.

105. Agnoscam, quæso, Domine creator cæli, & terræ, quàm bonus mihi tu, quàm malus ego ipse mihi sum! ut videns me destruere, quod tu construis; delere, quod in me depingis, vel eo nomine perpetuas mecum geram inimicitias, quousque tua misericordia me constringat, & ab omni crimine coerceat: sic enim fiet, ut tu, quæ tibi placent, omnia in me opereris. Ergo Domine, cum tu ipse dicas; Pater meus usque modò operatur, & ego operor; operentur, obsecro, in me manus tuæ, ut manus peccatoris non moveant me: clarificent te opera tua, tuique in cælesti Curia te Angeli glorificent. Amen.

Excitator.

Perditio tua ex te Israël; auxilium autem tuum ex me.

Die Martis.

106. Quid Deus erga nos? Me ex terra procreavit, ut me ipsum ego pulverem, & cinerem agnoscerem; justusque essem meæ indignitatis æstimator, & idè ut verè egenus, & pauper à Domino misericordiam semper efflagitabo.

Quid nos erga Deum? Hoc beneficio abusus, consultò à meæ indignitatis aspectu oculos removeram, vivens, quasi immortalis essem; à meæ imbecillitatis memoria animam avocaveram; cum tamen ab ejus recordatione tantus fructus provenire posset.

Quid in meo est universo corpore? Quid ex ore, oculis, naribus effluit? Stomachus verò quid est, nisi sentina quædam? Quid amaritudo fellis, & universi corporis corruptio, quid hæc sunt, ut ea justo judicio æstimem, quin meam conditionem agnoscam?

107. Quid nos erga Deum? Capiti vestium mollitiem subjeceram: eam mei corporis foeditatem delicatè, & sollicitè tractaveram; sed quantà temporis jacturà, quo fructu? Ut vermibus pararem escas?

Quid post mortem futurus sum? corpus in foetorem vertetur, ut ab omnibus deferatur. Quæ omnia Deus fecit, ne in re tam vili, & caduca amorem meum collocarem.

108. Quid nos erga Deum? Iniquus fui, qui pulcherrimam animam hætenus malè tractaveram, ut foetido corpori indulgerem; qua de re quibus stimulis in mortis articulo compungar? O quàm malè in mortali corpore amorem fixi, & immortalem animam neglexi?

Consideratio.

Perpende tantà hâc naturæ nostræ foeditate benignissimum non desiisse Deum; quominus eam susciperet, velletque pro ea in hoc mundo ad tot acerbitates nasci. Et ita meditatione mysterii Nativitatis finem faciam, ob tantum beneficium gratias acturus Deo.

Oratio.

Domine quis est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor- 110. tuum, si tua beneficia non cognovit, nec suam miseriam? cognoscat tandem, quæso, mala, quæ gessit, eò quòd horum fuerit oblitus. Intelligat se ea non intellexisse, falsi honoris specie deceptum. Quapropter à te clementissime Domine, peto suppliciter, ut tuâ ope adjutus putredini meæ dicam; Pater meus es tu, & soror mea vermibus; sic verè intelligam, te ipsum mihi adiutorem, & solum refugium esse, cujus manibus opus manuum tuarum me totum committo; ne me, quæso, despicias Domine; fac, ut verè possim dicere; Pater meus, & mater mea dereliquerunt me; Dominus autem assumpsit me, cui debetur omnis gloria in secula seculorum. Amen.

Excitator.

Quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum, quod comeditur à tineæ.

Die Mercurii.

Quid Deus erga nos? Perpendam quanto amore meam animam tribus potentiis ditaverat. Mihi enim memoriam concessit, ut tot beneficiorum recordatione ipsum diligere, & amarem.

Quid nos erga Deum? Quibus in rebus meam memoriam versari sum passus? quàm sum oblitus suscepti beneficii? quàm debeo erubescere, quod res tam turpes in ea condiderim; quod tam diligens sum, ut in eam stultè inferam, quæ mihi postea afferant interitum.

Quid Deus erga nos? Menti lumen prætulit, ut veritatis luce nostras tenebras depelleret, quòd faciliùs divinæ misericordiæ immensum pelagus contemplaremur.

Quid nos erga Deum? Defectu propriæ miseræ cognitionis intellectum excæcaveram divino rebellis lumini, ut verè jam possim cum David dicere: Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, ut viderem.

Quid Deus erga nos? Voluntati eam facultatem inseruit, quâ percipere divini amoris dulcedinem posset, ut ea quasi arrha quædam esset æternæ felicitatis.

Quid nos erga Deum? Meam voluntatem

tem passus sum esse mancipium rerum, quæ tam mihi acerbæ, & molestæ futuræ erant. Et quidem vili meipsum vendidi; sed quid perdidit? quid obtinui? Perdidit vitam; lucrifeci mortem; consors divinæ naturæ esse desii, & dæmonis feci me mancipium.

Consideratio.

112. Perpendam Christum voluisse pro me circumcidi, & in tam tenera ætate suum pretiosissimum sanguinem fudisse, propterea quod ego nolim in meis potentiis superflua refecare. Et ita meditatione istius mysterii, finem imponam orationi.

Oratio.

113. Quid, Domine, in caducis rebus reperire potuit mea memoria, ut illis in se locum daret? quid præter te voluntas mea reperire potuit dignum, quod amaretur? Dolor verè est, non amor, quidquid præter te diligitur. Ergo quando ex præposito voluntatis amore, meus intellectus obscuratus est, & memoria oblita tui; tu Domine, propter te ipsum, amaritudinem nihil, quæso, infunde in omnibus iis, quæ præter te diligo, ut sic ea fugiam, te quo solum diligam, qui meus amor esse voluisti. Amen.

Excitator.

Retribuebant mihi mala pro bonis, & odium pro dilectione.

Die Jovis.

114. Quid Deus erga nos? Mihi oculos dedit, ut ex creaturarum pulchritudine, ejus, quæ eas donavit, amorem elicerem; eumque in omnibus, quæ oculis sese offerunt, perpetuò diligerem.

Quid nos erga Deum? Oculis meis hostibus ejus aditum sæpiùs patefeceram, & creaturarum pulchritudine abusus, quasi quidam Basiliscus adversus meipsum, & contra proximum meum, habenas concupiscentiæ laxaveram.

Quid Deus erga nos? Mihi aures concessit, ut vocis Sponsi auditâ dulcedine, anima mea quodammodo liquefieret.

Quid nos erga Deum? Tanquam Aspis surda, caudâ aures obstruxi, ne ejus sanctas inspirationes audirem; cum tamen murmurationibus aperuissem illas.

Quid Deus erga nos? Mihi odoratum concessit, ut odorum suavitate, qui afflantur è floribus excitatus, ipsum laudarem, & in odorem currerem unguentorum ejus: cæterum florum suavitas me potiùs ad terrenas voluptates illexit. Cum peccatoribus enim dixi: Coronemus nos rosis, antequam marcescant: deserui vestigia pedum Domini, & rerum terrenarum foetore captus erravi à cæli tramite.

Quid Deus erga nos? Quantâ liberalitate varios, suavissimosque mihi cibos suppeditavit, ut eorum dulcedine expleto gustu, donatoris amorem cognoscerem, & spiritualiter gustarem, quàm suavis sit Dominus. 115.

Quid nos erga Deum? Immensâ gulâ voracis draconis naturam indui, & tantum beneficium in perniciem meam converti: ex quo verum spiritualium rerum gustum amisi, fel peccatorum melle dulcius arbitratus.

Quid Deus erga nos? Dedit mihi manus, ut ea operarer, quæ gaudium, & lætitiâ Angelis afferrent; quæ in ipsâ morte me sequerentur, nec priùs desererent, quàm in Beatorum essem numerum coaptatus.

Quid nos erga Deum? Manus meæ forditatem operatæ sunt: tantum abest, ut Angelis gaudio sint mea opera, ut justos potiùs ingenti afficiant dolore: Ea sum operatus, quorum jam consortium vereor, ne me damnationis reum faciant.

Consideratio.

Perpendam, ut meorum criminum penas lueret, in deserto à spiritu ductum pro mea gula jejunasse Jesum, Quâ in re meditationem occupabo. 116.

Oratio.

Domine, quid dicam de oculis meis? Quibus tanquam follibus cum ex creaturarum aspectu in me accendere deberem ignem amoris tui, iisdem potiùs inferni ignem accendi, tam depravatis cupiditatibus implicitus. 117.

Quid dicam de mearum aurium surditate, quas miserorum vocibus patere nolui? Considerabo, cujus rei gratiâ concessa sit mihi lingua; & quibus in rebus eadem sim usus. Sed quomodo recensere poterò, quarum potissimum rerum suavitate me capi permiseram? Quid dicam de operibus manuum mearum? Quid respondebo, aut quo me vertam nescio: nam licet solus ceciderim, haud scio tamen solus exurgere. Verè amici, & proximi mei deceperunt, & deseruerunt me; & propterea cor meum conturbatum est, & dereliquit me virtus mea. Respice ergo Domine afflictionem meam, & propter tuam bonitatem fer opem huic miseriæ. Conformam, Domine, sensus meos ad tuam voluntatem, tuamque gloriam, ad quam creasti eos; mihi tribue, ut æternum te diligam. Amen.

Excitator.

Ascendit mors per fenestras, ne ambulatis in vanitate sensus.

Die Veneris.

Quid Deus erga nos? Mihi licet peccatori creaturarum obsequium non ademit: vitam 118.

tam, viresque tribuit, quibus tamen ipsum offendebam.

Quid nos erga Deum? Non modò non me creaturarum usu cognoscebam indignum; sed potiùs, si quid deerat, conquirebar, nec ad aliud vitam optabam, quàm ut meæ indulgerem voluntati: nec mirabar tamdiu terram meorum scelerum pondus sustinuisse.

Quid Deus erga nos? Suâ protectione à visibilibus, & invisibilium hostium manibus eripuit me; in me, ut in Cain suum posuit signum, ne dæmones à me tot criminum pœnas repeterent.

Quid nos erga Deum? Quos hostes vitare debui, eos ipsos quæsi: illis me peccando tradidi, quibus mors mea cordi est: in eorum societate securum, in morte, quam mihi parabant, me vivum arbitrabar.

Quid Deus erga nos? Me per amicos admonerat, per concionatores docebat, instruebat per Angelos, aliorum funeribus excitabat: & talia mihi offerebat, quæ ego impetrare votis omnibus nunquam cum plena dignitate promererer.

Quid nos erga Deum? Clausi aures amicorum consiliis: cor concionibus, & inspirationibus: oculos à memoria mortis averti, ut ei parerem tyranno, qui neque aliud potest, neque aliud vult, quàm me acerbissimis pœnis afficere: Regem cælestem deserui, qui ut me ab illis liberaret, crucis acerbiter pertulit.

Consideratio.

119. Perpendam Deum, ut me à morte liberaret, acerbissimam mortem sustinuisse. Et hoc mysterium meditationis materia erit.

Oratio.

120. Quid Domine, in te reperi; ut te persequerer? Quid in me, ut me diligerem; Quid tu à me expectabas, cum peccantem tolerabas, vel quid ego à me sperare poteram, cum te offendebam? Verè infinita est tuæ misericordiæ multitudo. Hæc me, (obsecro) Domine, ad tuum amorem alliciat: hæc mihi, ut in tuo obsequio permaneam, persuadeat; hæc me ad tuas laudes hortetur, ut creatione sum, ita sim totus tuâ gratiâ tuus. Amen.

Excitator.

121. Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci? An quod expectavi, ut faceret uvas, fecit labruscas?

Die Sabbathi.

122. Quid mihi timendum esset? Meritò mea memoria, quæ ita Dei oblita est in inferno esset puniendâ, ut oblivionem sibi sempiternis pœnis luendam fore recor-

daretur: mea intelligentia tot sceleribus commeruit pœnam eandem, ut illo misero statu cognosceret remedia, quibus in hac vita se potuisset ab illis pœnis liberare: quantus porrò voluntatis dolor, quæ hîc noluit aliqua ex parte mortificari, si se vidisset in inferno penitens, ac sine fine mori.

Quid deberem facere erga Deum? Mem- 123. tuere deberet mea memoria, ne unquam posthac in Dei oblivionem incideret: quàm deberet in posterum esse ad divinum obsequium solers, & perspicax mea intelligentia; quàm voluntas in ejusdem amore ardens, & inflammata? Caterum cum deberem remedium mihi adhibere, denuò ut novis sceleribus, novis etiam pœnis me ipsum adstringo.

Quid mihi timendum? Quàm graves 124. oculis meis, & formidabiles tenebræ essent futuræ, & aspectus dæmonum? quàm horribiles auribus gemitus damnatorum? quàm intolerabilis naris inferni fœtor? quàm amarus gustui calix tormentorum? quàm crudelis tactui æternus ignis?

Quid deberem facere erga Deum? Iis 125. ad meam salutem perspectis, de nulla adversitate, quæ occurreret, mirati mei oculi jure possent: nullam aures infamiam, aut convitium; nullum fœtorem odoratus respuere: nullam gustus amaritudinem: manus denique hunc pro Deo temporalem nostrum, si opus esset, ignem non extimescere, ut illum sempiternum vitare possent: sed ego stultus labores omnes in illud tempus rejicio, in quo omnis labor æternus est.

Quid erga me facit Deus? Suæ gratiæ 126. protectione à peccato me præservat, & consequenter ab inferno, à quo me singulis momentis liberat. Quoties annuit mihi hanc æternæ pœnæ liberationem? Quoties de integro me ipsum mihi reddidit?

Sed ego quid facio erga Deum? Sollicitus 127. quæro illis me vinculis charitatis exfolvere, ut ab illis liber in præceps ruam. Possumne recensere, aut meminisse, quoties ea à Domino beneficia acceperim? Et tamen denuò me ejus hostibus tradô.

Consideratio.

Perpendam Dominum ad inferos descendisse, ut sanctos Patres inde educeret, eoque tempore ejus corpus in cruce paulisper fuisse, & postea in sepulchro. Quo mysterio finem imponam meditationi.

Oratio.

Verè possum, Domine, dicere jam: 129. repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquavit. O quoties à mortis me faucibus revocasti! quoties in eadem me ego induxi? Ergo Domine; si

mea omnia in meum spectant interitum ; si tua omnia mihi vitam afferunt ; cognoscam, quæso te, ut me totum tibi dedam, & consecrem. Amen.

Excitator.

Nisi quia Dominus adjuvit me, paulò minùs habitasset in inferno anima mea.

Dic Dominico.

130. Quid Deus erga nos ? Nobiscum ipse est, in quo vivimus, movemur, & sumus, ut nos dormientes tueatur, ut nullo tempore eum derelinquamus.

Quid nos erga Deum ? Quantum movere id me debuit, ut poenitentiam suspicerem, & eum diligerem, quod tam propè, & perpetuus sit mihi comes ; & tamen dum hæc ipse facit, ego multa admitto scelera, & flagitia.

Quid Deus erga nos ? Videt mea crimina is, qui omnia videt, & remedium meis malis quærit.

Quid nos erga Deum ? Oblato remedio non utor, quin meæ cupiditati modis omnibus cupio satisfacere.

Quid Deus erga nos ? Omnia suaviter disponit, utque virtutes inserat in meum animum, occasionem captat.

Quid nos erga Deum ? Tantâ bonitate, & patientiâ, quod ille plantaverat, ego momento temporis eradicavi, ac perdidit.

Quid Deus erga nos ? Ne evellam iterum eas, Deus in me conservat humilitatem, & confusionem mei : ut iis quasi radicibus nixæ virtutes, in me proficiant, & perseverent.

Quid nos erga Deum ? Licet divinâ misericordiâ eas non eradicaverim, permitto tamen arescere, & tot depravatis cupiditatibus obrui, ut meritò mirari debeam, si quando eas post tot impedimenta in me reperio.

Quid Deus erga nos ? Dum sum in gratia, amore se mihi tradit ; nam ut charitatem in me aleret sui, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum instituit : mihi semetipsum offert : neque à me aliud exigit munus, quàm ut ipsum recipiam, & diligam.

Quid nos erga Deum ? Tot noxiis distractus rebus in hanc unam rem tam salutarem non intendo : ingrato animo Angelorum panem mihi oblatum respuo, ut nihil aliud facere videar, quàm impedire bona ejus in me collata.

Consideratio.

131. Perpendam tertiâ die surrexisse Christum : & quantum debeamus æterno Patri, quod ea vulnera, quæ ei inflixerunt homines, glorificaverit tanto decore, & Majestate.

132. Considerabo item meum Jesum seden-

tem ad paternam dexteram nostris operibus honorari velle ; timendum autem esse vehementer ejus judicium, si ea prava invenerit ; permagni autem nostrâ referre ; si ipsum semper præsentem habeamus. Eritque hæc meditationis materia.

Oratio.

O altitudo infinitæ sapientiæ ! verè in 133. mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis, & vestigia tua non cognoscuntur. Quàm debeam mirari, cum in me tam misero peccatore bonum aliquod desiderium video : multò verò magis cum illud exercere incipio. Mirum est te in tam sterilem terram jacere gratiæ tuæ semina, velleque ex tam infructuoso solo fructus colligere. O si cognoscerem Domine, me semen tuum perdere ; & cum primum germinat, meis illud conculcare pedibus ; & cum jam albescit, & ad maturitatem pervenit, convellere ! verè in omnibus humiliari deberem, & de operibus, quæ in me video summoperè confundi. Da ergo mihi, Domine, propter te ipsum, & propter tuam bonitatem, ut hæc agnoscam, tuumque sanctissimum nomen glorificem in secula seculorum. Amen.

Excitator.

In me eras, & ego te non cognoscebam : serò te cognovi bonitas infinita, serò te cognovi.

TRACTATUS VI

Super Cantico trium Puerorum, cujus initium est ; Benedicite omnia opera Domini, Domino.

ARGUMENTVM.

134. Meritò quidem Deum ob id laudamus, quod creaverit cælum, & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt : sed non minùs pro iis laudandus est, quæ in se homo tanquam in mundo quodam parvulo continet. Sunt enim, si quis diligenter advertat ; in hominis anima reliquarum harum inferiorum creaturarum virtutes, atque operationes quodam modo excellentes, & spiritali. Quamobrem in hujus Cantici enarratione id agemus, ut ex nostri animi interioribus eliciamus Dei laudes, non minùs, ut spero, Deo gratas futuras, quàm si ex rebus exterioribus, quæ, quod sint visibiles, faciliè ad Dei laudes excitant, ipsum laudaremus. Erit quidem res hæc, quam suscipimus satis difficilis : quâ enim ratione possumus reperire in anima dies, & noctes, lucem, & tenebras, cælum denique, & terram : sed nihilominus putamus fructus ex his ipsis ad Dei

Dei gloriam, & laudem perceptum iri, si nos modò divina gratia non destituat.

Benedicite omnia opera Domini Domino.

135. Nisi sufficias, anima mea, benedicere pro dignitate Domino, pro uno solo eorum, quæ in te misericordiâ suâ operatus est; quomodo poteris eum pro omnibus ejus operibus laudare? Nec id mirum, quandoquidem operibus innumeris, innumeræ & laudes debentur. Quid ergo facies? aut quomodo tot, & tantas res tantulâ tuâ facultate laudibus persequi poteris? incipe tamen, & Deum de quinque saltem operibus lauda. Primò eum lauda, quod tanta cum perfectione, & pulchritudine mundum condiderit: & quod magis est, eum condiderit tibi ipsi. Secundò lauda eum, quod ad imaginem, & similitudinem suam te fecerit; quod non solum te tibi dederit ex nihilo: sed & se etiam pro tantâ misericordiâ suis laboribus tradiderit. Tertiò propter reconciliationem, sine qua parùm reliqua profuissent, laudato ipsum. Nam si te ubi in peccatum incidisti, dæmonum laqueis non exolvisset, quò tibi deveniendum esset? Reputans igitur tecum, & animo sedulò versans, quoties tibi, atque aliis peccatoribus ejusmodi beneficia Deus præstiterit, incipe canticum, & dic: Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate, & superexaltate eum in secula. Verè enim scriptum est: Magnificata sunt opera Domini, nimis profundæ cogitationes ejus. Quartò laudare eum debes pro amore, quo animam constantissimam modo reddere solet. Quoniam qui Deum perfectè amant frigore, calore, laboribus, & variis tribulationibus afflicti, non solum hæc usque ad mortem ferunt: sed ea omnia magno etiam cum desiderio, magnaque cum jucunditate tolerant. Postremò, pro sanctis desideriis, quibus facit sæpissimè, ut qui effectu Martyres non sunt; martyrii tamen aliquando meritum consequantur affectu. Tanta est Sanctorum desideriorum vis coram Deo, qui voluntatem quandoque acceptam habet sine operibus externis. Quis igitur dignè poterit Dei laudes dicere, præsertim in terra aliena, in qua miseri exulamus.

Benedicite Angeli Domini Domino.

136. Angelos possumus dicere superiores animæ potentias, quæ reliquis magis sunt ad divinas laudes idoneæ; ut potentia, in quibus sanctissimæ Trinitatis imago veluti imprimitur. Laudet itaque anima, & memoria mea Deum suum, cujus, si quid in rebus dulce esse potest, est certè dulcissima recordatio; quemadmodum scriptum est: Renuit consolari anima mea; memor fui

Dei, & delectatus sum. Laudet meus intellectus eum, relinquendo terrena, & quærendo cælestia; ut abscondita sit vita mea cum Christo, & conversatio mea in cælis sit. Laudet eum mea voluntas toto corde, totisque viribus. Nec enim ad aliud creata est, quàm ut Deum amando quæreret, ut eo invento frueretur. Id quoties feceris, anima mea, tribusque his potentiis Deum laudaveris (uti debes) eris tanquam Angelus Dei. Quod si te à Deo separaveris, (quod tibi magnoperè cavendum, & timendum est) boni Angeli nomine, & dignitate amissis, in Luciferi societatem transibis, qui nunquam ad amissas Dei laudes est rediturus: tu verò dum vivis in carne hac, redire potes merito sanguinis immaculati Agni, qui nobiscum multò aliter, quàm cum Angelis agere in hac parte dignatus est. O quàm est æquum omnes ut Angelos invites ad Deum, vel ob hoc unum admirabile opus, pro quo ei infinitæ gratiæ debentur, aliqua saltem ex parte laudandum?

Benedicite cali Domino.

Quos alios dicimus cælos in anima, seu mundo isto minori, quàm misericordias Domini? nam, ut cælo terram undique cingit, & tegit; ita animam suis gratiis protegit? sicuti scriptum est: Misericordiâ Domini plena est terra, & quidem sicut cælos extendit ut pellem; ita animas nostras misericordiis suis diffundit; ut se cor lætificat, atque dilatat cæli aspectu; ita confirmat animam memoria misericordiarum Dei.

Benedicite aqua omnes, quæ super cælos sunt, Domino.

Quaquam sunt multæ super terram aquæ; non ascendunt tamen super omnes cælos usque ad interiora Empyreï, nisi justorum lacrymæ divini amoris calore expressæ. Hæ sunt, quæ Angelos lætificant, & de quibus scriptum est: Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo. Sunt quidem & lacrymæ aliæ, quas plerumque excutiunt sensualitatis amor, & terrenarum rerum affectus. Sed istæ non modò non ascendunt, sed in infernum usque aliquando rectà descendunt. Lauda itaque anima mea, Dominum, pro aquis his, quibus te tanquam pane cibant, facitque, ut ea cuncta despicias, pro quibus peccatores flere consuescunt. Sunt autem illæ tantæ consolationis causâ desiderandæ ab iis, qui percipiendum à se sperant earum fructum in cælo (cùm absterget Deus, ut est in Apocalypsi omnem lacrymam ab oculis ipsorum) adeò ut sine iis quietem non capiant, nec cibum, aut somnum; sed eis semper co-

mitati, Dominumque benedicentes, in caelum spiritu ascendant.

Benedicite omnes virtutes Domini Domino.

139. Ut magnum quiddam est, & admirabile, Deum creasse caelos cum aquis, de quibus diximus; attamen haud minus mirum, atque laudabile est, vim tantam, & ordinem posuisse in eorum motibus: ita nobis laudandus est Deus pro ea virtute, quam anima amoris affectibus seipsam movere potest: utque nobis non solum Deus hos caelos dedit, sed & virtutem etiam, quibus illi moverentur; ita animae non tantum aquas dat, sed eam movet etiam, ut eas à se desideret, & petat. Quod ut intelligas, anima mea, quanti faciendum sit; adverte, ut neminem sanabant aquae piscinae, de quibus in Evangelio, nisi ab Angelo prius motae; ita nec lacrymis animas sanas reddi, nisi Spiritus sancti virtute illae exprimentur.

Benedicite Sol, & Luna Domino: Benedicite Stella cali Domino.

140. Tres videri possunt in hoc versu claritates, Solis nimirum, Lunae, & Stellarum; quae sunt certè omnes laude dignissimae. Intellige tu, anima mea, Solis nomine, Solis justitiae Jesu Christi splendorem, ac lucem, quam te caecam, & tenebrosam cognitionis suae luce perfudit. Claritate verò Lunae intellige Sanctorum exempla, qui dum in hujus seculi tenebris degerent, nobis ea clarissima reliquerunt. Ut verò in luna est aliàs intensior lux, aliàs verò remissior; ita non omnes eadem luce sancti resplendent. Nam caeteros, tanquam plena luna stellas, Beatissima Virgo virtutum magnitudine, atque splendore longè antecellit: estque in caeteris, prout Dominus illorum quemque illustrare dignatus est, splendor inaequalis. Laudandus praeterea est Dominus in stellis, id est, in ea luce, quae peccatores ex inferni tenebris eripit. Multi enim sunt, quos, cum negligenter vixerint, divinam tamen gratiam ita illustrare dignatur Deus, ut feliciter vitam claudant. Tanta est Dei pietas erga indignos peccatores, ut quorum iniquitas supplicium meretur, suam eos misericordiam aliquando illustret. Ut enim à sole isto visibili luna, & astra lumen accipiunt; ita à sole justitiae tum justii omnes, tum peccatores etiam illustrantur nonnulli, ut per viam virtutis gradientur.

Benedicite imber, & ros Domino.

141. Uti coagulatur imber, ubi in mediam aeris regionem vapores elevantur: ita spirituales aquae tum demum generantur, cum eorum, qui in terris vitam degunt, desideria in caelum conscenderint. Lau-

dabis verò in rore Dominum, qui quemadmodum solet manè rore demisso refrigerare terram, noctis depulsam caliginem; ita post tribulationis noctem, tanquam divinae consolationis rore spiritum, ut possit ascendere in montem Domini, recreat, & laetificat.

Benedicite omnes spiritus Dei Domino.

Intellige per hos spiritus, Spiritus sancti dona, sine quibus, nec aliter vivere potest anima, quam sine respiratione corpus, nec in salutis portum nisi iis flantibus favoniis navicula nostra pervenire. Haec enim pie audaces animas reddunt, faciuntque ex duris suavissimas; sapientes ex rudibus, ex debilibus fortes, & strenuas ad dimicandum in praelio Domini.

Benedicite ignis, & aestus Domino.

Benedicat Domino anima, quam illius ignis flamma incendit, de quo dictum est: *Ignem veni mittere in terram*, divini nimirum amoris. Quod si vel pro scintilla una summè foret laudandus: quantas, quae so, laudes ei debemus, cum fuerit intensus admodum hic amor? Aestum hoc loco possumus intelligere vehementissimum Charitatis ardorem, quo incensus Laurentius, & reliqui Martyres eam fecerunt, pro quibus à nobis Deus nunquam satis dignè laudari potest.

Benedicite frigus, & aestus Domino.

Non solum necessarius est calor ad fructus colligendos, sed & frigore opus est, ut inde compressa terra eos ferre possit: ita nobis non tantum opus est divino amore; sed illud interdum convenit, ut nos (non imperfectione, sed interno labore) frigidus etiam quandoque experiamur; non solum ut magis proinde agnoscamus, quomodo status uterque differunt; sed ut eò diligentius etiam contendamus ad ignem accedere, quò magis frigemus; ut intelligamus, eò magis necessarium esse nobis calorem, quò fuerit frigus intensius. Ita omnipotens Dominus, qui omnia suaviter disponit, saepius calorem dat, & interdum etiam frigidus nos esse permittit; idque ad gloriam suam, & rem etiam nostram, ut diximus.

Benedicite rores, & pruina Domino.

De verno rore supra dictum est: nunc de hyemis pruina, quam nox (utpote tum longior, adeoque frigidior) albiorem reddit, dicendum est. Laudemus igitur Dominum, qui in nobis quò est tribulationis longior, & laboriosior nox, eò spirituales rores candidiorem efficit, & puriorem: Majus enim est eò meritum, quò fuerit dolor pro Christo acerbior, ita ut beati dicendi sint, qui pro eo multa passi sunt.

sunt. Sic enim majora ad æternitatem promoterentur.

Benedicite gelu, & frigus Domino.

146. Quæ rigescunt frigore, si animalia sunt, moveri non possunt; si verò arbores, earum fructus amittunt saporem. Similia patitur prona ad peccandum anima: nam & moveri ad bonum non desiderat, & divinarum consolationum suavitatem non percipit. Cum videris ergo, ó anima mea, quempiam frigore isto rigentem, laudabis Dominum, cujus nisi te ignis ardor incenderet, tuitidem rigeres. Cum autem vides proximum tanto frigore premi, ejus te misereat, ne, si non compatiaris, te simile frigus itidem corripiat. Itaque ad Dei laudes fac, ut frigus te excitet, diviniq̄ue amoris flammæ corripiant.

Benedicite glacies, & nives Domino.

147. Duo sunt glaciei, & nivis veluti propria: alterum, quod sint valdè frigida: alterum, quòd post tempestatem tranquillo jam tempore pulcherrima appareant. Simile quiddam reperire in tuo poteris frigore: nam cum in id incideris, magna tibi erit tanquam oborta tempestat: at verò ubi sævi illi affectus mitigati fuerint, & veluti animæ tempus tranquillum redditum; Deus bone, quàm pulchrum, & jucundum spectaculum? Itaque sic dicit Propheta: Si fuerint peccata vestra, tanquam coccinum, velut nix dealbabuntur.

Benedicite noctes, & dies Domino.

148. Noctes sunt adversitatis tempora, prosperitatis autem dies. Ut enim in prosperitate splendent omnia; ita in adversitate contenebescunt. Quòd si velis evadere, anima mea, tum noctis hujus pericula, quæ tua impatientia secum affert: tum etiam pericula diei, in quæ solet ingratitude, & superbia te conjicere, nullum profectò præsentius remedium invenies, quam si justum Job imitatus, Domini nomen pro eo, sive quod ille dederit, seu abstulerit, semper benedicas: ita implebitur in te, quod ait Propheta: Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.

Benedicite lux, & tenebra Domino.

149. Cum te videris, anima mea, aliquâ gratiæ, vel devotionis luce perfundi, Deum lauda, cum ea idcirco detur, ut eum laudes. Da operam, ut ea, quæ recepisti, laudando occupes, quo possis magis benedicere Domino. Ne cesses ab his laudibus: nam si te videas in tenebris, & veluti sensibili devotione destitutum, tum tanquam aurum in fornace probaris, facitq̄ue de te Dominus quasi periculum, sisne fidelis servus, an verò edas tantum laudes, dum

affluas dulcedine. In ejusmodi itaque tenebris posita confirmes fide vivâ orationem tuam. Et quidem nisi in ea tribulatione despondes animum, nec laudes Dei intermittis, ne dubites futurum, quod de hac nocte dici possit: Nox sicut dies illuminabitur; itemq̄ue; sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.

Benedicite fulgura, &c.

Quæ dicimus fulgura, nisi sanctas inspirationes, quæ fulgurum more ea, quæ tangunt corda; veluti comburunt, & quocumque accedunt, Dei timorem incutiunt. Emittuntur enim à Deo, & ad cælestia negotia tanquam Dei legati animas sanctas, ut possint eum amare, suaviter disponunt.

Benedicite fulgura, & nubes Domino.

Nubes dicere possumus justitiæ desideria. Sic enim sancti Patriarchæ, & Prophetæ olim à Deo perebant; *Pluant nubes justum.* Quoties ergo videris in te, anima mea, ejusmodi nubes, id est, desideria, Dominum lauda; quia scriptum est: Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

Benedicat terra Dominum, laudet, & superexaltet eum in secula.

O quantum debet benedicere pulvis, & cinis Domino, qui in fictilibus vasis tantum thesaurum reponere dignatus est? Considera, anima mea, duabus de causis præcipuè tam admirandas res in luto nostro fieri à Domino. In primis, ut ejus magnitudo, potentia, clementiaq̄ue magis agnoscat, adeoque ei gratiæ habeantur, qui vilitatem nostram respicere dignatur: deinde petendum, ut nos in humilitate conservet, ne videlicet donorum nos magnitudo, & multitudo extollat. Nam uti ea de causâ voluit à nobis terram istam gestari, ut agnosceremus, quàm viles simus, sic etiam inde monuit, ut non solum sibi benediceremus, sed & laudaremus etiam, & superexaltaremus in secula suum sanctissimum nomen, & honorem.

Benedicite montes, & colles Domino.

Per montes intelligamus hoc loco eos, qui perfectionis montes ascenderunt; de his enim scriptum est; Quod beneplacitum est Deo habitare in eis. Laudent etiam eum colles, id est, qui ascendere desiderant: Etenim de iis quoque scriptum est: Beati, qui disponunt ascensiones in cordibus suis.

Benedicite universa germinantia in terra Domino.

Dici non potest, quæ, & quanta creaverat Dominus in mundo hoc visibili ab ejus initio; nec quæ, aut quanta in hominis invisibilem spiritum soleat infundere. Quis enim

D d d enim

enim dicit spirituales animæ flores, & fructus, quæque facit oriri in nobis Dominus, jam quidem amore alliciens, jam verò timore perterrens? Quis tribulationum, & consolationum fructus? Quis merita, quis Dei amorem, & eam quâ animas nostras tractat sapientiæ profunditatem possit enarrare; Quando ergo non sufficis singula persequi, anima mea, benedic (quemadmodum est in Cantico,) pro universis Domino.

Benedicite fontes Domino, Benedicite Maria, & flumina Domino.

155. Fontium aquas eas intellige lacrymas, quas sanctis videndi Deum desiderium vehementer solet exprimere: ut ait Propheta: Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Maris verò amaras aquas eas dicere possumus, quas contritio, & de peccatis dolor solet excutere, juxta illud: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ: unde Job: Loquar in amaritudine animæ meæ. Denique fluminum aquæ Apostoli sunt, & item reliqui sancti de quibus scriptum est: Elevaverunt flumina vocem suam; quorum exempla à nobis imitanda, & sequenda.

Benedicite Cete, & omnia quæ moventur in aquis Domino.

156. Admirabile quidem est spectaculum, cum pisces, & cete in mari moveri conspiciuntur, sed non minus est admirandum, si quis ea, quæ in contemplationis aquis moventur, aspiciat. Hic enim non solum malum deferendi, bonumque prosequendi anhelitus conspiciuntur; sed & charitatis etiam vehementia quædam desideria, quibus nec immania cete conferri possunt: Præ magnitudine iis impulsus Moyses dicebat: aut dimitte illis, aut dele me de libro vitæ. Optabat etiam Apostolus anathema esse pro fratribus suis. Et alibi: quis nos inquit, separabit à charitate Dei; tribulatio, an gladius, an mors? Lauda ergo, anima mea, Dominum pro iis quæ moventur in aquis istis, id est, pro amoris affectibus, quos Spiritus sanctus in nobis excitat.

Benedicite omnes volucres cæli Domino.

157. Admirabilis quidem est avium multitudo, & varietas: sed non sunt minus admirabiles considerationes illæ virtutum Dei, quæ avium more solent in contemplatione in cælum ascendere: & sicut itineris sui nullum aves vestigium relinquunt: ita plerumque accidere solet iis, qui in contemplatione positi in sublime tolluntur. Fiunt enim aded extra se spiritus virtute, & considerationis dulcedine, ut nullum videantur itineris sui vestigium in

terris reliquisse. O quantum debent ii benedicere Domino, qui cum in carne sint, perinde agunt, ac si Angeli essent! Benedicant ergo aves cæli Domino, quæ sui volatûs pulchritudine ipsum cælum penetrant, eumque columbinâ simplicitate referunt spiritum, qui in specie columbæ aliquando voluit hominibus apparere.

Benedicite omnes bestia, & pecora Domino.

Duarum bestiarum genera intelligimus ^{158.} in hoc versu. Fit enim hic mentio domesticarum, & ferarum. Domesticas intellige carnis nostræ passiones; inimici enim hominis domestici ejus: Feras autem reliquos hominis hostes, mundum nimirum, & dæmonem. Quoties ergo se anima ab his videt divinâ gratiâ liberatam; toties benedicat Dominum: eoque vehementius laudet eum, quod se ab iis malè tractatam, sed jam salvam meminit. Ne verò iterum in eorum manus incidat, præsentissimum putet esse remedium, assiduam orationem: hac enim & debiles redduntur hostes, & nos efficimur fortiores: item ex consideratione peccatorum nostrorum, quæ bestiarum meritò dici possunt, magnus solet amoris Dei, & divinarum laudum fructus percipi ab iis, quibus diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Lauda itaque, anima mea, Dominum, qui te à tam diris bestiis suâ misericordiâ eripuit. Dic cum Propheta: Anima mea sicut passer erepta est de laqueo venantium, benedictus Dominus, qui non dedit me in captionem dentibus eorum. Benedicite ergo omnes bestiarum, id est aliquando devicti à prædictis bestiis, sed jam liberati ab illis, domino.

Benedicite filii hominum Domino.

Ubi ventum est ad creaturarum finem, ^{159.} admonentur filii hominum, ut benedicant Domino. Non petit ab homine Deus nec vitulos, nec hircos, sed laudis sacrificium. O filii hominum usquequod gravi corde? Cur non advertitis ea de causa cæteras creaturas vobis esse à Deo datas, & concessas, ut ipsum laudaretis? Nec pro tanto beneficio aliud à vobis postulari munus, quàm quod est aded per se dulce, ut eo se Angeli magnopere oblectent. Benedicite filii hominum Domino, nec committatis, ut vos à creatore creaturæ abducant. Id potius videte, quemadmodum creaturæ etiam sylvestres, & feræ à conditione sua Deo semper obsecutæ sint. Cur igitur solus homo ingratus erit, aded ut se sinat in hac parte à creaturis reliquis superari?

Benedic Israël Dominum, lauda, & super-exalta eum in secula.

Israëlis nomine intelligitur, qui Deum ^{160.} videt. Vident autem Deum, qui mundo sunt

sunt corde; sicut scriptum est: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: & quidem hi eò magis debent Deum laudare, quò ab illo majora beneficia receperunt; tantoque divinum nomen majori studio sanctificare oportet, quantò sunt ab eo puriores, sanctioresve effecti. Quod nisi ita faciant, timere debent; cum adeò sit exactè talenti ratio exigenda.

Benedicite Sacerdotes Domini Domino.

161. Sacerdotum munus est Deo sacrificia offerre: qui ergo in se sentiunt ejusmodi desideria, ut se non putent satisfacere officio, si seipsum tantum Deo offerant, nisi etiam alios ad ipsum adducant; Benedicant Domino pro tanto munere, atque in eo perseverent. Sunt enim tanquam Angeli, qui in conspectu Dei incensum adolent, fragrantemque sacrificiorum odorem in cælum usque magno Sanctorum gaudio emittunt.

Benedicite servi Domini Domino.

162. Quò melius intelligatur quantà obligatione teneantur benedicere Domino servi ejus, legatur, quod ait Propheta: Ecce nunc benedicite Domino omnes servi Domini, qui statis in domo Domini: & quidem magnam piis affert consolationem; non solum mansio in domo Domini, sed & cogitatio etiam eò aliquando tandem perveniendi, sicut scriptum est: Quàm dilecta tabernacula tua, Domine? Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Et alibi: Elegi abjectus esse in domo Dei mei magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

Benedicite spiritus, & anima justorum Domino;

Benedicite sancti, & humiles corde Domino.

163. In Sapientiæ libro scriptum est: iusto-

rum animæ in manu Dei sunt: debent ergo iusti benedicere Domino, cujus pretiosi sanguinis merito justificati sunt, atque idem facere debent sancti, & humiles. Nam Deus humilibus dat gratiam; superbis autem resistit: nec errantium laudes ei gratæ sunt, sicut scriptum est: Non est speciosa laus in ore peccatoris: dicitur etiam huic in Psalmo: Quare tu enarras justitias meas, & assumis Testamentum meum per os tuum? Benedicant itaque iusti Domino; rectos enim decet collaudatio.

Benedicite Anania, Azaria, & Misael Domino, Laudate, & superexaltate eum in secula.

Si consideres, ô animâ mea, visibiles 164. creaturas, benedices & tu quidem Domino; invisibilia enim, & æterna per visibilia à nobis agnoscuntur. Si consideres, quid in te spiritualiter, quomodo, & quando operatur Deus, laudabis haud dubiè ipsum, & superexaltabis in secula; idque eâ puritate, fide, & charitate, quâ ei benedixerunt tres isti pueri, qui nec tyranni minas timentes, nec ignis vim, Dei laudes (ut par erat) facile rebus cæteris anteposuerunt.

Benedicamus Patrem, & Filium cum sancto Spiritu, laudemus & superexaltemus eum in secula.

Benedictus es Domine in firmamento cali, laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in secula.

Tu enim es Deus noster, summisque 165. laudibus dignus; quoniam creasti propter hominem cælum, & terram: utque hominem quasi Deum faceres, homo fieri dignatus es, cui debetur gloria, & honor in secula seculorum. Amen.



S. FRANCISCI BORGIAE
 PRÆCIPUÆ
 MAGISQUE NECESSARIÆ
 DIVI
 THOMÆ AQUINATIS
 MATERIÆ,
 IN LITANIARUM RATIONEM REDACTÆ.

Hic adverte multa me omisisse ex quæstionibus, & articulis sanctissimi Doctoris, non quod ab iis dissentiam, sed ne adeo protrahar, aut tibi ampliori defatigationi sim.

PRÆLUDIUM.



Um spiritalis anima vitæ potissimum constet illustratione intellectus, & voluntatis inflammatione; atque hæc duæ res sic naturâ sint connexæ & inseparabiles, ut si altera desit, desit etiam spiritalis ipsa vitæ necesse sit; (altera enim conjurat alteri, & opem implorat amica) saluberrimam, atque adeo necessariam omnem illam doctrinam fore arbitramur, quæcumque hominum animum planè quietum, ac fixum relinquat. Licet enim alterutra ex supradictis sine altera ex se sit expetenda, & laudabilis, non tamen periculo vacat, quando anima utramque non ex æquo meditatatur; Quemadmodum mirificè ex Apostoli doctrina colligitur: qui illos, qui studium in parandis disciplinis statuunt, nullam interim humilitatis, & inflammationis spiritus rationem habentes, perspicuè admonet, ne plus justò sapere velint; sed sapiant ad sobrietatem. Et alibi inquit: Scientia inflat, charitas verò adificat. Alii autem corrigendi qui nudum spiritum sequuntur, obliti prorsus diligentis solertia, qua exhibenda est in purgando, atque illustrando intellectum; ad evitandas cæcæ voluntatis tenebras, & errores: unde amantissima illa exhortatio: nolite credere omni spiritui, sed probate spiritus, si ex Deo sunt. Quibusdam enim est zelus; sed non secundum scientiam, unde apertè reprehenditur, zelum sine scientia, & è diverso scientiam sine zelo quàm minimam asserere utilitatem. Jam verò quid referam incommoda, ac damna, quibus te implicuerunt non pauci, qui hanc sanctam Apostoli doctrinam sequi neglexerunt? Quid præterea immorabor in recensendis exemplis, quæ de hæc re in medium adduci possent: quæ omnia, pio, ac charo Lectori idèò expendenda relinquimus; quia res ipsa ita est per se plana, & dilucida; ut aliâ probatione minimè indigere videatur. Quare cum tantopere referat intellectum, ac voluntatem cum litteris, & spiritu conjungere, opera pretium esse duximus, præcipuas, utilissimasque sancti Doctoris materias in Litaniarum rationem redigere: ut non solum intellectus earum sublimitatem, & altitudinem assequi contentus sit, verum etiam voluntas flagrantissimis divini amoris flammis exardescat. Quoniam cognitio amoris experta; quasi corpus est animâ destitutum: amor enim calor est, in quo potissimum consistit vitæ. Præeat ergo intellectus quasi dux, & hunc velut viam præmonstratorem cæcæ sequatur voluntas. Ille excogitet, ac suggerat; hæc inflammetur, & afficiatur præmonstratis, ac inventis; eisque seu divina beneficentia admirandis donis eatenus fruatur; quatenus ineffabili Dei benignitati gratum sit mentis nostra fragilitati seipsum impertire: quod si fortè quadam occurrant, quæ intellectus assequi nequierit, eò impensius illa suspiciat, & admiretur, quò excellentiora, altioraque sunt, quàm ut ulla humani ingenii vis capere possit. A quo enim mortalium altitudinem divitiarum, immensum sapientia oceanum, potentia inenarrabilem magnitudinem, judiciorum inscrutabilem abyssum, & divina majestatis fulgentissimum splendorem comprehendi unquam fuit possibile: quod si quis temerè scrutari audebit ejus consilia; eorum profunditate opprimetur; iis igitur modus erit supradictus, meâ quidem sententiâ commodissimus, quò periculum sit multò minus, & fructus longè uberior. Habes jam charissime Lector, hujus nostri opusculi mentem. Persuasi autem mihi hoc quidquid est, quantumvis inconcinnum, & nullâ artis industriâ conditum, abundè gratum, ac salubre futurum, quod sanctissimi, ac doctissimi Thomæ titulo commendatum sit: cujus admirabili doctrinâ Dei optimi, ac Maximi Ecclesiæ mirificè illustrata sit. Utinam divina Majestati placeat obsequium, & eodem proximi inflammentur. Vale Charissime Lector, & me (obsecro) piis precationibus prosequere.

LITANIA

Attributorum Dei ex prima parte sancti Thoma assumpta.

O Summe Deus, quem nemo absque te perfecte cognoscere potest, Misere nobis.

- Q. 1. art. 1. Tu, qui es subjectum Theologiae, mis.
- 7. Tu, qui es in te nobis ignotus, mis.
- 1. 2. art. 1. Tu, qui es in esse Dei perfecte demonstrabilis, mis.
- 2. Tu, qui es, mis.
- 3. Deus incorporee, mis.
- 1. 3. art. 1. Tu, qui compositionem formae, & materiae non habes, mis.
- 5. Tu, qui es tuum esse, & tua Deitas, mis.
- 4. Tu, qui es tuum esse, & tua essentia, mis.
- 5. Tu, qui in genere non es, mis.
- 6. Tu, cui nullum accidens inest, mis.
- 7. Deus summe simplex, mis.
- 4. art. 1. Tu, qui cum nulla aliorum compositione commisceris, mis.
- 2. Tu Deus, qui rerum omnium eminentissime perfectiones in teipso contines, mis.
- 5. art. 2. O summum Bonum, mis.
- 3. Tu, qui per essentiam proprie es bonus, mis.
- 7. art. 1. Deus infinite, mis.
- 8. art. 1. Deus in omnibus rebus existens, mis.
- 2. Deus, qui ubique es, mis.
- 3. Deus, qui ubique es per essentiam, praesentiam, & potentiam, mis.
- 4. Deus, cui proprium est, ubique esse, mis.
- 9. art. 1. Deus immutabilis, mis.
- 2. Deus, cui proprium est immutabilem esse, mis.
- 10. art. 2. Deus aeternus, mis.
- 3. Deus, cui proprium est aeternum simpliciter esse, misere nobis.
- 11. art. 1. Tu, qui es unus Deus, mis.
- 3. Tu, qui es maxime unus, mis.
- 12. art. 3. O essentia divina, quam oculus corporalis non videt, mis.
- 4. O essentia divina ab intellectu creato per sua naturalia invisibilis, mis.
- 5. O essentia divina, ad cujus visionem lumine creato indigemus, mis.
- 6. O essentia divina a perfectioribus perfectius visibilis, mis.
- 7. O essentia divina a videntibus incomprehensa, mis.
- 9. O essentia divina, per quam ea, quae vident Beati, absque similitudinibus contemplantur, mis.
- 10. O essentia divina, in qua ea, quae Beati vident, intuentur simul, mis.
- 12. O essentia divina, de qua habetur altior cogitatio per gratiam, quam per naturalem rationem, misere nobis.
- 13. art. 1. O Deus omnipotens, quem nominamus, ut cognoscimus, mis.
- 2. Deus, de quo aliqua nomina substantialiter dicuntur, mis.
- 3. Deus, cujus nomina, quantum ad id, quod significant, proprie dicuntur, mis.
- 5. Deus, cujus nomina respectu creaturarum analogice dicuntur, mis.
- 6. Deus, cujus hoc nomen, Deus, est naturae nomen, mis.

- Deus, cujus nomen est incommunicabile, mis. art. 7.
- Deus, cui hoc nomen, qui est, maxime est proprium, mis. art. 8.
- Deus altitudo divitiarum, sapientiae, & scientiae, q. 14. art. 1. misere nobis.
- Tu, qui teipsum per teipsum intelligis, mis. art. 2.
- Tu, qui teipsum comprehendis, mis. art. 3.
- Deus, cujus intelligere est ipsa substantia, mis. art. 4.
- Tu, qui cognoscis alia a te, propria cognitione, misere nobis. art. 6.
- Deus, cujus scientia non est discursiva, mis. art. 7.
- Deus cujus scientia est causa rerum secundum voluntatem conjunctam, mis. art. 8.
- Tu, qui habes scientiam non entium, ea vocando ea quae non sunt, mis. art. 9.
- Deus, qui cognoscis mala per ipsa bona, mis. art. 10.
- Tu, qui singularia cognoscis, mis. art. 11.
- Tu, qui infinita cognoscis, mis. art. 12.
- Deus, cujus scientia est futurorum contingentium, mis. art. 13.
- Deus, cujus scientia est invariabilis, mis. art. 15.
- Tu, qui de rebus habes scientiam speculativam, misere nobis. art. 16.
- Tu, qui bonorum omnium habes ideas, mis. q. 15. art. 1.
- Tu, qui es veritas summa, mis. q. 16. art. 5.
- Tu qui es una sola veritas, secundum quam omnia sunt vera, mis. art. 6.
- Tu, qui es veritas aeterna, mis. art. 7.
- Tu, qui es veritas immutabilis, mis. art. 8.
- Deus, in quo vita maxime proprie est, mis. q. 18. art. 3.
- Deus, in quo omnia sunt ipsa vita divina, mis. q. 18. art. 4.
- Deus, in quo est voluntas, qua teipsum diligis, q. 19. art. 1. misere nobis.
- Tu, qui per tuam voluntatem, vis etiam alia a te, mis. art. 2.
- Tu, qui non ex necessitate vis, quae a te creata sunt, mis. art. 3.
- Deus, cujus voluntas est causa rerum, mis. art. 4.
- Deus, cujus voluntatis non est causa efficiens assignanda, mis. art. 5.
- Deus, cujus voluntas semper impletur, mis. art. 6.
- Deus, cujus voluntas est immutabilis, mis. art. 7.
- Deus, cujus voluntas necessitatem libero arbitrio non imponit, mis. art. 8.
- Deus, in quo est amor, mis. q. 20. art. 1.
- Tu, qui omnia, quae fecisti, diligis, mis. art. 2.
- Tu, qui diligis omnia uno simplici actu voluntatis, mis. art. 3.
- Tu, qui meliora plus diligis eò, quod eis majus bonum vis, mis. art. 4.
- Deus, in quo est justitia omnibus propria tribuens, q. 21. art. 1. misere nobis.
- Tu, qui es justitia, & veritas, mis. art. 2.
- Tu, qui es miserator, & misericors, mis. art. 3.
- Deus, in cujus operibus misericordia, & justitia inveniuntur, mis. art. 4.
- Tu, qui providentiam omnia gubernas, mis. q. 22. art. 1.
- Deus, cujus providentiae omnia subduntur, mis. art. 2.
- Tu, qui omnibus immediate provides, mis. art. 3.
- Deus, qui tua providentiam necessitatem libertati non imponis, mis. art. 4.
- Deus, a quo praedestinantur, qui eliguntur, mis. q. 23. art. 1.
- Deus, in cujus mente praedestinatio est ratio ordinis aliquorum in salutem aeternam, mis. art. 2.
- Deus, qui aliquos reprobas, permittens eos deficere, mis. art. 3.
- Deus, qui praedestinos eligis, mis. art. 4.

- art. 5. Deus, qui non ex operibus iustitiæ, sed secundum tuam misericordiam salvos nos facis, *mis.*
- art. 6. Deus cujus prædestinatio est infallibilis, *mis.*
- art. 7. Deus, qui certum prædestinatorum numerum prænoscis, *mis.*
- q. 24. art. 2. Deus cujus notitia, quæ firmiter retinet se alios quos prædestinasse ad vitam æternam, est liber vitæ, *mis.*
- art. 3. Deus, à cujus gratia deficientes de libro vitæ deleri dicuntur secundum præsentem iustitiam, miserere nobis.
- q. 25. art. 3. Deus omnipotens, *mis.*
Tu, qui omnia potes facere abundantius, quam petimus, & intelligimus, *mis.*
- q. 26. art. 1. Deus, cui beatitudo competit, *mis.*
- art. 2. Tu, qui es beatus secundum intellectum, *mis.*
- art. 3. Tu, qui es ex parte objecti beatorum beatitudo, miserere nobis.
- art. 4. Tu, qui tuâ divinâ beatitudine omnem beatitudinem complecteris, *mis.*

Sequuntur preces.

- Ab iis qui dicunt Deum esse animam mundi, Libera nos Domine.
- A dicentibus Deum esse principium formale omnium rerum, *lib.*
- A Davide de divinando, asserente Deum esse materiam primam, *lib.*
- Ab asserentibus corpus infinitum esse principium rerum, *lib.*
- A dicentibus Deum non cognoscere alia à se, nisi in communi. *lib.*
- Ab iis qui dicunt Deum non cognoscere singularia, nisi applicando causas universales ad particulares effectus, *lib.*
- Ab iis, qui dicunt Deum non creasse nisi primum creatum. *lib.*
- A vanitate Philosophorum, effectus contingentes causis secundis tantum attribuentium, *lib.*
- Ab Epicureis ponentibus, mundum fuisse casu factum, *lib.*
- A ponentibus incorruptibilia tantum providentiæ divinæ subjacere. *lib.*
- Ab iis, qui homini tribuunt initium benefaciendi, libera nos Domine.
- Ab iis, qui dicunt per orationes divinam prædestinationem mutari, *lib.*
- Vt Theologica lectio corda nostra accendat. Te rogamus audi nos.
- Vt per effectus ad primam causam perveniamus, te rogamus audi nos.
- Ut divinam simplicitatem contemplantes, eam simplici corde imitemur, *te rog.*
- Ut divinæ bonitatis abyssum collaudantes admiremur, *te rog.*
- Ut Deum cognoscamus, sicuti cogniti sumus, te rogamus audi nos.
- Ut cum tremore, & timore eum nominemus, te rogamus audi nos.
- Ut divina essentia nos illuminet, *te rog.*
- Ut summam veritatem diligentes, mereamur, ut ipsa veritas nos liberet, *te rog.*
- Ut vivamus ei, qui est vita nostra, *te rog.*
- Ut diligamus eum, qui prius dilexit nos, *te rog.*
- Ut vestigia divinæ misericordiæ sequamur, *te rog.*
- Ut divinam providentiam contemplemur, in omnibus ei gratias agentes, *te rog.*
- Ut ne ingratos nos videat ille, qui in adoptio-

nem filiorum prædestinat, *te rog.*
Ut in cognitione nostra humiliemur, Dei potentiam specularantes, *te rog.*
Ut Deo fruamur, qui est beatitudo nostra, te rogamus audi nos.

Versus. Quis Deus magnus, sicut Deus noster?

Respons. Tu qui facis mirabilia solus.

O R A T I O.

FRagilitatem nostram respice omnipotens Deus, & fac nos in tuis attributorum laudibus non deficere; ut sicut tu, sine principio in eis æternaliter delectaris; ita & nos eorum gaudio participes effecti, cum tuis Angelis sine fine ea laudare mereamur, quia dignus est agnus occisus accipere sapientiam, gloriam, & benedictionem in secula seculorum. Amen.

L I T A N I A

Sanctissima Trinitatis ex prima parte sancti Thome.

- O** Beata Trinitas, *Miserere nobis. q. 31. art. 1.*
- O** incomprehensibilis Trinitas, quam nemo per rationem naturalem cognoscere potest, *q. 32. art. 1.*
- O** ineffabilis Trinitas, cujus operâ ad extra sunt indivisa, *q. 45. art. 6.*
- O** colenda Trinitas, cui proprium est creare, *mis. art. 5. & 6.*
- O** tremenda Trinitas, cui proprium est prædestinare, *q. 23. art. 1.*
- O** sapientissima Trinitas, cui convenit providere, *q. 22. art. 1.*
- O** amplectenda Trinitas, cui proprium est gratiam tribuere, *12. q. 1.*
- O** gloriosissima Trinitas, cui proprium est gloriam largiri, *art. 1. l. 1.*
- O** inscrutabilis Trinitas, in qua non differt esse, & posse, *q. 41. art. 6.*
- O** beata Trinitas, in qua nihil est prius, aut posterius, *q. 33. art. 6.*
- O** pulcherrima Trinitas, in qua non est inæqualitas, *ibid. per totam.*
- O** excellentissima Trinitas, cui omnia, aut per vestigium, aut similitudinem, aut imaginem assimulantur, *mis.*
- O** Trinitas investigabilis, quam non esse est impossibile, *q. 30. art. 1.*
- O** altissima Trinitas, in qua ad intra nec est actio realiter distincta nec talis passio, *q. 27. per totam.*
- O** admiranda Trinitas, in qua non est confusio, sed admirabilis ordo, *q. 42. art. 1.*
- O** Trinitas immutabilis, quæ non diceris Trinitas, *q. 31. art. 1.*
- O** Trinitas sancta, unus Deus, *mis.*
- O** Trinitas divinarum personarum, quarum quilibet est intellectualis naturæ individua substantia, *q. 29. per totam.*
- O** Trinitas omnipotens, cui nomen personarum attribuitur velut perfectissimum in una natura, miserere nobis. *ibidem.*
- O** Trinitas divinarum personarum, quibus nomen personæ nobilissimum, quam creaturis convenit, *ibidem.*
- O** adoranda Trinitas Personarum, & unitas essentialis, *q. 31. art. 1.*
- O** simplicissima unitas essentialis cum personarum Trinitas, *q. 33. art. 1.*

- eadem.* Trinitate, in qua non est dependentia, *mis.* O Pater immutabilis æterni filii ab æterno; creaturarum autem in tempore actualis Creator, *mis.* 9.33. art. 3.
- eadem.* O Trinitas pelagus infinitæ clementiæ, in qua non est principium caufatum, *mis.* Tu, qui es sapientia; non sapientia genita, sed tua essentia, *mis.* 9.39. art. 7.
- 9.31. art. 2. O Trinitas immensæ Majestatis, in qua non est causa Personarum, *mis.* O Pater æterne, qui teipsum intelligendo, filium generas, *mis.* 9.34. art. 1.
- 9.27. art. 1. O Trinitas adoranda, in qua non est ad intra distincta realiter operatio, *mis.* Tu immense Deus, qui dilectum tuum per modum naturæ producis, *mis.* 9.17. art. 2.
- 9.30. art. 1. O Trinitas interminabilis, in qua non est partibilis essentia, *mis.* Tu, immensæ majestatis, qui à teipso habes, quidquid habes, *mis.* 9.33. art. 4.
- eadem.* O Trinitas sancta, cujus personæ non inter se compositionem faciunt, *mis.* O Pater benignissime, qui in dilecto tuo libertate complacentiæ, & non necessitate coactionis complaces, *mis.* 9.41. art. 2.
- 9.38. art. 2. O gloriosa divinarum Personarum Trinitas, in qua proprietates simul cum personis adorantur, miserere nobis. O Pater desiderabilis, qui eundem dilectum tuum generas voluntate concomitante, & non antecedente, *mis.* *eadem.*
- 9.39. art. 2. O dulcissima, divina, & una essentia trium personarum, *mis.* O Pater æterne, cui æternitas attribuitur, in quantum es Principium, non de Principio, miserere nobis. 9.39. art. 8.
- 9.41. art. 5. O suavissima essentia divina, principium quo principaliter generans generat, *mis.* O Pater sancte, cui unitas appropriatur, eò quòd non supponit aliquid aliud, *mis.* *eadem.*
- 9.39. art. 5. O altissima divina essentia nec generans, nec genita, *mis.* O Pater omnipotens, cui potentia attribuitur ratione principii, *mis.* *eadem.*
- eadem.* O purissima essentia, quæ es res, quæ est generans, *mis.* O Pater benignissime ex quo sunt omnia ratione activæ potentiæ, *mis.* *eadem.*
- 9.1. O sapientissima essentia, quæ es idem cum persona, *mis.* O Pater principium originis absque prioritate. *mis.* 9.33. art. 1.
- 9.31. art. 1. O simplicissima essentia, quæ es tres personæ, miserere nobis. O Pater magne, unum cum filio Spiritus sancti principium, *mis.* 9.30. art. 4.
- 9.41. art. 5. O laudabilis essentia divina principium, quo genitus assimilatur generanti in recto, *mis.* O Pater tremende, cujus essentia ut summum ens adoratur, *mis.* 9.38. art. 2.
- 9.39. art. 5. O timenda essentia divina generanti, genito, ac spiritui communis, *mis.* O Pater altissime, in quo relatio est substantia; etsi in creaturis sit accidens earum relatio, *mis.* 9.28. art. 2.
9. totum 4.1. O essentia colenda, quæ es Pater, *mis.* O Pater suavis, in quo relatio est benedicta constitutiva personæ, non ut ad aliud referens, miserere nobis. 9.40. art. 2.
9. d. O essentia tremenda quæ es Filius, *mis.*
9. d. O essentia beatissima, quæ es Spiritus sanctus, miserere nobis.
9. d. O essentia immensa, quæ est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, *mis.*
- 9.28. art. 2. O adoranda essentia, quæ relationi comparata, non differt re, *mis.*
- 9.0. art. 2. O ingenita essentia divinarum personarum, quibus competit inter se per relationes distingui, miserere nobis.
- 9.39. art. 2. O melliflua essentia divinarum personarum in eis indivisa, cum personæ sint per relationes reales distinctæ, *mis.*
3. *Persona in communi.*
- 9.39. art. 3. O tres Personæ, & unus dulcissimus Deus, *mis.*
- 9.39. art. 2. O tres personæ venerandæ unicæ essentiæ, *mis.*
- 9.30. art. 1. O tres personæ, quarum pluralitas non facit compositionem in essentia, *mis.*
9. art. 3. O tres immensè adjectivè, unus immensus substantivè, *mis.*
9. art. 3. O tres increati adjectivè, unus increatus substantivè, *mis.*
9. art. 3. O tres æterni adjectivè, unus æternus substantivè, *mis.*
- Persona Patris.*
- 9.39. art. 5. O Pater omnipotens, à quo duæ processiones emanant, *mis.*
- 9.3. art. 2. O Pater sancte, à quo omnis Paternitas in cælo, & in terra nominatur, *mis.*
- 9.4. O Pater dulcissime, cui proprium est esse ingenitum, *mis.*
9. art. 3. O Pater ineffabilis principium non de principio, miserere nobis.
9. art. 4. O Deus immense, qui Deum generas, *mis.*
- O Pater, & Fili, unum Spiritus sancti principium, miserere nobis. 9.36. art. 4.
- O Pater, & Fili, quorum est notio communis spiritus ratio, *mis.* 9.32. art. 3.
- O Beata Verbi Filii processio, quæ generatio appellaris, *mis.* 9.37. art. 1.
- O Verbum dulce, proprium filii nomen, *mis.* 9.34. art. 2.
- O unicum Verbum sapientissimum, expressivum Patris; creaturarum verò operativum, *mis.* art. 3.
- O Ver-

- q. 35. per totum. art. 2. O Verbum quod ex vi tuæ processio- nis simillimum emanans generanti, mis. O Parris imago, cui proprium est hoc nomen, miserere nobis.
- q. 39. art. 8. eodem. O Verbum vitæ, cui pulchritudo attribuitur. mis. Tu dulcissime, qui es summa claritas, ac splendor æterni luminis. mis. O fili amantissime Patri æqualis. mis. O sapientissima Patris sapientia. mis.
- q. 37. art. 1. Tu, qui à Patre procedis per intellectum. mis.
- q. 33. art. 4. O fili suavissime, principium de principio. mis.
- q. 41. per tot. O Deus genite. mis.
- q. 49. art. 7. Sapiens de Sapientia. mis. Lumen de lumine. mis.
- q. 42. art. 2. O fili suavis sine tempore genite, in tempore verò nate. mis.
- q. 32. art. 3. O Fili, qui es ab alio, & à quo, & à Patre alius. miserere nobis.
- q. 29. art. 4. O relatio filiationis, quæ cum filio identificaris. miserere nobis.
- q. 32. a. 1. 2. 3 Tu, qui filiatione es filius. mis.
- q. 42. art. 5. O Fili sancte, qui es in Patre per deitatis essen- tiam. mis.
- q. 32. art. 3. O filiatio, filiique notio, quæ non differt ab ejus persona. mis.
- eodem. O filiatio, filii personalis notio. mis.
- q. 41. per tot. & 32. a. 3. O fili misericors, qui habes generari, miserere nobis.
- q. 42. art. 1. O fili perfecte, Patri coæterne. mis.
- eodem. O fili suavis, tu qui Patri coæquaris, mis.
- q. 4. a. 5. & 7. O fili piissime, cui competit mitti, ut sanctifica- tionis auctori, mis.
- art. 7. O fili, cujus missio visibilis fuit in salutem hu- mani generis, mis.
- art. 5. O verbum Patris, cujus missio fuit animarum me- dela, mis.
- q. 39. art. 8. O sapientissime fili, per quem omnia, mis. *Persona Spiritus sancti.*
- q. 27. art. 3. O dulcissima Spiritus sancti processio, quæ non di- ceris generatio, sed amoris processio, mis.
- q. 36. art. 3. O Spiritus sancte immensa bonitas, qui à Patre, & Filio procedis, mis.
- q. 37. art. 1. O amor divine, cui hoc nomen proprium est, mis.
- art. 2. O suavissime Spiritus sancte, quo Pater, & Filius se diligunt, mis.
- q. 38. per tot. ibid. O donum inestimabile, mis. O dulce donum, cui hoc nomen proprium est, & personale, mis.
- q. 27. & 38. per totam. Tu suavissime, qui procedis per modum volun- tatis, mis.
- q. 39. art. 8. eodem. O suavitas Genitoris, & Geniti, mis. O Spiritus sancte, quo Pater, & Filius se invicem per amorem fruuntur, mis.
- eodem. O benignissime Spiritus, cui connexio appropria- tur, mis.
- eodem. Tu qui Bonitas appellaris, eò quòd sis amoris ob- jectum, mis.
- eodem. O Spiritus sancte, in quo est summa dulcedo, mis.
- q. 36. art. 4. O principium creaturarum procedens de utroque, ut de uno principio, mis. Spiritus sancte Deus, nec generans, nec genite, miserere nobis.
- q. 32. art. 3. O Spiritus sancte, qui es ab aliis, & à quo non alius, mis.
- eodem. O relatio spirationis passivæ, mis.
- q. 32. art. 3. Tu, qui spiratione es Spiritus sanctus, mis.
- q. 42. art. 5. O Spiritus sancte, qui es in utroque, mis.
- O Spiritus sancti processio, ejusque notio, mis. q. 32. art. 3.
- O Spiritus processio, ejusque proprietas, mis. art. 3. & 4.
- O Spiritus sancti processio, ejusque notio perso- nalis, mis. eodem.
- O Spiritus sancte, cui proprium spirari, mis. q. 41. per tot.
- O Spiritus sanctissime, & clementissime, mis.
- O Spiritus sancte, qui Patri, & Filio coæquaris, mis. q. 42. art. 1.
- O Spiritus sancte, cui competit mitti, ut sanctifica- tionis donum, mis. q. 43. a. 6. 7.
- O Spiritus sancte suavissime, cujus missio est per donum gratiæ, mis. art. 3.
- O Spiritus sancte, quo Pater, & Filius diligunt crea- turas, mis. q. 38. art. 2.
- O Spiritus suavissime, mis. q. 39. art. 8.
- Sequuntur preces.*
- Ab Ario, qui cum Trinitate personarum posuit Trinitatem substantiarum, libera nos Domine. q. 27. art. 1. & 42. art. 1.
- A Sabellio, qui cum unitate essentiae posuit unita- tem personæ, lib. q. 27. art. 1.
- Ab iis qui posuerunt Filium à Patre esse in diversitate substantiæ, lib. q. 34. art. 1.
- A dicentibus essentiam generare essentiam, lib. q. 39. art. 5.
- Ab Arianis dicentibus Patrem generare Filium voluntate secundum quod designat principium, libera nos Domine. q. 41. art. 2.
- A ponentibus differentiam in divinis quoad essen- tiam, lib. q. 32. art. 1.
- Ab Ario dicente Filium procedere à Patre sicut primam ejus creaturam, lib. q. 27. art. 1.
- Ab Ario asserente Spiritum sanctum procedere à Patre, & Filio, sicut creaturam utriusque, lib. eodem.
- Ut intellectum nostrum captivantes, sanctam Tri- nitatem veneremur, te rogamus audi nos.
- Ut ne ex verbis inordinatè prolatis in hæresim in- curramus, te.
- Ut Patris unitatem contemplantes mereamur uniri cum eo per charitatis unionem, te.
- Ut Filii sapientia nos deceat, ac dirigat, te.
- Ut Spiritus sancti amor nos accendat, & ardere fa- ciat, te.
- Ut Patri obediamus, te.
- Ut Filium sequamur, te.
- Ut Spiritum sanctum diligamus, te.
- Ut in hac fide Catholica vivamus, & moriamur, te.
- Responsoria, vel Versiculi.*
- Benedicamus Patrem, & Filium cum sancto Spiritu. Resp. Laudemus, & superexaltemus in secula.
- O R E M V S.
- O Mnipotens sempiternæ Deus, qui dedisti fam- ularum tuis in Confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia Ma- jestatis adorare unitatem, quæsumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur ad- versis. Per, &c.

L I T A N I A

Angolorum ex prima sancti Thoma parte assumpta.

- A**ngeli Beati, orate pro nobis.
- Creaturæ beatæ omnino spirituales, orate.
- Beata Angolorum multitudo, orate. q. 50. art. 3.
- Beati, & specie differentes, orate. art. 4.
- Beati, & incorruptibiles, orate. art. 5.
- Vos, qui per virtutis applicationem in multis locis

- eis estis , unius tamen vicem obtinentibus ,
orate pro nobis.
- q. 53. art. 2. Vos , qui sine medio motu discontinuo movemini ,
orate pro nobis.
- art. 2. Vos , qui motu continuo moveri potestis , orate.
- q. 54. art. 4. Beati , qui non indigetis distinctione intellectus
agentis , & possibilis , orate.
- art. 5. O nive candidiores , qui solam intellectivam cogni-
tionem habetis , orate.
- O Sancti , qui vestra intellectiva potentia maxi-
me floretis , orate.
- q. 55. art. 2. O Angeli lucidi , qui absque imaginatione intelli-
gitis , orate.
- art. 3. O Angeli , qui quod magis Deo propinqui , eò uni-
versalius cognoscitis . orate.
- q. 56. art. 1. O candidi , qui in vestra veritatis illustratione vos-
ipsum cognoscitis , orate.
- art. 1. Vos , qui semper actu estis intelligentes , orate.
- art. 2. O fulgidi , in quibus rerum species à principio
fluxerant . orate.
- eodem. O splendidi , in quibus similitudines rerum spiri-
tualium in esse intellectuali impressæ sunt , orate.
- eodem. O clari , quibus similitudines rerum corporalium
in esse intellectuali impressæ sunt , orate.
- art. 3. O immaculati , qui perfectius hominibus quoad
naturalia cognoscitis . orate.
- eodem. Vos , qui ut quoddam speculum estis divinam si-
militudinem representantes . orate.
- q. 57. art. 1. O præcelsi maxime Deo propinqui , orate.
- eodem. Vos , qui materialia cognoscitis per vestras species
intelligibiles . orate.
- art. 2. Vos , qui per species inditas singularia cognosci-
tis , orate.
- art. 5. O Spiritus Prophetici , quibus revelata sunt gra-
tiæ mysteria à principio vestrae beatitudinis ,
orate pro nobis.
- q. 58. art. 1. O luce clariores , qui semper intuemini Verbum , &
ea quæ in eo videtis , orate.
- art. 2. O præclari , qui multa simul cognoscitis , quæ unâ
specie cognoscuntur , orate.
- art. 5. O velocissimi , qui multa non discurrendo cognos-
citis , orate.
- art. 4. & 3. Vos , qui in primo aspectu principiorum , totam ejus
virtutem naturalem comprehenditis , orate.
- ibid. Vos , qui syllogizare potestis , tanquam syllogis-
mum cognoscentes , orate.
- art. 4. Vos , qui sicut ratiocinando naturalia nulla intelli-
gitis , ita nec componendo , nec dividendo , orate.
- eodem. Vos , qui cognoscitis naturæ composita simpliciter ,
mobilia immobiliter , & materiam immateriali-
ter , orate.
- art. 5. O Angelici , & Beati intellectus , in quibus non est
mendacium , orate.
- ibid. O sapientissimi spiritus , qui in omnibus naturalibus
causis effectus videtis , & in effectibus causas ,
orate pro nobis.
- art. 6. & 7. O altissimi spiritus , in quibus est cognitio matuti-
na , & vespertina . orate.
- ibid. O rutilantes ut aurora , qui in Verbo plurima cog-
noscitis , orate.
- ibid. O cælestes spiritus , qui vespertinâ cognitione res
in propria natura cognoscitis , orate.
- ibid. O vos , qui cognitionem matutinam , & vespertinam
tanquam in finem sine impedimento reducit ,
orate pro nobis.
- q. 59. art. 1. O suavissimi Angeli , qui voluntatis conatu Deum
& 2. ex toto corde diligitis , orate.
- O beati , in quibus est liberum determinatum ad art. 5.
superiora ; ad inferiora verò indeterminatum ,
orate pro nobis.
- O Beati , in quibus non est amor , & gaudium , ut art. 4.
passiones sunt , sed ut voluntatis actus , orate.
- O temperatissimi , in quibus est temperantia ; se- eodem.
cundum quam moderatè voluntatem vestram
divinæ regulæ subjicitis , orate.
- O fortissimi , in quibus est robur in Dei voluntate eodem.
constanter sequenda , orate.
- O suavissimi , qui dilectionem etiam naturalem , & q. 60. art. 1.
electivam habetis , orate. & 2.
- O excellentissimi , qui vos ipsos , aliosque Ange- art. 3.
los dilectione item naturali , & electivâ diligi-
tis , orate.
- Vos , qui naturali dilectione plus Deo , quàm vo- art. 5.
bis ipsis amore inhæretis , orate.
- Vos , qui naturaliter Deum amatis propter seipsum , eodem.
orate pro nobis.
- Vos , qui naturali dilectione Deum diligitis , ut bo- eodem.
num universale , à quo dependet bonum natura-
le , orate.
- Vos , qui naturalem cognitionem etiam habetis in q. 62. art. 7.
gloria . orate.
- Vos , qui per gloriæ cognitionem , Verbum per eodem.
suam essentiam cognoscitis , orate.
- Vos , qui auxilio gratiæ indigebatis , eò quod vo- art. 2.
luntas moveri non potest , nisi ab agente super-
naturali ad visionem beatificam , orate.
- Vos , qui in gratia creati fuistis , orate. art. 3.
- O clarissimi , qui beatitudinem adepti estis , orate. art. 4.
- O felicissimi , qui uno actu beatitudinem merui- art. 5.
stis , & alio beati fuistis , orate.
- O beati , quibus data sunt dona gratiarum , art. 6.
orate pro nobis.
- O beati , in quibus est cognitio , & dilectio natu- art. 7.
ralis , simul cum dilectione , & cognitione glo-
riæ , orate.
- O ardentissimi , qui ex conjunctione ad Deum art. 8.
perfecta peccare non potestis , orate.
- O altissimi , in quibus major libertas arbitrii est , eodem.
quàm in nobis , qui peccare possumus , orate.
- O beati , & superiores Angeli , qui inferiores illu- q. 106. art.
minatis , orate. 1.
- Vos , qui ad invicem loquimini , mentis concep- q. 107. art.
tus manifestantes , orate. 1.
- Vos , qui loquimini divinam consultando volun- art. 3.
tatem , orate.
- Vos , qui in Dei excellentia admiramini , orate. eodem.
- O potentissimi , quos non impedit loci distantia art. 4.
ad vestras mutuò loquutiones percipiendas ,
orate pro nobis.
- Vos , qui mentis conceptus iis solùm , quibus vul- art. 5.
tis , revelare potestis , orate.
- Vos , qui per tres Hierarchias estis distincti , orate. q. 108. art. 1.
- O beati per quos , quæ in hoc mundo sunt , dis- Per totum.
ponuntur , orate.

Sequuntur preces.

- Angelorum Rex , ab Angelis malis , libera nos Do- q. 63. art. 1.
mine.
- Ab Angelis , in quibus invenitur pravitas , lib. eodem.
- Ab Angelis , qui delectantur in peccatis hominum , art. 2.
libera nos Domine.
- Ab Angelis , qui voluerunt esse similes Altissimo , art. 5.
libera nos Domine.
- Ab Angelis , qui in veritate , non permanferunt , art. 6.
libera nos Domine.

Ecc

A

477. 9. A Dracone, qui secum traxit tertiam partem stellarum, lib.
- q. 64. art. 2. Ab iis, quorum superbia ascendit semper, lib.
- art. 4. Ab Angelis, qui portant secum ignem, quocumque se vertunt, lib.
- q. 114. a. 1. Ab Angelis homines impugnantibus, lib.
- art. 3. Ab Angelis, qui ad vitia nos alliciunt, lib.
- q. 110. a. 3. Ut beatis Angelis obediamus, te rogamus.
- q. 115. a. 1. Ut ab eis illuminemur de credendis, ac de agendis, te rogamus audi nos.
- art. 3. Ut per eos semper imaginatio nostra moveatur, te rogamus audi nos.
- art. 4. Ut per eos sensus nostri immutentur, dum terrena cogitant, te.
- q. 113. a. 1. Ut per eos custodiamur, te.
- q. 180. a. 8. Ut assumamur ad Angelorum ordines, te.
- q. 112. a. 1. Ut eorum imitatione exterior occupatio minimè in nobis impediatur divinam contemplationem, te rogamus audi nos.
- q. 180. a. 4. Ut participes efficiamur charitatis seraphicæ, te rogamus.
5. 6. *ibid.* Ut sapientia Cherubin nos ubique dirigat, te.
- ibid.* Ut Thronorum precibus sit anima nostra sedes Dei, te.
- ibid.* Ut per Dominationum ordinem mereamur dominium corporis nostri ita adipisci, ut contineatur à culpis, te.
- ibid.* Ut per Potestates arceantur à nobis adversæ potestates, te.
- ibid.* Ut per miracula virtutibus facta Ecclesia tua in majorem corroboretur fides, te.
- ibid.* Ut per Principatus divina jussa impleamus, te.
- ibid.* Ut per Archangelos salutaria in Ecclesia fiant, te.
- ibid.* Ut in ministerium nostrum mittantur Angeli ad uniendum nos Deo, te.
- q. 112. art. 1. Ut in hora mortis nostræ Angeli Dei nos protegant, ac defendant, te.
1. Ut gaudium simus Angelis in cælis, te rogamus audi nos.

Vers. Angelis suis mandavit de te.

Resp. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

O R E M V S.

Concede nobis clementissime Deus, ut quemadmodum facis Angelos tuos Spiritus, & Ministros tuos ignem urentem: ita illumines mentes nostras, & corda accendas, ut in amore tuæ dilectionis uri mereamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

P R I M A P A R S

L I T A N I Æ

Q. 1. ex 3. De mysterio Incarnationis, qua unionem Dei Verbi continet.

- q. 1. art. 1. **F**ili Dei, miserere nobis.
- eodem.* Tu, qui tuâ bonitate in mysterio Incarnationis non despexisti humanæ naturæ humilitatem, miserere nobis.
- eodem.* Tu, qui tuâ justitiâ devicto homine, non alio quàm homine fecisti vinci tyrannum humani generis, mis.
- eodem.* Tu, qui tuâ sapientiâ invenisti difficillimi decensissimam solutionem, mis.

Tu, qui tuâ potentiâ Deum fieri hominem voluisti, *eodem.* mis.

Tu summum bonum, qui ut te summo modo *eodem.* communicares, naturam humanam tibi adunasti, mis.

Tu, qui in hoc mysterio in te non immutatus es, *eodem.* sed novo modo creaturam tibi conjunxisti, mi.

Tu, qui naturam personalitati subjectam assumere voluisti absque culpæ subiectione, *eodem.* mi.

Tu, qui carni unitus curam gubernandæ rerum *eodem.* universitatis non amisisti, mi.

Tu, qui non materiali mole, sed virtute magnus *eodem.* es, mi.

Tu, qui nullas, ut Deus, sentis angustias, *eodem.* mi.

O Verbum Dei, cujus Incarnatio fuit necessaria, ut melius perveniretur ad finem humanæ *eodem.* reparationis, mi.

Tu, qui carnem assumpsisti, ut homo fidentius *eodem.* ambularet ad veritatem, mi.

Tu, qui hominis spem crexisti, cum dignatus es *eodem.* naturæ nostræ inire confortium, mi.

Tu, qui ad charitatem nos excitas, tuam dilectionem *eodem.* ostendens, ut si amare pigeat, saltem redimare non pigeat, mi.

Tu, qui factus es homo, ut homo quodammodo *eodem.* fieret Deus, mi.

Tu, qui factus es homo, quia purus homo satisfacere *eodem.* non poterat, mi.

Tu, qui efficaciam infinitam habuisti, ut oportuit *eodem.* ad condignam satisfactionem, mi.

Tu, qui majestatem tuam non minuisti, carnem *eodem.* assumendo, mi.

Tu, qui venisti ad tollenda omnia peccata, *art. 4.* mi.

Tu, qui principalius venisti ad tollendum peccatum, *eodem.* quod est intensivè majus, mi.

Tu, qui principalius venisti ad tollendum originale *eodem.* peccatum extensivè majus omnibus aliis peccatis, mi.

Tu, qui ut plenè satisfaceres pro peccato originali *eodem.* sensibilem dolorem pati voluisti, mi.

Tu, qui in principio generis humani ante peccatum *art. 5.* carnem non assumpsisti, quia valentibus non opus est medico, mi.

O Verbum non statim post peccatum incarnatum, *eodem.* ut homo humiliatus, liberatore se indigere cognosceret, mi.

O Verbum non statim incarnatum, ut de imperfecto *eodem.* & procederet ad perfectum, mi.

O Verbum non statim incarnatum propter tuam *eodem.* dignitatem; quanto enim major, qui venturus erat, tantò longior series præconum præcedere debebat, mi.

O Verbum non statim incarnatum, ut fervor fidei *eodem.* temporis prolixitate nitesceret, miserere nobis.

Tu Domine, qui hoc mysterium usque ad finem *art. 6.* mundi non distulisti, ne Dei notitia in hominibus aboleretur, mi.

Tu, qui in medio annorum Sacramentum hoc *q. 2. eodem.* fecisti, mi.

O Fili Dei, quem confitemur in duabus naturis *q. 2. art. 1.* confusè, mi.

O tu, qui simul subsistis in natura divina, & *eodem.* humana, mi.

O natura divina, quæ incarnata dicoris, quia *eodem.* es unita carni personaliter, mi.

O Christe, cujus humanitas est sanctificata per *eodem.* unionem

- niem ad Verbum salvis suis proprietatibus natura-
libus, mi.
- Verbum, cujus unio facta est in persona; non
autem in divina natura, mi.
- Deus, in quo licet non differant re natura, & per-
sona, differunt tamen secundum modum signi-
ficandi, mi.
- Christe, cujus humana natura, etsi per se non
subsistat, dignior est tamen, quam omnium
hominum, quia existit in persona Verbi, mi-
serere nobis.
- odem.* ○ Verbum naturam humanam assumens in indivi-
duo, mi.
- art. 3.* ○ Christe, in quo duas naturas cognoscimus, unam
autem hypostasim, mi.
- odem.* ○ Verbum ineffabile, cujus unio facta est in sup-
posito, mi.
- art. 5.* ○ Verbum inenarrabile, cujus unio fuit animæ, &
corporis, mi.
- art. 6.* ○ Verbum divinum naturæ humanæ unitum, non
secundum essentiam, nec secundum accidens,
sed secundum subsistentiam, mi.
- art. 7.* ○ Verbum admirabile, cujus unio ad naturam hu-
manam quid creatum est, mi.
- art. 8.* ○ Pater naturam humanam uniens Filio, mi.
- odem.* ○ Verbum humanam naturam tibi ipsi uniens,
miserere nobis.
- odem.* ○ Spiritus sancte humanam naturam Verbo uniens,
miserere nobis.
- odem.* ○ Verbum inestimabile naturam humanam assu-
mens, mi.
- odem.* ○ natura humana, quæ a Verbo assumpta, & illi
unita rectè appellaris, mi.
- odem.* ○ Verbum, cujus unio in facto esse, assumptio
verò in fieri significatur, mi.
- odem.* ○ natura divina, quæ humanæ unita diceris, non
assumpta, mi.
- art. 10.* ○ natura humana, quæ unita es personæ divi-
næ, mi.
- odem.* ○ Verbum incomprehensibile, cujus unio facta est
supernaturaliter, mi.
- odem.* ○ Christe in quo plenitudo divinitatis habitat.
miserere nobis.
- art. 11.* ○ Verbum incarnatum, non ex operibus justitiæ,
quæ fecimus nos, sed secundum tuam miseri-
cordiam, mi.
- odem.* ○ Christe, ex cujus gratiæ plenitudine cæteri gra-
tiam accipiunt, mi.
- odem.* ○ Verbum, cujus Incarnationis gratia non cadit sub
merito de condigno, mi.
- odem.* ○ Christe, cujus Incarnationem de congruo me-
ruerunt sancti Patres, mi.
- art. 12.* ○ Christe, cujus gratia unionis ab initio conceptio-
nis fuit, mi.
- Christe, cujus unione, quod divinum est homini,
apponitur, mi.
- odem.* ○ Christe, in cujus unione non Deus, sed homo
perficitur, mi.
- dem.* ○ Fili Dei, qui non ex natura humana habes, quòd
sis simpliciter, sed quòd sis homo, mi.
- dem.* ○ Fili Dei, qui in te habes, quòd sis persona divina
simpliciter, mi.
- natura divina, cui competit assumere, ut es as-
sumptionis principium, mi.
- dem.* ○ natura divina, cui non convenit esse terminum
assumptionis secundum teipsam; sed ratione
personæ, mi.
- natura divina, cui etiam si competat assumere
in Verbo carnis naturam; non tamen ut existens
in Patre, mi.
- tres personæ divinæ unius essentiae, quibus
commune est id, quod est actionis in assump-
tione, *art. 4.* mi.
- Verbum æternum, cui pertinet id, quod est ad
rationem termini in assumptione, *eadem.* mi.
- natura divina, quæ diceris incarnata, quia
nil deest de tua perfectione personæ incarna-
tæ, *eadem.* mi.
- tres personæ divinæ unius essentiae, quarum
quælibet posset humanam naturam assumere,
miserere nobis. *art. 5.*
- tres personæ divinæ unius essentiae, quarum
duæ, vel tres unam numero naturam assumere
possent, *art. 6.* mi.
- tres personæ divinæ unius essentiae, quibus
impossibile est unam personam humanam assu-
mere, *eadem.* mi.
- excellentia trium personarum divinarum, quarum
si quælibet assumeret unam numero
naturam humanam, tres personas esse unum ho-
minem diceretur, *eadem.* mi.
- Fili Dei, qui duas naturas humanas assumere
posses, *art. 7.* mi.
- Fili Dei, cui convenientius fuit assumere natu-
ram humanam, quam aliæ personæ divinæ,
miserere nobis. *art. 8.*
- Tu Verbum Dei, in quo invenitur convenientia ad
restaurandum genus humanum, *eadem.* mi.
- Fili Dei, qui convenienter in mundum veni-
sti, ut conceptus æternæ sapientiæ sapientiam
hominibus largireris, *eadem.* mi.
- Tu, qui decenter de cælis descendisti, ad cælestem
hæreditatem hominibus tribuendam, quæ solum
filiis debetur, *eadem.* mi.
- Tu, qui solam naturam humanam assumpsisti, quia
reparatione indigebat, *q. 4. art. 1.* mi.
- Tu, qui Angelicam naturam non assumpsisti, quia
ejus peccatum irremediabile erat, *eadem.* mi.
- Tu, qui tuâ unione impedisti, ne humana natu-
ra propriam haberet personalitatem, *art. 2.* mi.
- Tu, qui non convenienter assumere debueras na-
turam humanam, ut abstractam ab omnibus in-
dividuis; nec in omnibus illis, *art. 4. & 5.* mi.
- Tu, qui ex Adæ stirpe assumere voluisti, ut vin-
ceret natura, quæ victa fuerat, *art. 6.* mi.
- Tu, qui ad ostendendam Dei potentiam natu-
ram infirmam in tantam dignitatem promovisti,
miserere nobis. *eadem.*
- Tu, qui verum corpus assumpsisti; & veram mor-
tem per illud sustinuisti, *q. 1. art. 5.* mi.
- Tu, qui animam assumpsisti intellectualem, mi-
serere nobis, *art. 3.*
- Tu, qui secundum gradum dignitatis unisti tibi
ipsi carnem mediante animâ, *q. 6. art. 1.* mi.
- Tu qui assumpsisti partes humanæ naturæ median-
te toto, *art. 9.* mi.
- Verbum caro factum, mi.

Preces.

- A mala erga hoc mysterium ingratitude; libe-
ra nos Domine.
- Per illam dilectionem; quâ Pater æternè dilexisti
mundum, ut filium tuum unigenitum dares, ab
omni malo libera nos Domine.
- Ab iis, qui posuerunt aliam hypostasim Dei; aliam
verò hominis, *q. 2. art. 3.* fib.

art. 5. Ab iis, qui negarunt unionem animae, & corporis in
Christo, lib.

art. 6. Ab iis qui dixerunt ex duabus naturis unam esse
constitutam, lib.

eadem. A Nestorio dicente naturam humanam assump-
tam esse à Verbo solo per modum instrumenti,
libera nos Domine.

q. 5. art. 4. Ab Ario dicente filium assumpsisse carnem absque
anima, lib.

eadem. Ab iis, qui dicunt mentem defuisse animae Chri-
sti, lib.

q. 6. art. 3. Ab Origenis sententia dicentis animam Christi à
principio mundi cum cæteris animabus creatam
esse, lib.

Ut diligamus eum, qui dilexit nos, & tradidit se-
metipsum pro nobis, te rogamus audi nos.

Ut Patrem æternum loquentem nobis in filio ado-
remus, te.

Ut Filium unigenitum, qui in terris visus fuit, glo-
rificemus, te.

Ut Spiritum sanctum hujus mysterii operarium di-
ligamus, te.

Ut Pater clarificet filium suum, nomen ejus ma-
nifestando per univèrsam orbem, te.

Ut manentes in Christo sicut palmites in vite fru-
ctum afferamus, te.

Ut diligentes nos invicem; tua mandata implea-
mus, te.

Ut uniti simus in charitate cum illo, qui fecit utra-
que unum, te.

Vas. Laudemus Principem Regum terræ, qui
dilexit nos.

Resp. Et lavit nos à peccatis nostris per sanguinem
suum.

O R E M V S.

Concede nobis, clementissime Deus, ut si-
cut nos ad cœnam nuptiarum agni vocare di-
gnatus es, ita facias ejus sequi vestigia, ut gau-
dentes, & exultantes ad eas ingredi mereamur.
Per Christum Dominum nostrum. Amen.

SECUNDA PARS

LITANIÆ

*Incarnationis, qua virtutes, & Christi gratias
continet.*

q. 7. art. 1. **O** Christe omnium Redemptor, miserere
nobis.

eadem. Tu, qui habuisti gratiam habitualem propter unio-
nem animæ ad Verbum, mi.

eadem. Tu, qui habuisti gratiam habitualem propter tuæ
animæ nobilitatem, cujus operationes propin-
quius ad Deum attingebant, mi.

eadem. Tu, qui gratiam habuisti habitualem, ut à te re-
dundaret in alios, mi.

art. 2. Tu, qui perfectissimè omnes habuisti virtutes ultra
modum communem, mi.

eadem. Tu, qui summum gradum liberalitatis, & magni-
ficentiæ ostendisti, divitias contemnendo, mi.

eadem. Tu, qui concupiscentiis carens perfectissimam
habuisti continentiam, mi.

art. 3. Tu, qui fidem non habuisti; quia à principio tuæ

conceptionis Deum plenè vidisti, & eo plenè
fruebaris, mi.

Tu, qui fidem non habuisti, in eo quod defectum
tibi importaret, mi.

Tu, qui spem habuisti respectu eorum, quæ non-
dum adeptus fuisti, ut immortalizatis, & gloriæ
corporis, mi.

O Christe, in quo excellentissima dona fuerunt,
miserere nobis. art. 5.

Tu, qui non habuisti timorem te separandi à Deo
per culpam, mi.

Tu, qui non habuisti timorem subeundi pec-
nam pro propria culpa, mi.

Tu, qui affectum reverentiæ ad Deum præ-
teris habuisti plenior, mi.

Tu, quem replevit Spiritus timoris Domini, ut
movereris quodam affectu reverentiæ ad
Deum, mi.

O Christe, in quo excellentissimè fuerunt gratiæ
gratis datæ, sicut in primo, & principali fi-
dei Doctore, mi.

*Secundum naturam humanam, quia secundum divinam est
dator gratiæ.*

Tu, qui Prophetiam habuisti, siquidem ea, quæ
erant procul ab aliorum viatorum notitia cog-
noscebas, & annuntiabas, mi.

Tu, qui habuisti gratiæ plenitudinem in modo
perfectissimo, quo haberi potest, mi.

Tu, qui abundantius gratiam recepisti, ut propin-
quius te habens causæ influenti, mi.

O Christe, in quo est plenitudo gratiæ, cum tua
latissimè gratia se extendat, mi.

O Christe, cui gratiæ plenitudo propria est, in
eo quod sit summa, mi.

O Christe, cujus sanctificatio per unionem pro-
pter personam Verbi rectè dicitur infinita, mi.

O Christe, cujus gratia habet infinitum effectum
propter infinitatem prædictam, mi.

O Christe, cujus gratiæ nullus adæquabitur ho-
mo, quantumcumque crescat in illa, mi.

O Christe, cujus gratia non potest augeri, cum
finis gratiæ sit ad Deum unio, quâ major esse
non potest, quàm personalis, quæ in te est,
miserere nobis.

O Christe, in quo non potest gratia augeri; quia
in instanti tuæ conceptionis fuisti plenè glorio-
sus & in termino, mi.

O Christe, in quo gratia unionis secundum no-
strum intellectum præcedit gratiam habitua-
lem, mi.

Tu, qui es Ecclesiæ caput, quia Deo propinquior,
& plenus omnium gratiarum, in omnes gra-
tiam influis, mi.

Tu, qui es caput hominum, quantum ad animas,
& quantum ad corpus, mi.

Tu, qui es ille, in quo omnes vivificantur, sicut
in Adam omnes moriuntur, mi.

Tu, qui es caput omnium hominum secundum
diversos gradus, mi.

Tu, qui es caput eorum, qui actu uniuntur tibi
per gloriam, mi.

Tu, qui es caput eorum, qui actu uniuntur tibi
per charitatem, mi.

Tu, qui es caput eorum, qui actu uniuntur tibi per
fidem, mi.

Tu, qui es caput eorum, qui uniuntur tibi solum
in potentia, nondum redactâ ad actum, mi.

Tu,

- eadem.* Tu, qui es caput eorum, qui in potentia sunt tibi uniti, quæ nunquam reducetur ad actum, miserere nobis.
- art. 4.* Tu, qui es caput Angelorum, de cujus influxu Angeli recipiunt, mi.
- art. 5.* O Christe, caput totius Ecclesiæ, mi.
- eadem.* O Christe, qui es caput nostrum secundum plenitudinem gratiæ, mi.
- art. 6.* O Christe, cui proprium est caput esse Ecclesiæ, mi.
- eadem.* O Deus æterne, mi.
- q. 9. art. 1.* Tu, qui habuisti scientiam creatam, ut decebat ad perfectionem tuæ animæ, mi.
- eadem.* Tu, qui habuisti scientiam creatam; quia frustra esset intellectus, si per eum non intelligeres, miserere nobis.
- art. 2.* Tu, qui cognovisti omnia per scientiam divinam operatione increatâ, mi.
- eadem.* Tu, qui excellentissimè habuisti scientiam beatorum, quia semper causam oportet esse potentioris causato, mi.
- art. 3.* O anime Christi, qui habuisti scientiam beatam, quâ cognoscebas Verbum, & res in Verbo, mi.
- eadem.* Tu, qui habuisti scientiam infusam, quâ cognoscebas res in sua propria natura, mi.
- q. 10. art. 2.* Tu, qui cognovisti omnia in Verbo, quæ sunt in potentia creaturæ, mi.
- q. 9. art. 4.* Tu, qui habuisti scientiam acquisitam, mi.
- q. 10. art. 2.* O anime Christi, tu qui scis omnia, quæ Deus in seipso cognoscit per scientiam visionis, mi.
- art. 3.* Tu, qui scis infinita eorum, quæ sunt in potentia, creaturæ, mi.
- art. 4.* Tu, qui plenius habens influentiam luminis, in quo Deus videtur, perfectius Deum vides altioribus Angelis, mi.
- q. 11. art. 1.* O anima Christi, quæ per scientiam inditam cognovisti, quæcumque ab homine cognosci possunt per virtutem luminis intellectus agentis, miserere nobis.
- eadem.* O anima Christi, quæ per hanc scientiam infusam cognovisti omnia; quæ per revelationem divinam hominibus innotescunt, mi.
- eadem.* Tu, quæ virtute hujus scientiæ infusæ substantias separatas cognoscere poteras, mi.
- Tu, quæ hanc scientiâ intelligere poteras absque conversione ad phantasmata; quia plenè habuisti facultatem superiorem, mi.
- art. 4.* O Christe, cujus scientia major fuit, quàm Angelorum, secundum illud, quod habuisti à causa influente, mi.
- art. 5.* O anima Christi, cui scientia indita fuit, quâ poteras uti, quando volebas, mi.
- art. 6.* Tu, quæ habuisti scientiam inditam, distinctam per diversos habitus, mi.
- q. 12. art. 1.* Tu, quæ scientiâ acquisitâ cognovisti omnia, quæ sciri possunt per actionem intellectus agentis, mi.
- eadem.* Tu, quæ ex iis quæ experta es in omnium devenisti notitiam, mi.
- art. 2.* Tu quæ hanc scientiâ acquisita profecisti, quia secundum augmentum ætatis opera majora faciebas, mi.
- art. 3.* O anima Christi, tu quæ nec ab homine, nec ab Angelo aliquid didicisti, mi.
- q. 13. art. 1.* Tu, quæ habes scientiam speculativam creandi, licet non habeas scientiam practicam, seu factivam creationis, mi.
- Tu, quæ ut instrumentum Verbi habes virtutem instrumentalem ad omnes immutationes miraculosas faciendas, mi.
- O Christe, tu qui potuisti, quidquid voluisti, miserere nobis.
- Tu, cui non solum data est gratia faciendi miracula; sed ut illam in alios transfunderes, mi.
- Tu, qui corpus assumere voluisti humanis infirmitatibus subiectum, mi.
- Tu, qui vulneratus es propter scelera nostra, mi.
- Tu qui humanam naturam suscipiens, Incarnationis fidem adstruxisti, patientiæque exhibuisti exemplum, mi.
- Tu, qui secundum necessitatem naturalem consequentem materiam, subiectus fuisti necessitati mortis, & hujus mundi defectibus, mi.
- Tu, qui secundum conditionem propriæ naturæ subjacuiisti necessitati coactionis, ut repugnantis naturæ corporali, mi.
- O Christe, in quo non fuit necessitas coactionis repugnantis voluntati divinæ, aut humanæ absolute, sed solum secundum naturalem modum voluntatis, mi.
- Tu, qui non contraxisti hos defectus corporales, sed voluntariè suscepisti, mi.
- Tu, qui assumpisti defectus, qui consequuntur ex peccato totius naturæ non repugnantes perfectioni, & gratiæ, mi.
- Tu, qui nec assumpisti peccatum, nec peccati fomitem, nec ignorantiam, mi.
- O Christe, cujus anima fuit passibilis passione corporali, & animali, mi.
- O Christe, in quo fuit dolor sensibilis, mi.
- O Christe, in quo fuit tristitia secundum propensionem, non autem secundum passionem, miserere nobis.
- O Christe, in quo fuit timor, secundum quem appetitus sensitivus naturaliter refugiebat corporis læsionem, mi.
- O Christe, in quo fuit admiratio secundum scientiam experimentalem, ut doceres esse mirandum, quod tu mirabaris, mi.
- O Christe, in quo fuit ira laudabilis zelo domus Dei, mi.
- Tu, qui eras comprehensor habens beatitudinem propriam animæ, & viator in quantum tendebas in beatitudinem, mi.
- Secundam quod ei decrat de beatitudine glorificationis corporis.*
- Tu, qui cum in forma Dei esses, temetipsum exhibuisti, mi.
- Tu, qui es Deus, & homo, mi.
- O Christe, cujus nomina in concreto indifferenter prædicari possunt ad utramque naturam, miserere nobis.
- O Fili Dei, qui factus es homo, mi.
- O homo, qui factus es Deus, mi.
- O Christe, qui non es creatura simpliciter dicens, mi.
- Tu, qui præter divinam voluntatem habuisti humanam, mi.
- O Christe, in quo humana natura fuit instrumentum divinitatis, ut moveretur per propriam voluntatem, mi.
- Tu, qui voluntate humanâ habuisti quandam determinatum modum; ut movereris secundum naturam divinæ voluntatis, mi.

- art. 2.* Tu, qui habuisti appetitum sensitivum, ut verus homo, mi.
Subjectum tamen rationi semper.
- art. 3.* Tu, qui unam tantum voluntatem humanam habuisti, mi.
- art. 4.* Tu, qui liberum arbitrium habuisti, ut scires reprobare malum, & eligere bonum, mi.
- art. 6.* Tu, qui secundum voluntatem, quæ est per modum rationis, semper idem voluisti, quod Deus voluit, mi.
- eodem.* Tu, qui nullam habuisti repugnantiam voluntatum, mi.
- q. 19. art. 1.* Tu, qui duas operationes habes, secundum duas naturas, mi.
- art. 3.* O Christe, tu qui nec tuam gratiam, nec scientiam, nec beatitudinem meruisti, mi.
- eodem.* Tu, qui corporis gloriam, ejusque ascensionem, & venerationem meruisti, mi.
- art. 4.* O Christe; tujus meritum ad alios derivatur, miserere nobis.
- q. 20. art. 1.* Tu, qui secundum formam servi, Patri fuisti subiectus, mi.
- art. 2.* Tu, qui tibi ipsi es subiectus secundum diversam naturam, mi.
- q. 21. art. 1.* O Christe, cui competit orare secundum humanam voluntatem, mi.
- art. 3.* Tu, qui pro teipso Patrem orabas voluntatis affectum exprimendo, mi.
- art. 4.* O Christe, cujus voluntas humana absoluta semper fuit exaudita, mi.
- q. 22. art. 1.* O Christe; cui competebat Sacerdotem esse, miserere nobis.
- art. 2.* Tu, qui fuisti Sacerdos, & hostia, mi.
- art. 3.* Tu, qui virtutem habuisti emundandi peccata, miserere nobis.
- art. 4.* Tu, qui pro culpa propria oblationem non obtulisti, mi.
- art. 5.* Tu, qui es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, mi.
- q. 23. art. 1.* O Christe, qui non es Filius Dei adoptivus, sed naturalis, mi.
- eodem.* Tu, qui secundum quod homo, es prædestinatus esse Filius Dei, mi.
- art. 3.* O Christe, cujus prædestinatio est exemplar nostræ prædestinationis, mi.
- art. 4.* Tu, qui es causa nostræ prædestinationis, miserere nobis.
- q. 25. art. 1.* O Christe, cujus divinitas, & humanitas unâ adoratione adoratur, mi.
- art. 2.* O Christe, cujus humanitas ratione suppositi adoratione patriæ adoratur, mi.
- art. 3.* O Christe, cujus imago patriæ adoratione adoratur, mi.
- art. 4.* O Christe, cujus Crucem adoratione patriæ adoramus, mi.
- eodem.* O Christe, cujus passionis indumenta patriæ adoratione adorantur, mi.
- eodem.* O Christe, cujus clavi manus, pedesque tuos transfigentes adoratione patriæ adorantur, miserere nobis.
- O Christe, cujus lancea, quâ latus tuum percussus est, patriæ adoratione adoratur, miserere nobis.
- art. 5.* O Christe, cujus Mater adoratur adoratione hyperedulæ, mi.
- q. 26. art. 1.* Tu, qui secundum quod homo, es Mediator inter Deum, & homines, mi.

O beata Trinitas, cui competit filios adoptare, miserere nobis.

Preces.

Per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ, libera nos Domine.

A Manichæis dicentibus Christi carnem non veram, sed phantasticam esse, lib.

Ab iis, qui dicunt Christum non esse Deum naturaliter, sed participativè, lib.

Ab iis, qui dicunt hominem in Christo unari Deo secundum affectum tantum, lib.

A Nestorianis dicentibus anathema esse, si quis Dei Verbo tentaverit passionem quascumque tribuere. lib.

Ab Arianis dicentibus Christum esse minorem Patre ratione divinæ naturæ, lib.

Aponentibus unam tantum naturam compositam in Christo, lib.

Ab Apollinario dicentem in Christo Verbum esse loco animæ, lib.

Ut ne in vacuum gratiam Dei recipiamus, te rogamus audi nos.

Ut verè cognoscamus gratiâ Dei esse id, quod sumus. te ro.

Ut confundamur contemplantes, quoties gratiarum Dei influentias accipere renuimus, te ro.

Ut inflammemur admirantes, quoties Christi gratiæ (qui est caput nostrum) fluunt in membris ejus, te ro.

Ut participantes de meritis Christi eum glorificare mereamur, te ro.

Ut Christi voluntas sit nostræ voluntatis regula, te ro.

Ut Christi operatio sit nostra instructio, te ro.

Ut Christi meritis sublevemur, te ro.

Ut per Christum in adoptione filiorum Dei inveniri mereamur, te ro.

Ut Christi humanitatem patriæ adoratione adorantes ipsam dignissimè veneremur, te ro.

O Christe audi nos, O Christe exaudi nos.

Vers. Vidimus eum.

Resp. Plenum gratiæ, & veritatis.

O R E M V S.

Gratiam tuam quæsumus Domine mentibus nostris infunde, ut qui Angelo nuntiante Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus & crucem ad Resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat, &c. Amen.

T E R T I A P A R S

L I T A N I Æ

Incarnationis, de Annuntiatione, & modo, & ordine Conceptionis Christi, ac simul de ejus infantia.

O Christe noster Redemptor! ô amor, & desiderium, miserere nobis.

Tu, qui Mariam elegisti totam pulchram, & sine macula, q. 27. art. 1. mi.

Tu,

- q. 28. art. 1. Tu, qui voluisti, ut Virgo te conciperet, ne patrem haberes hominem, qui Patrem habebas Deum, miserere nobis.
- eodem. Tu, qui Matri tuæ dedisti omnium gratiarum plenitudinem, mi.
- eodem. Tu, qui sine corruptione matris conceptus es, miserere nobis.
- eodem. Tu, qui in Virginis utero conceptus es, ut sine peccato conciperetur, qui ad tollenda mundi peccata veniebat, mi.
- art. 2. Tu, qui de Virgine natus es, mi.
- eodem. Tu, qui Virginem habuisti matrem, ne violaretur ejus integritas tui causâ, qui veneras sanare mundi corrupta, mi.
- q. 29. art. 1. Tu, qui ex Virgine desponsata natus es, ne abjicereris; tanquam illegitimè natus, mi.
- eodem. Tu, qui matrem desponsatam elegisti, ne ipsa lapidaretur à Judæis tanquam adultera, mi.
- eodem. O Christe, cujus mater desponsata fuit; ut à Joseph ei ministerium exhiberetur, mi.
- eodem. O Christe, cujus mater desponsata fuit, ut ex testimonio Josephi comprobaretur Christum te esse ex Virgine natum, mi.
- art. 2. O Christe, cujus Mater desponsata fuit Joseph, inter quos fuit verum matrimonium, mi.
- q. 30. art. 1. Tu, qui Matri mysterium hoc annuntiari voluisti, ut ejus mens prius instrueretur, quam carne te conciperet, mi.
- eodem. Tu, qui Matri annuntiari id fecisti, ut voluntaria sui obsequii munera offerret, mi.
- art. 3. Tu, qui per Angelum annuntiari voluisti, ut in hoc etiam servaretur divina ordinatio, mi.
- eodem. Tu, qui Angelum misisti ad Virginem, quia virginitas semper est ab Angelis amata, mi.
- eodem. Tu, qui Angelum facie, vesteque rutilantem apparere fecisti, mi.
- q. 31. art. 1. Tu, qui non naturam Angelicam assumpisti, sed humanam, ut natura infecta curaretur, mi.
- art. 2. Tu, qui factus es ex femine David secundum carnem, mi.
- art. 4. Tu, qui corporis materiam ex foemina assumpisti, ut per hoc tota natura humana nobilior redderetur, mi.
- art. 6. O Christe, cujus corpus in antiquis Patribus non secundum partem signatam, sed secundum originem extitit, mi.
- art. 7. O Christe, cujus caro fuit à peccato immunis, licet caro antiquorum Patrum fuerit peccato obnoxia, mi.
- art. 8. Tu, qui in lumbis Abraham non es decimatus, quia materiam medicaminis, & non fervorem vulneris traxisti, mi.
- q. 32. art. 1. O Christe, cujus opus conceptionis commune est sanctissimæ Trinitati, mi.
- eodem. O Christe, cui convenerat carnis assumptio in hac conceptione, mi.
- eodem. O Christe, in cujus conceptione Spiritui sancto tribuitur corporis formatio, ut amor, mi.
- eodem. O Christe, cujus corporis formatio attribuitur Spiritui sancto, mi.
- eodem. Tu, qui conceptus es, ut esses sanctus, & filius Dei, mi.
- eodem. O Christe, cujus missio refertur ad personam assumptam, conceptio verò ad corpus assumptum, mi.
- art. 2. Tu, qui conceptus es de Spiritu sancto effectivè, miserere nobis.
- Tu, qui conceptus es de MARIA Virgine, ut Matre, mi.
- O Christe; cujus corpus non ex viri semine, sed conditivè à Spiritu sancto in utero Virginico formatum est, mi.
- Tu, qui es Mariæ Virginis filius, non autem Spiritus sancti, mi.
- O Christe, in cujus conceptione Beata Virgo materiam ministravit, mi.
- O Christe, cujus corpus in primo instanti conceptionis animatum est animâ rationali, mi.
- Tu, qui in tua conceptione minorem corporis quantitatem habuisti, quam alii homines; sufficientem tamen ad conservationem corporis animati, mi.
- O Christe, cujus conceptio fuit supernaturalis, & miraculosa, mi.
- Tu, qui in primo instanti tuæ conceptionis habuisti plenitudinem gratiæ sanctificantis animam, & corpus, mi.
- O Christe, cujus humanitas est sanctificans, & sanctificata, mi.
- Tu, qui factus es sanctus; quia aliquando sanctitatem humanam non habuisti, mi.
- Non privativè, sed negativè, quia aliquando non eras.*
- Tu, qui in primo instanti liberum arbitrium habuisti, mi.
- Tu, qui secundum proprium motum liberi arbitrii in Deum, sanctificatus fuisti, mi.
- Tu, qui in primo instanti secundum motum liberi arbitrii meruisti, mi.
- Tu, qui in primo instanti fuisti comprehensor, mi.
- O Christe, cujus nativitas propriè attribuitur personæ, & non naturæ divinæ, mi.
- Tu, qui æternaliter natus es à Patre, mi.
- Tu, qui temporaliter natus es à Matre, mi.
- Tu, qui Mariam habes matrem veram, & naturalem, mi.
- O Christe, in quo est una filiatio tantum æterna respectu suppositi, mi.
- Tu, qui realiter diceris filius Virginis propter relationem realem maternitatis ejus ad te, miserere nobis. mi.
- O Christe, cujus mater sine dolore te peperit, libera à sententia parientis cum dolore, miserere nobis, mi.
- Tu, qui in Bethleem nasci dignatus es, ut domus David, domus sit panis, mi.
- Tu, qui in tua nativitate civitatem infirmam elegisti, ut fortia confunderes, mi.
- Tu, qui convenientissimo tempore natus es, ut omnium Conditor, omniaque disponens suaviter, mi.
- Tu, qui in tempore maximæ pacis natus es, ut pax nostra, qui facis utraque unum, mi.
- Tu, qui in hyemis asperitate natus es, ut ex tunc carnis afflictionem pro nobis patereris, miserere nobis. mi.
- Tu, qui nasci voluisti, quando lux diei clementum accipere incipiebat, ut per tuum adventum homines crescerent ad lucem divinam, miserere nobis.
- Tu, qui non omnibus tuam nativitatem notam fecisti, ne impediretur humana redemptio, quæ per crucem peracta est, mi.
- O Christe, cujus nativitas non omnibus manifesta, mi.

- ista fuit, quia tu es Deus absconditus, miserere nobis.
- eodem.* O Christe, cujus nativitas quàm plurimis occulta fuit, ne fidei meritum tolleretur, mi.
- art. 2.* Tu, qui tuâ charitate quibusdam manifestaisti tuam nativitatem, per quos posset ad alios pervenire, mi.
- art. 3.* Tu, qui Magos elegisti ad manifestandam nativitatis tuæ veritatem, mi.
- art. 5.* Tu, qui per Angelum tuam nativitatem annuntiasti, ut Angelorum claritate ostenderet te splendorem paternæ gloriæ esse, mi.
- eodem.* Tu, qui nativitatis tuæ Pastoribus notitiam dedisti, ut sinceris, & colentibus antiquam Patrum conversationem, mi.
- eodem.* Tu, qui Magis per stellæ signum tuam declarasti nativitatem, ut assuetis consideratione cælestium corporum, mi.
- eodem.* Tu, qui eam Simeoni ostendisti per interiorum Spiritus sancti instinctum, mi.
- art. 6.* Tu, qui Pastoribus, priusquam Magis nativitatem demonstraisti, mi.
- art. 7.* Tu, qui stellam novæ claritatis Magis apparere fecisti, mi.
- q. 37. art. 1.* Tu, qui circumcidi voluisti, ut ostenderes veritatem carnis humanæ, mi.
- eodem.* Tu, qui circumcisus es ad probandam illam circumcisionem, quam olim Deus instituerat, miserere nobis.
- eodem.* Tu, qui circumcisus es, ad tollendam Judæis excusationem, mi.
- eodem.* Tu, qui in tua circumcissione obedientiæ virtutem tuo nobis commendas exemplo, mi.
- eodem.* Tu, qui circumcisus es, ut legis onus in te sustinens, alios à legis onere liberares, mi.
- eodem.* Tu, qui circumcisus es, ut in nobis spiritualem circumcisionem efficeres, mi.
- art. 2.* Tu, qui vocatus es JESVS, quia es generis humani Salvator, mi.
- eodem.* O Jesu suavissime, in cujus nomine Emanuel designatur causa nostræ salutis, mi.
- eodem.* *Idem enim nobiscum Deus, quia salvati sumus.*
- eodem.* O Jesu dulcissime, in cujus nomine spoliati sumus à sathanæ potestate, mi.
- eodem.* O Jesu admirabile nomen, quo admirabili divinitatis consilio ad hæreditatem perducimur æternam, mi.
- art. 3.* Tu, qui in templo secundum legem præsentari voluisti, ut eos qui sub lege erant, redimeres, mi.
- eodem.* Tu, qui in templo præsentatus es, ut primogenitus in multis fratribus, mi.
- eodem.* Tu, qui post circumcisionem præsentatus es, ut ostenderes neminem, nisi à vitiis circumcisum dignum esse divino conspectu, mi.
- eodem.* O Christe vera hostia, qui hostias legales obtulisti, ut figura veritati adjungeretur, mi.
- eodem.* Tu, qui pauperum hostiam obtulisti, factus propter nos egenus, cum dives esses, mi.
- eodem.* Tu, qui par turturum offerri fecisti, quia animal solitarium, contemplationem significans, miserere nobis.
- eodem.* Tu, qui par columbarum offerri fecisti, tuam mansuetudinem, simplicitatemque significans, miserere nobis.
- eodem.* Tu, qui utramque offerri præordinasti propter gemendi consuetudinem, & præsentem Sancto-
- rum luctus, publicasque Ecclesiæ orationes, miserere nobis.
- Tu, qui gloriosam Matrem tuam propter legis præceptum purgationis observantiam implere fecisti, mi.
- Preces.*
- Per sanctam Nativitatem tuam, libera nos Domine.
- Ab hæreticis dicentibus Joseph verum Christi patrem fuisse, *q. 29. art. 1. lib.*
- Ab Elvidio dicente Christi Matrem alios habuisse filios, *art. 3. lib.*
- A Fausto dicente Christum non esse filium David, *q. 31. art. 2. lib.*
- A Feliciano dicente Christum non esse natum temporaliter, *q. 35. art. 2. lib.*
- A Valentino dicente corpus Christi de cælo allatum esse, *q. 5. art. 2. lib.*
- A Nestorio dicente beatam Virginem non dici Matrem Dei, *q. 35. art. 4. lib.*
- Ut per Spiritum sanctum Christi corporis formatorem Spiritus noster reformetur, te rogamus audi nos.
- Ut per eam, quæ Dei Filium concepit in utero, mereamur eum in mente concipere, te ro.
- Ut per Filij Dei nativitatem mereamur ejus gratiam, te ro.
- Ut à peccati fomite liberemur per eam matrem, quæ ab omni peccato libera est, te ro.
- Ut per lactantem filium Dei mereamur ejus sanguine spiritualiter nutriri, te ro.
- Ut pro eo circumcidatur cor nostrum, qui pro nobis circumcisus est, te ro.
- Ut offeramus nos ei, qui pro nobis in templo præsentatus est, te ro.
- Ut hoc benedictum Jesu nomen sit nobis refugium, te ro.
- Ut in hoc nomine sperantes per idem salvari efficiamur, te ro.
- Vers.* Angelus Domini nuntiavit Mariæ.
Resp. Et concepit de Spiritu sancto.
- O R E M V S.
- Deus qui salutis æternæ, &c.

Q U A R T A P A R S L I T A N I Æ

De mysteriis verbi Domini, incipiens à Baptismo Joannis.

- O Christe Patris sapientia, miserere nobis. *ex 3. parte.*
- Tu, qui Joannis Baptismum præordinasti, ut suo Baptismo præpararet homines ad tuum Baptismum, *q. 38. art. 1. mi.*
- Tu, qui ritum in Joannis Baptismo, effectum verò gratiæ in tuo Baptismo tribuisti, *art. 3. mi.*
- Tu, qui baptizari à Joanne voluisti, ut sanctificatas aquas relinqueres postmodum baptizandis, *q. 39. art. 1. mi.*
- Tu, qui baptizatus es ad exemplum nostrum, miserere nobis.
- Tu, qui baptizari voluisti, ut faceres, quod faciendum imperabas, *eodem. mi.*
- Tu qui baptizatus es, ut ablueres, non autem ut abluereris, *eodem. mi.*
- Tu,

- art. 2. Tu, qui solum Joannis Baptismo baptizatus es, quia non indigebas Spiritus sancti baptismo, mi.
- art. 3. Tu, qui in ætate perfecta baptizatus es, ut intelligeretur Baptismum viros parere perfectos, mi.
- eodem. Tu, qui in ætate perfecta baptizatus es, ne aliquis assumeret prælationis gradum ante perfectam ætatem, mi.
- art. 4. Tu, qui convenienter in Jordane baptizatus es, cujus aquæ sicut retrorsum conversæ sunt, ita per tuum Baptismum peccata retrorsum convertuntur, mi.
- eodem. Tu, qui in Jordane baptizatus es, quia maximus humilitatis descensus in Baptismo fieri debet, mi.
- Jordanis enim interpretatur descensus.*
- art. 5. O Christe, in cujus Baptismo cæli aperti sunt, ut ostenderetur per virtutem cælestem Baptismum sanctificare, mi.
- eodem. O Christe, in cujus Baptismo cæli aperti sunt, quo baptizatos pateat via ad cælum, mi.
- art. 6. O Christe, in cujus Baptismo Spiritus sanctus specie columbæ descendit, ut ostenderetur omnes in te baptizatos Spiritum sanctum recipere, mi.
- art. 8. O Christe, in cujus Baptismo Pater declaratus est in voce, Filius in humana natura, Spiritus sanctus sub specie columbæ, mi.
- q. 40. d. 10. Tu, qui cum hominibus conversatus es, testimonium perhibiturus veritati, mi.
- eodem. Tu, qui cum hominibus conversatus es, ut medicus, qui accedit ad infirmum, mi.
- eodem. Tu, qui familiariter cum hominibus loquutus es, ut eis fiduciam dares accedendi ad te, mi.
- eodem. Tu, qui vitam mixtam elegisti, ut perfectiorem, mi.
- art. 2. Tu, qui austeram vitam non duxisti, quia congruum Incarnationis fini cum hominibus conversari, mi.
- art. 4. Tu, qui pauperem duxisti vitam, congruam prædicationis officio, mi.
- eodem. Tu, qui pauper factus es, ne cupiditati adscriberetur prædicationis, mi.
- eodem. Tu, qui paupertatem elegisti, ut tantò major divinitatis virtus ostenderetur, quantò per paupertatem videreris abjectior, mi.
- q. 41. art. 1. Tu, qui tentari voluisti, ut contra tentationes nobis auxilium ferres, mi.
- eodem. Tu, qui tentatus es, ut nullus se æstimet à tentatione securum, mi.
- art. 2. Tu, qui in deserto tentari voluisti, ut Adam de exilio liberares, qui de paradiso in desertum dejectus est, mi.
- eodem. Tu, qui tentatus es ad largiendam nobis de tua misericordia fiduciam, mi.
- art. 3. Tu, qui esuriisti, cum jejunasses quadraginta diebus cum quadraginta noctibus, mi.
- eodem. Tu, qui non ultra processisti jejunando, ne incredibilis videretur carnis assumptio, mi.
- q. 42. art. 1. Tu, qui non solum Judæis prædicare voluisti, ut antiquas impleres Patrum promissiones, mi.
- eodem. Tu, qui non Gentili populo prædicasti, ut calumniandi materiam à Judæis auferres, mi.
- q. 43. art. 1. Tu, qui miracula fecisti ad confirmandam tuæ veritatis doctrinam, mi.
- art. 2. Tu, qui fecisti miracula virtute divinâ, & humanâ simul, in quantum est instrumentum divinæ actionis, mi.
- art. 4. Tu, qui per miracula divinitatem tuam sufficienter manifestasti, mi.
- q. 44. art. 1. Tu, qui convenientissimè inter alia miracula ob-
- sessos à dæmonio liberasti, mi.
- art. 2. O Christe, cujus virtute convenienter facta fuerunt miracula circa corpora cælestia, quæ à Deo sunt ordinata, mi.
- art. 3. Tu, qui surdos fecisti audire, & mutos loqui, ut ostenderes te esse universalem, & spiritualem hominum Salvatorem, mi.
- art. 4. Tu, qui circa creaturas irracionales miracula fecisti; pertinebant enim ad ostendendam divinitatis virtutem, ut omnis creatura tibi esset subjecta, mi.
- q. 45. art. 1. Tu, qui in monte transfiguratus es, ut ostensâ gloriæ tuæ particulâ, discipulos ad crucem allicereres, mi.
- eodem. Tu, qui transfiguratus es, ut præmonstrares corpus humilitatis nostræ corpori claritatis tuæ transfigurandum, mi.
- art. 2. O Christe, cujus claritas corporis in transfiguratione à divinitate derivata est, & à gloria tuæ animæ, mi.
- eodem. O Christe, cujus claritas in transfiguratione miraculosa fuit, mi.
- art. 3. Tu, qui testem habere voluisti Moysem in transfiguratione, ut ostenderetur te non esse legis transgressorem, mi.
- eodem. Tu, qui testem voluisti habere Heliam, qui æmulator fuit pro gloria Dei, mi.
- eodem. Tu, qui Moysem, & Heliam voluisti testes habere, ut ostenderes Judicem te esse vivorum, & mortuorum, mi.
- De Passione Christi.*
- q. 46. art. 1. Tu, qui passus es pro nostra salute, ut omnes qui in te crederent, vitam æternam haberent, mi.
- eodem. Tu, qui passus es, ut per humilitatem passionis merereris gloriam exaltationis, mi.
- eodem. Tu, qui passus es, quia sic definitum erat, mi.
- art. 3. Tu, qui per passionem tuam convenientiori modo nos liberasti, ut ostenderes tuam erga nos dilectionem, mi.
- eodem. Tu, qui per passionem tuam nos redemisti, ut relinqueres nobis exemplum ad tua vestigia sequenda, mi.
- art. 4. Tu, qui in Cruce passus es, ut homo nullum mortis genus abhorreret, mi.
- eodem. Tu, qui in Cruce passus es, ut invenires in arbore Crucis, id quod perdidit Adam arboris pomo, mi.
- eodem. Tu, qui in Cruce passus es, ut omnia ad te ipsum traheres, mi.
- eodem. Tu, qui in Cruce passus es, ut impleretur Moyse figura, qui expansis manibus Deum orabat, mi.
- art. 5. Tu, qui omnes passiones sustinuisti secundum genus ex parte hominum, ut à Judæis, à Gentibus, à notis, & familiaribus, mi.
- eodem. Tu, qui in amicorum derelictione, & fugâ passus es, miserere nobis, mi.
- eodem. Tu, qui per blasphemiam passus es in fama, mi.
- eodem. Tu, qui in anima passus es per tristitiam, tædium, & timorem, mi.
- eodem. Tu, qui in corpore passus per vulnera, & flagella, mi.
- eodem. Tu, qui clavis confixus, in tactu passus es, mi.
- eodem. Tu, qui felle potatus, in gustu passus es, mi.
- eodem. Tu, qui in loco foetido crucifixus in odoratu passus es, mi.
- eodem. Tu, qui videns Matrem, & Discipulum, quem diligebas, secundum visum passus es, mi.
- eodem. Tu, qui laceratus vocibus iridentium in auditu passus es, mi.

- art. 6. O Christe, cujus dolor sensibilis major fuit omnibus doloribus praesentis vitae, mi.
- eodem. O Christe, cujus dolor interior, ac tristitia maxima fuit, mi.
- art. 7. Tu, qui passus es secundum totam essentiam tuae animae, ut est tota in qualibet parte, mi.
- art. 8. O Christe, cujus tota anima secundum essentiam in passione fruebatur etiam fruitione beatam, mi.
- art. 10. Tu, qui extra portam passus es, ut per tuum sanguinem populum sanctificares, mi.
- art. 11. Tu, qui ordinatione divinam cum latronibus crucifixus es, quasi esses noxius inter noxios, mi.
- art. 12. Tu, qui non passus es secundum divinam naturam, mi.
- q. 47. art. 1. Tu, qui potestatem habuisti ponendi animam tuam, & iterum sumendi eam, mi.
- eodem. Tu, qui oblatu es, quia ipse voluisti, mi.
- art. 2. Tu, qui ex obedientia mortuus es, ut per unius obedientiam, justi constituerentur multi, mi.
- eodem. Tu, qui factus es obediens usque ad mortem, tradens temetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis, mi.
- art. 3. O Pater aeternae, qui tuo Filio non pepercisti; sed pro nobis omnibus illum tradidisti, mi.
- eodem. O Pater sancte, qui voluisti eum conterere in infirmitate, mi.
- art. 5. O Christe, cui assentire noluerunt persecutores, & majores populi, cum essent tuae divinitatis signa clarissima, mi.
- eodem. O Christe, qui a tuis popularibus non plene fuisti cognitus, mi.
- eodem. Tu, qui in tua Passione habuisti aliquem effectum quem non habuerunt praecedentia merita, mi.
- Non propter majorem charitatem, sed propter genus operis.*
- art. 2. O Christe, cujus Passio fuit superabundans satisfactio pro peccatis humani generis, mi.
- eodem. O Christe, cujus major fuit charitas patientis, quam malitia crucifigentis, mi.
- eodem. Tu, qui plus potuisti tua passione satisfacere, quam crucifigentes occidendo offendere, mi.
- art. 3. O Christe, cujus passio operata est nostram salutem per modum sacrificii, mi.
- art. 4. O Christe, cujus passio est nostra redemptio, mi.
- art. 5. O Christe, homo, ad quem hoc nomen Redemptor, immediate pertinet, mi.
- q. 49. art. 2. Tu, qui tua passione nos liberaisti a daemonis potestate, mi.
- art. 3. Tu, qui tua passione a poena peccati nos liberaisti, dolores nostros portans, mi.
- art. 4. Tu, qui per tuam Passionem Deo nos reconciliasti, mi.
- art. 5. Tu, qui per tuam Passionem caeli januam nobis aperuisti, mi.
- art. 6. Tu, qui per tuam passionem exaltari meruisti, mi.
- q. 50. art. 1. Tu, qui convenienter mortuus es, ut satisfaceres pro genere humano, quod morti erat adjudicatum, mi.
- eodem. Tu, qui convenienter mortuus es, ad ostendam veritatem naturae assumptae, mi.
- eodem. Tu, qui convenienter mortuus es, ut corporaliter moriendo, dares nobis exemplum moriendi spiritualiter peccato, mi.
- eodem. Tu, qui convenienter mortuus es, ut a mortuis resurgendo virtutem tuam ostenderes, quam mortem superasti, mi.
- art. 2. O Christe, cujus corpus non fuit in morte a divinitate separatum, mi.
- O Christe, cujus anima non fuit in morte a divinitate separata, mi.
- art. 3. O Christe, qui in triduo mortis non habuisti unionem inter animam, & corpus, mi.
- art. 4. O Christe, cujus corpus idem numero fuit vivens & mortui, mi.
- art. 5. Tu, qui ad comprobandum tuae mortis veritatem convenienter sepultus es, mi.
- q. 51. art. 1. O Christe cujus sepulchrum convenienti modo factum est, ad confirmandam fidem tuae mortis, & resurrectionis, mi.
- art. 2. O Christe, cujus corpus in sepulchro corruptioni non datum est, mi.
- art. 3. O Christe, cujus corpus una integra die, & duabus noctibus in sepulchro fuit, mi.
- art. 4. Tu, qui in horto sepultus es, quia per mortem tuam liberamur a morte, quam in paradisi horto incurrimus, mi.
- art. 2. O Christe, tu qui ad Lymbum descendisti, mi.
- q. 52. art. 1. O Christe, cujus anima descendit ad inferos, ibique mansit usque ad horam resurrectionis, mi.
- art. 4. *De Christi Resurrectione.*
- art. 1. O Christe Rex gloriae, qui a mortuis resurrexisti, ut exaltareris in gloria, qui humilitate passus es, mi.
- q. 53. art. 1. Tu, qui resurrexisti ad fidei instructionem, mi.
- art. 2. Tu, qui ad sublevationem nostrae spei resurrexisti, mi.
- art. 3. Tu, qui resurrexisti ad informationem fidelium, mi.
- art. 4. Tu, qui resurrexisti ad complementum nostrae salutis, mi.
- art. 2. Tu, qui convenienter tertia die resurrexisti, ut probaretur tuam mortem fuisse veram, mi.
- art. 4. Tu, qui propriae deitatis virtute resurrexisti, mi.
- q. 54. art. 2. O Christe, in cujus corpore resurgente fuit, quid quid pertinet ad naturam corporis humani, mi.
- art. 3. O Christe, cujus corpus gloriosum fuit in resurrectione, ut exemplar nostrae resurrectionis, mi.
- art. 4. Tu, qui resumere voluisti corpus cum cicatricibus in resurrectione, ut in perpetuum victoriae tuae circumferres triumphum, mi.
- eodem. Tu, qui resurrexisti cum cicatricibus, ut Patri pro nobis supplicares, & quale genus mortis pro homine pertuleris semper ostenderes, mi.
- q. 55. art. 3. Tu, qui post Resurrectionem non continuè cum Discipulis conversatus es, ne ad similem vitam resurrexisse credereris, mi.
- art. 4. Tu, qui ita illam effigie apparuisti Discipulis in corpore, quali apud illos eras in mente, mi.
- art. 5. Tu, qui Discipulis manifestasti tuam Resurrectionem multis argumentis, & testimoniis, mi.
- q. 56. art. 1. Tu, qui es causa nostrae resurrectionis; quia apud te est fons vitae, mi.
- art. 5. Tu, qui es causa resurrectionis nostrae animae in praesenti, & corporis in futuro, mi.
- art. 1. *De Christi Ascensione.*
- q. 57. art. 1. Tu, qui convenienter ascendisti in caelum, qui est locus incorruptibilis, mi.
- eodem. Tu, qui non secundum naturam divinam, sed secundum humanam mutatus es in caelum Ascensione, mi.
- eodem. O Christe, cujus Ascensio nobis fuit utilior ad dei augmentum, mi.
- eodem. Tu, qui ad erigendam nostram spem ascendisti in caelum, quia illic congregabuntur aquilae; ubi fuerit corpus, mi.
- eodem. Tu, qui propria virtute divinam in caelum ascendisti, mi.
- Tu,

eadem. Tu, qui ascendisti in cælum secundum virtutem animæ glorificatæ moventis corpus pro sua voluntate, mi.

eadem. Tu, qui propriâ virtute ascendisti, & à Patre es exceptus, mi.

art. 4. Tu, qui super omnes cælos ascendisti, loco, & dignitate, mi.

art. 5. Tu, qui ascendisti supra omnem Principatum, & Potestatem, mi.

art. 6. O Christe, cujus ascensio est causa nostræ salutis, in quantum mens nostra inde movetur in te, & reverentia nostra augetur, mi.

eadem. O Christe, cujus ascensio est causa nostræ salutis; quia ascendens in altum, captivam duxisti captivitatem, dedisti que dona hominibus, mi.

q. 58. art. 2. O Christe, qui sedes ad dexteram Patris, mi.

q. 59. art. 1. O Fili Dei, cui attribuitur judiciaria potestas ut sapientia genita, mi.

art. 2. O Christe, cui attribuitur judiciaria potestas secundum naturam humanam per gratiam, mi.

art. 3. Tu, qui ex merito potestatem judiciariam obtinisti, qui pro Dei justitia pugnasti, & injustè judicatus es, mi.

art. 6. Tu, qui in novissimo die judicii crisis judex vivorum, & mortuorum, mi.

A dicentibus Christum in triduo fuisse hominem, libera nos Domine.

A dicentibus Christi corpus tempore mortis non esse separatum ab anima, lib.

A dicentibus Christum non habuisse carnem, & ossa in resurrectione, lib.

Ut per sanctum Baptismum tuum lavemur, auferamusque malum cogitationum nostrarum, te rogamus audi nos.

Ut per sanctum jejunium tuum purgentur nostra vitia, ac nostræ eleventur mentes, te rog.

Ut per sanctas conciones tuas mereamur audire quidquid in nobis loqueris, te rog.

Ut per mortem, & passionem tuam mereamur gloriari in tua cruce, te rog.

Ut per resurrectionem tuam resurgamus ab operibus mortuis, te rog.

Ut per admirabilem Ascensionem tuam, quæ sursum sunt, quæramus, te rog.

Ut nosmetipsos judicantes judicium ultionis evadere possimus in illo novissimo die, te rog.

Vers. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.

Resp. Sed habebit lumen vitæ.

O R E M V S.

O Mnipotens sempiternæ Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo, ut in nomine dilecti filii tui mereamur bonis operibus abundare. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

L I T A N I A

Sanctissimi Corporis, & Sanguinis Christi Domini nostri.

q. 73. art. 1. O Sacratissimum Christi Corpus, Miserere nob. *eadem.* O Sacramentum, & spirituale alimentum, mi. *eadem.* Tu, quod es omnium Sacramentorum finis, mi. *eadem.* O Eucharistia re, vel voto necessaria ad conservandam vitam spiritualem, mi. *eadem.* Tu, quod sacrificium es commemorativum Dominiæ passionis, mi. *art. 4.*

Tu, quod communio es, quâ Christum Dominum recipimus, *eadem.* mi.

O Viaticum salutare, quo in patriam perducimur, *eadem.* mi.

Tu, quod bona gratia nuncuparis; quia es Sacramentum gratiæ, & veritatis, *eadem.* mi.

O Sacramentum, & dulcedo; per quam filii gratissima beneficia accipimus, *eadem.* mi.

O Sacramentum in ultima cœna institutum, *art. 5.* mi.

O Sacramentum in Melchisedech oblatione potissimè figuratum, *art. 6.* mi.

O Sacramentum, cujus præcipua figura fuit, quoad effectum suavitatis, Manna, *eadem.* mi.

O Sacramentum præcipuè figuratum in Agno Paschali, *eadem.* mi.

O Sacramentum, cujus materia est panis, & vinum, *q. 74. art. 1.* mi.

O ineffabile Sacramentum, in quo sumitur id quod erat panis, ut Sacramentum Corporis Christi, *eadem.* mi.

O Sacramentum recolendum, in quo sumitur id quod erat vinum, ut Sacramentum sanguinis Christi, *eadem.* mi.

O sanguis sacratissime, qui seorsim sumeris à Sacramento corporis, ut ab eo separatus fuisse in passione designeris, *eadem.* mi.

O corpus Christi sub specie panis pro salute corporis oblatum, *eadem.* mi.

O sanguis Christi sub specie vini pro salute animæ oblate, *eadem.* mi.

O panis vitæ, qui Ecclesiam significas ex diversis fidelibus constitutam, eò quòd ex diversis granis conficeris, *eadem.* mi.

O Sacramentum sanguinis ex diversis uvis confectum, eandem Ecclesiæ unitatem repræsentans, *eadem.* mi.

O Sacramentum panis, & vini, cujus quantitas non est determinata ad consecrandum, *art. 2.* mi.

O Sacramentum corporis Christi, cujus propria, & necessaria materia est panis triticeus, *art. 3.* mi.

O Sacramentum corporis Christi ex pane azymo confectum ad significandum ejus incorruptionem, *eadem.* mi.

O Sacramentum primâ die Azymorum institutum, atque aded ex pane azymo confectum, *art. 4.* mi.

O Sacramentum apud Græcos in fermentato confectum, eò quòd significat charitatem, *eadem.* mi.

O Sacramentum, cujus approbatus ritus in qualibet Ecclesia Catholica est servandus, *eadem.* mi.

O Sacramentum sanguinis Christi, cujus propria, & necessaria materia est vinum vitis, *art. 5.* mi.

O Sacramentum sanguinis Christi, cujus aquæ permixtio significat aquam ex latere Christi effluxam, *art. 6.* mi.

O Sacramentum sanguinis, cujus aquæ permixtio fuit figurata, quando in eremo effluxit aqua de petra, *eadem.* mi.

O Sacramentum sanguinis, in quo non est de necessitate Sacramenti aquæ admixtio, *art. 7.* mi.

O Sacramentum sanguinis, cujus aqua in vinum conversa significat populum Christo incorporari, *eadem.* mi.

O Sacramentum omnium perfectissimum, secundum veritatem Christum in te continens, miserere nobis. *q. 75. art. 1.*

O Sacramentum maximæ charitatis signum; nempe ut congregentur aquilæ illic, ubi fuerit corpus, *eadem.* mi.

- eodem.* O dulcissima Christi caro, quæ nobis invisibili modo exhiberis, mi.
- art. 2.* O Sacramentum Christum continens per conversionem substantiæ panis in ipsum, mi.
- eodem.* O Sacramentum, in quo substantia panis post consecrationem non remanet, mi.
- art. 4.* O Sacramentum, in quo solâ divinâ virtute efficitur conversio, mi.
- art. 2.* O Sacramentum, in quo Christus non per motum localem incipit esse, mi.
- eodem.* O Sacramentum naturæ ordinem non servans, miserere nobis, mi.
- art. 1.* O Sacramentum, in quo spiritus, & vita sunt, mi.
- O Sacramentum sanguinis, in quo tota substantia vini convertitur in substantiam sanguinis, mi.
- art. 5.* O caro, & Christi sanguis sub speciebus sumenda ad meritum fidei augendum, mi.
- eodem.* O Sacramentum, in quo accidentia panis, & vini remanent, mi.
- eodem.* O Sacramentum, fide à deceptione præservans, mi.
- art. 6.* O Sacramentum, in quo forma substantialis panis non remanet, mi.
- eodem.* O Sacramentum, in quo convertitur forma panis in formam corporis Christi, secundum quod dat ei esse corporeum, mi.
- art. 7.* O Sacramentum, in quo conversio fit in instanti, eò quòd agens est infinitæ virtutis, mi.
- eodem.* O Sacramentum, in quo conversio fit in ultimo instanti prolationis verborum, mi.
- art. 8.* O Sacramentum, & mirabile mysterium, quo ex pane fit corpus Christi, mi.
- q. 76. art. 1.* O Jesu dulcissime, qui totus in hoc Sacramento contineris, mi.
- eodem.* O Sacramentum, quod verborum vi habes Christi corpus; animam autem, & divinitatem ex reali concomitantia, mi.
- eodem.* O Sacramentum, in quo non fuisset anima Christi, si in triduo mortis celebrareris, mi.
- eodem.* O sanctum Christi corpus, à quo divinitas non fuit separata, mi.
- art. 1.* O Sacramentum, in quo dimensiones panis, & vini non convertuntur in dimensiones corporis Christi; sed subjectum in substantiam, mi.
- art. 2.* O Sacramentum, cujus verborum vi sub speciebus panis est Corpus Christi & Sanguis ex reali concomitantia, mi.
- eodem.* O Sacramentum, cujus verborum vi sub speciebus vini est Sanguis Christi; Corpus verò ex reali concomitantia, mi.
- eodem.* O Sacramentum admirabile, in quo totus Christus continetur sub utraque specie, mi.
- art. 3.* O Sacramentum, in quo est Christus sub qualibet parte specierum panis, & vini, mi.
- art. 5.* Tu, quod non es in hoc Sacramento sicut in loco, sed per modum substantiæ, mi.
- art. 7.* Tu, quod à nullo oculo corporali in hoc Sacramento videri potes, mi.
- eodem.* Tu, quod ab intellectu Angelico per sua naturalia videri nequis, mi.
- eodem.* Tu, quod ab intellectu hominis ut viatoris non potes aspici, nisi per fidem, mi.
- eodem.* Tu, quod ab intellectu beato Angeli, & hominis videri potes per participatam claritatem divini luminis, mi.
- art. 8.* Tu, quod patriæ adoratione adorandum es, mi.
- q. 77. art. 1.* O Sacramentum, in quo accidentia remanent sine subjecto panis & vini virtute divinâ, mi.
- O Sacramentum, in quo accidentia remanent, tanquam essent in subjecto, *eodem.* mi.
- O Sacramentum, in quo non existente substantiâ panis, & vini, accidentia tamen eandem actionem habent, *art. 3.* mi.
- O Sacramentum, in quo corruptis speciebus, datur quantitati, ut sit primum subjectum sequentium formarum, *art. 5.* mi.
- O Sacramentum, in quo Christus non frangitur, nisi secundum species Sacramentales, *art. 7.* mi.
- O sanguis Christi, cujus virtute obtinetur æterna hæreditas, *q. 78. art. 3.* mi.
- O Salvator, qui es justus, & justificans, *mi. eodem.*
- O sanguis Christi, qui emundas conscientias nostras ab operibus mortuis, *eodem.* mi.
- O cibus vivificans, quo manducantes vivunt, miserere nobis. *art. 5.*
- O Jesu, qui in hoc Sacramento gratiam confers, *mi. q. 79. art. 1.*
- Tu, qui gratiam confers in hoc Sacramento, etiam ex voto suscipiendi, *eodem.* mi.
- O Sacramentum, quod eum effectum facis in homine, quem Christi passio fecit in mundo, *eodem.* mi.
- O Sacramentum in modum cibi, & potus, quo sustentamur, augemur, reparamur, ac delectamur, *eodem.* mi.
- O Sacramentum, sponas, quæ Agnum sequuntur divinâ inebrians dulcedine, *eodem.* mi.
- O Sacramentum gloriosum, quo ipsam gloriam adipisci meremur, *art. 2.* mi.
- O Sacramentum ex te virtutem habens ad omnium peccatorum remissionem, *art. 3.* mi.
- O Sacramentum, & spirituale nutrimentum, solum iis, qui spiritualiter vivunt, elargiendum, *eodem.* mi.
- O Sacramentum justificans etiam eum, qui est in peccato mortali, cum non habeat ejus conscientiam, nec affectum, *eodem.* mi.
- O Sacramentum, quo restauratur charitatis fervor, ut per cibi nutrimentum restauratur naturalis calor, *art. 4.* mi.
- O Sacramentum, cujus virtute remittuntur peccata venialia, *eodem.* mi.
- O Panis vitæ quotidie sumpte in remedium quotidianæ infirmitatis, *eodem.* mi.
- O Sacrificium acceptabile, ex se totam poenam remittens; si non impediatur ex parte sumentis, *eodem.* mi.
- O Sacramentum, cujus virtute præservamur à peccatis futuris, *art. 6.* mi.
- O Panis cor hominis confortans, *mi. eodem.*
- O Sacramentum, dæmonum impugnatio, ut signum passionis Christi, per quod ipsi victi sunt, *eodem.* mi.
- O Sacramentum salutare non solum sumentibus, sed etiam iis pro quibus offertur, *art. 7.* mi.
- O Sacramentum, cujus dulcedo, & actualis refectio impeditur quodammodo per venialia, et si ex toto non tollatur gratiæ habitualis augmentum, *art. 8.* mi.
- O Sacramentum, quod sacramentaliter, & spiritualiter sumeris, *q. 80. art. 1.* mi.
- Tu, quod perfecto modo sumeris, quando simul spiritualis virtus, & Sacramenti effectus suscipitur, *eodem.* mi.
- O Panis Angelorum, *mi. art. 2.*
- O Panis dulcissime, quo homines nivea sub specie Sacramentali delectantur, *eodem.* mi.
- O Panis suavissime, qui ab hominibus spiritualiter manducaris, *eodem.* mi.
- O Sacramentum tremendum, in cujus indigna sumptione sacrilegium incurritur, *art. 4.* mi.

- art. 6.* O Sacramentum, quod non denegaris occultè peccatoribus publicè petentibus, mi.
- art. 10.* O Panis cælestis, qui quotidie acciperis, ut quotidie profis, mi.
- q. 81. art. 1.* O Sacramentum corporis Christi, ab eo in ultima cœna sumptum, mi.
- eodem.* O Sacramentum sanguinis, à Christo sumptum, mi.
- eodem.* O Christe JESV, qui hic comederis, mi.
- eodem.* Tu, qui teipsum cibasti hoc cibo, mi.
- eodem.* Tu, qui in Sacramenti sumptione dulcedinis effectum accepisti, mi.
- eodem.* Tu, qui augmentum gratiæ non accepisti, cò quòd in te erat ejus plenitudo, mi.
- art. 3.* Tu, qui Discipulis tuis corpus tuum passibile, sed impassibili modo dedisti, mi.
- art. 4.* Tu, qui in Sacramento spiritum emitteres, si tempore mortis confectum esset, mi.
- q. 83. art. 1.* O Christe JESV, qui quotidie immolaris in hoc Sacramento, cum semel in cruce immolatus sis, mi.
- eodem.* O Sacerdos, & Hostia, mi.
- eodem.* O Hostia pura, mi.
- eodem.* O Calix salutis perpetuæ, mi.
- art. 5.* O Sacramentum, in quo fractio Hostiæ divisionem Corporis Christi significat, mi.
- q. 79. art. 6.* O Eucharistia, cujus effectus etiam est diminutio fomitis, mi.
- q. 52. art. 8.* O Eucharistia à Purgatorio liberans, mi.
- in officio S. Th.* O Sacramentum, & sacrum convivium, mi.
- eodem.* O Eucharistia mentes replens gratiâ, mi.
- eodem.* O Sacramentum pignus æternæ gloriæ, mi.
- q. 79. art. 1.* O Eucharistia, quæ excitas virtutes in actum, mi.
- eodem.* O Eucharistia, cujus sumptio laudabilis est, mi.
- eodem.* O Sacramentum fortitudo fragilium, mi.
- eodem.* O Sacramentum cæcorum lumen, mi.
- eodem.* O panis dulcissime omne delectamentum in te habens, mi.
- q. 74. art. 1.* Ab hæreticis Aquariis, qui solum aquam sub specie sobrietatis in Sacramento offerunt, libera nos Domine.
- eodem.* Ab Artoterytis, qui offerunt panem, & caseum, lib.
- eodem.* A Peputianis, qui de infantis sanguine conficere credunt, lib.
- q. 75. art. 1.* Ab iis, qui dicunt corpus, & sanguinem Christi esse in Sacramento sicut in signo, lib.
- art. 7.* A dicentibus substantiam panis, & vini remanere post consecrationem, lib.
- q. 78. art. 6.* A dicentibus primam formam consecrationis non perficere suum effectum, antequam proferatur secunda, lib.
- q. 80. art. 3.* Ab iis qui asserunt peccatorem sacramentaliter non posse Christi corpus manducare, lib.
- Ab indigna hujus Sacramenti sumptione, lib.
- Per illum charitatis excessum, quo Judæ etiam corpus tuum tradidisti, te rogamus audi nos.
- Ut in fortitudine hujus cibi ambulemus usque ad montem Dei Oreb. te rog.
- Ut panem vitæ manducantes, vitæ author glorificetur in nobis, te rog.
- Ut divinum sanguinem bibentes mereamur in gloria satiari, te rog.
- Ut hujus Sacramenti sumptione Christus in nobis maneat, & nos in illo, te rog.
- Ut rigantes lacrymis stratum nostrum mereamur effici digna Christi mansio, te rog.
- Ut Christi passionis participes efficiamur, te rog.
- Ut hoc Sacramentum sumentes mutemur in novum hominem, diligentes eum, qui dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, te rog.

Verf. Cibavit eos ex adipe frumenti.

Rasp. Et de petra melle saturavit eos.

O R E M V S.

DEus, qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuæ memoriam reliquisti, tribue quæsumus, ita nos corporis, & sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis, &c.

P R I M A P A R S.

L I T A N I Æ

Gratiarum actionis, de beneficio creationis anima nostra: ex D. Thoma assumpta.

O Anima mea ex nihilo à Deo creata. *Benedic Creatori tuo.*

Tu, quæ solâ Dei bonitate es facta. *Lauda factorem tuum.*

Tu, quæ es illa, cujus est contemplari Deum, principio creantem naturam Angelicam, cælum Empyreum, & materiam informem. *Glorifica ipse opus.*

O anima mea, cujus dilectione divisit Deus primâ die lucem à tenebris, ut te illuminaret. *Dilige illuminatorem tuum.*

O anima mea, pro cujus dilectione firmamentum, cum stellarum multitudine est creatum. *Divinam excolle pulchritudinem.*

O anima mea, pro cujus habitatione congregatæ sunt aquæ in unum locum. *Time eum, qui posuit arenam terminum mari.*

O anima mea, cujus gratiâ splendor Patris Solem quartâ die oriri fecit. *Ad illam inaccessibleem lucem accede.*

O anima mea, cujus causâ tot aves, & pisces in aëre, & aqua creati sunt. *Accede ad amplexum Creatoris, quasi columba ad quietem.*

O anima mea, ad cujus usum omnia terræ animalia sextâ die producta sunt. *Quasi cervus curre ad fontem Dei tui.*

O anima mea, ob quam Deus quievit die septimâ. *Requiesce vicissim, & tu in Deo tuo.*

Tu, quæ es incorporea. *Adora Patrem in spiritu, & q. 75. art. 1. veritate.*

Tu, quæ non moveris, nisi ex accidenti. *Immobili adherere primo principio.*

Tu, quæ es subsistens. *Primam omnium substantiam agnosce.*

Tu, quæ etiam citra corpus operaris. *Opus tuum sit eodem cum Deo tuo.*

Tu, quæ subsistentiam habes. *Sanctifica illum, cujus gratiâ subsistis.*

Tu, quæ ex materia, & forma non es composita. *Tuum formatorem lauda.*

Tu, quæ es incorruptibilis. *Incorruptibilitatis datorem exalta.*

O anima intellectiva, tu quæ es forma corporis. *Intellige, quanta fecit tibi Deus.*

Tu, quæ es tantò nobilior, quantò minùs terreæ materiæ immergeris. *Magnifica illum, qui omnino caret materiâ.*

Tu, quæ virtute continet, quidquid habet anima vegetativa, & positiva. *Glorifica eum, qui eminenter omnia continet.*

Tu, quæ es tota in corpore, & tota in qualibet

Fff G g g 3

bet

- bet parte. *Honorifica eum, qui ubique est totus.*
- q. 77. a. 2. 3. O anima, in qua sunt diversae potentiae, quae distinguuntur secundum actus, & objecta. *Ineffabilem extolle Dei potentiam.*
- art. 6. O anima, à cujus essentia fluunt potentiae, sicut à causa. *Divinam considera essentiam, ex qua fluunt omnia.*
- art. 5. O anima, in qua intellectus, & voluntas collocantur, sicut in subiecto. *Subdita Deo tuo esto, & ora eum.*
- q. 78. art. 3. Tu, quae habes quinque sensus exteriores, quatuor vero interiores. *Lature eo, qui exsuperat omnem sensum.*
- q. 79. a. 10. O anima, cujus intellectiva potentia distinguitur in intellectum agentem, & passibilem. *Benedic Deo, qui tribuit tibi intellectum.*
- art. 8. 9. & 3 O anima, in qua ratio, intellectus, & mens sunt una potentia. *Dilige illum ex tota mente.*
- art. 12. Vocaturque con- Tu, quae habes habitum synderesis ad agendum scientia à B. bonum, evitandumque malum. *Sanctifica illum, Hieronymo. eligens bonum, reprobansque malum.*
- q. 80. Tu, quae habes appetitum intellectivum, & sensitivum; in quibus summopere mereri potes. *Adora Christum Dominum, ut tui meriti causam.*
- q. 81. O anima, in qua dividitur appetitus in irascibilem, & concupiscibilem. *Concupisce divinas justificationes omni tempore.*
- q. 82. art. 3. O anima mea, cujus voluntas intellectum movet, & in hoc altior est illo. *Ne recedas unquam à Deo.*
- art. 3. O anima mea, cujus voluntas in Dei amore considerata melior est intellectu. *Amia illum, qui charitate perpetua attraxit te.*
- art. 3. O anima, cujus intellectus melior est voluntate respectu rerum temporalium. *Sequere illum.*
- art. 3. O anima, cujus intellectus altior est quam voluntas ratione objecti. *Tene Deum pro objecto.*
- art. 5. O anima mea, in qua potentia irascibilis, & concupiscibilis non est in superiore parte voluntatis. *Ex Christi Passione deriva tuarum passionum normam.*
- art. 3. O anima mea, in qua est potentia liberi arbitrii. *Tua voluntas non sit alia à Dei voluntate.*
- q. 84 art. 1. Tu, quae intellectu cognoscis corpora cognitione immateriali, & universali. *Cognosce illum, qui talem tibi cognitionem dedit.*
- art. 6. Tu, quae habes hinc principium cognitionis à sensu. *Serva omni custodia sensus tuos.*
- art. 7. O anima, cujus intellectio naturalis, hinc absque phantasmate esse non potest. *Noctua repelle à te phantasmata.*
- art. 8. O anima, in qua iudicium intellectus hinc quodammodo impeditur per ligamentum sensuum. *Iudicium tuum de vultu Dei prodeat.*
- q. 85. art. 1. Tu, quae res corporales intelligis per abstractionem earum à phantasmatibus. *Concupisce tibi ex illis iuxta rationis regulam.*
- art. 2. O anima, in cujus intellectu species intelligibilis non est id, quod intelligitur; sed in quo intellectus intelligit. *Contemplare quiddam videris in divinam obsequium.*
- art. 3. Tu, quae ex universalibus, ad singularia devenis. *Universalem omnium rerum causam magnifica.*
- art. 4. Tu, quae multa intelligis per modum unius. *Uni Deo tanquam tuo sponso conjugere.*
- art. 5. Tu, quae intelligis componendo, & dividendo. *Esto divina simplicitatis indagatrix.*
- art. 6. O anima, cujus intellectus semper est rectus in absoluta consideratione quidditatis rei. *Dilauda eum, qui te rectam fecit.*
- art. 2. Tu, quae potentia, etsi non actu infinita cognoscis. *Ad aeternam gloriam aspira.*
- O anima mea, cujus intellectus cognoscit actum suum reflexivè. *Mentis aciem in omnium rectorem reflecte.*
- O anima, cujus habitus cognoscuntur per eorum actus. *Abi post vestigia gregum tuorum.*
- Tu, quae intelligis te intelligere. *Intellige omnis intelligentia principium.*
- Tu, quae intelligis te velle. *Dilige verè Deum ut intelligas.*
- Tu, quae materiali manuactione excitaris ad lectem, & immaterialem contemplationem. *Manuacta jam immaterialem Deum contemplare.*
- Tu, quae à corpore separata intelliges per conversionem, ad ea, quae sunt intelligibilia simpliciter. *Ex nunc ad tantam dignitatem enitere.*
- Tu, quae à corpore separata quaedam singularia cognoscas. *Membra Christi singulari charitate complectere.*
- O anima in qua manent actus scientiae hinc acquisite post corporis separationem. *Charitatem integram in te adifica.*
- Tu, quae à corpore separata, nullà locali distantia ad cognoscendum impiederis. *Considera futuram aeternitatem.*
- Tu, quae ab ipso Deo conservaris. *Ad Conservatorem tuum percurrere.*
- Tu, quae immediatè à Deo producta es. *Productus ab eo ad ejus beneplacitum.*
- Tu, quae in corpore creata es. *illum in corpore lauda.*
- Tu, quae ad imaginem & similitudinem Dei creata es. *Ne ejus in te similitudinem obliviscaris.*
- Tu, quae deficiente Adæ peccato nullas habuisses passiones, nisi ex rationis iudicio consequentes. *Ne passiones dominantur tui, & immaculata eris.*
- Tu, quae in statu innocentiae animalium haberes dominium. *Subdita esto omni creatura propter Creatorem.*
- Tu, quae in statu innocentiae impassibilis fuisses. *Dilige illum qui passus est, ut te impassibilem redderet.*
- Tu, quae in statu innocentiae per lignum vitae immortalitatem vitae consecuta fuisses. *Frequenta nunc Eucharistiam, ut vitam consequaris aeternam.*
- Tu, quae in statu innocentiae in iustitia originali creata fuisses. *Abhorre peccatum, devotaque gratias age Domino.*
- Tu, quae in statu innocentiae in paradiso voluptatis posita fuisses. *Non queras hic civitatem manentem.*

SECUNDA PARS

LITANIÆ

De beneficiis anima collatis, tam respectu virtutum moralium, quam cardinalium, & infusarum, ex diversis S. Thomae partibus sumpta.

- O Anima mea, tu quae ab ortu nativitatis habes Dei Angelum ad tui custodiam deputatum. *Lauda Deum tuum; vehementer eum magnifica.*
- Tu, quae per Baptismum in vitam spirituales generata es. *Benedic Deo tuo confessione, & decore.*
- Tu, quae per Baptismi aquam libera es ab omni peccato, ab omni que culpa. *Sanctifica Deum tuum amictum lumine sicut vestimento.*
- O anima, in qua fomes peccati per Baptismum quodammodo mitigata est. *Clarifica eum, qui ponit nubem ascensum suum.*
- Tu, quae in Baptismo Christi membrum esse-

Et es. Magnifica ambulantiem super pennas ventorum.

- q. 69. art. 4. Tu, quæ per Baptismi gratiam ad peccata futura evitanda subsidium accepisti. *Exalta nomen ejus in idipsum.*
- q. 63. Tu, quæ in Baptismo characterem, & virtutes suscepisti. *Redde altissimo vota tua.*
- q. 69. art. 7. O anima, cui janua cæli aperta est per Baptismi susceptionem. *Confitere ei in directione cordis.*
4. d. 18. q. 1. Tu, quæ cum sola attritione baptizari potuisti in adulto corpore. *Narra mirabilia ejus.*
1. 2. q. 114. Tu, quæ primam gratiam non meruisti, quia non cadit sub merito. *Pfalle nomini semper Altissimi.*
- q. 110. 4. 4. O anima, in cujus essentia habet locum gratia, sicut in subiecto. *Letare in Deo tuo.*
- q. 114. art. 3. Tu, quæ in charitate constituta, mereri potes augmentum gratiæ, & gloriæ. *Quære faciem ejus semper.*
- art. 3. Tu, quæ gratiam habens jure adoptionis vitam æternam de condigno mereris. *Delectare in testimonio ejus.*
3. p. q. 69. Tu, quæ in Baptismo fidem suscepisti, sine qua impossibile est placere Deo. *Affer gloriam nomini ejus.*
- art. 4. Tu, quæ fidem suscepisti, quæ est in intellectu, sicut in subiecto. *Sacrifica sacrificium justitiæ Creatori tuo.*
- art. 3. Tu, quæ suscepisti dilectionis charitatem. *Dilige vehementer eloquia ejus.*
- art. 8. O anima, cui data est fides, ut crederes Dei mysteriis. *Canta ei canticum novum.*
- q. 6. art. 1. 2. O anima mea, in qua fides est donum Dei. *Considera mirabilia de lege ejus.*
3. p. q. 69. 4. 4. Tu, quæ per gratiam effectum cordis purificati habes. *Absconde eloquia ejus in corde tuo.*
2. 2. q. 17. a. 1. 1. 5. q. 18. a. 1. Tu, quæ per Baptismum habes spem, quæ est virtus Theologica, cujus subiectum est voluntas. *Fiducialiter age in eum, & non timebis.*
- art. 4. Tu, quæ habens spem Theologicam, habes etiam expectationem futuræ beatitudinis. *Spera in eo, & ipse faciet.*
- q. 17. art. 2. Tu, quæ habens spem Theologicam, habes etiam expectationem futuræ beatitudinis. *Spera in eo, & ipse faciet.*
- q. 23. art. 8. Tu, quæ habens charitatem, formam habes virtutum, cujus subiectum est voluntas. *Voluntariè sacrifica illi.*
- q. 24. art. 1. Tu, quæ in quolibet charitatis actu præpararis ad majus charitatis augmentum, *Surge mediâ nocte ad confitendum illi.*
- art. 6. Tu, quæ in hac vita nullum habes terminum in charitatis augmento. *Tolle hostias, & introito in atriâ ejus.*
- q. 25. art. 1. Tu, quæ diligens Deum, eodem actu potes diligere, & proximum. *Dilige fortitudinem ejus.*
- eadem. Tu, quæ habens charitatis actum, diligis Deum. *Dilige Deum, firmamentum tuum.*
1. 10. 4. Tu, quæ in charitate constituta, immediatè Deo adhæres. *Dilige Deum refugium tuum.*
- q. 28. art. 1. Tu, quæ in charitate manens, habes spirituale gaudium ex ea causatum. *Dilige Deum protectorem tuum.*
- Tu, quæ per charitatem es capax hujus gaudii. *Expande ad eum manus tuas.*
- q. 29. art. 3. Tu, quæ Dei legem diligens pacis effectum participas. *Pfalle Deo tuo, quamdiu fueris.*
- Tu, quæ in charitate manens, misericordiæ virtutem habes. *Tribue ei cor tuum.*
- q. 7. art. 1. Tu, quæ per fidem charitate formatam, effectum timoris filialis habes. *Adora Dominum in atriis ejus.*
- q. 8. art. 4. Tu, quæ per fidem charitate formatam accepisti donum supernaturale intellectus. *Da gloriam laudis ejus.*
- q. 9. d. 1. 2. Tu, quæ per gratiam habes donum scientiæ, circa res divinas, quod est donum Spiritus sancti. *Exercere in mandatis ejus.*
- Tu, quæ per gratiam habes donum scientiæ speculativum, & practicum. *Sint dulcia faucibus tuis eloquia ejus.*
- Tu, quæ habes per gratiam donum consilii circa ea, quæ sunt agenda propter finem. *Sit verbum ejus lucerna pedibus tuis.*
- Tu, quæ per gratiam habes donum fortitudinis ad sustinenda pericula, perveniendumque ad finem. *Strenuè vive Deo tuo.*
- Tu, quæ per gratiam habes pietatis donum, in quo clamamus Abba, Pater. *Inclina cor tuum ad faciendas justificationes ejus.*
- Tu, quæ habens virtutes cardinales, alias habes virtutes morales. *Mirifica misericordias ejus.*
- Tu, quæ per prudentiam cognoscis, & quæ appetenda sunt, & quæ fugienda. *Memor esto nominis ejus.*
- Tu, quæ temperantiâ concupiscentiam refrænare potes. *Invoca Dominum tuum.*
- Tu, quæ habes fortitudinis virtutem ad firmiter operandum contra imminentis mortis pericula. *Inclinare in conspectu ejus.*
- Tu, quæ per justitiæ virtutem operationes humanas rectificare vales. *Custodi mandata ejus nimis.*
- Tu, quæ per humilitatem cognoscere potes te ipsam. *Exitus aquarum deducant oculi tui, quia non custodierunt legem ejus.*
- Tu, quæ per humilitatem reprimere potes spiritum si ad superbiam tendat. *Time illum, ut videas illum.*
- Tu, quæ per castitatem habere potes decorem, eximiamque pulchritudinem. *Exultet cor tuum, & caro tua in Deum.*
- Tu, quæ per patientiam conservas bonum rationis contra tristitiam. *Pfalle Domino in Cithara.*
- Tu, quæ per patientiam habere potes tui possessionem. *Ei Pfalle in voce Psalmi.*
- Tu, quæ obedientiam matrem omnium virtutum habere potes. *Commenda spiritum tuum in manus ejus.*
- Tu, quæ paupertatem habere potes exercitium efficacis perveniendi ad perfectionem charitatis. *Considera Dominum exturgentem in gemitum pauperum.*
- Tu, quæ habes Sacramentum confirmationis, in quo datur Spiritus sanctus ad robur. *Inmola Deo, art. 1. sacrificium laudis.*
- Tu, quæ habes Eucharistiæ Sacramentum ad nutritionem, & vitæ spiritualis conservationem. *Dicas altiori voce quis similis illi.*
- Tu, quæ habes Pœnitentiæ Sacramentum in remedium cujuscumque spiritualis infirmitatis. *Vivens, vivens consistere ei.*
- Tu, quæ habes Sacramentum Extremæ Unctionis contra peccatorum reliquias, ut parata reddaris ad finalem gloriam. *Exultare in Deo tuo.*
- Tu, quæ habere potes Sacramentum Ordinis contra dissolutionem in tractanda re divina. *Letare in operibus ejus.*
- Tu, quæ habere potes Sacramentum Matrimonii in remedium contra carnalem concupiscentiam. *Benedic ei per singulos dies.*
- Tu, quæ per gratiam participas divinam naturam. *Dilige decorem domus ejus.*
- O anima, cujus gratia non est alia sanctitas à gratia patriæ. *Dilige locum habitationis gloriæ ejus.*
- O anima, cujus gratia principaliter est à Deo. *Affer Domino gloriam & honorem.*
- O anima, quæ per gratiam teipsa es nobilior. *Per-*

ambula in innocentia cordis tui in medio domus ejus.
Tu, quæ accepisti à Deo quidquid habes virtutis.
Lauda Deum tuum in seculum seculi.

TERTIA PARS LITANIÆ,

*Quæ pertinet ad animam beatam ex sancto
Thoma desumpta.*

1. parte q. 12. art. 1. **O** Anima Beata, cujus beatitudo consistit in Deivisione. *Glorifica, quem vides, Deum tuum.*
- art. 5. **O** anima Beata, cui datur lumen gloriæ creatum, quo lumine videas increatum. *Glorifica datorem tami decoris.*
- art. 2. & 9. Tu, quæ vides Dei essentiam. *Ora pro nobis.*
- art. 10. **O** anima beata, cujus intellectui essentia divina, supplet vicem speciei intelligibilis. *Ora, ut nobis uniatur per gratiam.*
1. 2. q. 3. art. 4. Tu, quæ vides simul, & non successivè, eà quæ in Deo vides. *Effice tuis precibus, ut ipse nos amet.*
- art. 8. & 9. **O** anima beata, cujus beatitudinis essentia in actu intellectûs consistit. *Ora, ut per intellectum ad actum amoris veniamus.*
4. art. 2. **O** anima beata, ad cujus voluntatem pertinet delectatio, beatitudinem consequens. *Delectare in Deo tuo.*
- q. 4. art. 3. **O** anima beata, cujus beatitudo principaliter est in visione, quàm in delectatione. *Ora, ut huic cognitioni via succedat visio patriæ.*
- q. 4. art. 4. **O** anima beata, in cujus beatitudine est visio, & fruitio. *Firmiter tene dilectum tuum.*
- q. 4. art. 5. **O** anima beata, cujus beatitudo nunquam amittetur. *Ora, ut peregrinis à patriâ beatitudo præstetur.*
- art. 6. **O** anima beata, quæ non indiges corpore ad essentiam beatitudinis. *Ora, ut exuamus in pace omnes nostri corporis.*
- q. 5. art. 6. **O** anima beata, ad cujus completam beatitudinem bona corporis dispositio dabitur. *Disponentem omnia suaviter venerare.*
- q. 3. a. 3. & q. 4. a. 4. 6. Tu, quæ per actionem bonorum operum ad ipsam beatitudinem pervenisti. *Ora pro nobis.*
4. d. 49. q. 5. art. 3. q. 1. **O** anima beata, quæ si hîc servasti virginitatem, aureolam habes ratione ejusdem virginitatis. *Agnum quocumque ierit, sequere.*
- ibid. q. 2. Tu, quæ si hîc sustinisti martyrium, ratione martyrii aureolam habes. *Agnum in cuius sanguine stollam lavisti, extolle.*
- ibid. q. 3. Tu, quæ ratione doctoratûs aureolam possides, si hîc per doctrinam eam meruisti. *Deum tuum honora.*
4. dist. 44. q. 1. art. 2. Tu, quæ in resurrectione tuum corpus idem numero assumes. *Ora pro nobis.*
- eadem. Tu quæ in ætate juvenilli resurges. *Juventutis tuæ auctorem extolle.*
- eadem. Tu, quæ non resurges in vita animali, quoad actum generativæ, & nutritivæ virtutis. *Tuis precibus nos ad spiritualia erige.*
4. d. 44. q. 2. **O** anima beata, quæ simul cum corpore eris impassibilis. *Eum, qui pro te passus est, venerare.*
- art. 1. q. 3. 4. **O** anima beata, cujus impassibilitas non excludet sensum in corpore. *Facientem mirabilia adora.*
4. dist. 44. q. 2. art. 1. **O** anima beata, cujus corpus erit subtile per effectum spiritualis potentie. *Ora pro nobis.*
- eadem art. 2. **O** anima beata, cujus corpus gloriosum erit palpa-

- bile. *Exora nobis eundem statum.*
- O** anima beata, in cujus glorioso corpore erit dos eodem agilitatis. *Ora pro nobis.*
- Tu, quæ simul cum corpore cures, & non labo- *Sapient. 3. rabis: volabis, & non deficies. Expostula, ut ad nostrum finem sicut aquila congregemur.*
- O** anima beata, cujus gloriosum corpus moveri summâ velocitate poterit. *Provisus eum qui hac tibi 2. art. 3. præstabit, admirare.*
- O** anima beata, cujus corpus claritate fulgebit. *4. d. 44. q. Deum tuum dilauda. 2. art. 4.*
- O** anima beata, cujus claritas in corpore videri poterit. *Ora pro nobis.*
- O** anima beata, cujus oculus corporalis videns Christi humanitatem summopere delectabitur. *2. art. 2. Ora pro nobis.*
- O** anima beata, cujus beatitudo accidentaliter erit post universale judicium per communicationem gloriæ ad corpus. *4. d. 49. q. 1. art. 4. q. 1. Ora pro nobis.*
- Tu quæ quantò magis Deo conjuncta es per gratiam, tantò es beator per gloriam. *Ora pro nobis.*
- Tu, quæ delectaris in Dei fructione, & Sanctorum societate. *Nos tuis precibus ad celum erige. s. Thom. ad Hebr. 12. l. 4. col. 4. in prin.*
- Tu, quæ habes gloriam extensam, intensam æternamque. *Ora pro nobis. s. Thom. sup. Isa. 54. sim.*
- O** anima beata, cujus memoria perficitur in Patria. *4. d. 49. q. 4. Gaude quod sperans cucurristi, & consecuta est tuam gloriam. art. 5. q. 1.*
- O** anima beata, cujus intellectus perficitur Dei visione. *Exculta, quod credidisti, & modò clarè Deum contempicis. eadem.*
- O** anima beata, cujus voluntas perficitur Dei dilectione. *Ora pro nobis.*
- Tu, quæ unâ fructione tribus divinis personis frueris. *Pete ut & nos iis fruamur. 1. d. 1. q. 2. 20.*
- O** anima beata, in cujus corporis ore erit laus vocalis. *Psalle Deo tuo quamdiu fueris. 2. 2. q. 13. 4. c.*
- O** anima beata, in cujus corporis olfactu erit odor in sua ultima perfectione. *Gusta quàm suavis est in sua ultima perfectione. 2. art. 2. q. Dominus. 4. c. 3.*
- Tu, quæ unâ fructione frueris Deo, & eis quæ in Deo videntur, & possidentur. *Qui ea omnia simul tibi donavit, venerare. 4. d. 44. q. 3. art. 5. q. 4. 12. q. 11. 33.*
- O** anima, cujus objectiva beatitudo est finis ultimus rationalis nature. *Ora pro nobis. 1. p. q. 23. art. 1.*
- O** anima beata, cujus beatitudo objectiva essentialis in solo Deo consistit. *Pete ut ipsi adhareamus omnes. 2. 2. q. art. 8.*
- O** anima, cujus beatitudinis causa est Deus. *Ora 4. d. 49. q. 3. eum pro nobis. art. 1. q. 4.*
- Tu, quæ clarè cognoscis omnia, quæ hîc fiunt. *Ora 1. p. q. 89. pro nobis. art. 8.*
- O** anima beata, in qua nihil est, quod non sit materia gaudii. *Ora pro nobis. 4. d. 50. q. 2. a. 2. q. 1. c.*
- Tu quæ habes gloriam sempiternam securam & plenam. *Ora pro nobis. s. Thom. ibi Psalm. 5.*
- O** omnes felicissimæ anime, quæ jam obtinetis Dei gloriam. *Ora pro nobis.*
- Resp. Domine ne permittas nos perire.*
- Resp. Quia tuæ creaturæ sumus.*
- Vers. Signasti Domine super nos.*
- Resp. Lumen vultûs tui.*
- Vers. Magnificate Dominum mecum.*
- Resp. Exaltemus nomen ejus in idipsum.*

O R E M V S.

DA nobis quæsumus, omnipotens Deus, ut ut qui tuâ sumus bonitate creati; tua etiam clementia in tua gloria lætemur. Per Dominum nostrum, &c. Amen.

§ AN-

S A N C T I
F R A N C I S C I
B O R G I Æ
O P E R U M
L I B E R N O N U S.

Christi anima est utilissimum exemplar, unde lectores ejus imitationem debent petere?

T R A C T A T U S P R I M U S.

I N T R O D U C T I O.



*I*lli Dei imagini conformes futuri sunt predestinati. Cum res ita se habeat maxima misericordia fuit ad terras Deum descendisse, & cum mortalibus fuisse conversatum, ut illi intuerentur, cujus premerent vestigia. Hanc exteriorem imitationem multi Sancti excellenti doctrinâ tradiderunt, sed quia non minùs expedit hominibus anima sacratissima imitatio interior; & quod non minorem fructum percipiemus ex ea, si sedulitate humili in ea exerceamur; agemus Deo propitio de hujus gloriosissima anima excellentius, non prout illarum dignitas exigit; hoc enim vires excedit nostras; sed prout nostra tenuitas intelligit, quod ad eò exiguum est, ut in nihilum redigeretur, nisi dicendum niteretur Ecclesia Catholica veritate, cujus lumen est indeficiens. Ut autem non simus rebelles lumini, (ut ait sanctus Job) convenit non solum nos contentos esse callere formam ad eò præexcelsam; sed eam amulari, & ex ea exempla sumere, & obiter pudore affici ob incuriam, quâ in hac parte præpedimur, & deinde emendationis elicere nova proposita, ut compensetur imposterum oblivio præterita; siquidem valde rationi est consonum, eandem curam, quam adhibuimus Dei imagini in nobis delenda, eidem instauranda navare; & ut nos mancipavimus mundo per varia delicta divagantes, ita nos Dei voluntati tradere, de virtute in virtutem progredientes. Ille, qui virtutum est Dominus, eas nos doceat, & animis nostris inserat, præcipue illas, quibus beatissima ejus anima adornatur, ut existentes ei in terra congruentes, perfectissimè ipsi mereamur similes evadere in celo. A pio Lectore enixè peto, ut roget divinum Numen hoc pro me, & cateris peccatoribus. Sed cum scopus Lectorum, quos quarimus non sit solum legere ad sciendum, sed ad operandum, & ad se exercendos veritatibus lectis, & intellectis; id eò redigemus ad brevìa capita, quod considerandum est in hac re, ut accendatur animus igne divini amoris. Cum autem exigui momenti sit res divinas penetrare, sine earum amore, supplico lectori, ut unam saltem hebdomadam in unaquaque harum meditationum impendat; nam aliter parùm proficiet, nec fructum exoptatum depromet, scilicet, Dei operum imitationem; nec debet videri nimium tempus, quod efflagito; sex enim mensium spatio omnia percurreret. Terminus tres annos in addiscenda Philosophia continente (ad summum) naturæ cognitionem; non multum videatur huic curriculo transigendo sex menses insumi, in quo exponuntur Christi Domini, hominis Dei, Servatorisque nostri scientia, & ejus Sacratissima anima excellentia, in quarum laudibus, non solum hominum, sed Angelorum etiam lingua, nisi Dei virtute firmarentur, nulla ex parte sufficerent.

CAPUT PRIMUM.

De Sacratissima anima Christi creatione, & unione hypostatica, & quâ ratione aliquo modo sit nobis imitabilis.



Nime mi, tibi dicit Malachias Propheta; *Quis poterit cogitare diem adventûs ejus.* Difficilis est scitu, quomodo imitaturus es rem adedò sublimem, ut

Christi Domini animam, posito, quod non valeamus sine speciali gratia de ejus adventu cogitare; sed tamen si rectè perpendas, videbis aliqua esse in illa Sacratissima anima, quæ in nostram imitationem cadant, alia autem secùs. Quis queat

(non dicam imitari) sed nec cogitare ejus adventûs diem, illudque creationis momentum, in quo fuit unita verbo divi-

no, & vidit Deum sicuti est, & fruita fuit eadem gloriâ, quâ nunc fruitur? Estne hoc imitabile? Profectò magis rem ineffabilem,

juxta mysterii magnitudinem, quàm aliud sapit. O sacratissima anima; quis, nisi ille elatus spiritus Lucifer, arbitrabitur se in

hoc te imitaturum? Nullus Angelorum, seu hominum sibi arroget hoc Privilegium, tibi tantum reservatum, & nulli alii concessum; sed si penitiùs inspiciamus, appa-

rebit nobis imitandum in tuæ creationis momento, (dico imitabile secundùm nostram exiguitatem,) quod animus te imitari volens cognoscat, nullum bonum à se habere, sed participatum, & receptum à

Deo; nam etsi nobis sit natura, sed non à nobis, nec dependens à nobis, nam *In Deo*

vivimus, movemur, & sumus. Tu anima sanctissima, omnia quæ habes in verbo divino habes, & ab ipso habes, & omnia quæ possides, in Deo possides, & per hypostaticam unionem à verbo fuisti assumpta, ita

ut te videas, & habeas in Deo; nam tibi nulla hypostasis humana inest. Igitur, qui

te sequi voluerit, consideret se à se nihil bonum habere, sed per naturæ conservationem singulis vitæ intervallis, à Deo accipere, quidquid in se boni est; & hæc

perpendens, quâ ratione audebit præstare se ingratum illi, à quo semper pendet? Insuper consideret se, non prout est in tempore, sed ut fuit ante tempora in Dei mente decernentis creare, & in lucem edere,

quæ jam existunt, creaturas, quod maximo solatio est. Qui enim hoc contemplantur, quid sibi tribuere audebit, ut intendat se efferre superbiâ? Fortassè non

pudore suffundetur, ob dona à Domino accepta? Si verò aliquando usus fuerit re-

bus veluti propriis, & non Dei, cognoscens nihil sibi bonum esse proprium, ignorabit orbem, quem explicaverat ipsi Dominus. Perpende, anime mi, nihil esse in Christi anima excellentius, quàm non habere humanam hypostasim, sed divinam, & omnia sua in verbo habere; tuâ tenuitate eam æmulari procurabis, auferendo ex te illud, quod ex tua fragilitate, miseria, & pravis cupiditatibus dimanat; quia illud, quod ex tuis oculis provenit, futile, & vanum est; quod ex tuis manibus, turpe; quod ex tua mente, cæcum; quod ex tua voluntate, contumax, & durum. Projice, projice abs te hoc, quod in te est; ad nihilum redige, quod tanti æstimas, cùm nihil sit, ut renuntians infelici statui, quem in te habes, merearis tuam felicitatem in Deo collocare, non hypostaticâ unione, sed amoris vinculo; quod tibi felicissimum existet, cùm solo Dei spiritu ducaris. O si attenderes bonis, quæ recipis à tuo conditore, ut essent oculi tui semper sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ! O si perpenderes ab illo prorsus te pendere, non dimoveres sanè mentem ab authore benefico. Si tanto te amas, cur desistis diligere conservatorem tuum, sine quo nihil est? Prætereà si pecuniarum thesaurum tanti facere soles, cur minùs habes tuum thesaurarium, sine quo res familiaris, & cætera nihil sunt? Nihil ex te habes nisi culpam, quid reperis in eo nihilo, ut eo te laetes? Quare pretium offers pro re nihil valente? Solùm, anime mi, glorieris in bonis solidis, & in eorum largitore; reliquis ne indas nomen, quo non digna sunt illa, quæ nihil sunt; utere ad tuam utilitatem verbis Pauli electionis vasis: *Dei gratiâ sum id, quod sum.* Et quod maximum est, adverte ad illa Christi Domini verba, qui ut tibi impertiretur cognitionis lumen, ait; *Non possum ego à meipso facere quidquam.* Pulvis, & cinis, quid tu dices? Quid tu à te poteris? Valebis te demoliri, & perdere; *Nam perditio tua ex te.* Odio amplectere, anime mi, nihilum, quod ex te est, pendens ab illa felicitate, quam à Deo tenes; elige cum sancto Job ipsum solum spectare, hanc sacratissimam animam omnibus viribus imitans.

Supradictorum compendium, ad meditationis articulos, quos puncta vocant?

Primò considera, ut Christi Domini anima, omnia sua in verbo habet; quia in divina hypostasi subsistit, nec extra verbum Divinum aliquid ei est. Secundò perpende, ut juxta nostram tenuitatem debeamus imitari hanc sacratissimam animam, nihili facientes, quod à nobis solis originem trahit,

hit, cum nostra miseria, & perditio sit: habeamus omnia in Deo, ei amoris uniti nexu. Tertio meditare, quod tanti duxeris sensuum oblectamenta, nempe oculorum vanitatem, manuum turpitudinem, quæ inania sunt; & quod parvi feceris illa firma, & solida, quæ efficiunt nos solo Dei spiritu duci.

Colloquium ad Christi Domini animam?

4. O beatissima anima, quæ assumpta fuisti à divino verbo, subleva me demissum, & submersum in vanitate, & nihilò, ut aperiens noviter meos oculos, nihil spectem, nisi illum à quò omnia habeo bona; & siquidem in omnibus ab eo dependeo, animus meus ad illum semper convertatur, sine quo in nihilum redigeretur. Diligam me non in me, sed in Deo, ut merear non reperire me in me, sed in eo; nec gloriari de me, sed de eo; nec me amare, nisi solum propter eum.

C A P U T I I.

Ut hac anima sacratissima ab admirabili creatione sua fuerit divinitatis mirum instrumentum.

5. **I**N capite libri scribitur de te, ó purissima anima, ut semper tui Creatoris voluntatem exequaris, quin tantillum ab illa deflectas, divinitatis aptissimum instrumentum, & admirabilium eminens consonantia, ex quibus provenit à tuæ creationis momento dulcissima harmonia, tam artificii, scilicet, divino verbo, quàm ejus organo, quod tu es. Quis poterit explicare suavissimas, & gravissimas tuæ memoriæ mixturas? In illa enim non solum præsentia, sed præterita, & futura existerent, & non utcumque, sed perfectissimam representatione referebantur, quod in creaturis fuerat factum, siebat, & erat faciendum.

q. 13. Tibi in memoria his omnibus præsentibus, qui laudum contentus? Quæ actionis gratiarum dulcedo debet existimari in te fuisse, ó beatissima anima? Quid de alia tuæ mentis mixtura, in qua eminebat scientia acquisita, non ab hominibus accepta, & q. 1. ar. 3. alia à Deo infusa, non Angelorum ministerio communicata, dicam? Quid de alia illa scientia, beata à gloriæ lumine effecta? Non minùs admiratione digna fuit tuæ mixtura voluntatis, quàm secundum rationes sensui congruentes, calicis passionem recusabas, & secundum superiores, maximam, cum voluntate divina conformitate acceptabas. Quid dicam de purissimi in Deum, & in proximorum ardentissimi amoris tui symphonia. O quàm dulce, & rectum in-

strumentum divinitatis fuit tua lingua homines instruens, tui pro nobis peregrinantes pedes, tuæ manus executioni mandantes liberationem nostram, omnibus, quos tangebant, sospitatem tribuentes, tui oculi Petrum respicientes! Denique quàm alta, quàm sublimia Dei instrumenta extitere, tui sensus, tuæ potentia, cum nunquam intellexerit tua mens, nunquam, tua voluntas amaverit, nec tua manus fuit mota, nec tuus pes progressus, nisi ex decreti divini præscripto? Utens arbitrii libertate exactissimè obedivisti Patris voluntati; dulcissimam voce obsecundans ab ipsius digito demonstratis, incessanter, & indefinenter dilecto tuo potentiis, & sensibus præconia canens. Satis hæc indicant illa verba altissimam demissione, & voluntate prolata; Non potest filius à se facere, *Joan. 5. 19.* quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem, quæcumque enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit. O anime mi, create ad hoc exemplar imitandum, defleant oculi tui tuum exitium; deplora ingenti dolore dæmonis manus te instrumentum fuisse, quando peccans ad illius concentum choreis plaudebas. Quid fuit tua lingua, nisi satanæ instrumentum, quando Deum blasphemabas, vel proximo detrahebas? Idem erant tuæ manus, cum aliena furabaris; idem tui oculi, quando vetitis recreabantur. Misereat te tuæ cæcitatatis; En horridam dissonantiam, hominum aures claudantur, considerantium ex plumbo candido, vel ex ligno tubum follibus laxatis, tegulaque organi tacta, statim emittere suum sonum; te verò ligno aridiorem, & duriorum stanno, licet Spiritus sanctus variis inspirationibus inspiret, non respondere artificii, qui te creavit, ut in te miros sensutum, & potentiarum tuarum sonos eliceret. At verò ubi vanitatis ventus tantulum flat, ubi primum dæmonium admovet manum, concentum in te, ut ei volupe est, edit; & te intendit formidolosæ canendi rationi intervientem. Detrius autem est, te non potentem tolerare, si aliquis inurbanè, aut inciviliter ad te accedat, tuam sponte sequi tartaream voluptate delinitum dæmonem, non reverentiâ, sed vilipendio ingenti ad te appropinquantem, & cupidum te conjiciendi in manciorum damnatorum ergastulum, & allicientem te, ut in æternum comburaris, (ut in te vitiet musices suavitatem, & concentum à Deo intentum) in regione, ubi *nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Non ita sis, anime mi, sed stylum *Job. 10.* verte; statue apud te, nec ad progrediendum pedes, nec ad operandum manus mo-

H h h 2 vere,

vere, nec aures ad audiendum applicare, nec oculos intendere ad intuendum, nec mentem ad intelligendum, nec voluntatem dirigere ad amandum, absque imitatione hujus tam alti, & profundi exemplaris, tibi coram propositi. Conare omni diligentia, & non perfunctorie tuos motus reprimere, cogitationesque tuas refrænare; dilucida, & ab omni pulvere tua organa custodi; ubi primum Spiritus sanctus eis inspirat, tu ea pulses, per consolationes, desolationes, bonam famam, vel infamiam, salutem, ægritudinem: ex tuis organis edatur sonus juxta Dei voluntatem; ut vox tua sit suavior, flebilis sit: dices cum Job; Versa est in luctum cythara mea. Utinam non retardares tuam manum, quin suavi plectro pulsares in ejus conspectu, & omnium Angelorum: utinam voluptate suffundereris, cum ejus digitus impellit rebelle tuum cor. Permite jam gubernari ab illo, sine quo vitam esses destitutus. Quid de te fieret illo à te suam manum amovente? Si Deo placet laudari dulcibus instrumentis, ut Psalterio, cythara, tympano, & choro; quanto eum magis juvabit efferri spiritualibus instrumentis, nempe animis ad ejus laudem creatis? Nisi fuerit hoc tuum præcipuum pensum, anime mi, vilior eris metallo, quod sonat; seu cymbalum, quod tinnit: illa enim admota, & tacta suo modo respondent, dum moventur, & pulsantur; & tu, anime miser, pulsatus, & motus à tuo creatore sonum non fundis tuæ naturæ convenientem, nedum ejus impulsui respondes. Ne fias insensibilior creaturis sensu carentibus: patere tui artificis manu pulsari, & tangi; nam ille hujus artis peritissimus est, & magnâ dexteritate hoc exequitur: ne moreris, ubi Dei digitus faciendum indicat; quia illi, qui ejus ductu, & spiritu feruntur, vocantur filii Dei.

Supradictorum compendium ad Meditationis articulos.

6. Primò considerandum est, ut Christi Domini anima fuerit divinitatis admirabile instrumentum, cum loquebatur, cum tacebat, progrediens, subsistens, ubique, omni modo, videns, audiens, dormiens, vigilans, intelligens, & amans.
7. Secundò, est perpendendum, ut ni obfisteret culpa, toto conatu futuri eramus Dei instrumenta, quatenus nihil deberemus dicere, nec cogitare, aut operari, nisi legi divinæ conforme, & juxta normam, quam Spiritus sanctus in nostra mente præscribat, & præscribit, & secundum regulam, quam inspirat, & inserit cordibus nostris, cum illi sint filii Dei, qui hoc spiritu aguntur.

Tertiò, trutinabo, ut voluerim potius 8. dæmonis instrumentum esse linguam blasphemans, oculis concupiscens verita, manibus aliena furripiens, quam Domini mei nutu gubernari.

Colloquium.

Eximium exemplar mihi proposuissém, 9. ò sanctissima anima, si considerare scirem, quam obediens, & mirabile divinitatis sis instrumentum. Utinam oculi mei te imitarentur, nullam rem aspiciendo, nisi illam, quæ Deo libet. O si meæ aures à te discerent non moveri à creaturis, sed à creatore: si mei pedes, intellectus, voluntas te referrent, quam decorum esset dicere Deo; *Domine omnia ossa mea*, potentia, & sensus dicunt; quis similis tui. Quam pulchrum esset me semper meditari, & exequi divinam voluntatem? Impetrem, anima purissima, tuis meritis meam voluntatem dirigere, meas manus operari id, quod lingua pro te pronuntiat, & intellectus percipit, ut aliquo modo merear Deum meum laudare, cui placet à creaturis suis efferri præconiis in tympano, & choro. Assuescat meus animus in terram huic concentui, ut dignus sit in cælo inter Angelorum Choros Dominum suum laudibus efferre. Amen.

C A P U T I I I.

Quam exigui visi sunt Christi Domini anime labores, per trium, & triginta annorum spatium tolerati, collatione donorum, quæ ipsi concessa fuere primo sua creationis momento.

Non sunt condignæ passiones hujus ^{Nam.} temporis ad futuram gloriam, quæ ^{10.} pro illis in sæculo futuro dispensabitur. ^{Rom. 8.} Quis valebit expendere, & exornare hujus veritatis cognitionem, quâ instructa fuisti, beatissima anima? Nullus te melius potuit ponderare, quam parùm sufferebat in peregrinatione sua tuum corpus sacratissimum, (etsi fuerit majus omnibus, ^{3-4-46.} quæ toleravit quilibet ex natis hominum) ^{ar. 6.} gloriæ compositione, quæ tuis potentiis beatificâ visione communicata fuit: itaque trium, & triginta annorum labores, licet in se magni, exigui tibi tamen apparuerunt, amoris, & beneficiorum in tua creatione receptorum comparatione. Si enim Jacob flocci pendebat tot ærumnas, quas septem annis devoravit, præ magna voluptate, quâ erga Rachelem rapiebatur, & præ magno, quo illam prosequabatur, ^{Genes. 29.} amore, cujus officium est levare, & minuire gravia, & suavità reddere, quæ sunt amara; quid de te, ó anima sanctissima, ^{4-34-4.} ^{ar. 5-9.} ^{10-11.} ^{12.} ^{Et per.} ^{4-29.} ^{ar. 5-1.} di-

dicam? Quàm nihili faciebas labores, jejunia, dolores, passiones, & ipsam crucem ob Rachelem, nempe beatificæ visionis contemplationem, quâ incessanter fruebaris, existente adè ingenti tui amoris magnitudine, ut hic intensior fuerit, quàm omnes, quibus creaturæ dilexerunt, vel Deum diligunt. O anime mi, si imitaberis hanc super omnes beatissimam animam, ducendo parvi omnia tua infortunia, tuos contemptus, dedecus, paupertatem, & cæteras hujus miseræ vitæ calamitates, propter bonorum in tua creatione, redemptione, & in baptismo, (in quo tibi datum fuit vitæ æternæ initium) notitiam! Utinam in una trutinæ lance appenderes accepta, & in altera illa, quæ petuntur: datur tibi Deus, & recipsum Deus petit, ut tuus sis. Quæ æstimationo erit inter tenebras, & lucem? Quæ mensura creaturarum, & Creatoris communis? Quis pugillo dimensus fuit aquas, & cælos? Quis ad libram examinavit? aut palmis hæc mensuravit? Quis ergo valebit investigare Deum? Unde æquipondium invenietur, quod aliquam hujus ponderis æqualitatem conciliet? Adverte te, anime mi, quàm exiguum est, quod à te exigitur, & quàm magnum, quod promittitur. Si hæc perpenderes, parvi duceres ærumnas præsententes; & cum Propheta diceres; Verè, Domine, pro nihilo salvos facis. Si fortè aliquando dura res tibi visâ fuit pro Christo pati; vel cum illata fuit injuria, vel morbo vexabaris; vel alia detrimenta offerebantur. Pudorè suffundere Sunamites, revertere, & attende, quàm remissè sanctum te referas; & quàm remotè imiteris sanctissimam Christi animam. Profundè hæc trutina, ne mendacibus annumereris illis, qui nesciunt discernere minimum, quod in hac vita suffertur compositum cum illis, quæ in futura, ac felici speramus. Corroborate te illâ fortitudine, quâ Doctor gentium se munitabat, qui apprimè callebat metiri caduca, ad rerum humanarum æstimationem. *Quis me separabit à charitate Christi, an gladius? an nuditas? an tribulatio?* Nec vita, nec mors hæc efficient, Apostole sancte? quia amoris magnitudo, & mensura adæquata acceptorum adigunt te ad asseverandum eos labores temporarios nullius momenti esse, si comparentur cum debitis, quibus apud Deum obstringimur, & cum reverentia, quam à suis creaturis exigit divina dignitas. Adhæc, si consideras, anime mi pœnas, quibus tuo merito es obnoxius, admirationem tibi movebit quàm parùm suffers. Quæ enim re digni sunt tui oculi vati, nisi dæmoniorum horrendâ visio-

ne? Quid tuæ aures detractionum audientiarum libidine prurientes meruere, nisi opprobria, contumelias, & aculeata in damnatos congesta verba? Quid tuæ manus promeritæ fuere, nisi inferni ignes? Denique ob tua scelera, quibus aliis rebus dignus es, nisi æternis tormentis? Attende igitur ad illud, quod tua flagitia tibi acquisivere, & ad beneficia, quibus cumularis; & nisi insanis, non querelas excitabis ob damna præsentia, nec magna videbuntur tibi hæc infortunia; potius ea reputabis tenuia, & tantò minora apparebunt, quantò penitiùs hæc meditaberis; siquidem reverà ille, qui toties æternam pœnam meruit, temporalem tantùm subire magnam felicitatem debet arbitrari: unde centum anni in inferno transacti nihilò ducentur æternitatis comparatione. Compose modo majorem hujus vitæ laborem cum centum annorum intervallo in inferno peracto, & perspicias, quàm levis sit ille labor. Igitur si major hujus vitæ labor eâ consideratione reputaretur tenuis; & atrocius, & prolixius, quod in eo toleraretur tormentum, reputaretur exile; quis hæc transeuntia sustinens, audebit queri? Quis adè infortunatus, & insensibilis existet, ut se violatum malis tam parvis judicet? Præcipuè si advertit, quàm libenter pro hujus mundi caducis, aut pro sua voluntate discriminibus non levibus se objecerit, & quàm levia duxerit pericula pro lucris hujus vitæ? Pudeat deliciosos; animentur debiles hujus animæ sanctissimæ imitatione, ut idonei sint, qui ad tolerandos labores admittantur; & verecundi suffusi cum David exclament, allo- *Ps. 93.*
quentes Deum: *Fingis Domine laborem in precepto*; nam obligationibus, quibus tibi obedire tenemur, expensis, vili pretio nobis constant tua dona.

Supradictorum compendium ad puncta meditationis.

11. Meditare primò, ut apparuerint exigui trium, & triginta annorum labores huic sanctissimæ animæ in suæ creationis momento, collati cum beneficiis, quæ accepit, ob amoris, & voluntatis Deo gratificandivim. Secundò considera, ut debeant tibi videri nullius momenti ærumnæ, quas pateris, collatæ cum tormentis, quæ meruisti in inferno, & cum obligatione, quæ tibi inest, eò quòd Christus tui ergò tot dolores in cruce fuerit perpeffus. *12.*

Tertiò, recogita, ut æstimaveris pro maximis levissimos labores ob pietatem latos; & ob hujus vitæ oblectamenta, vel ob tuam voluntatem susceptos duxeris exiguos, etsi magnos.

H h h 3

Col-

Colloquium.

13. O felicissima anima, tibi in fonti, & ob nullam propriam culpam patienti, maximi labores visi sunt exigui; & mihi tot peccatis fœdato apparent gravissimi mei, etsi parvi; quia non cognosco mea erga Deum debita ob ejus perfectissimam naturam. Unde quia me præterit, quod ego mereor propter scelera, quibus me contaminaui, hæc mea cæcitas lumine indiget, & siquidem tu propius accedis ad illam inaccessibleem lucem, & vides clarissime, & perfectissime in Deo omnia, impetra cæcucienti animo meo lumen cognitionis, ut intueatur stupens, quàm tenue sit, quod suffert, quantumvis magnum, perpendens gravia tormenta, quibus obnoxius est, & rationes, quibus obligatur, ne à Dei placitis discedere imposterum cum advertentia contingat.

C A P U T I V.

*Ut Christi anima Deo offerbat sua sacra
Passionis Calicem.*

14. **Q**uis valebit, anima sacratissima, ponderare, quàm cruci affixa vixisti à tuæ creationis momento? Nam cum ille monstratus fuisset tibi passionis calix, & suscepisses eum bibendum perfectissimam obedientiam, & cum semper obversaretur ante te tuum Sacratissimum corpus in crucem agendum (ut in Calvarie monte contigit) hæc memoria adigebat te in virginis utero cruciari. Cùm somniamus cæteri homines calamitatem, hæc perinde nos contristat, ac si eam subiremus. Quanto autem dolore affecit te perpensio doloris tam ingentis, non illum somniantem, sed videntem vividam repræsentatione, & imagine referente expressè, quod postea gestum est? O quàm gratum holocaustum, & sacrificium fuit hoc æterno Patri? Secundum meam parvitatem te non imiter? Absit tam immanis ingratitude. Sim ego coram divino conspectu sacrificium, saltem per hujus brevis vitæ residuum curriculum, offerens me laboribus, doloribus, & morti pro meo Deo. Quamvis, Christiane, ignores tuæ mortis seriem, & causam, ut Christo innotuit suæ; sufficiat tibi scire illam esse certissimam, immola voluntarie tuam vitam cuilibet obitu forti, vel generi, etsi acerbo; quoniam ista oblatio, haud exiguo emolumento tibi erit. O bonitas infinita! ô sapientia æterna, quæ fructum colligis ex nobis ante operum executionem; id est, gratam te præstas nostris votis, & desideriis; quæ si effectu

destituantur, illa ad tuam gloriam dirigis, & nostram utilitatem. Martyrium enim in votis habitum accipis in sacrificium acceptabile; & non fraudabitur mercede pium desiderium, licet, qui optaverit, moriatur in lecto, dummodo per illum non stet, quò minùs effectu donetur. Cùm verò cælestis retributio ita se habeat; tam pauci inveniuntur, qui se, suaque offerant Deo, cum tot inveniuntur, qui passim se mundi obsequio devoveant, querelam Deo de suis creaturis excitante (ut Propheta asserit; *Oblitus sum tanquam mortuus à corde;*) justam, & dignam quam sentiamus. Ex defectu amoris oritur oblivio, & ex oblivione dimanat nos non offerri laboribus pro Christo, quibus Apostoli gloriabantur, *Att. 5.* magni facientes inventos se dignos, qui eos tolerarent pro nomine Jesu. Quis igitur eos non amplectatur? quis non se immolabit semper Deo, meditans quot doloribus se pro nobis destinavit ipse? Quàm consonum est, Domine, hæc considerem, & te sequar, & posthabitis hujus mundi divitiis, & voluptatibus eligam, & assuam vilipendium, paupertatem, voluntatis abnegationem, mortem, aut si se offerrat occasio, Crucis tormentum, ut saltem valeam compensare aliquo modo tempus, quod tam facile insumpsi in mundi vanitate, aut in dæmoniorum obsequio, ad morem gerendum amico, vel ob aliam similem causam; parvi faciens propter hæc futilia, me tormentis æternis addici. O quàm libenter, & largè, anime mi, inutilibus vacabas? Et quàm sordidè, & parcè te gerebas in te offerendo parvis pro Christo ærumnis, æternis gaudiis te subtrahens? Quæ stipendia putabas facere apud Dominum, cui haud jucundè ancillabaris? Quid culpa potest largiri, nisi quod habet, æternum ignem? Quid existimas ex dæmonis servitio te comparaturum? Evade felix ex ejus contubernio. Ab omnibus suis amicis ex diversorio abeuntibus bona subripit, quod in suis inimicis exequi non potest; quia ante obitum ex hac vita remittunt in *Matth. 6.* cælum fortunas, ubi tinea non est, quæ eas demoliatur. Quando tuæ propriæ voluntati obedis, quid cogitas ex illa acquirere, nisi fletum: nam omnia, quæ ad ejus placitum operamur, dilui necesse est, vel in hac vita planctu, aut temporario cruciatu in purgatorio, vel æterno, & lacrymis sine fine in inferno. O anime mi, ne tu sis tuipsum carnifex. Cui libuit unquam se perimere? Cur tibi gratæ est tua mors? Nemo odio habet carnem suam, nisi tu, *Luc. 6.* qui nimiam erga illam indulgentiam te odisti; ut fugias pericula, illis te irretis; ut non te mace-

maceres, te interficis. Si te, (ut jactas) diligis, cur adhibes tantam diligentiam, pravis cupiditatibus te comburendo? Te dede Christi passioni, & te vindicabis à vitiorum tyrannide; dedica te Deo tuo in Sacrificium, & non eris dæmonum maleficium. Attendas, quæso, uti Deus vult esse te suum holocaustum; ne in illis numereris, qui sacrificaverunt dæmoniis, & non Deo; ob idque Deus dicit; *Abscondam faciem meam ab eis, & considerabo novissima eorum, congregabo super eos mala, consumentur fame, devorabunt eos aves morsu amarissimo, foris vastabit eos gladius, & intus parvor.* Quàm magnum ista verba tibi incutere debent, anime mi, timorem, qui non impediatur solum, ne te inimicis tuis tradas inconsideratè; sed faciat etiam, ut eorum consortium evites, ne illis immoleris: immola te justitiæ Sacrificio, & ut hæc beatissima anima passionis calici se obtulit, illum suscipe, ei te mancipa; *Praclarus enim est, & suavis, & inebrians animas, quæ ex illo hauriunt; vini enim hujus proprium est efficere, ut obliviscentes se, lacrymarum imbrem pro Deo suo effundant.* Ne te occupes bibendo dæmoniorum calicem, cujus fæces sunt amarissimæ: est enim peccatorum potus non dilutus. Dedica ei te ipsum; ne dubites te illi sacrare, qui semper se obtulit divinæ voluntati. Quis aliquando ei valuit resistere? Quo titulo excusabis te ab hac oblatione? Velis, nolis, anime mi, semper subjectus eris ejus placito. Sed hæc oblatio non ducat originem à servili timore, sed ab amore filiali; & quod Psaltes cecinit tui loco; Holocausta medullata offeram tibi. Offer densa, & solida non vacua, ut sunt ea, quæ peccatores offerunt, quibus non se offerentibus, licet multa offerant, oblatio erit vana sine virtute, & medulla. Anime mi, ne cesses à continuo hoc te dedicandi exercitio. Si enim legitur, Regi Salomoni, cum obtulisset mille hostias, & oblationes super altare in Gabaon, Deum dormienti apparuisse, monuisseque, ut postularet, quod vellet; quid donabit offerenti non vitulorum, & arietum sanguinem, sed se proprium; & non semel uno die, sed singulis diebus; & ut potiùs dicam, in quotidiano, & continuo sacrificio? Quis ambigat, quin huic appareat quodammodo Deus non dormienti, sed vigilanti, ostendendo quàm gratum sit sacrificium, quod offert? Igitur, anime mi, pro illo te consecra, & in æterna gloria excipieris.

Meditationis articulos, vel puncta?

15. Primò considera, ut hæc Sacratissima anima semper in Cruce vixerit secundum

partem inferiorem, quatenus à momento suæ creationis vidit, & suscepit passionis Calicem, existens holocaustum perpetuum, & gratum creatori suo. Secundò, statue apud te, cum certissimum sit te esse moriturum, (licet nescias quando emigraturus es ex hac vita, vel quo mortis genere) te ad imitandum hanc sanctissimam animam, debere fieri continuo sacrificium coram Deo, omni tempore offerentem temetipsum divinæ voluntati?

Tertiò, perpende, ut victus levibus hominum persuasionibus, & dæmoniorum nullius momenti tentationibus succumbens, sæpe te mancipavisti æternis cruciatibus, vel amicis complacendo, vel tuæ voluntati obsecundando, ægerrimè ferens laborem, etsi exiguum; pœnamque, aut defatigationem pro Christo.

Colloquium.

O altissimum, & mirum exemplar, quod nobis ostendis tuam summam charitatem, in continua tui oblatione, & acceptatione laborum, & mortis! Si tu tam frequenter pro me hæc obivisti, quomodo ego prætermittam tibi pro te facere? Si tu adeò crebrò pro me tot pœnas subivisti, an ego recusè aliquando aliquas pro te tolerare? Non me fugiunt, Domine, difficultates, quas contra te fui aggressus; deinceps appetam, quæ pro te sustineam, & ut intelligam pati pro te summam esse felicitatem, sicut tibi servire regnare est. Saltem hæc persuasio me adigat, ut sequar labores nunc, veluti ante ab eis me removebam; siquidem beatorum superscriptio dicit; hi sunt, qui venerunt ex tribulatione, & laboribus.

C A P U T V.

Ut Christi Domini anima secundum partem superiorem perfectè fruebatur beatificâ visione, & per inferiorem patiebatur, & merebatur sui corporis glorificationem, & generis humani redemptionem.

18. Multi sunt in offerendo liberales, sed pauci in adimplendo promissa firmi: Tu secùs Christe Domine; si enim extitisti munificus in te laboribus, & passionis calici tradendo; liberalissimus, & diligentissimus fuisti in promissis exequendis. Itaque, Dei Fili, ab initio tolerare cœpisti in utero virgineo cubilis angustias, volens loco contineri ut homo, qui universa contines ut Deus. Ubi natus fuisti, præsepîi duritiam, & incommoditatem sensisti, & post octo dies circumcisionis dolorem. Deinde fugam in Egyptum

tum arripuisti. Mirabilis itaque in offerendo fuisti, in adimplendo verò liberalissimus. Quis explicet, gaudium, quo tuæ potentiæ afficiebantur beatifica visione, & tuorum sensuum dolore, ob multa quæ in illis patiebaris; uti tuos oculos molestabant in æternum Patrem offensæ? Quæ displicentia tuo gustui fuit potus ex felle conditus, quem gustasti? Qui labor tuis manibus mirrhæ peccatorum satisfactionis stillatio? Erat res extra omnem naturalem cursum in te videre tantam gloriam, & tantam pœnam; tantum dolorem, & tantam pacem. Nam tu, ô Redemptor mi, ut viator patiebaris, licet ditatus æternis bonis. O anime mi, si æmulareris secundum tuam parvitatem hoc exemplar, legem inviolabilem tibi condens, qua statueretur tuam partem inferiorem sensibus proximam tolerare omnia, quæ Dei dispositione esset dispensandum, modo tuæ potentiæ, tuo dilecto fruerentur; sed tua perniciēs est hæc inverti; nam pro corporali aspectu commutas spiritualem; pro sensibili oblectamento renuntias intelligibili. Misereat te tui magis cæci, & pravæ cupiditatum mancipii, quàm Esau; siquidem vendis patrimonium spirituale, quod filio competit, pro sensuum infelicitate. Quis diceret, relicto Creatore, te collocaturum esse tuam felicitatem in creaturis; & quod deterius est, te eo uti, quatenus eo indiges ad potiendum vanissimè creaturis. Certè illæ non tibi concessæ fuerunt in hunc finem; sed ut eis uteris, in quantum te promoverent ad creatorem. Sed tu, sicut insensatus, eligis obvia quæque, nullâ habitâ ratione futurorum, veluti si nihil existeret, nisi quod corporeis oculis subjacet, cum hæc omnia nullam firmitatem, aut soliditatem habeant, non permansuro in eis lapide super lapidem. Quem fructum depromes ex aspectu oculorum? Hi enim lutei sunt. Sat sit datum vanitati; renova tuum spiritum; induc in animum non permittitur esse te delicias ullas huic veteri, & terreno homini. Reputa faustam fortem te cernere, multis sepiri pœnis. Hoc corpus tuum inimicum vexent fames, sitis, frigus, nuditas, paupertas, dedecus, & ægritudo: nam ejus molestia erit tuum levamen; ejus cruciatus tua requies; ejus egestas tuæ divitiæ. En! Christi Sacratissimam animam secundum partem inferiorem: ut frigus, flagella, spinæ, clavi, & mors ei dolorem ingerebant: omnia autem hæc pro te, & tibi sufferebat. Si vis esse cum illo, sociaris illi in laboribus, & particeps eris ejus gaudiorum. Amissum arbitrare temporis intervallum, in quo te

videris non aliquod incommodum tolerantem pro Christo. Dic cum Propheta; *Esa. 3.* *In pace amaritudo mea;* Quando mundus, & illa, quæ mundi sunt, relinquunt te vitam tranquillè agere, quin te exerceant in aliquo crucis genere: ita cum supervenerit tribulatio, placidè illam amplexaberis, & gaudio spirituali eam excipies. Tuæ enim carnis vexatio solidum tui spiritus gaudium est. Ne tuæ carni indulgeas, videns Dei filium in sua solvere, quod tua debebat; & ut te æterno Patri conciliaret, fuisse passum pro extinguendis inimicitias, quæ intercedebant inter te, & ipsum. Ejus sanctissima caro, quæ non potuit esse contraria, nec inimica Deo satisfecit pro mea inimicitia, & meam in inimicitia conceptam, & quæ toties novas inimicitias cum Deo contraxit, eritne æquum detrectare sufferre? Justumne erit oblectamentis, & voluptatibus vacare? Potius jus erit in eam invehi, ut in causam inimicitia cum Deo, & nos lætari vindictâ de ea sumpta. Præterquam quod, cum de ea ulciscimur, illius utilitati consulimus, illamque abducimus à vindictâ, quam de ea fumere cupiunt ejus inimici dæmones; & quod potius est, illam redigentes in debitum ordinem, ingenti honore eam afficimus. Sic enim animus non parvâ jucunditate suffundetur. Multò præstantius gaudent sensus nostri derivatâ voluptate spirituali ex animo, quando hic afficitur à Deo gaudio, quàm sensibili oblectamento. Adhæc, cum corporeæ deliciae sint fucatæ, & solum apparentes, gustus ex iis perceptus cedit gustui habito ex communicatione, & participatione dimanantium ex defæcatis, & spiritualibus deliciis animi, qui intravit in gaudium Domini sui. O anime mi, potire hac insuetâ, veluti ex remotissimis adductâ regionibus gazâ; & cognosces, quàm deceptus vixisti? Insuper ad tuam confusionem, & ad amandum ardentissimè tuum Detum, reperies divinam sapientiam disposuisse, ut tua redemptio copiosissima esset, gloriam animæ Christi beatæ in corpus non redundasse miraculo stupendo, (quod cessare aliquantulum videbatur in Transfigurationis mysterio) per mortalis ejus vitæ intervallum. Quamobrem tot labores subivit, his subsidiis carens, ut exclamaverit in cruce JESVS; Deus meus, Deus meus utquid dereliquisti me? O, anime mi, perpende leges, quæ observantur cum illa sanctissima carne; & aliter cum tua agi, cui non solum non interdicitur ex animi tui gaudio lætitia, sed animo tuo spiritualis voluptas impertitur, ut eam cum carne participet
in

Cant. 5.

3.4.56.

ar. 12.

9.46.ar.

8.

Genes.

25.

Eph. 2.

Math.

25.

in hujus præsentis miseræ alimoniam, & jucundiùs valeat tolerare hæc incommoda. Itaque aliquo modo conceditur tuæ carni, quod Christi Domini carni negabatur. En ejus carnem; ecce tuam. Stupe, videns quid cum una, & quid cum altera factum sit; quæ uni vetabantur, & quæ alteri tribuantur: Christi Domini carni denegabatur illud, quod jure ejus proprium erat, & tuæ communicatur, quod non meretur, inflammetur jam tua anima amoris divini consideratione, ut in illa ardeat, pluris faciens illo divino igne aduri, & majorem felicitatem æstimans pro Deo pati, & mori, quàm possidere hujus mundi divitias, & omnes thesauros, qui humanæ menti queant occurrere.

Compendium supradictorum ad Meditationis puncta?

19. Primò considera, ut Christi Domini anima fruebatur in parte potentiarum superiore visione beatificâ, tolerans in inferiore magnos dolores, & labores pro peccatorum, quæ Patrem æternum offendebant, satisfactione.
20. Secundò pondera, ut nostri animi potentia, debeant aliquo modo imitari Christi Domini potentias, in eo gaudentes dulci ejus memoriâ, & altæ in eum contemplationis exercitio, & perfectæ charitatis unione, simulque dolentes de illius paupertate, contemptu, & doloribus; ita nostræ carnis vexatio erit nostri gaudium spiritûs.
21. Tertiò recogita, quàm secùs te geris, siquidem nihil ducis potentias tuas pati multa ad aucupandam aliquam sensuum voluptatem; & quod deterius est, in creaturis collocare amorem, & gaudium, quod debetur Creatori.

Colloquium.

22. Quàm diversè, Domine, tu mecum agis, ac ego tecum! Tu pro me negabas tuæ sanctissimæ animæ gloriam corpori tuo, ut tui oculi paterentur flendo, & aures contumelias audiendo; sed ego, Domine, pro te non solum non macero meos sensus, sed in eorum voluptate arbitror esse positam omnem meam felicitatem: tu impendisti tuos in meam utilitatem, & ego vix utor meis, nisi contra te: tu vis tuos ad mea commoda, & ego meos ad tuam offensam. Domine mi, quid hoc est? Tu suffers, & moreris, ut te mihi communicates, & ego me subduco à tuo consortio. O quàm perversè utor charitate adeò immensâ! Ne frustretur in me hoc beneficium: ne tam ingens damnum permittas, quamvis ego id merear. Sine tua enim communicatione, ani-

mus meus fiet aridus, & sicut terra sine aqua sterilefcet?

CAPUT VI.

Ut anima Christi Domini, quantò proximior erat Verbo divino, tantò illud magis venerabatur, & colebat propter majorem cognitionem, quam de illo habuit, & propter majorem gloriam, quam ab ipso recepit.

SI de Moyse legitur, cum accessisset ad Sinai montem, ejus faciem ita splenduisse, ut filii Israël non possent sustinere fulgorem ex illa irradiantem; quid de te dignè dicemus, ô anima sanctissima, & qui oculi valebunt tolerare tui luminis splendorem? Tu enim eminentiorem montem ascendisti, siquidem statim vidisti Deum, sicuti est: aliter autem Moyse contigit, cui dixit Deus, non videbis faciem meam. Tu vidisti adeò perfectè naturam divinam, ut sicut non est comparatio inter herum, & servum, ita nequeat esse collatio inter tuam intuitionem, & Moyse visionem: nam Moyse tantùm famulus fuit in domo Dei: unde si filii Israël non poterant oculos intendere in faciei Moyse fulgorem, quis audebit in tuum suos erigere, aut in tuam lucem, cum perveneris ad summam montis altitudinem, nempe ad unionem cum hypostasi divina aspicere? Quantò enim magis propinqua fuisti lumini, tantò id excellentiùs tibi fuit impertitum, & illustrior extitisti; eò clariùs cognovisti cultum Creatori debitum, quantò propior illi fuisti; ex majore cognitione proveniebat cultior reverentia, quam illi præstitisti, ut satis apparet in illis verbis Psalmi, quibus æternum Patrem alloqueris: *Domine tu scis improprium meum, confusionem meam, & reverentiam meam*, quam mihi debitam homines non adhibent. Sed ego, Domine, ut teneor, veneror tuam divinam Majestatem, quam affatim, anima sanctissima, ostendis. Quoniam in Ecclesiastico reperitur; Quantò majores, humilia te in omnibus; Idèd, anime mi, obstringeris magis te submittere, cum ornatus fueris majoribus donis, & te minoris facere, quantò frequentiùs ea accipis, venerans, & reverens divinam bonitatem, quæ non te respexit, ut illa tibi solum largiretur; sed semetipsum, ex quo procedit omne bonum, quod habes. Hinc non solum teneris tibi beneficia non arrogare accepta, sed adigeris etiam te profundiùs deprimere, quantò magis est tibi notum, Deum non te amavisse tuis operibus motum; quamvis voluerit te executioni manda-

re ob suum amorem sua præcepta, in quorum adimplerione exploratur verus amor. Si hic in te habitat, quantò propior fueris Deo, majorem tibi movebunt admirationem bona, quibus ab illo donaris: nam cognoscenti tuam indignitatem ejus bonitas perspectior tibi erit: unde dimanabit major in Creatorem reverentia. Clarior enim cognitio submissiorem cultum exigit, & quò propinquior est animus Deo, eò debet strictius illum venerari. O quàm rationi esset consonum, omnes nostros animos imitari hanc purissimam animam; & quò propinquius ad eum accedunt, sive ob Sacerdotale, sive ob aliquod quodcumque officium, eò reverentius se præstare gratiores, objectiores, & cultiores erga talem Dominum; quod ni faciant, manifestabunt cognitionis, & unionis cum Deo per amorem defectum! Quis erit, qui eum cognoscat, & non adoret? quis, qui non amet, eum intelligens? qui non se abiciat, considerans eum esse præsentem? Et quis persuasus se juxta illum esse, non in admirationem rapiatur? Cum per fidem cognoscamus nos magis illi intimos esse, quàm nosmetipsos nobis; & cum per charitatem sumus illi ad eò uniti, ut ejus spiritu spiritualiter vivamus; quis valebit exaggerare reverentiam ejus omnipotentiam, & infinitam bonitati debitam venerationem? Quo pudore tenemur affici ipsi præsentem; si coram terræ Regibus sunt homines aperto capite, & poplitibus flexis, & ingenti attentione trutinantes, quod faciunt, & dicunt; quantò magis hoc debetur in Domini præsentia, sub quo, (ut Job asserit) curvantur, qui portant orbem? Si coram sibi similibus ita homines se gerant, quales se gerere obstringuntur coram Regum Rege? Si loquentes terræ Principibus examinant, & ponderant verba; coram calorum Rege non solum hoc præstandum est, sed cordis affectus, & cogitationes sunt perpendendæ: nam ille scrutator est cordium. Sed vae illis, qui nihil æstimant, nisi quod vident; & ita coram hujus seculi proceribus, & dominis se componunt, & modesti apparent, & coram omnium rerum Domino impudentes, & effrænes: cum peccatoribus dicunt: *Non videbit Dominus, neque intelliget Deus Jacob;* Idcirco vitam peragunt afflictam, miseram, coactam, amaram, & confusam, juxta illud, quod cecinit David; *Avertisti vultum tuum à me, & idcirco sum conturbatus.* Non averteret Deus à me suam faciem, nisi ego prius ei terga vertissem; sic enim meæ averfionis stipendium est mei spiritus conturbatio: oculi mei, & si plora-

retis vestram cæcitatem! obsecro, dicatis mihi, cur vos amovistis ab illo scopo? an reperitur aliquid pulchrius, dulcius, aut formosius? O mens mea, in qua alia re invenisti verum solatium? quid sine illo te satiabit? Attende, quod David dicit; *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, propter hoc latatum est cor meum.* Itaque ut coram Deo ambulare, gaudio afficit; ita ejus præsentiam oblivio pœnam, & turbationem affert. Non illum homines reverentur, quia obliterant memoriam ejus præsentiam. Quando de rebus inutilibus, & otiosis loquuntur, non advertunt se ipsos à Deo videri; quando de aliis detrahunt secretò, non considerant id à Deo audiri: cum moluntur in corde nequitiam, si nulli eam aperiunt, videntur arbitrari illam Deum latere; propria sic confabulantur, & tractant; sic recreantur, & rident; perinde ac si Deus non ubique fuisset: ex defectu attentionis animi ad Deum præsentem oritur cognitionis, & cultus Deo debiti defectus. O quantum peccatores pudebit, & quantum verecundabuntur in mortis hora, cum videbunt ita suas meditatatas res, ita opera sua facta, quasi illis Deus non adesset! Si adverterem Deum esse præsentem, haud dubiè non auderem multa effutire, quæ modò profero; siquidem ab illis sæpius me temperem persuasus virum alicujus autoritatis me audire. O quàm verè dictum fuit: *Longè à peccatoribus salus, scilicet Deus!* Illi enim ita operantur, quasi vera salus longissimè abesset; miramur Hebræos velavisse Christum Dominum in ludubrium, & irrisionem, & non dubitamus peccatores ferè idem committere; quatenus oblivionis ejus divinæ præsentiam velum obtendimus ad illudendum, & irridendum, veluti Domino non fuissent omnia perspicua. Illi ergo, qui nolunt quàm remotissimè ab illo projici, semper coram se contemplantur eum suis dictis, & factis assistentem; ex hac contemplatione cultus, & reverentia nascuntur, & hæc signa erunt nostræ unionis cum eo per charitatem, & amorem. Nam ubi major est amor, invenitur etiam & major reverentia; & sic Christi anima, quæ unitior fuit Creatori, majore observantiâ, & veneratione illum coluit, & in hoc omni conatu illam debemus imitari, ut in cæteris, quæ sub imitationem nostram cadunt, juxta nostram exiguitatem: si enim hoc executioni mandaverimus, cor nostrum liquefiet ejus sancti amoris igne: nam legimus in Psalmo; ante conspectum Domini montes liquefieri. Instar montium sunt perfecti, qui

in

in divinæ præsentiae meditatione ut cæra liquefiunt.

Articuli, vel puncta ad Meditationem.

24. Primò considera, ut Christi anima, quò magis Verbo Æterno propior, eò illud magis venerata fuit, ob majorem cognitionem quam de illo habebat, & ob majorem gloriam, quam ab illo accipiebat.

25. Secundò meditare, ut debeamus hanc sanctissimam animam imitari, secundùm illud, quod in Ecclesiastico dicitur, scilicet perfectiorem creaturam debere exhibere Deo majorem cultum. Unde si terræ Reges eò magis honoramus, quò minùs distamus ab illis: quantò veriùs, & exactiùs hoc fieri debet erga cæli Regem?

Tertiò, pondera ex cognitionis defectu oriri venerationis defectum, & oblivionem. Perpende, quæ confusio afficiet nos in nostræ mortis hora, perspicientes nostras cogitationes, verba, & opera ita fuisse, ac si non fuisset Deus, qui ea intueretur, dum fierent; proptereaquæ talia evasisse, ut indigna viderentur, quæ patrentur etiam in hominum conspectu. Traducimur in admirationem quod Hebræi in ludibrium operuissent Christi Domini oculos velo, cum nos spiritualiter idem ferè faciamus.

Colloquium.

26. Propè es, Domine, & omnes viæ tuæ plenæ sunt veritate; longè est à peccatoribus salus, siquidem ita obliterant memoriam tuam in omni loco præsentiae, & reverentiae, quàm te venerari obstringuntur. Suffundatur pudore mea lingua ob verba, quæ coram te effutivit; meæ manus afficiantur verecundiâ pro eis, quæ in tua præsentia patrarunt. Non sim ego ex illis, qui dicunt, *Non videbit Deus Jacob*; potiùs in illis reperiar, de quibus scriptum est; abscondes eos *in secreto vultus tui*, ut eos eripias ab hominum contradictione. Cupiam imitari te, ô sanctissima Christi anima, cujus maxima veneratio ob altissimam unionem, quam cum Deo habes.

C A P U T V I I.

Ut anima Christi Domini gratias eximias habebat, Deo hominum vice ob amorem, quo illos dilexit; in liberi arbitrii libertate eis relinquens tot utilitates, & commoda?

27. **D**omine, quis est homo, quem ita meministi? Quid in eo reperisti, ut tot, & tanta ei crederes, ut in ejus manibus collocares inferiora hæc omnia creata, imo & multa dona gratiæ, sciens, quàm parùm ei fidendum? Cur, Domine tradi-

disti claves illi, qui hostibus sicuti speculator, & index futurus erat in arce; & custodem assignasti ipsum furem? Quis nisi tu, (misericordia, & bonitas infinita,) hæc ita disponderet? O anima sanctissima Christi Domini quàm ingenti gaudio perfusa fuisti, quando in æterno Verbo tibi fuit manifestatum beneficium collatum, & gratia facta hominibus, in eorum manibus positis suis emolumentis, & utilitatibus? Jure optimo, Creatoris nomine sic creaturæ potest objici; quid amplius eo, quod feci, exequi debui? Quid tu peteres à me majus eo, quo ego te donavi non postulantem? Quid ingentius valuit tuus animus exoptare, quàm desiderare tua commoda gratis tibi donari? O filii hominum, si perpenderetis labores, quos patimini, nisi teneatis in vestris animis arctissimè quod desiderari debet? Cur vos continetis ab exhibendo incessanter gratos vosmetipsos, cum meam gratiam promoveam vos ad veram felicitatem, & vestram æternam salutem? Nam petentibus, & laborantibus ut oportet, mea gratia non deerit; ob idquæ pauperes sublevate, alite famelicos, vestite nudos, viduas defendite, & his peractis, venite, & arguite me; invenietis esse propriam felicitatem in vestra voluntate, dummodo hæc uti rectè velitis. Quantum amorem ostendi vobis, cum hæc fui largitus humano generi? In qua continua gratiarum actione debetis idcirco permanere? O beatissima anima, quas gratias æterno Verbo referebas, ob tam singulare, & tam excellens beneficium? Quàm tibi consonum videbatur omnem tuam libertatem resignare in manibus illius, qui eam tibi concessit, nullam hujus vitæ rem usurpando, nisi juxta Creatoris beneplacitum, restituens ejus manibus conformitate perfectissimam, quod tuis commisit? Quàm tibi jucundum erat frui liberi arbitrii potentiâ ad Creatori offerendum singulis momentis, quod ab illo acceperas? Quantum laudaris ab Angelis, & aliis Sanctis propter diligentiam mirabilem, quam navasti rectissimè utendo hæc potentiâ? Tuis meritis, Redemptor, & Domine mi, impetrem, meo arbitrio bene uti, imitans prout valeo, tuam gloriosissimam animam; reddens tuis manibus, quod in meis collocasti. Quàm justum est me in tuas meipsum conjicere, siquidem tu te tradidisti tuorum inimicorum manibus propter me indignissimum peccatorem? Quid difficile occurreret, quod ego non ponam in tuis cum resignatione integra? Ut hoc fiat, Domine, tu, qui donasti nos libertate, teneas illius gubernaculum; rege, & gubernam eam;

fac obtemperantem illam tuæ manui, & voluntatis & ne permittas me convertere in perniciem meam, quod ad meam utilitatem à te fuit constitutum; ne sit mihi mors, quod concessum fuit ad vitam; alliga, Domine, meas manus, ne eis consciscam mihi mortem; ne libertas mea fiat servitus. Quis est, qui te tradidit suis inimicis, nisi ego? Quis carnifici subjecit caput spontaneè, nisi ego? Terræ Reges solent abrogare privilegia abutentibus eis; quia justè illis merentur privari; ita æquum est, Domine, ut libertatis privilegium, quod mihi concessisti, tibi resumas, cum tam iniquè eo sim usus. Spontè id tibi trado cum mea voluntate. Tu enim retinebis eam in tuis manibus, & ita ego immunis ero meis; & tuis commissus spiritum meum consolabor, & nihil timebo, quia nullus audebit me à tuis manibus abducere, si illæ me teneant, & defendant. O Domine, fac mihi hanc gratiam, ut eâ adjutus arbitrii libertate merear optimè uti. Tuâ ope tam utilis sit mihi paupertas, quàm divitiæ; ut in ægestate proficiam patientiâ, & tuæ indigentiae imitatione, & in abundantia in proximos charitate, omnia impendens in tuum divinum obsequium: ita omnia etiam detrimenta feliciter cadent, & ex luto aurum depromam, ex infirmitate salutem, & ex labore requiem, & voluptatem. Hanc à tua manu acceptam suppellectilem, ne patiaris à me labefactari, & perdi, aut in pravos usus converti rem tam proficuum, & sublimem. Quod si enim id efficiam, stultior erò filio prodigo, qui dilapidavit sua bona. Ne ita eveniat, Domine, alliga meas manus, ut illis non malè utar, & fiam propter mea peccata dæmonis mancipium. Ita meam libertatem gubernam, ut tuâ dexterâ eam regente, dignus sim Angelorum in cælis consortio. Amen.

Meditationis puncta?

28. Primo loco considera, ut Christi Domini anima cognoscens in Verbo æterno amorem, quo Deus prosequutus fuit homines, ineffabiles gratias ei agebat pro beneficio accepto, compensans hominum ignorantiam, & inscitiam, quatenus tradebat integrè, & perfectè suam libertatem illi, qui eam ipsi tribuit, dicens: *Non sicut ego volo, sed sicut tu?*
29. Secundo loco recogita, ut imitari debuimus hanc animam sanctissimam, collocantes in Christi manibus nostram libertatem, eò quòd se tradiderit pro nobis inimicorum suorum manibus. Contemplare, ut deberemus recognoscere hoc tam suave, & ingens beneficium, si voluissemus illo rectè uti. **Nostrâ libertate omnia pro-**

bè usurpantes, eliciemus commoda ex paupertate patienter tolerata, & ex divitibus in pauperes erogatis, & sic ex cæteris rebus. Itaque in nostra est potestate divinâ gratiâ favente, (quæ numquam deficit operantibus quod in se est) lutum in aurum mutare, & depromere ex infirmitate salutem, & ex cruce, & labore requiem, & voluptatem.

Tertio loco meditare, ut reputetur vesanus, qui semel in se convertit ensẽ, et si non nisi levissimè se feriat: sed quanti faciant se peccatores, cum sint, qui propriis manibus se interficiant, passim malè utentes arbitrii libertate, peccatorum ensẽ; qui eligunt, & malunt mortem pati æternam in inferno, quàm frui in cælo vitâ beatâ: & cum pauci, aut nulli reperiantur, qui magis voluerint esse agricolæ, quàm reges; maximâ tristitiâ nos debet afficere, tot inveniri, qui malunt esse in inferno satanæ mancipia, quàm se videre sicuti Dei Angelos in gloria.

Colloquium.

Justum est, mundi Redemptor, & Servator, me collocare meum animum, & libertatem in tuis manibus, siquidem tu sciens Patrem æternum omnia in tuis manibus posuisse, & ab eo te exivisse, ante missionem sancti Spiritûs, commendavisti te in Patris manus, ut tuo exemplo traderem ego meum spiritum, meam libertatem, & voluntatem tibi; si tibi non me dedo, cui me tradam? Aut si creaturas non ad te dirigo, ad quem eas dirigam? Cesset jam meæ libertatis abusus, ne vitium rem adeò pretiosam; accipe illam eo amore, quo me ea donasti, ut perinde, ac ab Angelis laudaris ob beneficia in me collata, merear te æternis præconiis cumulare, reddendo tibi integram meam libertatem, & adimplendo in omnibus, & per omnia tuam sanctissimam voluntatem?

Prima hebdomada finis?

Quamvis dictum sit in præfatione convenire ad majorem profectum nos immorari aliquibus diebus in singulis his meditationibus; quia tamen sunt aliqui; qui non tam aptè applicantur ad eas repetendas, ut omnibus consulamus, congruum erit in septem capitibus præcedentibus, septem hebdomadas impendi. Non est tamen nostra mens ulli assignare dies, horas, menses, sed omnes assequi fructum abundantissimum. Quod si aliqui voluerint quotidie se exercere in unaquaque meditatione, habent in antepositis integræ hebdomadæ exercitium; & si sequenti, eis non fuerit jucundum eadem reiterare, poterunt continuare septimanam sequentem cum sequen-

sequentibus meditationibus, in quibus ipsarum tantum articuli scribentur additis colloquiis. Juxta jam dicta omnes per se sciant meditationum summam extendere, ex illis elicientes animæ Christi imitationem, & animorum suorum confusionem, licet diversimodè ad ista universa hæc colliment, quæ habentur utilissima. In his enim includuntur duæ altissimæ, & necessariæ cognitiones, scilicet Dei, & nostri.

CAPUT VII.

Incipit secunda hebdomada Dte Dominicæ.

33. **P**erpende primò, ut Christi Domini anima præter visionis beatificæ gaudium, quo fruebatur ob ingentem erga Deum amorem, quem magis diligebat, quàm seipsam, mirè delectabatur eo omnino, quod in æterno Verbo videbat, Deum sibi proponens incomprehensibilitatis mater, cujus comprehensionis nulla creatura est capax. Unde si multum voluptatis percipiebat ex visione, gaudebat etiam eo, quod non comprehendebat, duplici perfructa gaudio, nempe cogniti, & incomprehensibilis.

34. Secundò, considera, uti debemus imitari hanc sanctissimam animam secundum nostrum captum, tam in eo, quod intelligimus ad fidei Catholicæ mysteria attinente, quàm in illo quod nos fugit, & excedit nostram intelligentiam, æquè gaudentes nobis manifestatis, & non manifestatis. Si ira egerimus, valebimus aliquo signo conjectare, nos collocavisse in Deo gaudium nostrum sincerè, & veraciter, & nos non esse curiosos Majestatis scrutatores, quorum stipendium est separari à gloria.

35. Tertio contemplari debeo, ut ob meam vanitatem nitenti propriis mentis viribus fuit mihi tristitia, & amaritudo, quod futurum erat oblectamentum, & dulcedo si amore defæcato Deum diligerem. Hinc evenit, cum non intellexerim plura fidei Catholicæ mysteria, quamvis perceperim, quod ad salutem sufficit, mansisse (quod magna infelicitas est) tepidum in re divina, aut saltem non cum debita quiete, & pace; cum certissimum sit pariter mihi gaudendum cognito, & quod me præterit. Sed quia volui metiri meo intellectu quod immensum est, deprompsi dolorem ex eo, quod me affecturum erat jucunditate, & majore spirituali gaudio in Domino. Hoc mihi non accideret, si sanctissimæ Christi animæ imitationi me mancipavissem.

Colloquium.

Satis ostenditur, ô sanctissima anima, Deum à te diligere puro, & humili amore, 36. cujus radices magis fixæ sunt in Creatore, quàm in teipsa, quatenus gaudes visis in Deo, & eis, quæ in eo non comprehendis. Mira affecta voluptate consideras, ut ejus excellentiæ, & attributa sunt incomprehensibilia, & ut rudes sunt Angelorum, & hominum mentes ad navigandum illud pelagus tam immensum, & profundum: ita ex æquo sunt tibi grata, quæ vides, & quæ non comprehendis, quia in Deo magis visis, quàm in teipsa: & ut Deus magis se oblectatur, ita ipse te magis delectat, quàm tu te ipsam. Nam te non tibi amas, sed Deo. Imitare, anime mi, amoris puritatem hujus animæ sanctissimæ. Ne, Domine, permittas ex mentis meæ curiositate me elicere dolorem, & laborem, unde extrahere debeam amorem, & tranquillitatem. Ne sit mihi mea mens vexationis causa; gaudeat eo, quod intelligit, & eo, quod illi velatur, se submittens fidei Catholicæ obedientiæ. Hæc enim ratione inveniet pacem, & consolationem in utroque.

Die Lunæ.

Primò, considera ut Christus Dominus 37. venerit renovaturus Dei imaginis similitudinem, quam peccato Adamus deleverat; ut secundus Adamus vivificaret, quod primus extinxerat; unde videns Adam inobedientiam, factus est obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis; & pendens nostros primos parentes affectavisse esse ut Deos, scientes bonum & malum, ut huic superbiæ mederetur voluit haberi opprobrium, & plebis abjectionem, & dici de se esse vermem, & non hominem; & quoniam Adam renuit suam Evam contristare, quæ erat caro ex carne ejus deprompta, sanctissima Christi anima secundum partem inferiorem, ita affectit carnem suam mœrore, ut diceret, *Tristis est anima mea usque ad mortem.*

Secundò, pondera, uti debemus imitari 38. hanc animam gloriosissimam, renovantes in nobis, quod vetus homo destruxit; & ad id comparandum examinare vitia, quæ magis nobis officiunt, ob quæ sæpius in nobis deleta fuit Dei similitudinis imago, ut eam restauremus ad exemplum nostri secundi Adami, siquidem in illo reperimus omnium virtutum exemplar, unde sumamus contra nostras pravas cupiditates remedia. Ita sequemur Apostoli consilium agentis, nos debere ferre cælestis Adamæ imaginem, ut antea portavimus terreni. Tertio meditare, quàm aliter te gesseris,

iii 3

cum

cum officium tuum fuerit statim delere, quod per confessionem, pœnitentiam, & orationem instaurabatur in tuo animo; perinde operans, ac si tuum institutum esset nullum aliud, nisi bestiae imaginem in te delineare. Ob id nisi te corrigas, merebis in mortis die sic interrogari à iudice; Cujus est imago, quam expressam habes? Non enim eam agnosco, cum tu non me recognoveris; & siquidem insignitus es bestiae imagine, tradatur bestiae, quod suum est.

Colloquium.

39. Adame caelestis, renova in me, quod meae manus denigrarunt, ut avulsâ à me inobedientiâ, tuorum praeceptorum in me etiam obedientia plantetur; & exinaniens meam aestimationem propriam, intelligam me esse sicuti vas perditum, & pertusum, ex quo diffluit omnis bonus liquor, quem in id effundis. Cognoscam me nihil coram te esse; largire mihi gratiam, ut meam carnem macerem, & ut hâc confusione spiritus meus gaudeat. Ne permittas à me Spiritum sanctum contristari, qui per amorem nobis datus est; sat est datum veteris hominis imagini portandæ; cognoscam ea, in quibus potissimum oblitus sum tuae imaginis similitudinem, ut illa magis desiteam, & detester, & adhibeam majorem medicinam eis, quibus majus nocumentum inest: ne quid tradatur bestiae, sed potius Deo reddatur, quod Dei est: & quia tuus sum per creationem, & denuò me tibi vindicasti per redemptionem; tribuatur Deo, quod suum est, ut in tua aeternitate sine termino animus meus te laudet. Amen.

Die Martis.

40. Contemplantur primò, ut Christi anima gaudio perfundebatur videns in aeterno Verbo, praepratas, & dispositas dotes à constitutione mundi ad suum creationis momentum; maximam voluptatem capiens ex elegantibus, ac nitidis apparatibus, qui ad suum in orbem adventum dispositi erant, & ex rebus, quas Prophetæ in eam rem fuerunt vaticinati.
41. Secundò, considerabo, uti debeo imitari hanc sanctissimam animam, gaudens pro mea exiguitate rebus, quas mihi Dominus decreverat ante meam creationem; intuens praepruè cælum, & quod in eo continetur, & simul illa, quæ omnia superant: nempe Ecclesiae Sacramenta, per quæ Dominus in procinctu est ad se mihi tradendum, si eum excipere velim: uti praeprata etiam est gloria, cælo aperto per Christi sanguinem, nisi ei resistam mei cordis duritiâ. Præterea considerare debeo, quòd de justis dictum est, & honorem, quo

in Scriptura illi decorantur. O si dignus existam inter illos numerari, qui praeprantur ad aeternitatem gloriae.

Tertiò, meditabor, ut debeam erubescere, videns, quàm obiter consideraverim res, quas Dominus pro me egerat, & ut eis gratitudinis loco abusus fuerim in tantæ majestatis offensam.

Colloquium.

O lux vera, quæ mundum illuminas! largire animo meo cognitionem, ut intelligat voluptatem, quâ sacratissima tua anima fruebatur videns apparatus in diem, quâ ingressura erat in orbem; in quo manifestabatur decus, pompa, & jucunditas, quæ cedebant ad eò in Creatoris honorem. O anime mi, si meruisses his vestigiis insistere, aliquo modo perpendens, quod Deus tibi paraverat! Ad tuum domicilium, & cubile data fuit terra, Solis claritas ad tuum visum, epulæ exquisitissimæ ad tuum palatum, & quod majus est, nuptialis vestis in baptisate, & Sacramenta ad tuos casus, & lapsus reparandos. Super hæc habes gloriam praepratam, & cælum per Christi Domini sanguinem apertum, nisi iterum illud claudis tui cordis duritiâ. Gaude igitur amore, quem in his tibi ostendit tuus Creator, ut tibi libeat in eo spem tuam collocare, & te pudere, quod tam cæcus sis in tantorum beneficiorum compensationem. Non advertis ea, quæ coram te proposuit, & ut tibi famularentur, praepravit. At si fortè aliquando ea consideras ob tuum commodum, non ob ejus obsequium eadem recolis. O quantum ad commiserationem commovet, videre famulum ad eò rusticum, & inurbanum calcare coram hero dona pretiosissima! En anime mi, res, quas coram te Dominus ponit; En dona, quibus te Deus muneratur; & cum omnia Deus apparavisset tibi, antequam fuisses; tu ea in ejus contemptum negligis, impudenter rependens pro concessis tanto amore ingratitudinem, & incivilitatem. Væ mihi, Domine, nisi animadvertam accuratè, quæ te diligentibus parasti, & hâc consideratione tuam sanctissimam animam imiter.

Die Mercurii.

Primò contemplantur, ut Christi Domini anima vidit in divino Verbo in momento suæ creationis omnes homines præteritos, præsentis, & futuros, usque ad mundi finem; & statim pro omnibus Deum rogavit, offerens suam vitam præpruè pro præpratis quantum ad efficaciam, & pro præpratis quantum ad sufficientiam, non omittens parare ex sua parte præpratis omnia media, quæ ad eorum salu-

salutem sufficiebant, si non ponerent malæ voluntatis impedimentum, licet sciret certâ scientiâ, illos à mala voluntate non recessuros.

45. Secundò meditabor, ut debeam imitari hanc animam sanctissimam offerendo ipsi meos labores pro proximis, sequens apprimè in his ejus vestigia me docentia. Quoniam si Filius Dei sciens, qui essent præsciti, pro illis tamen laboravit, parans media ad eorum salutem; quantò magis agnoscendum mihi, me debere hoc exequi nescientem, qui sint, vel qui non sint, & non debere cessare à Deo rogando pro hominibus, offerentem pro illis meos labores, cum sperem media à me exhibita, illis divinâ gratiâ profutura. Christus sanè certissimè sciebat sua illis non profutura ipsorum culpâ, & tamen ea non omisit præparare.

46. Tertiò recogitabo, ut ob meorum judiciorum temeritatem, & cordis mei duritiam, si semel aliquis à me correptus, vel reprehensus non emendetur, ejus correctionem desperem. Unde fatigor bona consilia præbere, & proximis juvandis operam navare, veluti certissimè cognoscerem illos esse præscitos. Hoc me pudore suffundet perpendentem Christi animam, cujus scientia in divino Verbo erat infallibilis, pro minimè se latentibus præscitis non prætermisisse fundere preces, aut mereri, & media applicare ad utilitatem eorum, quantum ad sufficientiam.

Colloquium.

47. Quis agricola est, qui serat sciens certò se non collecturum esse fructum? O anima sanctissima, ó Filii Dei sacrosancte, non te fugit non profectura esse multis tua jejunia, flagra, spinas, labores, & ipsam mortem præscitis; & tamen feminas, tellurem colis, & aras, adhibesque diligentiam, perinde ac scires messem responsuram esse tanto sudori; siquidem quoad sufficientiam pariter effudisti sanguinem pro præscitis, & pro prædestinatis quoad efficaciam. Abundè Domine justificaberis cum veneris judicare, potens exprobrare malè utentibus tot beneficiis: quid ulterius debui facere, quod non fecerim. Ex his, Domine, capiam exemplum, ut te rogem, ut laborem pro omnibus meis proximis; nam cum mihi non revelaveris, qui sint præsciti, largiris mihi vires, ut animum non despondeam, & ut seram non destitutus spe fructus. Satis tuam ostendisti misericordiam in non detegendo mihi hoc arcanum; quoniam si tam tepidè operor, etiam illud nesciens, quantò remissius operarer, si scirem meam curam illis non pro-

futuram? Infundas, obsecro, tuæ immensæ charitatis vel unicam guttulam in cor meum, ne meâ duritie abjiciam spem omnem de proximorum profectu; ne tam citò deficiam in eos juvando; ne detrectem aggredi, & inchoare sationem spiritualem in illorum animis, diffidens fructui; quia hoc meam malitiam redoleret, non tuam bonitatem; veteris Adæ naturam saperet, non novi Adami misericordiam?

Die Jovis.

Primò meditabor, ut Christi Domini animæ videnti manus suas, pedes, &c. tria inter alia dolorem afferebant: primum, cruciatus ingens, quo afficiebatur, ponderans, ut illæ manus, & pedes affigendi erant Crucis ligno: deinde consideratio solutionis, quam præstituræ erant eadem manus pro generis humani operibus, & ejus pedes pro omnibus gressibus, quibus homines aberraverunt, & aberraturi erant: hoc enim onus tam grave ejus humeris injunctum erat quoad satisfactionem: hujus rei meditatio ejus cor vehementer contristabat. Et tandem hominum ingratitude, ut homini acriter dolebat, & ut Patri filiorum inobedientia, & ut fratri fratrum protervitas, & ut animorum sponso illorum infidelitas; quia homines non æstimabant ejus manus eorum redemptionem, & reconciliationem operantes, nec ejus pedes peregrinantes pro eorum remedio; nec amorem, quo erga eos elucebat. Itaque hæc tria illi magnum dolorem incuriebant.

Secundò, cum video meas manus, & pedes sine clavis, videns Domini affixos eis, tristabor; dolebo etiam de meis operibus conspiciens meas manus, de quarum flagitiis lugendum mihi haud exiguo mœrore propter tormenta, quæ pro illorum satisfactione Christus tulit.

Tertiò dolebo de mea ingratitude, eò quòd non attendam ad Dei manus, & beneficia in me collata, me tolerantis, vocantis, indulgentiâ allicientis, amore corrigentis, suaviter me monentis, & reliqua, quibus me muneratus fuit, & per singula momenta muneratur; ob idque ejus sacratissimam animam cupiam imitari in tribus prædictis.

Quartò meditabor, uti horum cruciatuum loco, (quando cerno meas manus, & in memoriam revoco illa, quæ illis sum operatus, scilicet vindictas, & alia similia) percipio potiùs voluptatem, quàm dolorem, nec minore afficior gaudio meas manus intuens immunes tormentis, clavis, & doloribus; unde proculdubio maximè vexarer, si obnoxias eas laboribus viderem.

derem. Considerabo insuper, uti oblivioni tradens Dei opera, in meum emolumentum facta, utor creaturis, perinde ac manus meae eas fabricatae essent, oblitus Domini manus me creavisse, & formavisse, & me veluti fuisse clavos ad figendos ejus pedes, & manus, dum non recordarer poenas, quas pro meis criminibus tenebar solvere.

Colloquium.

52. O Domine, siquidem manuum, & pedum tuorum visio, fuit gladius cordi tuo, sit etiam id ipsum meo, cum ego tui doloris causa fuisset. Transfigat meum cor, pedum & manuum mearum conspectus, sentiente meo corde quod in tuam offensam feci: non ita sit me pro mea duritie ad summum redacta perfundi oblectamento ex iis rebus; quas crucis loco reputare deberem. Ut mei oculi fundant abundantem lacrymarum imbrem, sufficiat eis sibi obijcere meas manus; nam si attentè inspiciam eas, reperiam earum facta sufficientia esse, ut incessanter defleam. Cum fuerim tibi Crux, & tormentum, justum est, quod mihi sim cruciatus; & cum mihi gladius fuerim destruens tuam in me munificentiam, sit etiam mihi doloris gladius peccatorum meorum memoria; & ita, quod erat meum incommodum, vertatur mihi in utilitatem; & tua bonitas, (ut solet) eliciat ingentia bona ex meis innumeris malis, quia misericordia tua est super omnia opera tua.

Die Veneris.

53. Primò ponderabo, ut Christi Domini anima suis meritis impetraverit omnia bona opera, quae facimus, disponens nos ad illa per media aptiora ad finem intentum: ideoque delectabatur omnibus bonis, quae videbat divinam bonitatem decrevisse hominibus. Adhæc, videns nostram incuriam, & socordiam de illis dolebat, & continuò pro illis satisfacibat, ita ut gauderet semper de nostra utilitate, & sentiret nostrum damnum.
54. Secundò contemplanor, ut remanserimus ob id constricti, cum aliquod bonum opus facimus, ad illud referendum ad Redemptoris merita, existente nobis jucundiore ejus misericordiâ, & bonitate, propter eum, quàm propter nostram utilitatem: ita etiam, quando aliquod peccatum committimus, debemus statim dolere de injuria, quâ eum afficimus, sentientes magis cruciatum, quem ob delictum nostrum passus fuit, quàm poenas, quibus peccantes subjacemus.
55. Tertiò meditabor, ut ingratum me exhibeam in talis beneficii cognitionem,

quatenus de bonis operibus inutili gloriâ efferor; & mihi tribuo, quod Christi est; & delector meo commodo, cum ob ejus honorem deberem gloriari. Adhæc, uti ex malis operibus loco doloris, voluptatem exhaurio, & jucunditatem, cum consonum esset, ex illis amaritudinem depromerem; unde fit, ut omnia in meum detrimentum convertantur: nam de bonis extollor inani fastu, & de pravis voluptate, & oblectamento.

Colloquium.

- O Domine, si ego semper ad te clamarem, ut hirundines, quæ in nidis morantur! nam si aliquid boni operor, ex tuis meritis dimanat; ideoque teneor statim gratias tibi referre propter beneficium acceptum; & cum in aliquam dilabor culpam, statim sentire, quod tu ob mea flagitia sensitisti, recordatus lacrymas, quas fudisti, & gemitus, quos ex corde duxisti: sed vae mihi, qui non doleo me causam fuisse tuarum poenarum; nec in te gaudeo de rebus, quas tibi placitum fuit mihi impertiri, comparatis tanto tuo dolore! infelicitas magna erit, nisi te mihi semper proponam, ex utroque commodum capiens; sed cum meis flagitiis sim improbus, solatium erit dolorem sentire propter illum, quem tibi conflavi: hæc ratione ob tua dona demittar; humiliabor, & gratus evadam; & ob mea flagitia pudeam, & dolebo. Si enim dolore concutiar vero, eoque quod te offenderim contrister, merebor gaudere tuis meritis, & eo amore, quo me tot & tantis donasti muneribus, perfrui.

Sabbatho.

- Primò considerabo, ut Christi Domini anima voluptate afficiebatur ob divinam potentiam, siquidem nihil est, quod moveri possit, quin ab illa moveatur: itaque in universis intuebatur Creatorem, cujus potentiâ, & manu ea fiebant. Unde illi cernenti in eis semetipsam jucunditas erat, & gaudenti suavitas; suppeditabant illi, creatorem laudandi occasionem. Præconio dignissimo lætabatur, & ex utroque tale gaudium capiebat, quale, nec Angelorum, aut hominum lingua exprimere queat.

- Secundò ponderabo, ut debeamus imitari hanc animam sanctissimam, aspicientes Dei opera in creaturis, & his utentes veluti libello ad memoriam Dei potestatis, & magnitudinis. Si enim flos emittit odorem; quid est hic odor, nisi exiguum indicium Creatoris suavitatis? Si arbor crescit, & ignis omnia consumit, & aqua communicat aridis vitam; quid aliud intendunt nisi manifestare per effectus, forti-

itudinem, & opera Altissimi? hinc nascitur nos intuentes res, quæ ex naturæ viribus fiunt, conspiciere in eis posse ostentationem ipsius virtutis, ac potentiæ.

58. Tertio recogitabo, ut ob mei cordis duritiam, & ob considerationis defectum, non solum non memini Deum in rebus, quas video fieri ipsius divinâ potentiâ, sed etiam distrahor adimens mihi attentionem; ut non intuear illa, quæ præcipue ab ejus manibusveniunt. Unde ob pravam meam consuetudinem Dei oblivio eripit mihi memoriam eorum, quorum deberem meminisse. Obliviscimur causam primam ob intentionem, quâ causis secundis incumbimus, indormientes meditationi Dei potentiæ, quâ omnia fiunt; ferè attribuentes soli naturæ, quod Creatori tribuendum est; usurpamus res, sicuti ab hominibus essent factæ; & in illis tantum laudibus extollimus humanam industriam, aut artificis manum, qui eas fabricatus est. Et ut de me dicam, sæpius ubi aliquo ab hominibus dono afficior, non me obligatum præsto nisi ei, qui illud mihi tribuit, despiciens considerare Domini potentiam, sapientiam, & bonitatem in omnibus, quæ meis oculis objiciuntur, & recipio ex ejus manibus. Itaque ob exteriora, & quæ mentis visui patent, interiora prætereo. Ob creaturæ opus mitto nuntium Creatoris operi, negans quodammodo gloriæ divinæ, quod illi debetur, & creaturæ arrogans, quod illius non est.

Colloquium.

59. O quam magnifica sunt opera tua Domine; rectissime dictum est, te in illis complacere; & cum verum sit, unumquemque operari secundum exemplar, quod habet, à te incomprehensibili, & omnipotente, qualia tua opera erunt? Si talis est aqua, qualis erit fons, à quo exundat; qualia erunt facta ex tuis manibus prodeuntia? Felix, qui meretur imitari tuam sacratissimam animam, & qui proponit sibi eam ad exemplum, ut sciat te in omnibus tuis operibus laudare, & tuam potentiam in illis magni facere, & sibi proponere æternæ tuæ sapientiæ in illis perpetuam recordationem. Sed heu mihi, qui cum in omnibus illis aspicere possim tuam manum, solum meam intueor; & cum tuam potestatem laudare debeam in opere, exopto meæ industriæ plausum dari, veluti si mihi vis esset ad bene operandum sine te. Conor inventionem, & dispositionem, perinde ac si à te non primam originem traheret. Itaque ut meas manus contempler, non video tuas; & idèd mereor, ut creaturæ quæ debebant esse mihi memoriæ liber tuæ

magnitudinis, sint mihi oblivionis causa; ut mutantur in gladium, & in amaritudinis calicem cordi meo. Ne res ita se deinceps habeat, propter temetipsum te oro, Domine; sed recordans me esse tuarum manuum facturam, ne projicias à te earum opera; potiùs digneris gaudere eis, utpote quæ sunt tua; & siquidem ex istis sim, te oblectet me creavisse; & ego delecter, quod factus tuis manibus sim. Gaudium meum sit in te, in quantum sum tua creatura, & tibi voluptas sit, quatenus Creator meus es. Intuear ego, quæ in me operaris, ut desistam cernere omnia mea, quæ indigna coram te videntur: & ita te reperiens in omnibus rebus, & in illis te laudans, dicam cum Propheta; *Respice in servos tuos Domine, & in opera tua, ut sit splendor Dei nostri super nos, & opera manuum tuarum dirige super nos*; Cum omnia bona opera sint, quæ à te nascuntur, qui super omnes benedictus es, & exaltatus in seculorum secula. Amen.

TRACTATUS II.

Triam potentiarum animi exercitium, in quo agitur de ornatu eum preparante, ut sit verum trium personarum divinarum domicilium, & habitaculum.

P R Æ F A T I O.

Terra deperdita est, (dicit Dominus, 60.) quia non est, qui recogitet corde. Quis dubitet, quin si inveniretur, qui ponderaret animi, ejusque potentiarum excellentiam, is ommitteret ob earum considerationem, & pretium, videre sensuum propria, cum universis, quæ ad illos pertinent; quia hi tantum ab illis discriminantur, quantum caro à spiritu: nam si benes trutinamus, non in sensibus est adèd Dei similitudinis imago, ut in animi potentiis, quæ creatæ fuerunt, ut sanctissimæ Trinitatis domicilium essent, juxta quod noster Servator aiebat; Ad illum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Cum hæc ita contingant, dolendum est, quantum impendamus hanc corporis nostri imaginem decorando, obliviscentes nostri animi interioris pulchritudinis. Res certè esset magni momenti, si adhiberemus eam diligentiam ornando animo, quam navamus corpori poliendo. Sed vae illi, qui diligentissimus in hoc, in altero negligentissimus est. Quid est, non posse tolerari os denigratum labe, quantumvis levi, & nihili fieri Dei imaginis similitudinem deformem, & deletam esse in nostris potentiis?

K k k

Quis

Quis erit, qui libentiùs præbeat carnifici caput, quàm pedis digitum? Quis tam vecors erit, qui non offerat se aliquali vulnere potiùs, quàm pati tantillum violari animi imaginis similitudinem.

61. O quàm mendaces sunt Adami Filii in mensuris, siquidem lutum anteponant auro; mortaleque & caducum, & quod transit, immortalis, permanenti, & æterno. Vefanus reputabatur filius prodigus, quia dilapidavit terrenam substantiam; quâ re adactus fuit siliquis vesci, & porculatorem agere; ô quantò amentior est, qui vendit animi sui bona, & Dei imaginem in ea delineatam sensuum voluptatis pretio, ut paulò post necesse sit perire fame, non glandibus ali, (quæ non foret fors tam incommoda,) sed à mortè devorari, ut inquit Propheta, *Mors depascet eos!* O Filii hominum, si intueremini, qualis estis cum in vobis denigratis Dei similitudinis imaginem; quomodo vosipfos evitaretis? Quomodo non possetis sufferre vosmetipfos? Quomodo formidaretis simul in uno habitaculo vobiscum ipsis commorari? Nam bestiae imago horrida, & terribilis territat aspicientes, & omnibus terrorem incutit, qui cum illa habitant. Utinam peccatores se viderent, qui sunt sepulchrorum instar de foris. Quàm venusti, culti, & ornati apparent? Sed intus nihil est, nisi mortuorum ossa foetida. Utinam angerentur diligentius de polienda, & decoranda trium divinarum personarum habitatione, quàm de venustando foris quod oculis patet tanto animi detrimento. Ne hæc corruptela ulterius progrediat, amice, nec in illis computemur, quorum imago in nihilum redigetur; sicuti de peccatoribus dicitur: potiùs attendamus, quale domicilium futurum sit bene operantibus; perpendamus, quanti ponderis sit hæc res: finis enim nostræ creationis, nostræ redemptionis labores, glorificationisque nostræ spes ad illam collimant. Consideremus nihil nobis prodesse terræ dominos esse; nihil profuturum, quamvis stellis, Lunæ, & Soli dominemur, si Deus in nobis non inhabitet. Da, nos esse nive candidiores, & Sole fulgentiores; nihil est, si illum non possidemus. Exerceamur ergo in adornando has tres potentias; quod fiet, si ut sequitur, operemur.

C A P U T I.

Preparatio ad auspicandum hoc exercitium.

62. **M**Oysi volenti videre illam visionem grandem, jubetur, ut calceos exuat, ut intelligatur affectus nudos, & mundos

debere esse ad Regem cælestem contemplandum. Inchoaturo hoc exercitium prius convenit sensuum macerationi invigilare, & se mancipare diu meditationi, & imitationi Christi Domini; quia fur est, qui per istud ostium non intrat. Qui nescit adhuc subdere suos sensus, aut eos rationi subicere, cum sint visibiles, & corporei; quomodo animi potentias, quæ invisibiles sunt, subdet? Si cum peditibus iter faciens, (ut dicit Jeremias) fatigaris; quid erit de te, si cum equitibus cucurreris; hoc est, si agens cum tuis sensibus, nondum ad eorum cognitionem pervenisti, quâ ratione intelliges tuas potentias? Qui penetrabis tuam mentem equo velociorem? Qui calcabis tuam voluntatem, quæ jam contendit ad cælum, jam pergit ad terram? Quoniam plus est, ubi amat, quàm ubi est. Tractent ergo prius de sensuum maceratione, mediâ pœnitentiâ, & de imitatione Christi Domini, qui desiderant meditari magnitudinem, & excellentiam, quam in nostris potentiis Deus collocavit. Nam sine primo difficilè ad aliud gradus fit; & si qui eò pervenerint, subibunt non exiguum periculum fatigandi se citissimè, cum parvo profectu, nisi bonitas divina omnia suppleat, ut solet, miserens nostris debilibus viribus.

C A P U T I I.

De memoria quoad naturam suam.

SI satis comprehenderes, ô anime mi, 63. hujus potentiae excellentiam, & illius recordareris; non esses tam ingratus illi, qui tibi eam impertitus est; siquidem consideratâ illius naturâ, invenires in ea tantam vim, ut sufficeret ad non cessandum à continua in tuum Creatorem intentione. Quæ arca, quod cubile, quæ aula, quæ civitas, tot, & tanta capiat, quot & quanta hujus potentiae mirabile domicilium includit? In ea omnes herbæ, plantæ, lapides, stellæ existunt, quin spatium occupent, relinquentes locum sufficientem ad aliud tantundem; nam successivè ferè admittit hæc potentia secum infinita; quam ob rem maximè resplendet in ea, & ostenditur Dei imaginis similitudo. Si destitutus esses hæc facultate, quæ papyri, qui libelli sufficerent munerum humanorum pensis? Hæc deficiente, quàm parùm prodesse lecta, audita, & explorata usu, & experientiâ? Nam si de illis non recordaremur, quid nobis valerent? Unde æquè ad reparanda præterita, & ad cavenda futura, & ad providenda præsentia, in hac potentia insigni benefi-

beneficio à nostro Deo affecti fuimus. Dono nobis est inæstimabili, ut videtur ex illis, qui ob memoriæ defectum naturam humanam ferè exuunt, aded inepti negotiis procurandis. Quorsum hæc, anime mi? Ut cognoscas bonum, quod intra te est, & ne sceteris hæc visibilia, nec ab illis attraharis; sed potius pluris æstimes ea, quæ tibi insunt & non vides, quàm ea, quæ extra te conspicias. Si hæc homines perpendere, spernerent se sensibus subditos esse, & rerum specie tantum delectari, ut spiritualibus, & bonis, quæ intus sunt fruerentur. Estne ergo hæc potentia digna, quæ detur propter inutile pomum, aut aliquam ejusmodi rem vilem?

C A P U T I I I.

De memoria quoad supernaturalia.

64. **N**E alia argumenta desideres, anime mi, ad explorandam memoriæ nobilitatem, quàm illa, quæ desumuntur ex eo, quod tibi concessa fuerit, ut esset æterni Patris habitaculum. Nam inde elicies quale sit domicilium, quando animus noster adjutus, & delinitus divinæ gratiæ favore, meretur memoriam suam in Domino delectare, quæ voluptas, quæ suavitas potest esse major? O quàm excellens privilegium habent illi, quos tui, Domine, memoria delectat! Nam si rei amatæ præsentia oblectamentum secum affert; quale erit gaudium, & oblectatio, quæ ex tui memoria sequi possunt. Cæterum ea maximè deficiunt illis, qui in rebus caducis memoriam suam figunt; nam cum hæc transeant, minimè semper valent adesse, sed majore temporis intervallo necesse est ut absint, occurrentibus varijs eventibus. Unde amantium vanitatum memoria cruciatur, quia iis potius est crux, quàm gaudium sui amoris recordatio, talisque rei amatæ præsentia. Beati sunt, qui te recordantur Domine; cum enim tu in omni loco sis præsens, (ut Catholica fides docet) semper memoria repleri potest gaudio, & recipere mirabilia dona ex tua præsentia.

C A P U T I V.

Quid hæc potentiâ fecerim?

65. **H**Oc tam ingens bonum depravasti, anime mi, ædificans in tua memoria speluncam serpentium, & viperarum, cum illis te includens, & vivens cum maximo oblectamento. Cibus illarum eras,

tuâ culpâ te devorabant, & aculeis te pungebant; quæ major vesania potest excogitari? Hanc ipsi copiam tui, anime mi, fecisti, quando in memoriæ tuæ arca inclusus cum voluptate, in memoriam revocabas præterita flagitia. Quid enim hoc fuit, nisi liberè illorum manibus perire; tibi indulgere, quando mordebaris, & pungebarris ab illis avibus, de quibus scriptum est; *Devorabunt eos aves morsu amarissimo.* Considera, anime mi, finem, propter quem data fuit tibi memoria, & quibus tu illam exerceas. Pro salutis remedio Domino supplica, ut tibi concedat semitam mundam, & sanctam, quâ fugias à cubilibus, caulis, & speluncis, ubi ii dracones morantur; & roga eum, ne accidat te ædificare domicilium draconum, & scorpionum in tua memoria, cum creata fuerit, ut hospitio exciperet Patrem æternum. Eum ora, ut deleat in ea omnes peccatorum imagines, ut munda, & ornata sit habitatio hospitis tam mundi, & puri.

C A P U T V.

Quid factururus sum, quando bonorum aliquorum meminero.

66. **P**ostquam exceptus fuerit Deus dictâ ratione in tua memoria, vitæ munditiâ, & demissione incipies veluti ab initio, quasi fuisses denuò creatus, uti hæc potentiâ, eo fine, quo tibi concessa fuit; qui non alius fuit, quàm ut recordareris Dei, & ut oblectareris ipsius memoriâ. Ob id cum aliquid boni subit tibi in mentem, verbè gratiâ, mortis recordatio, ad illam dispositio, bonorum propositorum adimpletio; statim laudabis æternum Patrem, cum gratiarum actione, & dices; Dominus memor fuit nostri; & gaudebis, sicut si videres à Rege cæli missum veredarium deferentem felicia nuntia ponderis summi ad tuam utilitatem. Quare sicuti homines adhibent haud exiguam diligentiam executioni mandando illa, quæ à regibus imperantur, & injunguntur; sic ne desistas tu operari, quod à cælorum Rege, tibi est præceptum, & in memoriam revocatum. Unde quotiescumque recordatus fueris alicujus boni, illicò ad æternum Patrem confugas tuæ memoriæ hospitem, & inde ansam arripias illius in memoriam reducendi, hæc vel alia verba usurpans; ô hospes sanctissime, quid est homo, quod ita illius meministi? Quid in me reperisti, ut velis esse mihi sicut memoriæ libellus? Et ut excitator, ac stimulus mihi in mea incuria, & in mea oblivione recordatio; à me pro-

venit oblivionis infelicitas, & memoriae felicitas à te dimanat.

CAPUT VI.

Quid sum factururus, cum malum aliquod in mentem venerit.

67. **S**I aliquando, anime mi, aliquod malum tibi occurrit præteritum, aut præsens; ubi primum id adventare animadvertas, illud expelle domo, ne revertantur ad tuum habitaculum dracones. Fac, quod David monet; interfice in matutinis terræ peccatores; hoc est manè, nempe cum incipit malum obrepere, & menti offerri, id de medio tolle, & à te ejice. Caveas, ne iterum includaris cum viperis, & serpentibus; ne denuò patiaris morsus, quos illi parant; doleas de sceleribus tuis; Patrem æternum ora, ut puniat inimicorum suorum audaciam, qui conantur prorumpere in ejus Regiam; & ibi habitare, ubi domicilium divinæ majestatis jam est præparatum.

68. Si his clamoribus sublatis institerint fatigando memoriam per infelicitates, & tentationes hujus vitæ, eis responsum da; Cur me iterum recepturum esse vos putatis? si tempore, quo vos detinui, reliquistis domum detestandam, lugubrem, horridam scrupulis, & aliis calamitatibus; cur ingressum præteritis? Quid lucri, vel symboli offertis, ut recipiamini? Si post hæc non cessent molestare, non convenit illis ulterius respondere, nam hi carnifices solent non arbitrari se luisse operam omnem, cum in introitu nos irretiunt verbis, etiam si non ingrediantur: nam ex colloquio facilius est ad fraudem via; itaque in hoc conflictu optimum responsum est nullum, & irruentium oblivio, mentem in Deum elevantibus.

CAPUT VII.

Quid factururus sum, quando datus sum rerum celestium oblivioni.

69. **Q**Uando, anime mi, invenias tuam memoriam à Deo remotam, timeas, ne inter illos recensearis, de quibus scriptum est: *Viri mendaces, non erunt illius memores*: Expergiscere tunc, & confuge ocyus ad tuum hospitem benignum, & ei dic; *Memento Domine, quod sicut lutum feceris me, & quod vita mea sicut ventus sit, & transit ut flatus*; si absque tua memoria eam perago, quid illa, quantumvis longa, proficiet? Futura sine fructu non evanescat;

nam præterita dilapsa est. Adsit mihi tuæ creaturæ veluti memoriæ excitator, Sole tuam ostendente mihi claritatem, tuam lapidibus stabilitatem, fortitudinem leonibus; ita, ut omnia te mihi referant. Ne permittas me pati in memoria, quod non consentio in corpore: in ore non sino me inuri aliquo signo, & in memoria finam insculpi, & cælari universa, quæ libent meis inimicis, sicuti fuisset fatua vasorum papyrus, vel quasi nullum nocumentum mihi esset, tali abominatione, & cogitatione depravari?

Quomodo recordabor illorum, quæ ad me attinent?

Si homines aliis fidunt, & indormiunt suis negotiis, eò quòd aliis injungant, ut se revocent in memoriam rei agendæ, quantò magis mihi expedit meam fiduciam ponere in te Domine rogando, ut mihi suppedites, & proponas ad meam salutem attentiam, cum de te scribatur: *Non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël*; Te ipso asserente, etiam si obliviscatur mater filii sui, à te non è tua memoria oblitterandos nos, cum inscripti in tuis manibus simus: cum ergo, anime mi, fueris cupidus aliquid non obliviscendi, quod tuâ intersit; verbi gratiâ, negotium privatum; vel aliquod exercitium spirituale, cui vacaturus es; aut aliquam concionem, quam habiturus es; vel aliud simile; committe ea æterno Patri, ut suggerat dicendum, & faciendum, & modum, & tempus, quo ea executurus es. Illi fide; nunquam enim tuus vigil dormiet, neque illi excubias facere labor erit, cujus omninò est expers; trade illi tuam memoriam, si vis conservare illam; ei detur ut illam custodiat, & mirabilia experieris, si cum fide humili, & perseverantia persistas. Illi supplica, ut tuæ menti injiciat, quod tibi opus est, & ut ab illa rejiciat noxia, & inutilia; & videbis, & frueris, dilatabiturque cor tuum cognitâ tui hospitis fidelitate, & in te excitando diligentiam, providentiâ in opportunitate, sapientiâ in modo, bonitateque, & in monendo perseverantiâ: nam non semel, sed crebrò solet monere, excitare, suggerere: sed tu vix absolvis bonam operulam, vicies, vel tricies ab ipso commonefactus; & illa infinita bonitas assuescit tuam memoriam adigere, ut ab oblivione emergat, & tuæ utilitati, & commodo spirituali diligenter attendat.

Quomodo conservaturus sum hæc?

70. Condas tibi, anime mi, legem, si vis evadere faustè ex hac lite, quæ tuâ tantum intersit. Lex esto, antequam aliquam rem aggre-

aggrediari, propone tibi Deum ante te, hoc est, cum te manè incipis induere, hoc fac, considerans Deum non solum esse in cubili ubi es, sed etiam in stragulis, & in veste, quâ amiciris. Idem considera in mensâ, & in aliis occupationibus: assuecas etiam cogitare, quando loqueris, te à Deo conspici, & ipsum tua opera intueri, & hâc ratione venerabundus, & tremens eris coram tanta majestate. Perpendas tua verba, tuos cogitatus, & opera, & divina præsentia erit frænnum linguæ tuæ, & compedes tuis pedibus. Primum, quod dæmon curat, ut ei succumbamus, est dele-re in nobis Dei memoriam, & præsentiam; nam quis audebit eum offendere, si confide-ret præsentem? Ita ut ex hac oblivione oriatur nostri mali causa, juxta quod à Da-vide dicitur; *Avertisti faciem tuam, & factus sum conturbatus*; Ita ejus memoria nostræ felicitatis est origo, de qua item pronuntia-tur; *seculorum generatio est mei memoria.*

CAPUT VIII.

De intellectu quoad naturalia.

71. **S**I memoriæ excellentiæ sunt magnæ, non minùs admirabiles sunt intellectus præstantiæ; quia nihil est in orbe, quod sine ejus ope non sit infimæ conditionis; nec aliquid tam triviale invenietur, quod cum ejus industria non sit proficuum. Quis aliquo pretio emeret, etsi parvo simum? nostri sensus eum abhorrent, & declinant. Nam non est palato gratus, nec suavem odorem emittit, nec visum delectat, nec aliquâ ratione commendabilis videtur: solum intellectus, qui ejus proprietates optimè calluit, ad hominum commoda eum direxit: eo enim stercorantur arva, & feraciora redduntur: itaque mente, & magno suo acumine perfectiùs judicamus de rebus, quàm sensus eas nobis ostendunt: hujus ductu arva agricolantur, vites plantantur, irrigantur horti, pascuntur pecora, ex lanis panni conficiuntur, bom-bices serica laborant; noster victus, cibus, & vestitus artificium habent ex nostra intelligentia; & velit esse homo similis animalibus ratione carentibus? hâc enim potentia deficiente, cum in honore esset homo, non intellexit, & comparatus fuit jumentis.

CAPUT IX.

De intellectu quoad supernaturalia.

72. **Q**uid dignum dicamus de hac potentia, prout supernaturalia attingit? Ita Propheta dicebat; *Da mihi intellectum; ut vivam*; innuens eo recipi vitam super-

naturalem, & gratiæ; & illam, quæ animo tribuit quietem, & pacem, quatenus medio intellectu noster animus intelligit, & cognoscit Deum, in quo vita est, ut ipsa vita affirmavit per Evangelistam loquens æterno Patri; vera vita est, te Deum verum, & Jesum Christum, quem tu misisti, cognoscere: ideoque hæc miranda potentia filii Dei est domicilium; Patris, qui eum misit, & filii qui missus est ad communicandam servis suis vitam, & felicitatem.

CAPUT X.

Quid patrauerim hâc potentia?

EN, anime mi, quàm dives es hâc potentia; & ecce, quantum illâ vales. Deinde considera illa, quæ per eam es operatus; nam sicuti vesania reputaretur in oculos terram, & arenam conjicere, ut cæcus fieres; ita demens fuisti voluptatem capiens hebetando, & corrumpendo tuæ menti visum, pulveribus terræ, donec in illis annumerareris, qui videntes non vident, & intelligentes non intelligunt: ô quam potentiam perdidisti! & quàm minimo eam fecisti, siquidem tam malè eam conservasti!

Cum tantam diligentiam, anime mi, 74. adhibueris mentis aciem obcæcando, saltem incumbe jam accedendo luci, & dicas Domino; fac ut videam, quia meæ cogitationis defectu, & terreis impedimentis obnubilo spiritualem visum; ita ut ex me tam densa nubes prodeat, ut resistat, & rebellis sit tuæ claritatis lumini. Undè si tuæ lucis splendor, & tuæ claritatis immensus radius non vincit, ac dissipat hanc nebulam, obnubilatus, cæcus, tristis, & miser manebo. Emitte ergo lucem tuam, & veritatem tuam in meam mentem, ut fuggantur ignorantia meæ tenebræ.

CAPUT XI.

Quid faciam quando occurrit aliqua bona cogitatio?

Quantò magis cognoscitur cæcitas, 75. tantò magis æstimanda est lux; & ita cum ex concione, vel ex lectione, vel ex aliis, cognitionis radius fulget nostræ menti, vel aliqua sancta illuminatio, hæc pluris habenda est, quàm à cæcis habetur corporeus visus; cum nulla comparatio sit inter illa. Itaque agemus Deo gratias, veluti solent, qui recuperant visum, & laudabimus lucem inaccessibilem habitantem, ex qua procedit nostri animi lumen. Nam

Kkk 3 beati

beati sunt illi, qui merentur à Domino doceri, prout sanctus Propheta dicit.

ab eo disjungi, adhibe curam, ut te removeas à similibus rebus.

C A P U T XII.

C A P U T XIII.

Ut me geram in tenebrarum tentationibus?

Quid facturum sum, cum animi pendeo aliquo dubio?

76. **C**Um ut Adami Filii à tenebrarum Principe vexamur diversis scrupulis, & aliis cæcitaris incommodis, aut tristamur negotiis perambulantibus in tenebris; unicum solatium erit confugere ad nostrum hospitem, qui est iustitiæ Sol, & Patris gloriæ splendor, JESVM, ut ad eum accedentes liberemur à cæcitate, & cæteris detrimentis, quæ ex tenebrarum spiritu residua sunt. Anime, ad Solem iustitiæ perge, & deges in lumine, & tua facies non confundetur. Ob id dicitur necessariam esse orationem continuam; cum enim tentationes crebræ sint, remedia etiam debent esse perpetua. Hæc applicat, qui orat, elevans mentem in Deum: nam appropinquat luci, & huic proximus discludit, & expellit à se tentationes, & tenebras istius miseræ vitæ, quæ cum luce non potest habitare.

Quid faciam, quando intellectus liberè divagatur?

77. **Q**uò velocior est equus, eò ut ferocior, & animosior, indiget rigidiore fræno: eadem ratione cum intellectus acutior est, & indagat res penitius, in majore periculo versatur; quoniam sicut vexatio dat intellectum, ita possumus proferre, intellectum adferre sæpius vexationem. Hac de causa incidunt aliqui in amentiam, discendo artes, vel scientias, quibus se manciant. Unde hæc potentia celer labefactatur aded, ut præcipitem dedat egenum consilii, & incautum, qui nescit eam temperare, & cohibere. Quando in hoc discrimine, anime mi, te videris, non valens refrænare tuum intellectum elevatum, & divagantem per ardua instar refractarii equi; intellige hanc veritatem; nempe sine illius, qui eum creavit, ope non te illum ad rationem reducturum. Confuge igitur ad tuum Dominum, & Redemptorem; pete ab eo, ut obsequio fidei subjiciat tuam mentem, ne plus sapiat, quàm oportet sapere; nec intelligat suo captu, & modulo; nec secundum suum iudicium sententiam ferat; sed ducatur, & moveatur à Patris Unigenito, qui est filius æternus dux noster. Quando vagaris in terrenis rebus investigandis, tuam mentem illis applicans; considera, anime mi, dici, Deum separari à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu; & quia, qui ista agunt, eo carent, si vereris

Quando, anime mi, es tristis, & dubitationibus fluctuans, quæ majore ex parte sunt peccatorum reliquiæ; accede ad Dominum, ut te illuminet; illi supplica cum omni demissione, ut tibi largiatur claritatem, & lumen, quo illustratus non aberres, sed in universis rectè procedas, orato ipsum, ut ostendat tibi suam sanctam voluntatem; nam scriptum est; Omnipotentis inspirationem tribuere intelligentiam.

Ad conservanda supradicta intellige, anime mi, quàm exiguum sit, quod scis; siquidem in rebus ad naturam spectantibus, Philosophus, qui plura calluit, asseveravit, illum, qui plura intelligit, esse, qui cognoscit, quàm pauca sibi liqueant. Et in rebus supra naturam unus ex sapientissimis, (Apostolus Paulus nempe) ait, *scientia inflat*. Cum res ergo ita accidunt, veritate cognitâ, confugies ad Dominum rogaturus, ut tribuat tibi intellectum, quo tu nondum es præditus. Frequentissimè petes, quod Propheta postulabat; *Damih i intellectum, ut sciam mandata tua*; largire cognitionem, quâ me cognoscam, & lucem, quâ me intuear, & mihi persuadeam ex meipso non provenire, nisi miseriam, & cæcitatem. Diffidam meæ intelligentiæ, ut solùm tuâ nitar; mea mens ex tua pendeat; & cum omnis veritas, & claritas à tuo lumine, & divina mente dimanet, certior sim, veram debere meam notitiam esse, agnoscere meam incitiam, & ignorantiam. Si nullam rem conor videre corpoream, absente luce; cur in rebus spiritualibus procurem cernere sine tuo lumine, mihi communicato, vel per Scripturam sacram, vel per Ecclesiæ Doctores, aut per tuas illustrationes, & illuminationes.

C A P U T XIV.

De voluntate quoad naturam.

Quid de hac potentia, anime mi, dicam? Cui eam comparem? Penè nihil reperio in terris quocum illam componam. Si dicam esse veluti turrim præcipuam arcis in fortitudine; parùm dicam: nam etsi arx validissima sit, inveniuntur tamen

men

men modi, quibus expugnetur, & capiatur; sed hæc potentia ob arbitrii libertatem, & facultatem, quâ à Deo instructa fuit, est adeò fortis, ut nec orbis cum omnibus suis copiis, nec tenebrarum Princeps cum suis phalarigibus, nec Caro cum omnibus suis blanditiis sufficiant eam expugnare, si illi non libeat succumbere, & dedere se liberè eam invadentibus, quod majus privilegium, aut dignitas?

C A P U T X V.

De voluntate quoad supernaturalia?

81. **M**irabilia operabatur Moyfes convertendo virgam in serpentem, & serpentem in virgam; sed magnam etiam admirationem moveret ille, (si aliquis reperiretur) qui lutum mutaret in aurum, & aquam in margaritas; homines stupefacti, & attoniti hunc ubique insequerentur, dum rem adeò mirabilem ab eo fieri cernerent. O quantò majus est scire ex laboribus requiem, ex infamia honorem, & ex morte vitam exprimere, ut sit mirabili hæc potentia, quando illâ uti volumus rectè, & honestè. Ob libertatis enim arbitrium, divinâ adjuvante gratiâ (cujus favor non deest facientibus, quod in se est) ex decore elicimus decus; ex fatigatione quietem, & quod majus est, ex caducis æterna. Ex homine fieri per participationem Deum mirabilis est, quàm converti in serpentem virgam; sed hoc efficitur, obsecundante homine divino beneplacito, charitatis & amoris artificio: proprium enim amoris est mutare amantes in amata; unde, qui diligit Deum, per participationem quodammodo Deus fit; quod sublimius donum? An homo auderet rem tam præstantem à Deo postulare, nisi priùs id Deus concessisset? num non reputaretur audacia impudens, si subditus postularet à Principe, in regno omnia à se solo gubernari? Proculdubio ita existimaretur; & quantò potentior esset Rex, tantò esset immanior irreverentia. Laudetur in æternum, ille, qui non rogatus nobis id concessit tantâ liberalitate, misericordiâ, & bonitate.

C A P U T X V I.

Quam utilitatem depromemus ex hac potentia.

82. **D**atâ mihi hæc potentia ad tot mea commoda, propter meam cæcitatem, & malitiam, plurima detrimenta ab ea exhausti, arbitrii libertate abutens.

Quàm insanus judicaretur homo, cui liberet ambulando per oppida, ad singulas domorum januas sui cordis particulam amputare, donec totum divelleretur: hæc tua dementia, anime mi, cui per jucundum cor tuum in frustra concidere; amorem tuum figenti in terrenis, nulliusque valoris passim occurrentibus rebus, quas in mundi foribus vides. Hinc dilapidasti tuam voluntatem, & modò sine illa vivis: nam sine corde transigunt vitam, qui incolunt peccati tenebras: nam ita Dominus per Jeremiam dicit; *Audite me, corde carentes*; indicans illos, qui id rebus terreis, & deliciis tradunt, destitui vitâ, & corde. Quam pœnam meretur, anime mi, ille, quem hæc oblectant; quâ multâ dignus est, qui hanc suppellectilem destruxit? Quantum odisti cor tuum, & quantæ injuriæ tradidisti illud; siquidem tibi placuit id discindere, & minutim dispertiri, & à te expellere, ut vivas sine illo.

Cognosce hunc defectum, cum te videas sine corde, eò quòd amorem tuum creaturis dederis, illum à Creatore removens: repara præterita, nec arbitreris sine corde te posse vivere; confuge ad illum, qui id tibi largitus fuit, ut iterum renovatum illud in te statuat; pete ab eo, quod per Ezechielem promisit, dicens; *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri, & tollam cor lapideum.* Considera, anime mi, quantum sentis unius dentis jacturam, aut visus privationem; majore dolore deberes affici ob cordis absentiam; pete, postula cor tuum, & restaura illud. En, quod Deus tibi indicat per Ezechielem; *Auferte à vobis vestras pravitates; facite vobis cor; & spiritum novum, & cur morituri estis domus Israël? nam ego nolo morientis mortem, convertimini ad me, & vivetis, dicit Dominus.*

C A P U T X V I I.

Quid faciendum est, quando animus motum Dei amore se sentit?

84. **S**I te conspexeris, anime mi, cum corde novo, & charitate fervida, in Dei amore gaude, & in eo exulta; quia cum extinctus fuisses, per ejus favorem revixisti, & invenisti dragmam, quam perdideras. Magnò hanc felicitatem ducas, & eâ fruaris demissione debitâ, occupans hanc potentiam in Dei amore; quoniam quantumvis eum ames, ille primus dilexit te; itaque si eum amamus, est, quia ipse diligit nos, & ex ejus amore noster procedit; unde miraberis, quando amore erga illum

te videris illectum, & inclinatum; quia si res mira fuit; videre illos tres pueros non uri, cum essent in camino ignis ardentis; non est res minoris admirationis te in cupiditatum tuarum igne non incendi. Lauda Creatorem tuum, ex cuius manu provenit, ignem hunc exitialem non te absumere, cum tu propius illum sis. Permite igne te caelesti uri: nam cum ob tua peccata sis veluti stupa, ut comburaris mundi igne; ne sis contumax, & ut lapis Deo tuo: ferrum cum sit adeo durum, mollescit tamen, & ignescit flammis: ne tu sis, anime mi, ignobilioris conditionis, quam haec creatura. Permite te inflammari Creatoris tui igne; mitesce ut facilius ab eo incendaris.

C A P U T X V I I I.

Quid faciendum, quando animus se videt hoc amore carentem?

85. **C**Um Adami filii vivant in medullis nationis pravæ, & perversæ, circumdati propriis cupiditatibus; opus est, anime mi, te cum cernis incipere ab illis uri, antequam ignis pervadat intima, recipere te ipsum ad dulcem hospitem tuum, qui spiritus est divinus; qui (ut legitur) est in aestu temperies, ut medeatur, rore, & refrigerio suæ gratiæ cupiditatum calori. Hoc facies, quando te fatigat concupiscentia aliquo sensus oblectamento: sedulo labora, fundendo aquam igni, petens illam ab hospite sanctissimo, in cuius adventu promissa fuit aqua munda ad extinguendum pestiferum ignem; ut hoc extincto, incendaris suavissimi hospitis igne, qui est amor divinus.

86. Quando desideras rem aliquam incipere; aggrediaris eam, anime mi, non sine tui hospitis adiutorio; quia scriptum est, nos sine illo nihil posse facere. Si aliquid, quod bonum sit, recogitaturus es, ad illum te recipe; quia nec cogitare aliquid boni sine illo vales. Si domo egressus fueris, elige eum ducem; quia spiritus bonus deducit nos in terram bonam. Si acturus es aliquod negotium, colloca eum super cor tuum, ut omnia fiant pro ejus amore. Si te sentis refrigerescere, & tepere in inchoatis, frequenta, & repete has supplicationes, aut alias similes.

87. Veni hospes dulcis animi mei, donorum tuorum suavitate irrigetur hortus tuus; emitte spiritum tuum, & renovabitur terra; veni sanctissime Spiritus, & tuorum corda tuo repleantur amore; veni pauperum Pater; hanc meam paupertatem dita. Animus meus algescit, descendat ignis

tuus ad eum inflammandum divino tuo amore. Sine te non vivo; absque te destitutor corde; nisi in te nullum solatium invenio; te absente, non meipsum amo.

C A P U T X I X.

Quid animus faciet ad perseverandum in Dei amore?

UT non computeris, anime mi, inter illos, qui dicunt, cor meum dereliquit me, te præsta diligentem illius custodem. Ut à te non discedat, perpende, facillimum esse terreis desideriis adhærere illud; quoniam pix non tam citò stupæ conglutinatur. Cordi nativum est non vivere, nisi amet; dilabitur pronè ad visibilia. Nam carne septum est, ob idque, anime mi, si possidere illud vis, separa te ipsum à malis occasionibus, ne illarum effica alliciat. Tuorum oculorum fenestras custodi; tuarum aurium portas occlude; remove cætera, quæ primum te reddant ad amorem vanum; & è regione propone illi continuo beneficia, quæ à Deo accipit. In hoc intellectus incumbat dicendo; *quàm bonus sit Deus Israël mundis corde*; notum fac illi crebrò, uti suam naturam receperat à divina bonitate, ut illud servet, ut in sanctitate quàm amicè cum illo agat; ut illi loquatur, & consulat, ut his rationibus, veluti fomitibus incendatur in spiritus sancti amorem. Sed ne nimium lassetur, referat illi intellectus bona, quæ speret; nempe si in Deo stabiliat suum amorem, quàm magnum quid futurum, intrare in Domini gaudium, ut audiat Angelorum cantica, & frui illis spiritualibus oblectamentis possit ad videndum Deorum Deum in Sion, ubi videbitur ejus bonitas, charitas, æterna sapientia, & amor, quo nos creavit, quo misit filium suum ad nostram liberationem. Ubi apparebit charitas, quæ filius in hæc terrena descendit, & amor, quo Pater, & Filius miserunt Spiritum sanctum, ut esset noster consolator, & vita; & ferret testimonium, quo innueret nos esse filios Dei adoptivos. An non relinquemus caducarum jam rerum amorem, pro æternarum amore? Quando cum his, anime mi, tuam voluntatem retinebis, alligans illam Deo, tunc mereberis esse verum Spiritus sancti domicilium.

C A P U T X X.

Prædictorum compendium.

Cognito, quòd, anime mi, à teipso nullum habeas bonum, quando invenias in tua memoria esse alicujus boni recorda-

cordationem, statim attribue illud æterno Patri cum gratiarum actione. Si fortè aliquam cognitionem, vel intelligentiam reperias in tua mente, adscribe illam Christo Domino: si in tua voluntate advertas aliquam scintillam divini amoris referas acceptam spiritui sancto: nam quamvis omnia, quæ sunt à tribus divinis personis uno solo Deo efficiantur; justum tamen est, unicuique personæ accommodari, quod cuilibet secundum attributa attribuitur. Ita si te videris debilem, ad Patrem æternum accurre, cui potentia; si te ignorantem conspicias, perge ad filium, cui sapientia; si malitiosum te cognoveris, confuge ad Spiritum sanctum, cui bonitas attribuitur. Cum te fames molestat, invoca Patrem æternum; qui cum ut Pater vocetur, non filio porriget lapides panem petenti: tentatus, & oppressus morbo, quære Filium Dei, nostram salutem, qui tanquam fratrem nostrum seipsum appellat; si ægestate laboras, inclama Spiritum sanctum, qui donum est, & immensam charitate communicatur, ut sit sponsus, & lætitia nostra.

90.

Quando advertis, anime mi, remeare ad tuam memoriam peccatorum imagines, & reliquias; confuge ad tuum Patrem, implorans misericordiam: quando ex tua mente nascitur cæcitatibus nebula, accede ad lucem veram, ut dissipetur caliginosa nubes; quando tuarum cupiditatum igne ureris, postula illam aquam promissam in adventu Spiritus sancti, ut restinguas incendium.

91.

Quando, anime mi, consideras te ipsum tepidum; accelera ad æternum Patrem, qui hospes est tuæ memoriæ; & ei dic; *Memento Domine, quod sicut lutum feceris me*, & ventum esse meam vitam, quæ sicuti flatus disparet. Quando vacas cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, dices filio; Domine, da mihi intellectum, ut vivam. Cum te sentis frigidum, ad Spiritum sanctum ito, & ab eo pete cor novum, & spiritum novum.

92.

Quando domo, vel diverforio excedis, reputa procelloso, & inhorrescenti mari daturum te vela ob mundi pericula; & commenda æterno Patri tuam memoriam, filio intellectum, & Spiritui sancto voluntatem; ut Pater revocet in memoriam negotia, quæ tractaturus es, & filius in eis agendis te illuminet, & Spiritus sanctus conservet in te charitatem, sine qua omnia sunt merè nihil.

93.

Cum per vias incedis, si memoria visibilibus inescatur, & intellectus, & voluntas eiusdem incumbunt; opem à tribus divinis

personis efflagita: discrimen in quo versaris eis manifesta; pete ab illis subsidium, proponens noxio igne vivum te confici; nec desistas à petitione, quoad Domini præsentiam denuò in tuis potentiis recognoscas. Denique ut melius calleas supradictorum scopum, & ut paucis verbis pervenias in cognitionem mei propositi; statue apud te, nihil te fuisse, & esse coram Deo, nisi potenti ejus manu adjutus. Et perinde ac si destitutus antea fuisses memoriâ, intellectu, & voluntate; reputa, cum meminèris alicujus boni, tunc te instrui memoriâ, & intellectu. Similiter cum recta amas, tibi dari tum voluntatem; hâc enim persuasione animus tuus replebitur gaudio, & verâ cognitione pro donis receptis.

Si existimas tuas potentias non in te esse, sed in Deo tuo, & in ejus manibus te tua deposuisse; quando aliquid tibi dictum fuerit, sicuti qui suam mentem habet in deposito, ibis ad Dei filium, tuum depositarium, ut illud te doceat. Quando tibi proponitur aliquod amandum, veluti carens voluntate perges ad Spiritum sanctum, apud quem tuam deposuisti, ut te moveat, vel retardet in illius amorem. Si apud illum rectum fuerit, absque dubio ab illo impelleris, ut diligas; si verò pravum, impederis, ne id intendas. Quando revocaberis in alicujus rei memoriam, ut si destitutus fuisses tuâ, vade ad Patrem æternum, & illam rem coram eo pones; nam si inutilis fuerit, evanescet, nam res talis apud eum nihil est: sin verò bona, & recta, ibi eam comperies, si veritate ad eum perrexeris. Denique illic concludes, an conservanda, aut reponenda sit in memoria, aut inde removenda. Ex his elicies, quâ ratione nostra conversatio futura sit in cælis; quâ ratione omne bonum, omnem intelligentiam, omnem amorem expectantur simus ex alto. Cætera, quæ nec sentiri possunt, nec explicari, relinquo illis, qui cum animi demissione vacant huic exercitio, sperans illos reperturos pacem, & gaudium spirituale in Domino.

Oratio ad petendam propriam cognitionem.

Domine mi Jesu Christe, tu, qui proprio nomine vocas ea quæ non sunt, perinde ac ea, quæ existunt; da mihi cognitionis propriæ veritatem, ut videns me de nihilo à te creatum, cognoscam in me infinitam tui operis bonitatem, & sapientiam; & ita non me propter me respiciam, sed propter te; siquidem in me nihil à me inveniam, antequam me creares; non inerant mihi pedes, nec manus, nec caput, nec corpus, aut memoria, nec intellectus, nec voluntas, nec spiritus; sed nihil; ob id-

que pronuntio me nihil in me invenire, quod intuear, nisi quod opus tuum est. Nam si video stellas, & solem cum sua claritate, & cum suis arboribus, & plantis terram; invenio creata fuisse ex nihilo mihi; & non solum hæc, sed Angelos in meam custodiam, & sanctos in meum patrocinium, & omnia excedentem tuam sanctissimam humanitatem in meam redemptionem: æquum erit Domine, videre illud, quod ego teneor rependere pro tantis donis. A te adigam, semper recollere meam memoriã tam ingentia beneficia; & meam mente modum, quo me gratum præstem illis. Ut meam voluntatem inflammem in te amando, ponderabo amorem, & voluntatem, quã hæc feceris. Ad hoc exequendum, (ut video) tui amoris ignem in me accendere deberem tuas creaturas conspiciens: lingua mea te laudando deberet ardere: meum cor, & meæ potentia, & sensus nullum aliud pensum habere, nisi tibi gratias referre: hoc enim debitum erat bonitati, quã omnia propter me creasti, & me tibi: sed harum laudum loco, meus animus ad eum ingratus fuit; ut oculi, qui debebant conspiciere creaturas tuas, ut se incenderent in tuum amorem, omittentes illas ad hunc finem intueri, conspexerant vanitatem, ut ejus concupiscentiam arderent: aures, quæ percepturæ erant, quod tu loquebaris animabus tuo sanguine redemptis, se occuparunt in detractionibus: gustus, qui gustaturus erat, quã suavis tu sis, felli peccatorum gustandæ incubuit, veluti si ex illis aliquis fructus perciperetur: manus, quæ contexturæ erant coronam, quam habes præparatam tuis famulis, tempus triverunt in tuis operibus (quantum poterant) demoliendis; cum illa essent tam mira, & tanto tibi constiterint pretio: denique memoria, quæ semper tui recordatura erat, nihil aliud agebat, nisi meorum commodorum terreorum meminisse: & intellectus creatus ad te intelligendum, vanitati deditus est; voluntas, quæ totis suis viribus ad tuum amorem se conversura erat, studebat suis oblectamentis, & deliciis. Exploratum habeo propter hæc, Domine, abundè mereri puniri illum, qui talia egit, prout decet tuas manus contra rebelles tam protervos. Cognosco oculos, qui vanè vident, dignos esse ut plectantur horribilibus dæmonum visionibus; & aures detractionibus inhiantes, ut sugillationibus aculeatis, & diceris amarulentis castigentur in inferno; & linguam illam mutam in Deo laudando, ut dilaceretur fræno æterno, quod munus dæmoniorum est, & quod

secum affert maximum dolorem, & abominationem: tandem manus, quæ hinc quærunt blanda, & mollia, justissimum esset palparent illos inferorum æternos ignes; intellectum creatum ad se cum divina essentia uniendum, connexum esse cum viperis, & draconibus: & voluntati, quæ esse deberet conformis Deo, & cum eo una per participationem, omnes creaturas facessere molestissimum negotium. Hoc erat Domine, quod ego merebar accipere à tua justitia, quæ deberet in me exequi, quod ego spiritualiter commisi in tuum filium. Sed ô quali amore me dilexit Deus! Nam in compensationem mei delicti fuit ejus in terras è cælo descensus; fuit fames, sitis, quas propter me toleravit; fuit vis lacrymarum, quas pro me fudit, & passionis calix, quem in horto pro me suscepit; ideò fuit per spinas coronatio, & ad columnam flagella, & nuditas in Calvaria monte, dolorque pedum, & manuum in durissima cruce. Ingratitudinem in me invenio, quod Dei filium non recepissem venientem ex Patris sinu in orbem; non explens famem, & sitim meæ salutis, quæ illum cruciabat; non dolens de tot lacrymis, quibus postulavit meam salvationem, veluti si ex ea aliquod emolumentum haberet. Ob tam magna beneficia, non solum non bibi aliquem passionis calicem propter eum, sed illi fui potius amaritudinis calix; siquidem propter me illum hausit. Ego illi flagrum fui, cum propter me fuit cæsus verberibus; spinæ illi fui, cum propter me illis fuit coronatus; illi fui crux, siquidem me super suos humeros sustulit, ut bonus Pastor ovem deperditam; illi clavus fui, cum propter me affixus fuit clavis in cruce; lancea illi fui, cum propter me lanceam ejus latus apertum est; mors illi fui, siquidem propter me illam obivit. Hæc sunt, Domine tua opera; illa ego feci in tuum obsequium, & in compensationem tuorum beneficiorum. Quibus muneribus satisfaciam tibi pro patientia, quam in me habuisti, nisi teipso? Tibi desidero famulari; sed non reperio peccatorum, quæ admiseram cognitionem: non enim ex humanis viribus hæc dimanat. Sed cum certissimum sit omne bonum dependere è tua manu, mihi metipsi diffusus, & te fretus, tibi supplico, ut mihi communices lumen ad cognoscendum illud, quod mihi faciendum est, ut gratum me exhibeam tot & tantis beneficiis: nam si attentè pondero, invenio me parum facere, si coram dæmone, facta collatione inter utrumque, pudore afficiar, cernens in eo solum unum delictum. & in me tot; in illo sentiens naturam

turam angelicam, & in me humanam magnis miseriis circumdatam. Comparatio cum omnibus, quæ sub terra sunt, jam me confundit; si enim contemplor damnatos, intelligo multos ex illis te non adeò cognovisse; nam si te, ita cognoscerent, fortè nunquam te gloriæ Dominum crucifixissent, ut ego in illis computor, qui secundum Apostolum in seipsis iterum in crucem agunt Christum. Si respicio pueros decedentes sine baptismo, pudeo, vident non illis obsistere peccatum actuale; si attendo ad animas, quæ igne purgatorio solvunt pœnas debitas, omnes ad gloriam æternam prædestinatas invenio; ego autem ut peccator, an amore, vel odio dignus sim nescio. Si suspicio terram, terreor cernens illam sustentare illum, qui tot flagitia patraverat; si verto oculos ad plantas, earumque fructus; miror, quod alant eum, quem fame enecare tenebantur; si ad ignem me converto, stupeo, quod non me suffocet; si Solem video, verecundor, cum non emittat radios, qui me comburant; si stellis attendo, admiror quod supra me non cadant; & quod non consequantur ultionem, quam à Deo exigunt peccatoribus. Si Angelos considero, etiam custodiunt puniendos; si Deiparam, est refugium peccatorum: tandem invenio, qui in me justitiam petiturus est, esse meum Patronum, refugii domum, & protectorem; ob idque possum dicere; *operuit confuso faciem meam*; ponderans illa, quæ in me tu exequeris, & illa, quæ in te ego commisi. O æterne Pater, ubi me abicondam à vultu tuo, cum egerim in crucem filium tuum? O æterni Patris fili, ubi morabor, perpendens me esse inter illos, qui proferebant; hic est hæres, venite, & illum occidamus? O sancte Spiritus, ô divine Spiritus, ô infinita bonitas, quis ego sum, ut consistam coram te, cum quatenus in me est, destruxerim tuum opus? Tuâ virtute ad meam liberationem conceptus fuit filius Dei: Unde animadverto me posse asseverare; projectus sum à facie oculorum tuorum; cum nihil sit, quod mihi animos faciat, nisi tua bonitas major meâ iniquitate. Ob hanc cognitionem pronuntiare spero; ideò audivisti meam vocem; trutinans, quâ ratione te mecum geras post tot mea perversa facta. Cognosco igitur, te me per singula momenta, veluti creare denuò in spiritu, ubi nova mihi auxilia tribuis, cum amoves à me tentationes demoniorum; cum Sanctorum dona mihi impertiris; quando tui sanguinis merita mihi applicas; cum me passim ab inferis vindicas: *Nam si dicebam; motus est pes meus,*

miseriordia tua adjuvabat me; nisi Dominus adjuvasset me paulò minùs habitasset in inferno anima mea: perspectum habeo, te semper velle teipsum mihi tradere, si velim te excipere; simulque omnes creaturæ me hortantur, ut te excipiam: Si ergo, Domine, tu es illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Quid retribuam Domino pro tot misericordiis, quibus mecum egit, præcipue jam propositis mihi privatim debitis, quibus apud illum obstringor? O mi Deus, ne meus ingratus animus ulterius procedat; fac me ex integro inchoare tibi servire ob beneficia recepta (quasi denuò creatus essem) cum continuo me conserves. Concede mihi gratiam, quâ semper me protegas ab inferni periculis. Mihi caveam, ut semper cognoscam tuam misericordiam, minimè illius immemor omnivitæ spatio. O Domine, cognoscat tuus servus, quanta felicitas sit, animo mediâ divinâ gratiâ te sibi communicare. Id mihi largiaris Domine, ut non dorminetur mihi, nisi tua pax, tua lætitia, comitante humilitate; ut ita ego hîc tuarum tribulationum socius, merear in cælo tuæ gloriæ esse confors. Amen.

Concio habita Valentie à B. Francisco Borgia, quando jussu Pii V. Româ contendit Hispaniam, comitans Cardinalem Alexandrinum Legatum à latere.

Ibat JESVS in civitatem, quæ vocatur Naim, &c. Lucæ cap. 7.

Verba, quæ elegi pro hujus concionis fundamento, illustrissime Domine, ut vestra dominatio bene novit, sunt desumpta ex sancti Evangelistæ Lucæ Evangelii capite septimo. Deprompsit ea ad Dei gloriam, & morum reformationem, ut longius patebit ex dicendis.

Abundè possem multas rationes afferre, præcipue valetudinem infirmam, officii munera, itinerum labores, tempus exiguum mihi concessum ad præmeditanda aliqua limatiùs, quæ in tanto confesso dicerentur, ne ad populum hodie verba facerem. Sed recordatus illius Patriarchæ, (qui jussus à Deo immolare filium dilectum suum Isaac, in quo erant illi factæ tot promissiones; iis non retardantibus, præcepto obediens, ante lucem surgens, duxit suum asinum, & assumens in manu gladium, montem ascendit, ut jugularet Filium) hoc opus aggressus sum. Illum imitaturus, jussus ab eo, qui mihi verissime imperare potest, hodie manè surrexi, &

assumpto veteris hominis asello, & verbi Dei gladio in mei oris manu, hujus sacri suggestus culmen subivi ad meae voluntatis timidæ, & oblectantis, (quæ quò minus hæc exequerer impediēbat) jugulum incidendum. Et ita sancti Spiritus ope, & gratiâ, aliqua proferam ad nostram instructionem, & utilitatem. Accedendum autem ad Sacratissimam Virginem Mariam, ut pro more hanc gratiam consequamur. Unde ejus benevolentiam conciliaturi, genuflexi ab ea id petamus Angelico nuntio. *Ave Maria.*

Ibat JESVS, &c.

68. Pergebat JESVS Christus, nostra salus, & Dominus ad civitatem Naim. Quod hinc debemus elicere, est comtemplari, ut Dominus JESVS iter faciebat, & quid intendebat hoc itinere. Non videbitur curiositatis esse, Dei gressus considerari, & modum, quo tendit, quatenus ad nostram facultatem attinet, & à sancta Ecclesia nobis permittitur, cum dicat sacrum Evangelium; *Ibat JESVS*; & si attentè consideremus, quâ ibat; pergebat per mille labores, & tribulationes. Si indagemus, ad quid ibat; concedebat Naim ad justificandum peccatorem; & potissimè ibat, ut faceret Patris voluntatem, ut ipsemet testatur: Ego non facio meam voluntatem, sed Patris mei, qui me misit. Si hoc igitur peccator diligenter advertit, nempe Deum nostrum, & Dominum, ut in suam gloriam intraret, per omne temporis intervallum, per quod in hac mortali vita peregrinatus fuit, nunquam habuisse aliquam requiem, semperque incubuisse impositæ legi ab æterno Patre. Si hoc (inquam) advertit peccator, quid cogitat, cur transigit vitam adeò voluptuosè, & numquam se occupat, nisi suæ voluntati satisfaciendo, emergens ex uno flagitio, ut in aliud prolabatur; ut quid semper invigilat ultionibus, & amplificandæ ditioni, modò vi, modò litibus intentus, & aliquando per manifestum nefas, & injurias. Cur semper volutatur in carnalium voluptatum cœno, nullâ futuræ vitæ habitâ ratione; nec perpendens hæc oblectamenta citissimè esse peritura, nec ponderans, quod licet deliciæ ad longum tempus durent, id dilatatum spatium æternitatis comparatione sit veluti unicum momentum. Tria peccatorum genera reperio ad inferos descendere. Quidam illuc perveniunt magnis laboribus, calamitatibus, & ærumnis. Maximis hi infortuniis sudant. Alii ad illam regionem concedunt delati lecticis, jucundo otio oblectati, & nulla in re oppressi. Postremi ad illam infelicem plagam conficiunt iter per vere-

darios in stationibus præparatos. Primi, qui lassati, afflicti, & guttatim sudabundi pergunt, sunt illi, qui suis fortunis, & lucris mancipati, nunquam cogitant, nisi de re familiari agenda, quamvis opus sit ad eam comparandam injurias nequere, contractibus illicitis, cursitantes per jurisperitorum domos, per tribunalia divagantes, & frequentantes Dinastarum, & Magistratum atria, quin malè acquisita restituere illis unquam in mentem subeat. In his defatigantur miseri, cum sciant proculdubio ad inferna se deduci. Hi pergunt, & ambulat, sed non per iter, quò ibat Dominus JESVS. Alii eunt sine aliqua defatigatione in curribus, qui sunt Principes, suis deliciis dediti, nusquam animadvertentes, nisi quo pacto suas voluptates expleant, & indulgeant genio, & peragant vitam secundum suam voluntatem: hi tendunt gressu lento, ut ad macellum boves, siquidem illi nec obiter cogitant de agenda pœnitentia, nec de admittendo aliquo labore, potiùs oderunt omnia, quæ suis oblectamentis sunt aut levissimè contraria; non suâ mente revolventes illa verba; per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum. Tertii sunt adeò sceleribus assueti, & tam flagitiosi, ut nullo negotio quolibet delicto se contaminent; hîc occidunt; illic adulterantur; ibi furantur; vix elabuntur ex uno vitio, cum in aliud incurrunt, legis Dei obliti, & passum, quos Christus Dominus pro eis conficiebat. Arbitrantur si semel per integrum annum confessarium adeant, magnam rem præstare se, de quorum dispositione ad Sacramentum sufficiente promptum est dubitare. His contingit, ut Philistæis, qui quando ceperunt Domini arcam, eam collocaverunt in Templo Dagon sui Dei. Sed cum die sequente repetierunt Templum, invenerunt eum prostratum humi. Ne dum quidem intelligentes, unde idoli casus proveniebat, id sustulerunt, & rursus statuerunt in primo suo loco. Sequenti proximo die, quando remeaverunt ad fanum, reperere Dagonem manibus amputatis, & capite; quam pœnam secutæ sunt aliæ in populo. Tunc cognoverunt suum errorem, & dixerunt, ne ulterius permaneat apud nos Dei arca; ne ulterius hobificum consistat, eamque dimiserunt. Haud dissimiles illis videntur isti, de quibus est nobis sermo. Iis enim accidit suorum vitiorum Deos maximâ veneratione habere in suæ conscientiæ Templo: cum instat quadragesima, incipiunt expiari sacra confessione, & sacra Eucharistiâ refici, quæ est vera arca; sed eam ponunt in suorum

Deo-

Deorum delubro, ubi perseverat ad peccata propensio, & animus quin illum omnino aboleant. Destructum vident in terra suum Dagonem, quod est vitium, si vera est eorum poenitentia: cæterum vix quadragesima præterit, cum ad antiqua scelera redeunt, & fiunt deteriores, quam antea. Deus verò tunc incipit eorum superbiam caput secare, ignominias, miseris casibus, & calamitatibus. Concidit etiam manus rapinarum, ambitionum, & lucrorum, ægritudinibus, paupertate. Sed aliqui sunt ita perversi, ut proferant iis similia, quæ Philistæi jactabant; ne ulterius Dei arca in nostro Templo sit. Removent se à Sacramentorum dulcedine, ut melius recumbant suis vitiis, non considerantes Deum unicum nostrum bonum prædicta facere in eorum utilitatem, & salutem. Revertamur tandem ad Textum Sacrum. Dicit Evangelista; *Ibat Jesus in civitatem, quæ vocatur Naim; Quò tendis Domine? Peto, civitatem Naim, quæ est peccatoris conscientia. Ad quem finem? Pergo ad restituendum vitæ demortuum viduæ filium, qui est animus in lethalem prolapsus culpam. O immensa bonitas, quæ semper intendis nostro commodo. Expedi Christum Dominum ire; multum conducit; sed non sufficit eum ire, nisi te offendant o peccator. Opus est, ut tu illi occurras ad tuæ voluntatis januam, quod est resurgendi ex culpæ morte desiderium, & teipsum, quantum in te est, adjuves. Nam aliter non fit hoc negotium. Nam qui fecit te sine te, non salvabit te sine te. Quinque reperio Deum in hoc negotio facere, & unum dumtaxat peccatorem. Prima res est, **JESVM** ire; *Ibat Jesus*. Nam si Deus non te quæreret, tu nunquam ad illum redires. Altera est, illum te invenire egredientem per portam. Tertia eum tui misereri, vel Ecclesiæ tuæ matris, quæ flet tuam mortem. Quarta est, illum te vocare (*Adolescens tibi dico, &c.*) sanctis suis inspirationibus. Quinta est te redire de peccati morte ad gratiæ vitam. Unum autem tantum reperio peccatorem efficere; nempe feretrum sistere; seipsum sistere Deo per lacrymas, & poenitentiam, & bona opera. Congruit valde tibi, o Peccator, te consideratione malitiæ à peccando cessare; parum enim proficiet tibi quidquid feceris, nisi te removeas à delinquendo. Nisi discedas ab illo flagitio, cui inhæres, ejusque occasionibus. Interroga illum Prophetam, & Regem David, & videbis, quam causam affert suæ ad Deum conversionis; audi ejus responsum in Psalmo centesimo decimo octavo. *Cogitavi,**

vias meas, & converti pedes meos in testimonia tua. Unusquisque juxta suam conditionem conferat, & perpendat passus, quibus progreditur; & ea consideratio aliqua ex parte juvabit, ut ad Deum remigret. Singuli exigant à se rationem, utrum operentur, prout uniuscujusque statum decet. Ponderet dives suas inclinationes, & ab eis desistat; ne ab illis inescarus, permittat ad inferna se deduci.

Offertur mihi circa hunc viduæ filium, 69. de quo Evangelium agit, sacrum Historiographum dicere, eum deportari ad sepulchrum. Quid mirum, si extinctus erat? Hic stylus ubique observatur cum vitâ defunctis. Juvenis autem reverâ amiserat usuram lucis. Si verò contingeret (quod non semel evenit) illum, qui deliquium animi tam ingens fuit passus, ut ab omnibus censeretur mortuus, & ut talis deferretur terræ mandandus, in viæ medio reviviscere, & profundo gemitu ex pectore ducto in sandapila se videntem, portitores interrogare; quò me ducitis? Illis autem respondentibus efferri ad sepeliendum, subjungere, finite me; vivus enim sum; si eveniret (inquam) illum sic vivum permittere se vehi, & humari; jure optimo valeremus asserere, eum maximâ vesaniâ laborare, & illi posse adhiberi pharmaca. Quis hic est, nisi peccator, qui nondum è vivis excessit, quamvis ejus animus defecerit, siquidem vivus est in corpore; sed animo est mortuus. Ad vitam æternam opera utilia nequit facere iste, dum existit in mortali culpa, etsi dispositiva ad eam valeat exequi. Sed ut diximus, illi remanet facultas edendi suspiria, & gemitus de suis sceleribus dolenti. Adhuc illi inest posse aures præbere divinis inspirationibus, & consiliis: potest loqui in confessione; & tamen patitur, se peccatis gravatum, scientem, & volentem in inferni detrudi Sepulchrum. Credat hoc quisquam? immanem saltem mihi admirationem movet; me terret, & attonitum reddit; & ferè extra meipsum educit. Quid ergo hinc eliciemus? Si fortè in tanto hominum conventu me audientium, aliquis ex his sit, (quod Deus avertat,) oro, ut sistat se; habenas stringat, & retrò torqueat libidinem. Perpendat suos passus; ponderet gressus, quos Christus Jesus confecit; conetur eum imitari omni nixu. Etiam rogo illos, qui nullius lethalis peccati sibi conscii sunt, & conspiciunt suos fratres flagitiorum cæno oblitos, ut horum eos misereat; & in veritate Deo supplicent, dignetur illis conferre vires ad evadendum ex limo adeò alto; & opem ad perseverandum

dum imposterum in caelesti gratia. Quam in hac vita sic operantes consequamur omnes, ut postea à Deo feramur ad aeternam gloriam. Amen.

70. *Hæc concio habita fuit à B. Francisco Borgia motu precibus venerabilis Ioannis de Ribera Antiocheni Patriarchæ, & Archipresulis Valentini, & illius civitatis Senatus rogatu. Concursus hominum omnis conditionis, qui ad metropolitanam templum confluerat, ita magnus fuit, ut vix beatus Pater suggestum conscendere posset, aus catervas, & multitudinem, quæ venerat, tam ex urbe, quam ex oppidis disitis, & circumvicinis pertrumpere, ut suggestum conscenderet. Omnes, auditâ concione stupefacti, attoniti, & spiritu compuncti redierunt postquam tam eximia audiverant, quæ hîc posuimus ad brevia capita redacta (prout inter ejus opera invenitur) sed tamen dilatata, & exornata magis beati Patris eloquentiâ, quâ plurimum valuit; fervore, & salutis proximorum zelo, quo eximius fuit, stylo, & eloquio utebatur.*

TRACTATUS III.

71. *De tribus Christi Domini, & Redemptoris nostri considerationibus, scriptis ab eodem beato Patre, ut Moniales sanctæ Clara exalceatæ exercerentur in tribus hebdomadis ultimis Adventus, inveniuntur in exercitiorum libro Cænobii regii exalceatæ Matritensis.*

72. **S**ingulis diebus visitabis Domini potentias inclusi in ejus sanctissimæ matris utero, referens ei gratias pro illis, quæ passus fuit pro nostro amore à suæ conceptionis momento: conare hæc meditatione pudore suffundi, ob tuarum potentiarum occupationes vanas, & illicitas. Poteris per hebdomadæ dies harum meditationum capita, vel puncta distribuere.

CAPUT I.

De memoria.

73. **P**rimò considerabis die Dominicâ hæc verba: *Homo cum in honore esset, non intellexit; Scilicet nescivit recognoscere bonum, quod possidebat.* Considera, uti hujus ingratitude recordatio Dominum affecit maximâ tristitiâ proveniente ex amore, quo suum æternum Patrem, & homines prosequeretur: ex hac meditatione elicere poteris, magnam confusionis materiam, videns adhuc in Matris utero cruciatum fuisse à te unigenitum Dei filium. Extendetur hæc consideratio, si inspicias ingratitude quam in te notas erga beneficia tum generalia, tum privata, quæ à tuo Conditore acceperas.

74. Die Lunæ meditaberis, quantâ poenâ afficiebatur Dominus considerans Adami peccatum; & quantò constituta erat ejus reparatio, satisfaciendi in crucis arbore,

pro arboris vetitæ malo. Perpende, quoties hæc mente revolvens amplexabatur suâ charitate crucis mortem, ut portas cæli nobis aperiret. Pudeat animus tuus ob magnam incuriam, quâ vitam degisti oblitus priorum peccatorum, & dolorum simul, quos pro eis sustinuit Dominus; & amoris, quo nos à potestate diaboli eripuit suâ morte, & pretii illius sanguinis, quo redempti fuimus. Denique si attentè consideretur, omnes nostræ potentæ, & sensus, videntur nihil aliud agere, nisi oblitescere in sua memoria dulcissimum JESUM, qui nos tantum dilexit, ut quodammodo scriptam gerat nostram recordationem in suo sanctissimo corde, & manibus; in sacratissimis vulneribus, quæ pro nobis suscepit, ne nostra memoria illum aliquando præteriret.

Die Martis recoles dolorem, quem incutiebat Domino beneficiorum, quæ populo Judaico concessa sunt, recordatio, & horrendum scelus, quod ingrata illa gens in ejus passione erat patratura: Ut magis hanc meditationem protendas, adduces in memoriam impropria, quæ de illis Ecclesia canit die veneris sanctioris hebdomadæ. Tum ingens pudor tibi erit; cum beneficia facta Christiano populo, majora sint, & multò majora, quæ religiosi accipimus.

Die Mercurii meditaberis, quantâ dulcedine, & amore memorabat Dominus desideria, lacrymas, & orationes Prophetarum, qui expectabant ejus adventum: considerabis etiam, ut sui eum recipere noluerunt; ut visuri erant ipsum perfidi Judæi, quem abhorrebant; & in hac mortali vita non erant eum conspecturi illi, qui eum desideraverunt. Pudebit nos hæc die nostræ inertæ, cum illorum sanctorum Patrum desideriiis collatæ: singula sigillatim meditabimur. Consonum est omni rationi, coram Deo fore nostram confusionem admodum magnam, cum in utero sanctissimæ Virginis, ac matris animi nostri aliorum illi inferret dolorem.

Die Jovis contempleris, ut memor erat figurarum, & prophetiarum, quæ de illo scriptæ erant, uti gaudebat de humanitatis suæ sanctissimæ sublimi dignitate, sperans omnium illarum adimplerionem. Tum prosequens tu amore illa, quæ loquebantur de ejus sacratissima morte, & passione, considerabis, quàm ei præsentia fuerunt hæc omnia; ut videre est in sacro Evangelio, & in omni ejus vitæ curriculo. Hæc methodo collecta in Psalmis invenitur seges abundans ad meditandum. Verecundabimur hodie, ponderantes quan-

76. *tâ foordiâ incumbamus illis rebus, ad quas tenemur, præcipuè Deo dicati, & Religiosi.*
 Die Veneris recogitabis, ut Dominus recordabatur magnæ charitatis, quâ Deus Pater nobis promisit unigenitum suum filium. Deinde, ut adimplevit sua promissa, etsi novisset quàm malè excipiendus esset ab hominibus. Hodie pudor nobis erit, considerantibus, quantâ desidiâ observamusea, quæ Domino polliciti sumus in baptisate, & votorum nuncupatione. Ponderabimus, quemadmodum hæc infidelitas, quâ homo respondet fidelissimo suo Deo, & Domino, ingenti fuerint mœrori Jesu nostro Redemptori.

79. Sabbatho mente piè revolves, ut Dominus præsentia habebat, lacrymas & orationes Virginis sanctissimæ, petentis divini verbi adventum, & humanæ naturæ liberationem; cognoscentis quot, & quantis laboribus hæc erat comparanda. Contemplantare, ut jam in suo utero ita laborantis filii miserebatur Virgo, ut offerret illos dolores, & suos affectus æterno Patri: pudeat nos oblivionis tam profundæ, quâ immergimur amoris tam filii, quàm matris.

C A P U T I I.

De intellectu.

80. **S**ecundâ Dominicâ meditaberis, ut Dominus cognoscebat semper omnia prædestinatorum peccata; ut illum molestabant. Te consocias illi hâc die, trutinans tua scelera, illa detestans. Simul te misereat hujus doloris, quo vexatur Dominus; & maximo pudore affectus tui delicti, quod tanto dolore Dominum afficit, veniam pete ab ipso oblivionis, quâ, usque adhuc fuisti ingurgitatus. Postula etiam veniam pro totius mundi, & præcipuè tibi charorum, peccatis & sceleribus.

Die Lunæ considerabis, ut Dominus anxius erat sine aliqua intermissione, propositis coram gravissimis pœnis, quibus satisfaturus erat pro tuis culpis. Pigebit quod fugias omnes cruciatus, & pœnalia, satisfactoriaque opera.

81. Die Martis meditare, ut Dominus continuo Patri suo offerebat dolorem, quo premebatur ob hominum peccata. Illum comitans in hac oblatione, contemplaberis ejus vitam, & passionem, æterno Patri oblatam pro totius mundi delictis: hodie magna tua erit confusio, anime mi, si recogites, quàm negligenter Deum reverearis; & diligas; & quantâ foordiâ gratias ei agas.

Die Mercurii meditaberis, ut Dominus dolebat, quando altâ suâ cognitione intelligebat Martyrum, & Electorum suorum pœnas, quos mundus persecuturus, & vexaturus erat. Verecundabitur ob id tuus animus, qui ita durus est, ut nec Martyrum exempla eum moveant, nec proximorum ægestate tangatur; potius eos vexet, & eorum miseriam majorem reddat, congerens in eos amarulenta dicteria. Magis illum pudebit, si consideret, uti Christus Dominus sentiebat hos cruciatus, & quâ ratione alienis incommodis compatiebatur. 82.

Die Jovis recogitabis dolorem, quo Dominus vexabatur, cognoscens singulas pœnas, quas passurus erat in suo sacratissimo corpore à die nativitatis, usquedum in cruce spiritum emitteret. Partis inferioris sensus eas declinabat; verum est: sed ejus amor, & obedientia easdem appetebat. Piè potest intelligi ejus sacratissimum intellectum versatum fuisse in hoc exercitio à conceptionis momento, quoad baptizaretur illo baptisate, de quo dixit; Coarctor, usquedum perficiatur. Confundamur hâc die profundissimè, videntes quàm crebrò faceffimus Domino tormenta. Aptissimè hodie consideratione percurremus omne ejus vitæ spatium, veniam petentes desidiæ, quam admisimus circa tam divina mysteria.

Die Veneris contemplaberis, quantum Domino doluerat, cum ejus esset redemptio tam copiosa, & sufficiens, multos non usuros esse eâ ad suam æternam felicitatem. Adjungere Domino hoc in dolore, siquidem charitas urgeat nos, ut sentiamus tot animorum perditionem. Pudefiat quod tam parùm promoveamus proximorum salutem; imo quod illam retardemus, offendicula mali exempli, & consilii ei objicientes. Hæc omnia, utpotè tam præsentia Domini intellectui, ipsum contristabant. 83.

Sabbatho recoles dolorem, quo Dominus affectus fuit, intelligens hominum fragilitatem, & quod etiam electi, & charissimi sæpè à dæmone vincerentur, & prolaberentur in peccata: considera uti de illis compatiebatur; ut pro illis preces fundebat, ipsorum petens conversionem. Pudori nobis hodiè erit nostra fragilitas: nam habentes tam validum clypeum, & protectionem adeò tutam, nosmetipsos permittimus superari: animus hodiè postulet lumen ad explorandas satanæ artes, & robur, ut resistat ipsis. 84.

CAPUT III.

De voluntate.

85. **T**ertiâ Dominicâ considerabis fervidum amorem, & charitatem, quâ Domini voluntas suscepit, & acceptavit in suâ conceptionis momento pro hominum peccatis satisfactionem, subiens ad illorum remedium, crudele, & turpe mortis genus. Ponderabis singula, quæ hanc mortem circumstabant, ut ita pluris æstimes præclara facinora, quæ sponsus tuus pro te aggressus fuit. Hodie confunderis attendens, quàm levia in ejus obsequium facis, etsi fortè aliquando aliqua exigui momenti adoriris: quàm citò animum despondens retrocedis: ira hodie (inquam) cogites, ut te magis tuæ ignaviæ pudeat.
86. Die Lunæ meditaberis Domini charitatem aded ejus voluntatem incendisse, ut plus cruciaretur nostrâ jacturâ, quàm suis doloribus: itaque ingenti mœrore afficiebatur, quòd animæ perderentur, vel quòd ex suis angoribus non caperent utilitates, quas ex iis percipere poterant. Socius esto illi in hac anxietate, sentiens, & dolens te insensibilem esse, tuumque exilem esse profectum, & nullas tibi ferè te suppetias ferre, ut observantia, & religio in Deum augeatur. Tuarum negligentiarum hodie rationes subduces, inveniesque, cum debes ulterius progredi in hoc itinere, in eodem te regredi.
87. Die Martis contemplaberis, ut Redemptoris nostri amor fuerit ejus dolotum initium; & cum iste extiterit tam magnus, eos aded ingentes effecit, ut sufficerent ad illum vitâ privandum, nisi aliundè ope divinâ stabiliretur: quare tot vitas illi debemus, quot sunt lethalia peccata, quæ nobis ademerat.
88. Die Mercurii, contemplaberis, ut Dominus spontaneè, & ultrò voluerit vexari mœrore, timore, & metu illarum rerum, quas homo suâ naturâ declinat, & abhorret; ut ostendit in horto. Hæc die Dominum comitare compatiens illi de tanta tristitia, & admirans amorem, qui adegit Angelorum lætitiâ ad agonias, & Omnipotentem timere. Hæc universa acceptavit, & sensit amor ejus, dum in utero matris habitaret. Pudeat te vehementer divinâ Majestate voluntariè pro te admittente tristitiâ, & timorem, te appetere vitam jucundissimam, & sine ullo mœrore transigere.
89. Die Jovis perpendes Dominum tui causâ obnoxium extitisse pudori, confusione,

& dedecori; ut hæc senserit præsertim ab ejus in horto comprehensione, donec in Cruce animam efflaverat: itaque in passionis singulis mysteriis scrutare dedecora, & opprobria, quibus persona tam regia fuit affecta. Pudeas de tua superbia, eò quòd, tot ignominias, & contumelias pro te ferente Domino, te velis honorari, & laudari in omnibus, dignus cum sis æterno pudore.

Die Veneris in mente revolve, ut Dominus pro amore tui voluerit suscipere 90. carnem, doloribus obnoxiam, & mortalem, ut valeret sufferre eos, & mori pro te. Gratum te præsta ipsi ob hoc beneficium. Hodiernum exercitium sit præcipuè considerare illa tenuia Domini membra in matris utero: ut sanctissima Domini anima ibi Patri æterno offerebat, & ab eo acceptabat omne illud, quod deinceps toleratura, & passura erat. Magnam hæc præmeditatio pariet tibi confusionem, ut animo etiam renuenti, sufferas in tuo corpore poenam, & dolorem.

Sabbatho discuties mente, uti Dominus 91. eliciebat suos actus magno cum amore, voluntate, & fervore, absque omni defectu, offerens omnia, quæ operabatur, pro nobis: sciebat enim omnia nostra opera nullius valoris futura esse, nisi ad ea adjuvaremur divinâ gratiâ, suisque meritis. Oravit, flevit, jejunavit, ut ita nostræ orationes, lacrymæ, jejunia vitam æternam mererentur; ut talium operum fervore nostra frigiditas inflammaretur, quæ vel in matris utero mœrorem ei incutiebat: Ingenti pudori debet esse, te hanc poenam non tantum non sentire, sed illius causam te fuisse in omni opere, quod cum negligentia exequutus es. Hujus diei exercitium potest divagari per omnes occupationes, quibus distenduntur actiones religiosæ; negligentiam, quâ retardantur, retrahes; unde hujus diei confusio dimanabit, quæ finem imponet trium hebdomadarum ante Domini nostri natales meditationi.

TRACTATUS IV.

Varia pro Variis.

CAPUT I.

Documenta cuidam Nobili amico.

UT tuus animus; Domine, non suffocetur in hujus seculi mari procelloso, in quo vitam degimus; conare observare documenta, & regulas, quæ hic sequuntur. Pri-

93. Primum singulis diebus, statim, ut lecto surrexeris, auspicare diem à laudibus divinis ob beneficia in te collata à divina majestate, hâc methodo orationem contexens. Domine mi, JESU Christe, magnas tibi refero gratias, quod me conservaveris in omni præterita vita usque ad hanc horam; tu domine, me expectasti, ne mei inimici mei dominarentur, nec me persequerentur secundum merita mea, & ob peccatorum meorum multitudinem, quorum me pœnitet, & de quibus me accuso. Offero me deinceps tuo obsequio; meum animum, corpus, filios, & clientelam dirige; omnes meas cogitationes, desideria, verba, & opera juxta tuam voluntatem gubernata. Propono deinceps non committere lethalem, nec venialem culpam, & ad id executioni mandandum, obsecro ut mihi tuam gratiam largiaris.

94. Secundò, quoniam scriptum est, non defutura infortunia, & dolores jurantis domui; & quia ille, qui sic vitio affuescit, solet jurare in promissionis adulatoriæ confirmationem, & quoniam omni juramento inest peccatum, si fiat sine justitia, veritate, & necessitate, licet non sit in alicujus nocumentum; teneris evitare juramenta juxta Evangelium, in quo Dominus dicit; *Ego autem dico vobis non jurare omnino, sit autem sermo vester, est, est, non, non.* Itaque juramenta vitanda sunt, verbi gratiâ; Itâ Deus me sospitet; nunquam Deus me adjuvet; in animo meo juro; ita Deus me ad cælum perducatur; per istam Crucem; quæ juramenta, præterquam quod sunt Dei offensa, si fiant sine justitia, veritate, & necessitate, te non decent, nec tuam conditionem. Si volueris in negotiis magni momenti, poteris stabilire tuum verbum, addens; ita profectò se habet res; proculdubio veritas est, quod profero.

95. Tertium Domine, tibi cavendum est maximâ curâ, ne aliquid dicas, quod in honoris, vel famæ alterius detrimentum vergat. Hoc vitium vocari solet detractio. Sed quando audiveris de aliquo gravia delicta, vel aliud, quod lædat ejus famam, ne fidem adhibeas dicenti, nec te hilarem, aut conniventem vituperanti præbeas; potiùs ostendas tibi displicere omnem detractionem. Utere semper laudabili tui discussione, ut tibi occupatò erga teipsum non vacet judicare de alienis malis, sed potiùs oculos convertas ad eorum virtutes, & bona opera, ut eos æmuleris, & sequaris.

96. Quartum observandum est, singulis noctibus, antequam cubitum eas, ut discutias, & examines tuam conscientiam; fa-

tearum coram Deo, & Angelis te reum superbiæ, invidiæ, odiorum, inimicitiarum, suspicionum, & judiciorum, quæ habuisti cum temeritate; tristitiæ, & lætitiæ vanæ ex rebus hujus mundi; desideriorum non temperatè divitias acquirendi, dominationes obtinendi, vel honores adipiscendi temporarios; suggestionum contra fidem, & adversus pudicitiam, & castitatem, non strenuè propulsarum; mendaciorum, inutilium verborum, juramentorum sine necessitate, nugarum, & convitiarum in proximum; operum non Dei voluntate consentaneorum; ingratitude erga divinam Majestatem; oblivionis beneficiorum Dei; siccitatis veluti aristæ in oratione; charitatis tepidæ in pauperes. Horum omnium te pœniteat sigillatim, & de eisdem veniam pete à Domino cum proposito firmissimo emendationis, & postquam lacrymis tuum lectum laveris, Davidis imitatione, dormies somno sedatiore, & senties ingens conscientiæ levamen, & animi tui consolationem.

Quinto loco observandum est, ut quoties cognoveris tuum animum prolapsum fuisse in peccatum aliquod lethale, vel recordatus fueris alicujus gravis delicti, statim adeas confessarium, & id apud eum aperias, petens ab eo salutarem pœnitentiam. Hoc moneo exequaris, non omissis confessionibus, & communionibus constituto tempore. Vitâ ita compositâ, in Dei amicitia perseverabis, ut quodlibet bonum opus tuum vitæ æternæ meritorium esse possit.

Sextum sit, ut constituas singulis diebus meditari aliquid ad futuram vitam attinens. Poteris inchoare ab hujus mundi vanitate; deinde revocare in memoriam omnes homines morituros esse, breviq̃ue futurum ut mortalium gloria dispereat instar fumi: hujus sæculi dominationes, & favores ut plurimum nos decipere; siquidem tempore magis necessario nobis fucos ostentant, permittuntque nudos, & vacuos sepulchris: omnes sistendos esse, ante Christi tribunal, ubi reddituri sumus rationem de omnibus, quæ hic accepimus; & nisi serviverimus Deo, parata esse tormenta æterna, in quibus elati, invidi, avari, & cæteri flagitiosi æternum ardebunt. Contra verò, si sapias rectè uti tempore, & vitâ tibi à Domino concessâ; si perseveres in gratia, & excellentia virtutum, intrabis in cælorum regnum, quod Deus præparavit suis electis; ubi vives, dynasta, potens, dives, omnibus bonis locuples; fruëris vitâ sine mortis periculo, salute sine infirmitate, requie sine labore. Ibi desiderium tui animi tribuet tibi Do-

minus. Ibi experieris quàm abundanter Dominus munerat suos servos. Ibi, si fieri posset, poeniteret te non plura opera te fecisse in ejus rei obsequium.

Septimò statues apud te, cum eleëmofyna Deo nostro sit acceptissima, quàm peccata redimuntur, & evanescunt, liberalem esse, (quantùm ratio permiserit, in pauperes, pro comperto habens, quantum hoc sine erogaveris, tantò te donandum utilitatis, & honoris. Injunctum sit œconomus, ne sinat pauperes domo abire sine aliqua eleëmofyna; nec tu ipse patieris discedere vacuum aliquo solatio illum, qui à te petiverit Dei, vel Deiparæ nomine, recordatus te etiam postulare sæpiùs eleëmofynam ad misericordiæ Dei januam, qui tibi impertietur gratiam hinc æternam, in sine gloriam largiturus. Reminiscere scriptum esse remetendum esse nobis eadem mensurâ, quàm mensi fuerimus.

99. Octavò tibi decernendum est, singulis diebus te macerare aliqua in re saltem levi, ut in cibo, potu, aut somno, vel in sufferendo aliquem laborem, licet exiguum; verbi gratiâ, ut persistas per aliquod intervallum flexis genibus, vel pergas ad Ecclesiam, aut cohibeas iram, quam in aliquem te offendentem concipis; vel tuæ voluntati obsistas, cui aliquando repugnare debes Dei amore. Hæc autem ultima maceratio si continetur per singulos dies, est admodum proficua, & solet ab ea provenire ingens gaudium cordi.

100. Nonò invegiles tuæ clientelæ: honores tuos probos, & fidos servos; punias improbos: ne patiaris domi (& si fieri potest) nec in tua ditiorie peccatorem publicum, blasphemus, concubinarios, & qui Rempublicam perturbant, aut temporibus ab Ecclesia decretis non procurant suos reficere animos poenitentia, & Eucharistiæ Sacramentis; nec sacro unquam Missæ Sacrificio assistunt, quando obligantur. Omnes etiam, qui in inimicitii perseverant, & qui alicujus gravis delicti labe asperguntur, jubebis expelli, vel ejici, si semel, aut bis moniti nolint in suæ correctionis remedium incumbere, quamvis utilissimi appareant: non enim deficient, qui tuæ dominationi obsequium præstent, & serviant sine Dei offensione. In Ecclesiæ jejuniiis famulos, qui hoc præcepto tenentur, non reficias nisi semel in die prandio congruo, nisi aliquis in Deo, & in sua conscientia, & bonâ fide asseret se, vel ob debilitatem, aut ob aliqualem ægritudinem non posse jejunare; nam in tali casu absque scrupulo valet illi cœna ministrari.

101. Decimo loco notandum est, quamvis

propter fragilitatem, aut incuriam non attenderis ad hæc documenta, vel non integre ea custodiveris, postquam in animum induxeris illa observare, te non debere hujus defectus ratione animum despondere, aut desperare de eorum observantia; potiùs majore conatu insistendum illis, surgendumque majore fervore, quoties cecideris. Nam Deus respiciet bonum tuum desiderium, & præbebit tibi suam gratiam, ut exequaris rectius, quod cogitas, nempe id obsequium erga Christum JESUM nostræ salutis authorem, cui gloria, & honor sit, ut eum dilaudes in hac vita meritorie, & in altera cum plurimo decore, ac pulchritudine. Amen.

C A P U T I I.

Continuum exercitium, in quo quilibet Christianus debet singulis diebus se exercere, ut magnâ voluptate diligit Deum, & ei serviat.

Primò tua verba sint pauca, & amore sedata, charitateque redundantia, & ad res divinas attinentia. Saltem inutilia, otiosa, & futilia ne proferas. Secundò meditare continuò Deum, & multum temporis impende in ejus contemplatione. Tertio, à te laudantibus profus discede, & à detrahentibus aliorum famæ te remove. Quarto defende proximos, & quæ tu pravè feceris, à teipso damnentur. Quintò ne curiosus sis in investigandis alienis negotiis. Sextò ne supervacaneis studeas, sed te occupa in despiciendo temetipso; dignus enim es omni contemptu. Finge à te interrogari; unde es, vel unde originem trahis? Et respondebis ex nihilo. Si fortè à te inquiratur; quem te dicas esse? Dices, inanem flosculum, & in nihilum convertendum, si ita placeret Domino. Septimò, quando tuam januam pulsant tentationes, & tribulationes, demissè iis respondebis; ego ad hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut patiar pro Deo: gratias ago tibi Domine, quia sic fuit placitum ante te. His quotidie te debes exercere, mane, & meridie, & vespere. Hæc legas omnibus diebus vitæ tuæ, adjuvanteque divinâ gratiâ speres te in spiritu magnos progressus facturum.

C A P U T I I I.

Exercitium spirituale pro Nobilibus, & hominibus negotiis præpeditis.

Una ex maximis misericordiis, quibus Deus homines regit, est ipsum sternere illis aded facilem, & suavem salutis æternæ

æternæ viam; ut nulla res adeò redargu-
tura, & convictura sit malos, ac eorum pro-
pria conscientia, dum jam damnati confide-
rent, quàm facilè possent antea adipisci fe-
licitatem æternam, nisi haberent nimiam
incuriam in ea procuranda: sed cum ejus
consecutio consistat in observazione Dei
mandatorum, opitulante divinâ gratiâ,
de iis tradenda duxi sequentia monita.

104. Primò, Christianus debet laborare in
non faciendâ aliis injuria, tum in fama, tum
in re familiari, sed resarcire illatam, me-
diâ restitutione; *Quia non dimittetur pec-
catum, nisi restituatur ablatum.* Quando ali-
quis se viderit his obligationibus immu-
nem, caveat ne in eas iterum incurrat; si-
quidem, qui illis obnoxius est, in gravi
materia, nullum opus Deo gratum possit
facere, cum non solvat quod debet, re &
opibus potens. Secundum monitum sit,
ut unusquisque nocte, antequam cubitum
eat, adhibeat diligentiam, ea ad memo-
riam revocandi omnia, quæ illo die cogi-
tatione, verbo, & opere egerat, tum omis-
siones illarum rerum, quas juxta suam
conditionem, & officium tenebatur exe-
qui, exigens à se supradictorum rationem:
figillatim indaget defectus, in quos circa
hæc est prolapsus, ut navet die sequenti
majorem operam fugiendis, & declinan-
dis illis. Tertiò, quolibet die saltem per ho-
ræ quadrantem meditetur Christi vitam,
præcipuè ejus sacratissimæ Passionis meri-
ta. In hoc indefinenter perseveret, licet nul-
lâ, quæ ex iis meditationibus aliquando
provenit, consolatione perfundatur. Vo-
luptatis carentia non retardet à tam sancta
exercitatione; sed inde divinâ favente
gratiâ, si conveniat, se affectum iri à Do-
mino divinis solatiis, & oblectamentis spe-
ret, modò quantum in se fuerit, obnita-
tur in hanc rem, liber ab aliis negotiis: dum
oret, conetur totum se Deo immolari;
magis attendat ad meritum, quàm ad
aliam aliquam voluptatem, quæ devotio
sensibilis vocatur.

105. Quarto loco, decerne stabili proposito
animum tuum expiare sancto pœnitentiæ
Sacramento, adiens confessarium, deci-
mo quinto, aut vigesimo die, vel ad sum-
mum unoquoque mense: per frequentiam
enim hujus Sacramenti confert Deus mul-
tam gratiam, ut fugiamus offensas, & in
virtute progrediamur. Quinto loco mo-
nitum te volo, ne aliquid opereris, quod
non ad Dei gloriam referas. Cum iter facis,
diriges tuos gressus ad Dominum, illos ei
offeras, mente tuâ decernens veluti illum
insequi deductum in Annæ, Caiphæ, He-
rodis, & Pilati domos, vel ad Calvariæ

montem. Aliis vicibus comitare Deiparam
in itinere, quod ad visitandam sanctam
Elisabetham fecit, vel fugientem cum Je-
su suo filio in Ægyptum: quando manè te
induis, considera nostri Domini nuditatem,
aut in nativitate, aut in cruce; vel cogita
illud ludibrium, quo in ædibus Herodis
datus ei amictus fuit albæ vestis, & in Pila-
ti vilissimæ purpuræ indumentum. Quan-
do te vestibus denudas, perpende, ut Do-
mino jam jam in Crucem agendo summis
pœnis, & tormento divulsa fuit vestis, car-
ni sanctissimæ agglutinata, & adhærens ob
sanguinem priùs effusum verberum imma-
nitate: quando manducas, aut bibis, con-
templare famem, & sitim tui Redempto-
ris; & ita in omnibus tuis occupationibus
reperies de ejusmodi rebus piissimas medi-
tationes.

Evita omni conatu detractiões, & si- 106.
nistra de proximorum factis judicia; ob id-
que omnis verus christianus debet boni
consulere aliorum acta: bona indoles, &
natura, quâ à Deo præditus es, colliment ad
inveniendas rationes, ut veritas in bonam
partem gesta proximi, etiam illa quæ ali-
quam mali speciem præ se ferunt, inqui-
rendo motiva ad judicandum rectè patrata
fuisse, aut saltem intento bono fine: nam
ex hac in judicando temperantia, & be-
nignitate, semper elicies haud mediocre
emolumentum, & propriam emendatio-
nem. Perseverantia in primis commenda-
tur, & injungitur, sine qua nulla bona
possunt opera ad perfectionis culmen per-
venire.

C A P U T I V.

Monita ad sacram Scripturam legendam.

CAlcare, & negligere Margaritas, quas 107.
Deus nobis in Scriptura reliquit, ve-
titum eodem gradu est, quo laudari debent
omni animi demissione, ne in re divina pro-
ditionis infimulemur, & à Deo castige-
mur, ut ille peccator punitus fuit, cui di-
ctum est: *Quare tu enarras justitias meas, &
assumis testamentum meum per os tuum, &c.*
Unde notantur sequentia capita.

Primum postquam me examinaverim, 108.
juxta quinque monita tacta in examine
proximè præterito, Spiritus sancti gratiam
invocabo, cum solum ejus dono possit in-
telligi, quod in Scriptura sacra dicitur.

Paulatim considerabo lecta, sic enim exi- 109.
git mysteriorum, quæ in lectione repe-
riuntur, magnitudo. Notabo reprehensio-
nes, ratus me illis carpi, ut adhibeam re-
medium rebus futuris. Lectis ad divinam

M m m 2 just-

justitiam attinentibus temperabo meas cupiditates, illis, quæ propriæ sunt divinæ misericordiæ, moderabor meos mœrores, & angores: spectantibus ad spem, & fiduciam, quâ Scriptura munit Dei servos, roborabo diffidentiam: præmiis, quæ promittuntur, subveniam meis laboribus: inflammabo voluntatem amore, quem Deus erga nos ostendit: de aliorum suppliciis exempla sumam: sequar itinera, quibus Sancti viam instituerunt. Tandem perinde omnia legam, ac si mihi soli dicta essent. Quando aliquid non intelligam, non scrutator ero Majestatis; sed gradum ulteriùs faciam, veneratus mysterium, quod ibi est reconditum. Ratione tam exigui mei profectûs stupebo me aliquid de Scripturis sacris callere.

110. Quando Dominus aliquâ intelligentiâ me instruxerit, vel aliquâ spiritûs suavitate molliverit meum cor, gratus ero. Grates referam diligens in operando, ne omnia in detrimentum meum convertantur.
112. Quando absolvero lectionem, ad mentem deprompta redigam, & in iis me exercebo. Quando incipiam legere denuò, obiter præterita relegam, pudore suffusus, propter illud, quod negligentius feci, & omisi: nam ista mihi confusio convenit ob meam negligentiam: eliciam mihi utilitatem hæc ratione, nempe dolorem, & propriam cognitionem ex mea incuria, & ex muneribus in me collatis gratiarum actionem.

C A P U T V.

Monita spiritualia, quibus sternitur via ad perfectionem.

113. **C**onsolandus est, qui exoptat esse Societatis JESU, alteriusve Religionis verus filius, unâ re inter alias, scilicet, frequenti suæ vocationis consideratione. Inde enim depromet, sicuti ex auri ditissima fodina ingentes thesauros ad suum solatium. Nam si ærumnis conflictamur, solabimur, quod ad labores nos vocaverit Deus. Si diffidentiâ (ex qua oritur spiritualis mœror) petendum gaudium ex cruce Christi. Si mors incutit pavorem, magnum munimentum suppedabit amor exhibitus in nostra vocatione. A rege vocati frequenter solent stipati pergere haud exiguo decore: multò magis cælorum Rex suos honorat; quoniam illos, quos vocavit, magnificavit.
114. Si me conspicio desertum, & destitutum, ingens bonum erit attendere meam vocationem, & obligationes, ad quas me adigit.

Quod si ritè utamur hæc consideratione, inveniemus paratissima remedia.

Primo loco orationis studiosus esto, 115. quatenus vires, & munera permiserint; & quando volueris illi vacare, tibi persuade ad debitam proportionem rediturum tuarum potentiarum, & sensuum horologium, quod suis propensionibus, & hujus seculi miseris passim labefactatur, & cursu deficit. Deo enixè supplices, ut illud in ordinem redigat.

Secundo loco, licet non incumbas orationi per longa temporis intervalla ob ingruentes morbos, aliave similia, saltem sæpè ad Dominum spiritum tuum eleva, si aliter fieri non potest. Ut ratiocinator habe rationem accepti in tuo animo per sanctas inspirationes, & consolationes, expensique per fragilitatem, & incuriam; & illius simul, quod dilapidaretur, nisi fuisset tuus animus Dei gratiâ munitus. His invigila, & ita pervenies ad Dei, & tui cognitionem. Primâ consideratione ad Deum perducis, & secundâ à te disjungeris; ex acceptoque, & expenso proficies, & *pascua invenies.*

Tertio loco, erga sanctissimæ Incarnationis mysterium obsequentissimus sis. Te offeras Christo, ut ipse Dominus obtulit se pro te in suæ incarnationis primo momento. Illi vivas, illi labores, desleas illi; exhibeas ei hoc debitum tam justè contractum, & tam malè à te solutum.

Quarto loco, quando visitas sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, animadverte, te tunc à Domino visitari potius, quàm illum à te. Considera ad quæ negotia vocaris; an fortè indiget Dominus tuâ industriâ in realiqua? Nullâ sanè in re. Ei dicas igitur; ad quid utilis sum Domine, & quid de me intendis toties me vocando; benedictus sis, quoniam *honorum meorum non eges*; videris, Domine, obligare fidem tuam in me liberando, dicens; *Invoca me in die tribulationis tuæ, & eruam te, & honorificabis me.* Accipe amicè, quidquid tibi applicitum fuerit. Perpendas Regibus Magis, cum onerati muneribus tam peregrè venirent, nullum responsum fuisse datum, nisi in somnis, quo admoniti sunt, ne redirent ad Herodem. Hoc ipsum tibi respondetur, ne revertaris ad Herodem tyrannum, nempe ad tuum veterem hominem, vel mundi illecebras. Egregiè actum erit de te, si ita è Dei conspectu abiveris.

Quinto loco, considera hæc verba; 120. *Ponite hæc in cordibus vestris; quod non est malum in civitate, quod non fecerit Dominus, videlicet poenæ malum, quatenus illud vult ad magnam utilitatem populi, ut ei*

omnia

omnia cooperentur in bonum ; ideoque ab auditione mala non timebit. Eodem vultu te reperiatur Deus in prosperis, & in adversis. Ita in calamitatum tolerantia coronaberis, & etiam in consolationum, & illuminationum spiritualium voluptate ; nam tellus ita indiget vomere proscindi, uti pluvia irrigari suis temporibus. Hæc enim utilissima sunt, ut suum fructum proferant.

121. Sexto loco, contemplare ad majus in hac re solatium, tribulationes esse Domini hospitii adornatores: itaque exulta, cum videas ab illis domum tuam occupari. Quod si cupis Calvariæ montem subire, & ibi experiri Christi Domini Cruci affixi fructus ; & exclamare, *Verè filius Dei erat iste* ; Gaudeas in cruce, quæ tibi obtigit : hoc enim gaudium indicium est, te quàm citissimè ascensurum esse perfectionis montem.

122. Septimo loco labora in Christi Domini imitatione : quod si fueris Sacerdos, cum Sacramentum pœnitentiæ administrans, dæmonem è confitentibus expellas, & in Missæ sacrificio in crucis formam positus illius mysterium referas ; confundere, quod per absolutionem devincas dæmonem ; te autem à tuis flagitiis non liberat ; & cum sis sicuti malus latro, Christi Domini personam repræsentans, sæpissimè sanè mali latronis mereris perire suspendio. In aliis materiis eadem cogita, aut similia, servatâ proportione.

123. Octavo loco, ne obliviscaris exercere te in tui abjectione, habens in promptu aliqua, quæ tibi, ut loci topici, vel communes deserviant, quando aliud præsentius non occurrit. Pudeat te conspiciere tuas manus, aut opera, aut pessimos gressus, aut linguam, dum revocas in memoriam ejus mendacia, & detractiones : imo uti concipiendus pudor de malis operibus ; ita suo modo admiratio, & confusio de bonis. Unde in hæc verba veluti stupens prorumpes ; *Numquid colligunt de spinis uvæ ? quomodo potest arbor mala bonos fructus facere ?* Proculdubio hinc deduces, meliori plantæ te insitum esse.

124. Nonò, si Deum amas, dolore afficeris ob peccata, & offensas à te patratas. Ex hoc dolore nascetur tui ipsius odium, siquidem non nisi proditor talia admittit ; & cum ex odio oriatur vindictæ appetitus, inferes tibi omne, quod opponitur sensuum voluptati, ut ulciscaris te de tuo corde, à quo tot mala opera accepisti, quæ te à Deo removebant, & separabant ; istaque sanctâ vindictâ ex parte satisfies, si fortè aliquando exoptasti de proximo te vindicare. Cum Davide dices, statuens cor tuum tan-

quam tibi inimicum ; Persequar inimicos, & comprehendam illos, non convertar donec deficiant.

Decimo loco, in fratribus duo attendas : consideres eorum virtutes, ut eas imiteris, & defectus, qui palam ita sunt, ut eos evites. Conferas postea ipsorum virtutes cum tuis noxiis ; quod si id fuerit tui muneris, eos insuper blandiori manu carpe ; & sic fratres corrigentur ; tu verecundaberis, & cæteri proficient. 125.

Undecimo loco, si fueris Superior, habeas aliqua tempora assignata ad visitandas officinas, & earum præfectos ; & præcipuè illa, quæ ad Sacrarium, Ecclesiam, divinumque cultum pertinent, accuratissimè invigilans in hac re promovenda. Perpendas curam, quâ divina bonitas incumbit incolendo tuo animo ; videtur enim semper in manu habere ligonem, & sarculum. Quare te præstato gratum illi pro tanto beneficio. 126.

Duodecimo loco, tuas culpas recognosce, & pro illis clam pœnas subeas secundum factam à confessario facultatem, licet in publico ob honestatem, quæ munus decet, pœnitentiis non vaces. 127.

Denique ne obliviscaris Deum pro te, tuisque rogare. Omni nixu labora, ut consequaris reverentiam, & devotionem erga sanctissimam Trinitatem ; ob idque ita dispertire diem, ut à matutino tempore usque ad peractum sacrosanctum Missæ Sacrificium, quidquid boni feceris, Patri consecres : reliquum diei tempus Filio offeras, & Spiritui sancto noctem. 128.

Quando opus tibi fuerit aliquid impetrare, Patri æterno id supplicâ. Si aliquid memoriam tuam fugit, cujus memor esse, est necessarium, ad Patrem recurras. Cum tua scelera menti offeruntur, coram æterno etiam Patre ea plange. Quando vividè turpia flagitia repræsentantur, subsidium ab eodem Patre postules, ut illa deleantur. Idem facies apud Filium, commendans illi tuam mentem ; & apud Spiritum sanctum ; ut tuam voluntatem moderetur. Deinde sanctissimæ Trinitatis Litaniam uteris juxta bonos affectus, quibus moveri te præsenties. 129.

C A P U T V I.

Aliqua remedia, ne Dei servi mortem indifferetè timeant.

Licet vera sit illa Philosophi parœmia, mortem terribiliorem esse malis omnibus, quæ in hoc mundo sunt ; non tamen infertur inde semper, & ab omnibus esse

indiscretè timendam. Potiùs asseverandum animi fortis, culpæ expertis, & divinâ gratiâ muniti esse, non tantùm mortem non perhorrescere, nec eâ terri, dum prospera valetudo viget, verumetiam eam in votis habere. Manifestum est aliquos sanctos, & Dei servos (ut divus Gregorius refert) in articulo jam mortis constitutos eam metuisse. Clarum deinde est hunc mortis timorem utilissimum esse plurimis, ut suæ vanitatis implicitos orbis explicent; & suæ æternæ saluti prospiciant perditissimæ vitæ homines, qui eam degunt in lethalibus culpis oblii suæ salvationis. Tamen (ut dictum est,) animum divino favore adjutum, & quantum in se est, facientem, ut optimè præparatus reperiat, non decet ultra modum formidine mortis torqueri. Hoc enim ad nihil aliud deservire potest, nisi ad scrupulos excitandos, tumultus commovendos, & angores adducendos sine aliquo emolumento, impediendo majora commoda. Itaque ut nimium animus non paveat, aut terreat, vel horreat mortis memoriâ, videntur profutura sequentia remedia, præsuppositâ jam curâ, quâ quis conetur semper se dispositum, & vigilem inveniri in tremenda illa hora. Nam sic vitam instituenti, nulla mors improvisa, aut subitanea incesset.

131. Primò, ad mortem non timendam juvabimur continuâ, & frequenti illius memoriâ; nam tantam vim mors habet, ut ferocia sedet, & multa cum bestiis minimè cicuribus consuetudo consequitur, ut non incutiant eum timorem, quem initio ingerere solebant; ita licet mors sit terribilis, crebra illius recordatio, continuaque cogitatio efficiet, ut illâ non percellamur. Si enim divus Gregorius dixit, sagittas, quas per aerem venire cernimus, minùs sentiri, quàm illas, quas non prævidemus; eadem ratione asseverabimus, si frequenter conspexerimus mortis tela, multò minùs futurum, ut illam perhorrescamus. Nam ut equi, & mulæ, qui ferè nullo fundamento oblato formidinis, retrocedunt, percelluntur, & propriâ veluti umbrâ concutiuntur, postquam semel, aut bis adiunguntur progredi, omninò timere desinunt; ita nostrum corpus metui est obnoxium, & suâ umbrâ, hoc est morte pavet; sed si cogamus ulteriùs procedere familiari obitûs reminiscentiâ, adipiscemur, ne his larvis commoveamur, quin irridebimus nostros vanos timores; semelque hoc metu liber animus ita muniatur, ut exoptet pro Christo mori: ob idque sanctus Cyprianus agebat; *Spontè incipimus martyrium desiderare, quando mortem non timere discimus.*

Ideoque Christus Dominus toties, & 132. tam frequenter in suis colloquiis loquebatur de sua morte, ut doceremur nostram non formidare: id faciebat ut nostras delicias, sermones, convivia, & oblectamenta misceremus mortis recordatione, uti desiderat divus Joannes Chrisostomus, addens, voluptatum, & facetiarum abusum, animo non solum nihil prodesse, sed eum enervare etiam. At verò frequens sermo de rebus lugubribus, ut de morte, omni desidiâ, & fragilitate animum expedit, & illum reddit constantiorem, & fortiorem; veluti, qui volunt scrobem, aut flumen saltu transilire, ineunt cursum longè ante saltum, ut meliùs illud postea transmittant; ita ut faciliùs, & suaviùs hujus vitæ spatium absolvamus (quod morte fit) efficax remedium est, ante illam quàm remotissimè nos disponere, recordati continuò nostræ mortis, priusquam urgeat; nam ita illam flocci pendemus, & levior, faciliorque reddetur. Ut enim cujusdam bestię ungulam scimus deliquio laborantibus mederi, sic cordis defectione nos liberabit mortis memoria; Itaque hoc remedium judico efficacissimum, & aptissimum.

Secundum remedium sit (quo nullum 133. melius) frequens recordatio Christi Domini mortis; nam ut ait divus Augustinus, Ideò voluit divina Majestas pati mortis tam terribile genus, ut fideles nullam timerent. Ille in sua comprehendit omnes nostras mortes, ut omnes illam spectaremus, siquidem (ut Ecclesia canit in resurrectionis præfatione) Christus Dominus suâ morte destruxit nostram, & suâ resurrectione restauravit nostram vitam: ita debilitatam reliquit cæteris mortem, ut multi intrepidè, & audacter illam aggredi possint; & ita sanctus Cyprianus dicit; *Qui pro nobis semel mortem superavit, in nobis semper eam vincit.* In Gethsemani horto Christus Dominus mortem timuit, ut nos illam non timeremus. Suis tentationibus nostras linivit; suis laboribus nostros levavit; suo metu nos nostro exemit; suâ morte effecit nostram posse nobis dulcissimam, & optatissimam esse: nam ut ascendens in Crucem abstulit ab ea omnem ignominiam, & dedecus, quo antea aspergebatur; ita moriens morti ademit cunctum rigorem, diritatem, terroremque, quem solebat incutere; hæc mortis Redemptoris nostri Jesu Christi consideratio efficiet, ut nostram timere sinamus; quia si legimus in Machabæorum libris rubrum succum ostensum fuisse elephantibus ad bellum delatis, ut illo veluti sanguinis colore incitarentur ad adoriendum sine timore; meliore

liore jure nos ante oculos semper habentes mortis Christi memoriam, & recordantes ejus sanguinis pro nobis effusi, animos, & vim capiemus, ut aggrediamur sine timore, & metu mortem, & audaciâ generosâ eam expectemus; multum enim juvat videre stationem servare ducem, inimicosque invadere, ut milites idem exequantur.

134. Aliud remedium potest esse, recogitare, uti nullus mercenarius est, qui sui operis finem non desideret, ad desistendum à labore, & ad mercede fruendum; ita nullum hominem esse debere (si modo justus sit) qui morte non gaudere debeat, & illius memoriâ; siquidem illa est meta, & terminus laborum, & quæ secum affert stipendium, & requiem: quamobrem non solum non est timenda, sed potius amanda, & optanda mors, cum certum sit timoris defectu, aut moriendi amore hominem in ipsam ita animari, ut malum tam terribile vix timeat. Si experienciâ comperimus, illum qui inimicum vilipendit, eundem validius impetere, indeque reportare victoriam; meliore jure dicemus hoc idem de illis, qui assuescunt mortem non formidare; sed ipsam nihili ducere; quis igitur erit, qui non exoptet, & diligat mortem, trutinans requiem, quæ per illam comparatur. Si mari procelloso navigantes desiderant portui securo appellere; cur gaudebimus in hujus miseræ vitæ tempestatibus semper fluctuare, aut non potius lætabimur mortis memoriâ, quæ statio est segura, quieta, ab omniqûe periculo immunis. Quare (ut sanctus Chrysostomus ait) voluit Deus hanc vitam calamitibus, & miseriis esse plenam, ut mortem minus timeremus; & ut remissius vivendi desideriiis flagrarem, sicut qui in arena à tauro vexatus, vel in duello ab inimico nondum victus, cupit aliquem cernere, à quo ab his discriminibus eximatur; ita, qui consistantur hujus vitæ infortuniis, lætantur morte, illis impositurâ finem. Si sacra Scriptura, & sancti Doctores, somnum mortem appellant, nullam ob aliam causam, nisi ut intelligamus sine timore eam desiderandam esse, quæ animo nostro futura est quies; ut quid eam timeamus? Ad hanc rem optimè facit, quod divus Cyprianus scribit his verbis; *Quæ cecitas, & dementia est amare labores, & delectari hujus seculi angustiis, & infortuniis; & non desiderare ab eis liberari?* Et deinde; *Mortem timeat, qui Christianus non est; qui suâ obstinatione non vult consortem esse Crucis, & JESU Christi passionis; qui ex hac morte corporali, migraturus est ad æternam; qui in*

peccatis degens certam sibi persuasit mortem æternam, quæ, dum vivit, illi profertur. Hactenus divus Cyprianus, S. Ambrosius, ubi scripsit de mortis bonis, hæc habet; cap. 4. *Omnifariam igitur mors est bonum; & quia compugnancia dividit, ne se invicem impugnent, & quia portus quidem est eorum, qui magno vitæ istius jactati salo, fide quietis stationem requirunt.*

Ideoque absque ratione ducuntur, qui mortem formidant ultra modum, cum propter peccatum mortis sententia in hominem fuerit lata, ut peccata finem haberent. Nam si illa non interrupisset interitus, & magis vita fuisset producta, plura patrarentur. Unde quamvis propter nullam aliam rem, saltem ut desisteremus, & cessarem à flagitiis, non solum mors esset timenda, sed potius exoptanda. O si Deus ita decernere dignaretur, ut metam imponeremus tot peccatis, quibus singulis diebus alligamur! *Quod si terribilis* (inquit Ambrosius) *apud viventes aestimatur, non mors ipsa terribilis est, sed opinio de morte, quam unusquisque pro suo interpretatur affectu, aut pro sua conscientia perhorrescit: sua igitur unusquisque conscientia vulnus accuset, non mortis acerbitatem.* Denique *justis mors quietus est portus, nocentibus naufragium putatur; certè iis, quibus gravis est timor mortis, non est grave mori, sed grave est vivere sub metu mortis, non enim habemus, quod in morte metuamus, si nihil, quod timendum sit, vita nostra commisit.* Insipientes autem mortem, quasi summum malum reformidant; sapientes quasi requiem post labores, & finem malorum expetunt.

Omnia D. Ambrosii verba sunt contra nimium hunc mortis timorem; multum etiam juvat, quod S. Augustinus scribit his verbis; *Quando mortem times, cur times, fugies ejus vim? Non te adorietur? Timeas, vel non timeas, eveniet, & tuus timor non retardabit, quod times; cessa ab hoc timore; quantumvis illam caveas, te opprimit; formida illud, quod tibi non continget, nisi tuâ voluntate; fuge peccata; ab eis declina.* Ita Augustinus, ut ostendat mortem, prout illa est, non nos territuram esse; sed quando supervenit lethali peccato foedatis, quæ semper metuenda est. Atverò, qui rectè vitam transigunt, & mundè, non est cur timeant, ut sæpè sæpius D. Augustinus asseverat; *Non potest malè mori, (nempe moraliter loquendo,) qui bene vivit.* In Dei inimicitia vitam finire, metuendum est. Ideoque solemus non semel dicere; à mala morte Deus nos liberet. Itaque secundum hujus sancti Doctoris sententiam, fidelis Dei servus non debet mortem time-

timere, sed potius optare; siquidem, qui iuste peragit hunc cursum, feliciter diem claudit extremum. Qua re adimplentur vota omnium rectè desiderantium. Nam nullus est, qui non cupiat fauste à vita emigrare; & ita alibi idem sanctissimus Doctor ait; *Sancta, & perfecta vita est non timere, quæ non sunt formidanda.*

- Itaque mors non est timenda; & ob id
 137. Christus Dominus in sua morte, voluit demonstrare peccatoribus viam salutis. Nam licet quidem multi mortem non timeant; aliquod tamen mortis genus atrocius perhorrescunt. Sed ne mors incutiat ejusmodi horrorem; justi, & sancti animi nullam mortem, quamvis acerbissimam debent odisse; quia ut nos levaret hoc pavore Christus Dominus sustinuit crudelissimam, & terribilissimam mortem omnium, quæ concipi possunt, aut cogitari, licet ad nostrum remedium mortem timerit.

- Ultimum remedium, quod proficit, ut
 138. animus non turbetur, aut terreatur mortis timore, est testamentum conditum, & res disponi firmæ valetudinis tempore, ut Isaias Propheta dixit Ezechiae Regi; idemque D. Augustinus monet. Nam ut omnis discessus in terras remotas afficit poenâ non tantum illum qui proficiscitur, propter pericula quibus se objicit, sed etiam illos, qui domi manent solliciti salutis amici; ejusque profperi itineris; non aliter evenit ex hoc mundo egressuris; ideoque tanto metu afficiuntur, quando illis occurrit abeundi hora, nempe mors. Ad hujus terroris levamen ex una parte necessaria est conscientiae mundities, quæ periculorum metum abstergit, ex alia utilissimum est testamentum factum, quo profecturus se divellit ab omnibus affectibus, veluti dens radicibus excisus, ut cum minore dolore avellatur. Si bene consideretur, nil aliud est testamentum conditum nisi justitiae protestatio, quâ homo unicuique suum tribuit, ut ex hac vita sanctissime discedat, quando tempus ab omnium judice constitutum fuerit adimpletum. Unde legitime testatus, cum mors eum invadit, aut de ea cogitat, non illam adeo trepidat, quia justum est illi, qui mente semper moriens, & ante oculos sibi mortem proponens vixit, obitum non incauto contingere; is enim quotidie morti præludebat, à se removens & divellens quidquid in exitu molestare posset. Sit igitur indubitata res, testamentum factum in optima valetudine secundum leges rationis, multum juvare ad conscientiae puritatem, solatium, & levamen, quod cogit nos mortis metu eximi: quoniam condi-

tum testamentum, non solum est mortis prolatio, mortemque minus gravem reddit jam perpensam, & voluntate volitam, & penè devoratam; sed habenas immittit etiam peccatis, domat pravas cupiditates, debilitatque naturæ affectiones, quæ sunt veluti paranympi, qui homines jungunt cum terreis rebus, dum abest ejus itineris peragendi memoria. His omnibus vinculis, & nodis intricatis solvere nos solet testamentum: nam de illo, qui discernit singulis sua restituere, scilicet rem familiarem hæredibus, & pauperibus, terræ corpus, & Deo animam, non debet ambigi, quin facillimè temperet sibi ab amicitias, voluptatibusque carnis, redigatque illas ad rationem.

TRACTATUS V.

Exercitium ad Dei præsentiam singulis horis habendam.

CAPUT I.

Via Sion lugent, eò quòd non sint, qui veniant ad solemnitatem; Ex lamentatione Jeremiæ.

Flebat Jeremias considerans Hierosolymorum filias negligere venire ad solemnitatem. O anime mi, super te lacrymas effunde, qui Hierosolyma spiritualis es; ex tuis oculis lacrymarum imbres effluant; consideres te me ipsum, sedentem, & nihil operantem; nec ad spiritualis festi solemnitatem, quam singulis momentis Creator filii hominum facit, venientem. Plorent tui oculi, quia non accedunt ad contemplationis festum, intenti in creaturas, & earum pulchritudinem. Sentiant exiguum dolorem, quo concutiuntur tuæ aures, eò quòd despiciant Christi Jesu vocem percipere: sit tibi amaritudo exilis voluptas, quâ Angelorum Regem laudas. Sit tibi acerba tuæ memoriæ oblivio, tuæque mentis, & voluntatis cæcitas: sit tibi poenitentiae fletus, ne cor tuum transfigat in tui obitus die, temporis perversè transacti gladius. Ad te oculos tuos converte, anime mi; considera, quàm parùm jam prosint gaudia præterita, & quàm inutile futurum sit tempus præsens, nisi in obsequium Dei insumatur: & siquidem præditus es liberi arbitrii libertate, quâ, gratiâ adjuvante, mutare vales in aurum perfectissimum, cibi & somni indigentiam, ne spernas tam ingens bonum. Si haberes ejus virgæ potestatem, quàm Moyses habuit,

buit, cum nulla re illam commutares. Sed tua potentia quodammodo major est, & utilior; nam tuæ libertatis arbitrio munitus divinâ gratiâ non in serpentem virgam, sed teipsum ex serpente veluti in Deum, per participationem charitatis, & amoris mutare potes. Ad id autem consequendum, etiam si haud abs re sit jejunare, flagris cædi, & alios labores tolerare; solâ tamen dilectione fieri potest. Attende ergo ad Dei amorem; nam eadem, quæ modò agis, dum curas te induere, alere, cum hominibus loqui, prandere, cœnare, dormire, memoratum præmium adipiscentur, si diligenti consideratione tempus triveris, offerendo opera tua, & cogitationes Creatori. Quoniam si hæc collineant ad divinæ legis regulas, inde orietur vita, & spirituale augmentum.

CAPUT II.

Considerationes ad comparandam propriam cognitionem distributa in septem capita.

Quid ego eram antequam fuisset?

140. **P**rimò considerabo, antequam Deus me crearet, me nihil fuisse: perscrutabor hoc nihil, perpendens me non habuisse pedes, nec caput, nec manus, nec animam; nec vitam.

Quâ ratione se gesserit Deus mecum?

141. Creavit cælum, & Angelos, ut me custodirent; & terram quæ me sustentaret, & aleret; & omnes creaturas, ut mihi deservirent; super omnia Christi humanitatem, cujus sanguis pro me fundendus erat, ut æternitatis præmium obtinerem.

Quid ego teneam facere?

142. Mea lingua tenetur illum laudare; meæ aures auscultare ejus vocem; meus intellectus eum intelligere; mea voluntas eum amare, & se totam ei mancipare; quia me creavit, fovitque. Mei nullo modo indigens fuit; attamen creavit me, ut mihi se communicaret ad suæ infinitæ bonitati satisfaciendum. Unde in hoc opere meus profectus, tum & divinæ majestati laus, & glorificatio intendebatur.

Quid ego fecerim in ejus obsequium?

143. Illius fui oblitus; recusavi meam memoriam occupare in ejus recordatione, aut meam mentem in illius cogitatione, & cognitione, meamve voluntatem in ipso amando super omnia; potius studui destruendo meis manibus, quod ejus majestas operata fuit in me: illum linguâ meâ blasphemavi, & quod deterius est denuò cruciatum affixi meis delictis.

Quid merebar ego à Deo?

144. Detrudendus eram in infernum, ut illo igne meæ manus arderent, ut solverent poenas debitas, eò quòd suis sceleribus causæ fuerint ejus passionis, & dolorum. Mei oculi æternum erant ploraturi, mea memoria semper cogitatura æternos cruciatum, cum ingratiſſimè abnuerim illius reminisci. Nunquam mea voluntas potitura suis votis, quoniam nolui illum amare, nec implere, quod mihi præcipiebat.

Quid Deus mecum facit?

145. Dei beneficio, video Solem cum in tenebris deberem commorari; cumulabat me magnis beneficiis, quando mulctandus eram inferni tormentis; format, & reparat me, cum ego meipsum demolitus sim.

Quid ego teneor exequi?

146. Obligor facere, quod exequeretur ille, qui ex inferno huc remearet: mirabor etiamnum me immunem, à dæmonibus non vexari, sustentari a terra.

Gratiarum actio, eò quòd adscriptus sim Societatis JESV Religioni.

147. Domine mi, & totum meum refugium, quid in me invenisti, ut me respiceres? quid in me reperisti, ut me vocares? quid in me vidisti, ut me aggregares servorum tuorum societati? Nam si expedit illos esse audaces, ego ignavus sum: si mundi contemptores; ego componor ad illius leges. Si sui persecutores, ego proprio ducor amore. Quid igitur, Domine, in me reperisti; aut vidisti? Fortè hoc beneficio fui donatus, quia procacior violavi tua præcepta, aut illa contempſi improbius, quàm alii; aut quia tua opera odi, meis allectus. *Domine adsum mitte me.* O infinitæ sapientiæ pelagus! ô immensæ potentæ magnitudo! An quæris debiliora, ut ostendas in eis tuæ bonitatis divitias? Jure optimo Angeli te laudabunt in admirationem rapti, & hic peccator, videns te velle tua ædificia erigere jactis hisce fundamentis. O anime mi, considera hoc magna cum attentione! Nam si tibi dicatur hoc tibi injungi in peccatorum tuorum compensationem, non minori admirationi tibi debet esse, quia modò captivi vitam egisti, modò eam aliquo cum dolore possides; sed post pusillum cum gaudio omnia obtinebis. O Domine, quæ commutationes, & permutationes sunt tuæ? Quàm mirabile quid est agere, & contractus inire tecum? Res est digna omni expectatione videre, uti delictorum solutionem exigis. Verè Domine, tu ipse es, qui fingis laborem in præcepto; Si quidem poenarum loco indulgentias largiaris, & pro fame, & abstinentia saturitatem.

N n n tem.

tem. Si hic status dirigitur ad passuum, quos pro me progressus fuisti, satisfactio- nem, & tuæ paupertatis, & obedientiæ imitationem; miror eò magis. Tu enim exivisti tuâ domo, & civitate; ego alienâ. Tu exiens à Patre in mundum venisti; sed adigis me mundum relinquere, ut veniam ad Patrem. Tu exivisti ad pœnam, ego proficiscor ad gloriam: Tu ut comprehenderis; ego ex vinculis pergo ad libertatem: Tu ad amaritudinem, & ego ad gaudium: Tu ad tribulationem, ego verò ad quietem. O Domine, & magne Deus ultionum! Ista, quæ ultio est? Quid dicam, Domine, de ista tua charitate? Quâ ratione gratum me præstabo isti amoris. Mihi mens deficit ad intelligendum; lingua jam ad loquendum obruto magnitudine tui amoris. Si nonnulli tuam bonitatem extollunt, quod Judæ parceres, si veniam peteret, (& ritè quidem; nam ob tantam pietatem meritò tibi debentur innumeræ gratiæ) quid ego teneor tibi referre, cum sentiam, & cognoscam te non solùm mihi ignoscere, sed me vocare etiam, perinde ac si à te toties non discesserim. Licet alter Judas sim; attamen iterum loquar Deo meo, veluti pulvis, & cinis. Domine quid in me invenisti? Quid reperisti? Benedictus sis semper ob tantam misericordiam. Sed jam misere- rere mei, ô mea æterna spes; & siquidem habemus in vasis fictilibus tuos thesauros, ut id non sit majori meæ damnationi, debilis cognoscam fragilitatem meam. Fac ut certissimè sciam, quàm sine meo merito in hoc vas talis liquor sit infusus, cum infererim hactenùs infusum. Cum nihil sim, nisi tuorum donorum dilapidator, me sicu- ti alterum Judam putabo: violavi enim fidem tibi præstitam. Confundar coram meis fratribus: prodidi enim magistrum, & minore pretio, quàm Judas. Pudeat me Domine, cum illis manducare; edens enim tuum panem in teipsum insurrexi. Illorum res agere timeam; siquidem tam pravè rationem de me reddiderim. Pude- fiat mea inobedientia, attendens ad obe- dientiam, quâ tibi tuæ creaturæ famulan- tur. Quod nisi satis me pudeat apud illas, & apud habitantes orbem, quali pudore afficiar, aspiciens cæli colonos? Quantum debeo me confundere in Angelorum præ- sentia, cum gloriæ Regis vexilla deserue- rim? Quo animo, deinceps beneficia petam à tua sacratissima Matre, cum per me vi- deat iterum cruci affixum dilectissimum suum filium? Quid ergo dicet in tuo con- spectu putridus, & miser hic vermis, qui aliud nihil scit, nisi à te discedere? O Do- mine, illumina jam meam cæcitatem, ut

me introspeciens te cognoscam; de meip- so pudefactus te laudem; me demittens, te exaltem; & mihi prorsus moriens, omni- nò tibi vivam. Cum eduxeris me jam ex- divitum conditione, concedas mihi prop- ter tuum sanctum nomen dona à te paupe- ribus promissa, quibus asseris; *Amen dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia, & sequuti estis me, in regeneratione, cum sederis, filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebi- tis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Israël.*

Admonitio ad sacra Eucharistia sumptionem, di- cata Joanna Lusitania Principi.

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollis peccata mun- di. En ille, qui è Patris sinu ad Virginis 148.
Matris uterum descendit, ille est, qui 149.
ab æterno Patre natus, dignatus est nasci in tempore ex Virgine Matre. Ille est, qui natus est plorans, ut abstergeret lacry- mas ab homine peccatore. Ille est, qui vo- luit reclinari in duro præsepio, ut homo jam in bestiam conversus, posset tandem ibi reperiri ad vitam. Ille est qui jejuna- vit, propter nimios cibos, quibus homines se quotidie ingurgitant. Ille est, qui vo- luit cum feris in eremo morari, ut homo habitaret inter cæli Angelos. Ille est, qui in ultima cœna cibum se dedit homini ad ejus felicitatem, & salutem. Ille est, qui acceptavit amaritudinis calicem, ut homo mereretur bibere præclarum calicem, qui divino amore inebriat animos. Ille est, qui suâ sponte traditus est inimicorum ma- nibus, ut hominem à suis adversariis liberaret. Ille est, qui non recusavit indignâ, & crudeli sententiâ damnari, ut erga ho- minem ferretur sententia mitis, & pia. Il- le est, qui passus fuit religari semetipsum, ut homo solveretur ex vinculis. Ille est, qui voluit flagellari, ne homo flagris cæ- deretur. Non abnuvit coronari spinis, ut ho- mo redimeretur gloriâ. Non detrectavit subire crucis acerba, ut in ea homo suavi- tatem inveniret. Is est, qui exui vestimen- tis suis non renuit, ut homo indueretur stolâ gloriæ: ultrò permisit suos pedes cla- vis transfigi, ut hominis affectus in morti- ficationis cruce affigerentur. Ille est, qui toleravit suas manus in cruce transfodi, ut hominis opera in ea confoderentur. Is est, qui mortuus fuit, ut nos vitâ dona- ret. A mortuis surrexit, ut hominem à mor- te suscitaret. Ascendit ad cælos, ut homini- bus eos patefaceret. Spiritum sanctum huc misit, ut in hoc exilio haberet homo con- solatorem. Ille est, qui venturus est judi- care vivos, & mortuos, improbos puni- turus supplicio æterno, & probos munè- raturus cælesti gloriâ; tum etiam omnes qui

qui ei fidi sunt, & qui Deum adorant, & venerantur in personis trinum, & in Deitate unum, munerabit vitâ æternâ: hic illos ad eam disponit, si humiles, si mundi, & cum vera tanti mysterii cognitione illum suscipiant: itaque humiliter dicendum: *Domine non sum dignus, &c.*

Alia instructio ad sacra Eucharistia sump-tionem.

150. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; hic est, deiquo in Psalmo dicitur; Gustate, & videte quàm suavis est Dominus; quia non solum hominem creavit; sed (quod maximum est) se dedit in cibum ad ejus delicias; in cibum fortem ad stabiliendam ejus imbecillitatem, in cibum pharmacum ad ejus infirmitatibus medendum. Quid amplius fieri poterat? O Domine, quas grates tibi rependemus pro illis, quæ pro nobis fecisti? Leva, anime mi, oculos ad illum, qui ut te elevaret non dubitavit in Crucem pro te tolli: intuere illum, nec omittas te etiam respicere: vide pedes tuos, & intelliges illos erravisse per vias non bonas, & peccatorum semitas. Intuere ejus pedes clavorum dolores sentientes. Tuæ manus operatæ sunt abominabilia opera; sed ejus brachia extensa fuerunt in cruce. Tuum cor occlusum fuit Deo, & proximis, & ejus patet ad te recipiendum. Quis non morabitur in hujus gloriosæ petrae foraminibus? Quæ habitatio est in terra, quæ huic adæquetur? Etiam considera, anime mi, te gustavisse cibum lautum, & suavem, ministratum*

tibi à Domino, & illum fellis amaritudinem; ejus oculos flevisse illa, quæ tu vanè conspexisti; ejus aures audivisse opprobria ob detractiones, quibus tuæ delectabantur; ejus caput declinatum fuisse in cruce, quia tuum elatum fuit superbiâ, & fastu. Respice omnes ejus passionis dolores, pudore suffundere, quod etiamnum videas tuas manus, & pedes sine clavibus, tuum caput sine spinis, tuam linguam sine felle, tuas aures sine contumeliis. Illum respice, & intelliges, quàm sine causa quereris, cum querelas de laboribus tuis concitas; & quàm malè recusas labores pati pro eo Domino, qui tanto amore tot pro te suscepit. En ejus pœnas, perpende ejus ad eas tolerandas promptitudinem, & tuam reluctationem ad eas pro ipso acceptandas. Quæ collatio tuarum vestium, cum ejus nuditate? Quæ comparatio tuæ lautitiæ cum jejuniis, quæ pro te passus est. Perpende quis ille sit, & quis tu ipse: ille Creator, tu creatura; ille insons, tu peccator; ille Dominus, & tu servus; ille justus, tu injustus: quod si illum contemplatus adhuc tristeris, corroborare, anime mi. En appropinquat gaudium tuum; sive debilem sentis, ecce advenit tua fortitudo; si pauperem te recognoscis, tuæ divitiæ accedunt: si cæcutis, lumen tuum irradiat; si languidus es, tua salus adest: nam ob id dictum fuit: *Hodiè domui huic salus facta est*; Itaque ad Domini introitum dicas: *Domine non sum dignus, &c.*

Occupatio pia, quâ singulis diebus exerceri possumus.

<i>Christi Domini sanguinis effusio.</i>	<i>Spiritus sancti dona.</i>	<i>Virtutes.</i>	<i>Vitia.</i>
Effusio in Circumcisione.	Sapientia.	Castitas.	Luxuria.
Effusio in horto.	Intellectus.	Abstinentia.	Intemperantia.
Effusio in flagellatione.	Scientia.	Charitas.	Invidia.
Effusio in Coronatione.	Amor.	Humilitas.	Superbia.
Effusio in manuum transfixione.	Consilium.	Liberalitas.	Avaritia.
Effusio in pedum transfixione.	Fortitudo.	Sedulitas.	Pigritia.
Effusio in lateris apertione.	Pietas.	Patientia.	Ira.

Septies visitare possumus sanctissimum Sacramentum, & recitare in singulis effusionibus semel orationem Dominicam, & salutationem Angelicam petentes Spiritus sancti donum, propositam virtutem, & de opposito vitio victoriam, & contra id remedium. Deinde sequentia subjungenda sunt.

*Vulnus hominis,
Ut curetur.*

*Oratio,
Ut medicina.*

*Perseverantia,
Ad convalescendum.*

Modus recitandi Deiparae Rosarium.

152. **C**ontinet mysteria quindecim, singulis diebus hebdomadae adscribi possunt quinque; quinque ad Beatæ Virginis gaudia; totidem ad dolores: & alia quinque ad ejus gloriam.
153. Quæ ad gaudia referuntur, sunt, Incarnatio, Visitatio, Nativitas, Purificatio, & Pueri JESV post amissionem Inventio.
154. Dolori congruunt, in Horto oratio, flagellatio ad columnam, coronatio ex spinarum ferto, Crucis in humeris gestatio, & affixio cruci.
155. Ad gloriam pertinent, Resurrectio, Ascensus, Adventus Spiritus sancti, Dominæ nostræ Assumptio, ejus coronatio, & super Angelorum choros exaltatio.
156. Die lunæ, & Jovis recolenda sunt mysteria gaudiorum; dolorum mysteria diebus Martis, Veneris, & Sabbathi; gloriosa Mercurii, & Dominicâ die.
157. Modus recitandi, est hujusmodi; primò immorandum aliquantisper considerando singula mysteria.
158. Secundò, in iis Dei beneficium recognoscamus, & pro illo ei gratias agamus.
159. Tertiò pudebit, quod non profecerimus tali beneficio.
160. Quartò petemus aliquod donum juxta mysterium. Deinde sequentia peragenda sunt hoc ordine.
161. Primò in Incarnationis mysterio recolimus amorem, qui Christum Dominum in hunc mundum adduxit, & ob eum multas Deo gratias agemus. Secundò nos demittimus, quod eum hætenus tam tepidè amaverimus. Tertiò petemus amorem, & fervidam charitatem erga ejus divinam Majestatem, & nostros próximos.
162. In Visitationis mysterio, primò considerabimus sanctissimæ Virginis amorem, quo divam Elizabetham prosequabatur. Secundò nostrum exiguum amorem in próximos. Tertiò, hunc amorem ingenti conatu postulabimus.
163. In Nativitate ponderabimus Filii Dei nuditatem, & paupertatem, simulque postulabimus paupertatem, & amorem.
164. In pueri JESV Præsentatione, venerabimur sanctissimæ Virginis puritatem, & nitorem; munditiæ defectum in nobis desebimus; & perfectam charitatem petemus.
165. In inventione Pueri JESV amissi contemplantur quantâ perfectione obediverit Christus æterno suo Patri. Verecundiæ erit, quod non paruerimus Dei legi, & præceptis. Deprecabimur obedientiam perfectam, & cum divina voluntate conformitatem.

Diebus Martis, Veneris, & Sabbathi 166. exercebimur in mysteriis ad dolores attentibus.

Ex horti oratione recognoscemus nostram in oratione remissionem, & teporem: postulabimus resignationem ad bibendum quemcumque mortificationis calicem, quantumvis amarum, quem divina Majestas nobis propinaverit. 167.

In flagellatione plorabimus nostræ tolerantia defectus: petemus autem fortitudinem, & animum virilem ad castigandum corpus. 168.

In coronatione spinarum dolebimus, quod æstimemus adeo honores humanos, & dignitates: illarum contemptum à Domino postulabimus. 169.

In Crucis bajulatione meditabimur, quàm aspera nobis appareat quælibet tribulatio: petemus conformitatem, & lætitiâ ad sufferendas illas calamitates quas Deus immiserit, licet graves sint, & duræ. 180.

In passione crucis, ob tam ingens beneficium gratos nos præstabimus, tale mortis genus considerando: adorabimus illam Christi perseverantiam in obediendo æterno Patri. Flebimus nostram inconstantiam in bonis desideriis. 181.

Diebus Dominicis, & Mercurii, vel feriis quartis, occupabimur in mysteriis ad gloriam spectantibus. 182.

In Resurrectionis mysterio nostram resurrectionem sperabimus, & confundemur, quod citius non resurrexerimus ad novam, & sanctam vitam. Petemus hominis interioris renovationem. 183.

In Ascensione gaudebimus, aspicientes Christum ad cælos ascendisse. Plorabimus videntes nos adeo terreos. Petemus illum intueri, & habere nostram conversationem in cælis. 184.

In Spiritus sancti adventu Ecclesiæ sanctæ dabimus plausum, quod talem hospitem susceperit. Dolebimus de præparatione tam exigua, quâ instruimus animum ad illum excipiendum: petemus ejus dona. 185.

In sanctissimæ Virginis in cælum Assumptione afficiemur ingenti gaudio, quod in cælo habeamus tam propitiâ advocatam. Pœnitebit, quod non fuerimus ejus obsequio magis dediti: petemus ejus apud filium preces, ut consequamur gratiam, & æternam salutem. 186.

In Beatæ Mariæ Virginis coronatione, ponderabimus, quâ in cælo virtus donetur coronâ: pudebit invenire nosmetipsos tam indignos, qui ibi coronemur. Supplicabimus sanctissimæ Virgini, ut pro nobis sit advocata, ut eò tandem felicitatis perveniamus. 187.

TRAC-

TRACTATUS VI.

Industriae, & Spiritualia arma ad consequendas virtutes.

CAPUT I.

Incumbendum examini particulari.

188. **Q**Uâ ratione his armis utendum, & vitia sint avellenda, ex peccatorum effectibus debemus investigare. Sed qualia sunt nostra vitia? Singuli habemus unum, aut duo, ex quibus cætera dimanant, & hæc cognita debemus expellere. Justum est in promptu habere aliqua remedia contra illa vitia, ut possimus ea applicare, quando opus fuerit: necessarium arbitror, ut manus conferamus cum uno, vel duobus ex his præcipuâ diligentia, ut illa persequamur, quoad omninò mitescant. Ad hunc finem renovanda sunt quotidie proposita faciendi conscientiae examen particulare, & adversus alia vitia examen generale. Qui verò voluerit extirpare omnia simul, vel nihil faciet, aut parùm, uti discas ipsâ experientia.

189. **N**ecessarius est animus magnus, quo nostri expugnationem incipiamus, victoriamque spectemus. Licet hic animus plenus sit difficultatis, & laboris; ejus tamen alacritas ad invadendum hostem victoriae signum est. In prælio perseveret, & vigorem ne demittat miles Christi, quamvis impetum sustineat millies; quia non est victus juxta Chryostomum, nisi ille, qui relinquens arma succumbit adversario. Quamvis quoad speciem videatur exiguos progressus, vel ferè nullos facere, potest tamen conjicere se proficere humilitate, & merito ob fatigationem, & laborem, quem patitur.

CAPUT II.

Industria ad consequendam charitatem.

190. **E**Rga Deum charitas oriatur, si te præparaveris oratione, quæ commiserationem exigit. Post illam cogita, quæ, & qualia Christus pro te toleravit; & quàm ignominiosum, & acerbum, & omnino solatio destitutum fuerit illius supplicium, cum pateretur ipse Deus, ab omni labe immunis, mitissimus, & amantissimus. Hic conabimur compati illi, talia sufferenti. Considera sustinendi causam, & finem, quem habuit, nempe nostram liberationem à peccatis, & miseriis. Voluit nos gra-

tiâ ornari, & virtutibus, ut hoc pretio gloriam compararemus. Perpende æterni Patris erga nos amorem, qui talem Filium dedit, ut talia mancipia redimeret; etiam considera in singulos hominum Jesu Christi amorem, & ex ejus parte finem, quem sibi proposuit, suscipiens nostras miseriis, ut nos ab illis liberaret: suis bonis se eximit, ut fieremus illorum participes; tot laboravit defatigationibus, & doloribus, ne nostra ingratitude, & indignitas retardarent, quò minùs ad metam destinatam hoc opus perduceret. Te ad te investigandum converte, & recogita, quomodo tam munifico benefactori, & amanti rependere tenearis. Quàm ingens frigus sit, quod à tanto amoris igne se defendat. Procura in temetipso divinum amorem: iterum contemplare Christum Dominum, qui ad terram descendit, ut incenderetur charitatis igne, & amoris sui radiis. Tum tandem more solito petes hanc tibi charitatem tuis deprecationibus.

CAPUT III.

Alius modus charitatem consequendi, aliis beneficiis consideratis.

Post orationem præparatoriam, primò 191. recordabor beneficia in me collata, quoad illorum numerum & continuationem, & quoad virtutem, & utilitatem dimanantem, tam ex tot privatim mihi concessis, quàm ex omnibus simul communicatis, præcipuè per Eucharistiam. Ponderabo, quantò illis indigeam, dignationemque divinæ Majestatis, quæ adeò nos obligat suo amore gratuito, & forti, qui non separatur nostrâ ingratitude. Meditabor quàm indignus sim, tot beneficiis, tali amore, & benefactore, & amante. Præsentia, & stabilia hæc omnia ponam coram mentis oculis, ut me inflamment suis incendiis. Videbo, quid debeam Domino retribuere, qui tot donis me cumulat. Cætera finiam colloquio, petens gratiam ad diligendum Deum, & ut me cælesti suo amore inflammet.

CAPUT IV.

Modus complacendi de Domini nostri bonis.

Post orationem præparatoriam considerabimus ad nostrum gaudium, & lætitiâ absolutum, & universale Dominium, quo Deus omnes creaturas temperat; deinde quemadmodum omnes secundum suam naturam, & virtutes ab eo

proveniant, ab eo conserventur, & gubernentur, à voluntateque ejus dependant. Ponderabimus Dei gloriam, & honorem per totum orbem diffusum, qui suas in rebus singulis excellentias manifestat; præcipuè in Angelis, & beatis. Perpendemus ejus naturæ eminentissima attributa, scilicet potentiam, sapientiam, bonitatem, justitiam, misericordiam. Contemplabimur sanctissimæ Trinitatis felicitatem summam, sine termino à nullo pendentem, absque principio. Quibus omnibus procurabimus summè, & penitissimè gaudere.

C A P U T V.

Ad præcavendum, ne in peccata dilabamur tentationis tempore.

193. **Q**Uando suboritur mala cogitatio ad peccatum alliciens, mentem eleva, ad considerandam passionem Christi, ut te removeat à culpa. Præterea pone tibi ipsi Christum veluti præsentem, & à te postulantiem, ne sibi iterum vulnera, & injurias moliaris; Ne diffundere velis denuò tam pretiosum sanguinem; ne jacturam facias illius doni, quod tanto pretio tibi comparavit: aliquando illum ipsum Dominum considera, supplicia tibi minitantiem, ni cesses à delictis. Illum meditare tibi assistentem, quò tua indoles magis moveatur; illum contemplare veluti adjutorem fortissimum, promptissimumque ad tibi suppetias ferendas: tibi que diffidens postula ab eo opem, fretus illius misericordiæ. Ad illum te recipies mediâ oratione, petens tibi charitatem propter ipsius sanctissimæ humanitatis, & omnium Sanctorum merita. Etiam extra tentationem oportet, ut sollicitus sis in fugiendis culpis, illum proponere tuæ menti, sicuti assistentem, testem, judicem, remuneratorem, censoremque tuorum operum, verborum, & cogitationum.

C A P U T VI.

Ad evellenda vitia quæ nos molestant.

194. **P**Ræmissâ oratione præparatoriâ contra illud vitium, quod præcipuè desideramus evellere, postea tribus actibus exercebimur; Primùm mentem elevabimus ad considerandum Christum Dominum, ut ostendentem omnia, quæ fecit, & passus fuit pro nobis, ut expiaremur à vitiis. Notabimus obligationes, quibus nos obstrinxit ad vitandum illa. Redibimus

consideratione ad nos ipsos examinandos, explorataque vitii nostri perversitate, & cognito periculo iterum labendi in culpas, quæ (quantum est in se) iterum cruci affigunt Christum; pudore suffusi, offeremus ipsi nostros affectus: ponderabimus ipsius misericordiam, qui in hunc mundum venit, ut nos mundaret: qui tot nobis exhibuit sui amoris incendia, ut ejus incenderemur flammis. Ipsum considerabimus, ut Deum, omnipotentem, benignissimum, qui promisit bene viventibus æternam vitam. Concludemus hoc exercitium ei allegantes nostros advocatos, nempe ejus Sanctos, qui pro nobis intercedunt. Ad hunc etiam finem inservient considerationes, quæ terrorem incutere solent, ut judicii, & inferni, &c.

C A P U T VII.

Industria ad assequendam quamlibet virtutem, præcipuè humilitatem.

Post orationem præparatoriam objiciemus ante nostros oculos Christi Domini humilitatis exemplum ad nos ipsos instruendos, & excitandos: meditabimur, verbi gratiâ, opera, in quibus enituit ejus humilitas. Dolori erit, quod sumus tam parci, & illiberales in adimplendis nostris muneribus: proponemus melius nos acturos imposterum, & ulterius in virtute progressuros. Excitabimus in nobis ipsis fiduciam, quâ ad Christum Jesum, qui nobis virtutes meruit, convertamur. Petemus humilitatem à Deo omnium bonorum fonte, omnipotente, liberalissimo, amantissimo, qui nos invitat ad illam. Concludemus hoc exercitium conantes Christi virtutibus nostras efformare, & perficere.

C A P U T VIII.

Alia consideratio ut homines se humilient.

Post orationem præparatoriam considerabimus temporalis alimenti indigentiam, quâ laboramus: explorabimus, uti hoc nostrum corpus sit ex putridis conflatum, stercore refertum saccum, vermium cibo destinatum, ut eò melius perscrutemur nostram fragilitatem, & clariùs cognoscatur, quantâ dementiâ bellum inferamus Deo. Sed ut manifestiùs id videatur, menti objicienda mortis certitudo. Noster autem animus quot suppetat nobis nos ipsos abjiciendi causas? Nescimus enim an amore, an odio digni simus. Si Deo

Deo non sumus grati, constituti sumus in statu deteriore, quam viliora bruta: nam ad duas mortes, nempe ad temporalem, & æternam sumus damnati. Si inter amicos Dei sumus computati, quis non timeat ob suam expertam negligentiam, ob prævum conscientie usum, ob propriam ingratitude, ob pericula gratiam amittendi, ob proclivitate labendi in peccata, ob difficultatem perseverandi in Dei amicitia, ob impossibilitatem ad illam redeundi, spectatis propriis viribus? Abundantem materiam hæc omnia præbent, ut vilipendamus, & spernamus nos ipsos. Quid? Si consideremus armatos in nos tot fortes adversarios, & insatiabiles, minimè à nobis cognitos, & nos adeo miseros, & fragiles; nonne metuendum est? Denique discutiamus nostrorum actuum bonitatem, & malitiam; vitia etiam, quæ nos pessumdant: imperfectiones, & focioriam, cum tot debitis, & obligationibus teneamur Deo.

CAPUT IX.

Industria, ut utiliter patiamur adversa.

197. **L**evabimus ad Christum Dominum oculos; perpendentes ad nostram instructionem, & stimulum ea tulisse, quæ pro nobis per omne vitæ spatium toleravit. Illum intuebimur in crucem actum, & morientem pro nobis in summa paupertate, ignominia, & dolore. Deinde oculos ad nos ipsos convertemus, trutinantes quo conatu debeamus imitari eum, qui nobis reliquit tale exemplum, tot labores nostri causâ perpeffus. Unde cum bonis operibus aliquo modo id adigamur compensare, consequamur modum sufferendi adversantia cum profectu, & utilitate. Iterum levabimus oculos ad Christum, & procedemus humilitatis viâ, ejus fidentes auxilio; siquidem amoris nostri ergo, tot, tantaque sustinuerit. Sed cum ipsius labores nobis expediant ad eam virtutem consequendam, & habendam, per eosdem postulabimus illam in oratione; & sic exercitio finem imponemus.

CAPUT X.

Ad odium nostri sanctum consequendum.

198. **P**rimò juvat, ut nobis persuadeamus, sine hoc odio nos non posse esse Christi discipulos; & omnia nostra damna provenire ex eo, quod non prosequamur odio inutilem amorem nostri, qui in nobis ad-

huc remanet. Utilissimum est intelligere ex hac abnegatione dimanare pacem securissimam: nos ergo odisse nosmet ipsos obstringimur; deinde cum ob nostram perduellionem, peccata, & proprium amorem, Christus Dominus affixus fuerit cruci, justum est, ut pro nostro delicto aliqua ratione satisfaciamus ipsi, animadvertentes, quod animum tantis Deus bonis impleat, quantum vacuum eum invenit amore proprio.

CAPUT XI.

Beatitudinis gaudii consideratio, ex qua spiritalis amor redundat.

Post orationem præparatoriam, prima meditatio erit circa hunc orbem inferiorem, ex quo tria gaudia proveniunt Beatis. Primum ex temporalibus miseriis jam finitis; alterum ex inferni periculo jam declinato, ex victoria reportata ab inimicis, adeptaque felicitate: tertium, eò quod peccata, & imperfectiones in illis jam non habeant locum. Secunda meditatio erit circa habitationem beatitudinis; & totidem gaudia continet. Primum oritur ex loco capacissimo, nitidissimo, tutissimo, & mundissimo illius regni: secundum ex honore, laude, & æterni thesauri possessione: aliud ex societate aliorum Beatorum, ex eorum multitudine, nobilitate, in Deumque charitate, quæ singula bona omnibus suo modo communicat. Tertia meditatio includit alia tria gaudia; primum percipitur à Beatis ex impassibili corpore, splendido, veloce, sublimi, & quoad sensus perfectissimo: aliud ex ejus animo virtutibus, & sapientiâ ornatissimo: tertium ex conjunctione ad immortalem vitam, inseparabili inter corpus, & animam. Quarta meditatio aliis tribus gaudiis constat; Primo ex visione Dei; altero ex fruitione, & voluptate, proveniente ex ejus possessione; Tertio, eò quod semper sine defectu animus sit habiturus præsentem divinam Majestatem.

CAPUT XII.

Alia meditatio de nostra beatitudine.

Post orationem præparatoriam, petemus humiliter hujus rei, quæ est maximi momenti cognitionem. Primò statuemus gaudium esse quandam in aliquo bono quietem, & boni alicui consentanei conjunctionem. Omne gaudium delectat, ob bonitatis, & pulchritudinis alicujus par-

participationem, quam habet. Quod gaudium, quæ voluptas ex bonitate, & pulchritudine infinita dimanabit? Ex illa convenientia, quæ inter Deum, & animum est? Quia Deus ita conveniens est humanæ menti, ut propter hanc cum illo conjunctionem extiterit rerum creatio, & hominum redemptio: sed hæc convenientia, & congruentia inter Deum, & animum solum provenit ex ipsius Dei institutione, qui ita nos dilexit, ut voluerit nobis dare non minùs, quàm seipsum. Advertenda est in Beatis amoris magnitudo; quia quanto ardentius Deum amant, tanto fruuntur ingentiore gaudio: hic autem amor nascitur ex perfectiore, & intensiore cognitione, quam habent de Deo. Ponderetur summi boni cum homine beato conjunctio, quæ strictissima est: Deus enim animo intimus est: in Beatisque hæc conjunctio reperitur, æterna, securissima, sine aliquo intervallo, continua, non perturbabilis, sine anxietate eam amittendi: perpendemus etiam non solum inesse Beatis hoc suum gaudium, sed multiplicem etiam esse in eis secundum eorum numerum: nam ex singulorum felicitate eatenus unusquisque participat, quatenus inter se amant. Ponderabimus voluptatem perceptam ex divinis perfectionibus, ex Dei in omnia dominatu, ex ejus gloria, & sapientia immensa, immobili, independente. Nam cum Deus diligatur à Beatis super omnes creaturas, unusquisque complacet magis in divinis bonis, quàm in propriis. Hæc complacentia terminabit hanc meditationem.

C A P U T X I I I.

Consideratio, quæ excitetur ad amandum Deum super omnia.

201. **P**ost orationem præparatoriam postulabimus cognitionem, & amorem in re divina. Primò considerabimus, quàm necessarium sit, ut amemus Deum; quoniam, qui non diligit, mortuus est. Utile quid, ac delectabile est in hoc seculo, & in altero. Ponderabimus unionem, quam Deus nobiscum habet; uti intercedit cognatio inter nos, & Deum, sicut inter Patrem, & filios adoptivos; amicitia strictissimâ nos connectit secum: sunt enim ipsius deliciae esse cum filiis hominum. Attendemus ad Dei erga nos beneficia, amorem, ad ejus pulchritudinem, & dignitatem; quæ ut nos moveant, eorum singula perscrutabimur, & fixa in mente ea habebimus, ne divertamus ad alia. Finiemus cum oratione Dominica nostram meditationem.

C A P U T X I V.

Ut petamus ea omnia subsidia, quibus maximè indigemus, & ut excitemus in nobis ipsi spei virtutem.

202. **P**roponamus ob considerationis ocularum illa, quibus maximè indigemus, & quàm amabilia sint, sed quàm impossibilia obtentu, nisi Deus clementer nos muniat suo favore. Ad eorum desiderium in nobis excitandum, meditabimur, quanta Christus Dominus toleravit, ut impertiretur nobis præcipuè vitam æternam. Ponderabimus, quàm abundanter, cum sit omnipotens, & omnium bonorum causa, valeat eam nobis largiri; contemplantur, quàm ardentem velit nostram felicitatem: summè enim liberalis est, & à quo plus quàm à nobismetipsis diligimur.

C A P U T X V.

De Orationis utilitate.

203. **H**omines sollicitos facit rerum, quæ Deo libent, devota oratio; in ea enim animus cum Deo Creatore suo se unit; per eam homines in Deum pietate fervent; suaviter allicit eos ad Jesu Christi obsequium, ut ei famulentur mentis gaudio, & cordis sinceritate, illos lætitiâ perfundit. Experientia enim docet, orationi deditos, tristitiâ mundanâ non adeò concuti. Verè contemplativis nihil difficile, nisi offendere Deum. Oratio maximum oblectamentum capit ex rerum divinarum cognitione, in cujus exercitio fruuntur homines majore voluptate, quàm in totius mundi rebus, ac deliciis.

C A P U T X V I.

Regula ad vitam corrigendam, & ad adipiscendam divinam gratiam.

204. **S**ingulis diebus matutino tempore offer teipsum, & tua opera Deo, ut sacrificium; eadem horâ postula specialem gratiam ad pugnandum contra illam tentationem, vel vitium, quod magis te vexat: deinde breviter recitatis orationibus, te ad Deum ducentibus, vaces aliquibus meditationibus, ex Christi vita, doctrinave. Quotidiè ter examinabis tuam conscientiam. Primò, diei initio, ut proponas deinceps rectè vivere, & à malis cavere; secundò, meridiè, ut videas, quâ ratione te matutino tempore gesseris; vespere, ut tibi conscius de totius diei itinere assignes defectus, in quos prolapsus fueris, doleasque de illis. Ora pro sancta Romana Ecclesia, specialiter pro vitâ jam defunctis, & benefactoribus. *Deflebis singulis diebus saltem per*

per dimidiam horam tuos defectus. Rogabis Deum pro Ecclesie statu, & pro peccatoribus; recitabis quotidie aliquam orationem in Christi Domini Passionis cultum, & honorem.

CAPUT XVII.

Pie Meditationes, qua per hebdomadam percurrentia sunt.

205. **D**ie Dominicâ, considera, Dei beneficia: Die Lunæ propriam vilitatem, & abjectionem: die Martis mundi fraudes,

& dolos: Mercurii, Christi Passionem, ut fuerit proditus, & venditus; ut collectum, & habitum fuerit contra eum concilium: die Jovis cum discipulis cœnam, & sanctissimæ Eucharistiæ institutionem: die Veneris Crucis mysterium, & Christi tormenta: Sabbathi, Domini nostri mortem, vel Deiparæ vitam.

Ne prætereat dies, quo per mediæ saltem horæ spatium non mediteris Evangelii occurrentis Historiam, sub ejus initium deploratis tuis peccatis, & culpis. 206.

SANCTI
FRANCISCI
BORGIÆ
OPERUM
LIBER DECIMUS.

De ratione concionandi.

CAPUT I.

Præfatio de concionandi munere cum timore, & fiducia Dei.

1. **Q**ui ex officio, Superiorumque jussu de superiore loco ad populum de verbo Dei disserere student, ii optimo jure cum Propheta dicere possunt; *Timor, & tremor venerunt super me.* Timor quidem ob muneris magnitudinem; tremor verò, quia meipsum probè explorans, quæ doceo, eadem re præstare debeo, ne minacem illam vocem audiam: *Quare tu enarras justitias meas, &c.* Ex altera parte si taceo, & talentum à Domino mihi creditum defodio; timor quoque, & tremor erit, ne aliquando ad me quoque pertineat illud: *Va mihi, quia tacui;* nec enim modicæ culpæ affinis est, qui ubera, & lac doctrinæ filiis Dei esurientibus negat. Quod crimen qui committunt, crudeles perinde sunt, atque Lamia, de quibus per Hieremiam Prophetam Deus sic expostu-

lat: *Lamia nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos; filia populi mei crudelis quasi struthio in deserto.* Si suggestum concionaturus ascendo, versor, ne negligenter me comparaverim, careamque zelo honoris Dei, & salutis proximorum: timeo, ne ambitione peccem, aut inanis gloriæ studio: quæ vitia vanum hominem, & sui amore obcæcatum comitari solent. Sic ut boni Ecclesiastæ, seu concionatoris munus expleam, divino spiritu, gratiâque cælesti opus est; quale autem hoc meum domicilium est, ut Dei spiritus illud inhabitare velit, cum cor hoc meum latronum spelunca sit, nidus serpentum, antrumque Dæmonum? Si Moyses, & Hieremias se coram Deo purgant, detrectantque legationem, quod se indignos, & ineptos huic muneri, balbos item, & infantes cognoscant; si Isaias igne indigebat, quo Angeli manu urerentur, & mundarentur ejus labia, priusquam cælestem nuntium proferret; si innocentissimæ vitæ Christi Præcursor, jam inde à puero poenitentiam sectatus, solitudinis asperitatem amplectitur,

Ooo tur,

Matt. 3. tur, ut mundi Redemptorem, agnumque Dei, digito melius commonstrare possit; si denique Salvator ipse antequam Evangelicam prædicationem aggredieretur, baptizari prius in Jordane voluit, & cælos aperiri, unde potestas docendi à patre cælesti, acceptâ hâc voce, ab omnibus exaudiretur; *Matt. 4.* *Ipsum audite*: si desertum ingreditur, jejuna, pugnat cum dæmone, & vincit: quomodo non timebo ego, qui in desertum non abii? Quomodo non tremam, qui in mundi horto desideo, nec cælos mihi apertos video, sed dæmonum potiùs sibila auscultavi? neque tentationes superavi, sed illis deditus captivum me tradidi?

2. Gentium Doctor Paulus humo affigitur, & oculorum lumen, ne mundum aspiciat, amittit: Deus enim Evangelii prædicatorem humiliari vult, atque terrena hæc aspiciere prohibet. Quomodo ego superbus, & terrenis rebus linceus, in cælestibus, & æternis cæcus, aut quâ fronte cathedrâ Sanctorum ascendam, & eloquar, quæ non satis intelligo? Quomodo docebo, quæ ipse non servo? Humili hâc sui cognitione, & pudore seipsum Concionator cognoscat, atque dejiciat, magni muneris, quod sustinet, habitâ ratione. Verùm ne animo deficiat, cavendum, aut ne ignavus reddatur timore, ut dicendi, ac reprehendendi viribus, & nervis careat, neve amittat sanctam illam libertatem, auctoritatem, & zelum, huic officio pernecessaria. Temperandi itaque, & corrigendi timores illi, amore & fiducia Dei: animumque addat suæ imbecillitati, atque tristitiæ, fortitudine, & gaudio Spiritus sancti necesse est. Quare in mentem illi veniat, quantam Dei oculis voluptatem adferant, omnibusque aded cælitibus gaudium, pedes prædicantium Evangelium: sic enim per Prophetam Spiritus sanctus

Psal. 9. ait: *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* Diffusus itaque scientiæ talento, sistat se Deo, petatque sapientiam, gratiam, virtutem, & fortitudinem, dicatque humili veritate:

Psal. 138. *Domine non est sermo in lingua mea. Domine*

Psal. 50. *labia aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.* Tu, mi Deus, si opem feras, vitam emendabo, & per semitas tuas ducam fratres meos, & antea vitæ correctæ errata medicinam illis adferent, atque remedium.

Psal. 50. *Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur.* Et si tu, ô Deus, negas bonum esse, vinum novum Evangelii tui mittere in utres veteres, & laceros, qualis anima mea est tot vitiis inquinata; eam tu manu tuâ renoves, & adornes, ne in me

Matt. 9. liquor ille pereat, aut proximi misericordiâ tuâ priventur: *Cor mundum crea in me. Psal. 50.* *Deus & spiritum rectum innova in visceribus meis.* Et quamquam vitio meo jam manus habeo Esau, tum erit vox mea Jacob, tractans magnalia tua & misericordias; & acquiram mihi, & fratribus meis benedictionem tuam. Hâc fiducia vade, ô Ecclesiastes, gladioque accingere, quod est verbum Dei. Spiritum sanctum ora, ut se verbis tuis insinuet, cordaque auditorum penetret, qui solus claves habet, & aperit quando vult. (ora eum *ut detur tibi sermo*) quemadmodum Apostolus ait. *In apertione oris tui cum fiducia notum facere mysterium Evangelii, pro quo legatione fungeris, ita ut in ipso audeas, prout oportet, loqui.* Legatione enim fungeris, sive ex officio, quo teneris, sive ex obedientia, quæ tibi hoc munus mandat.

Ephes. 6.

C A P U T I I.

Quale studium concioni adhibendum.

HAc præparatione, oratione, & sui cognitione instructus, Evangelium legat, quod explanandum suscepit, facto prius conscientiæ examine, quàm librum aperiat; pulvis enim peccatorum oculos spiritus impedit, quò minus possint à vilibus preciosa discernere; ut oportet (teste Propheta,) facere illum, qui Dei ore, & linguâ loqui vult. Lecto Evangelio, sanctorum Patrum, Ecclesiæ Doctorum veterum expositionem consulat, & recentiorum, eos, qui ingenio suo magis quadrant: petatque à Deo spiritum, quem illis Sanctis communicavit in explicando Evangelio. Nam sine illo spiritu frigidè sæpè dicet Concionator, & fructum ex auditoribus non colliget. Caveat diligenter Ecclesiastes, ne formulis, aut phrasibus hæreticorum utatur: Sanctorum Patrum scripta attentè legat; nec audacter omnia, quæ ab illis dicta sunt proferat: illi enim, ut tempora tum ferebant cùm scriberent, & pro fine quo scribebant, non errarunt: nonnulla dixerunt, quæ si in hoc sæculum incidissent, non erant dicturi. Nec illorum verba citet in suggestu, impugnandi gratia, vel refellendi; id enim esset Sanctorum auctoritati derogare, & populum offendere. Habeat illos potiùs humili sensu magistrorum loco, iisque addictus sit, gaudeatque se instrumentum esse gloriæ accidentalis Sanctorum, renovando honorificâ prædicatione sanctam, quam docuerunt, doctrinam, litterisque mandarunt, ad Dei gloriam, & Evangelii incrementum, animarumque salutem. Vitabit, tanquam scopulos, inventa à se, atque excogitata plebi

plebi obtrudere, quin potius receptam Scripturæ interpretationem libenter amplectatur, optimamque interpretandi rationem existimet, Scripturam per alia Scripturæ loca interpretari, & Patrum loca inter se componere. Vulgatam Bibliorum lectionem religiosè sequatur, sensum secutus sanctorum Augustini, Hieronymi, Gregorii, Ambrosii atque Chrysostomi: Glossam item, quam interlinealem, & ordinariam vocant, non fastidiat. Scripturæ loca interpretari non audeat, nisi bene intellecta. Tamquam rem sigillo obsegnatam reverenter Scripturam, & humiliter tractet, præmissâ precatone, adhibitoque diligenti studio: sic fiet, ut Deus abdita resignet, & quasi tenebris obducta revelet. Solet enim, *quæ abscondit sapientibus hujus mundi, revelare parvulis.* Quod curiosi, & superbi non consequuntur, humilibus datur. Lectis jam diligenter Interpretibus sacris, ruminet accuratè attenteque consideret, atque inventa disponat. Animum indè iis munit & instruat, haustis tanquam divitiis ex thesauris Dei, familiariumque sanctorum Patrum. Meminerit eidem Deo clavem tradere, cordisque sui custodiam commendare, tanquam capsulam doctrinæ cælestis, ut verè cum Propheta Regio dicere queat: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut nunquam peccem tibi.* Sic itaque munitus, si interdum, ut fit humanitùs, à dæmone lædaris, pudeat te tui, pœniteatque humiliter. Confugas statim, tanquam ad anchoram, ad Confessionis sacramentum. Meminerit quoque thesaurum se portare in vase fictili, quod Deo commendet, ut thesaurus ille tutus sit à furto dæmonis, & inanis gloriæ; quemadmodum fecisse accepimus B. Franciscum. Deum sic identidem appellando: *Custodi Domine, tuos ipse thesauros; cognovi enim furem me esse: alioqui eos ipse vel furto auferam, vel hosti tradam.*

C A P U T I I I

De Meditatione ante Concionem.

4. **N**Ec satis ducat Ecclesiastes legisse, studiumque adhibuisse, memoriaque complexum esse dicenda; verùm in mentem illi Eliæ veniat Prophetæ exemplum, qui comparatis iis, quæ ad sacrificium necessaria erant, Deum oravit, ignem de cælo mitteret, quo victima incenderetur. *Et cecidit ignis Domini, inquit Scriptura, & voravit holocaustum, & ligna, & lapides.* Idem & ille precetur, oretque Dominum cum Hieremia: *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudit me.* Credat itaque

absque hoc igne mansurum crudum cibum, & insipidum, ut ne convivæ quidem concoquere eum possint. Hic verò ignis precando parari, & meditando solet, ut expertus ille, qui dixit: *In meditatione mea exardescet ignis.* Hæc meditatione instructus Concionator ex Evangelio, quod in manibus est, attributa hauriat divinæ potentia in miraculis; Sapientia verò in doctrina præceptionum, & conciliorum; bonitatis denique in misericordiæ effectis. Sumat & inde virtutes, fidei, spei, & charitatis, humilitatem item, patientiam, fortitudinem, castitatem, misericordiam, & reliquas. Re enim exploratâ comperiet nullum esse Evangelium, ex quo spiritualis homo non queat haurire id genus excellentis virtutis. Sententias expendat, & verba, à quo, & ad quem prolata, quo sine, tempore, & occasione dicta: in omnibus enim mysteria reperiet, si Deus illi clavem intelligentiæ Scripturarum dederit. Deus enim æternus, *primum loquutus est in Prophetis, post nobis loquutus est in Filio.* Et hic quidem sermo non est in Evangelio mutus, sed iis deservit, qui aures audiendi habent, loquitur.

Fingat se præsentem sermonibus à Christo habitis, & ad vivum eos auditoribus exprimat, voce potius quam gestu. Observet minas ad terrorem incutiendum, misericordias verò Dei, & beneficia ad amorem conciliandum. *Timor* enim animum à vitiis deterret; ut contra *amor* ad virtutem inflammat. Induat Ecclesiastes eas animi affectiones, quas auditorum animis imprimere vult: nec enim alios movet, qui non se prius moverit, incenderit, atque inflammaverit, unde quidam olim ait: *Si vis me flere, dolendum est primum ipsi tibi.*

6. Consolationi erit Concionatori in suis laboribus, considerare Christum Dominum dum predicaret: animadvertat quoque Christum hominem pro illis se obtulisse, qui illum audituri erant. Speret itaque conciones tali patrocínio, ac præparatione fructum allaturas esse, Deoque Patri eas offerat, ut Filius obtulit; rogetque, ut verus infirmorum animorum medicus auditoribus medicinam impertiatur Evangelii, quantum iis opus esse non ignorat. Roget quoque medicum illum, Doctrinæ panem, quem ad suggestum inops affert, in manibus suis multiplicari patiatur, & auditoribus largiatur. Quod nisi fecerit, neque qui plantat, neque qui rigat, adferent emolumentum, quin potius damnum Concionatori prædicatio: quemadmodum imperitus medicus nocet ægroto, si ignorantia culpâ, aut negligentia, pharmaca præ-

Matt. 11.

Psal. 118.

1. Cor. 4.

Psal. 38.

Heb. 1.

Horatius in arte Poetica.

Apo.
10.Psal.
118.

præposterè porrigat. Ad finem meditationis dolorem expendat, quo Deus offensus afficitur, & zelum, quo uti oportet, ut & illius amore, & in ovium salutem mortem non detrectet. Qua quidem in re si se profecisse sentit, argumento est, meditationem bene spiritui cessisse; ut Evangelium meditatam in libro Apocalypsis beati Joannis, quod amaritudinem affert ventri, *Et si in ore tuo videatur dulce tamquam mel.* Sciat, quantò plures lacrymas effuderit, tantò melius gustare faciet populum myrrhæ amaritudinem. Tandem dabit illi Dominus intelligentiæ lumen spiritualis: scriptum est enim: *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis;* modò humili gratiarum actione recipiatur, & donum gratuitum, nulliusque meriti esse sui agnoscat. Et si nullum alium laborum fructum recipiat è lectione ante meditationem, illo contentus sit, memor eam etiam esse gratiam, donumque Dei. Certus etiam sit, si his bene utatur, majora se accepturum. Meminerit prætereà præceptorem non solere alteram discipulo lectionem dictare, donec priorem bene teneat. Denique si in nihil recipiendo humiliare se noverit, non exiguum Concionator fructum capiet.

C A P U T I V.

De dispositione Concionis.

7. **Q**Uæ legerit, meditatufque fuerit Ecclesiastes, ordine digerat necesse est; qui ordo loco libri erit, quo memoriæ causâ utetur: vix enim dici non potest quantum ordo, dispositioque memoriam juvet; si enim multa collegerit, magnamque rerum copiam in suggestum attulerit, sed rudia omnia, & indigesta, & confusè ea, perturbateque dicet, fastidium auditoribus sine fructu pariet. Deinde aut non intelliget auditor, aut nihil memoriâ retinebit, rerum enim permistio efficit, ut nihil persuadeas, voluntatemque non moveas. In universitatibus creatione ordo docetur, & in ædificiis e-
truendis: ut mediis concionibus Spiritus sanctus in cordibus habitet fidelium. Primò creavit Deus (*ut imaginamur*) materiam primam informem; hinc lucem, & terram, cæteraque quæ materiam & illustrarent, & adornarent, donec ad hominem creandum perventum est, omniaque suo loco collocavit. Idem Concionatori sentio faciendum, qui locum primò eligat topicum, argumentum hinc ducat, mate-

riamque doctrinæ, quæque sermone persuadere populo cupit: deinde conquirat, quid ea de re sancti Patres docuerint, meditabiturque Evangelium; hinc ornabit eleganti ordine, omniaque locis accommodis disponet, partes dirigendo, donec intellectui factum sit satis. Adhæc habeat locos multos communes in promptu, sententiarumque copiam, auctoritatum vim, rationum momenta, metaphoras, seu translationes, tropos & figuras, sacræ Scripturæ exempla, historias, & similitudines: qualia nostra memoria singulis libris collecta, & edita legimus: utiliùs tamen suis quifque vigiliis, & lucubrationibus utitur. Caveat tamen, ne quid præter rem adferat, & sciat quod quæ suo loco, & tempore placent, & juvant, ea si loco suo moveat, neque utilia esse, nec persuadere. Prophetarum loca rectè explicata docent, & admiratione ipsâ movent, fructumque afferunt, præsertim cum Deus exoptulat cum hominibus, & eæ Prophetiæ vehementer movent, quas in lege gratiæ impletas videmus. Interdum utile erit Evangelium dici explanare ordine, & ad verbum, hauriendo hinc inde quæ ad mores pertinent: quò potissimum concionantis referri labor debet. Nonnumquam verò, explicato paraphrasi quadam Evangelio, periodum aliquam, vel sententiam Evangelii sumat; quæ luminibus illustrata magnam dicendi, & amplificandi materiam suppeditabit. Verùm tanta in his varietas existit, quanta est ingeniorum: cum non solum quæ uni placeant, alteri displiceant, verùm etiam plerumque quæ nobis hodiæ probabantur, postridiè improbantur: ut quæ hodiè componentibus placebant, die sequenti rejiciuntur.

Conciones primùm calamo scribere, prudentis est hominis, & periculum vitantis; per commodum item sequentibus annis. Verùm scribendi rationem variam varii tenent: alii compendio quodam quæ dicturi sunt, & summa capita notant: alii tribus, quatuorve foliis integram orationem diffusè scribunt, nec audent verba publicè facere, nisi priùs ea scripserint, memoriæque descripta mandant; quò laboriosum est, & incipientium meticulosorum potiùs, quàm in concionandi arte expertorum. At verò his alligari verbis, dicentis vim (spiritum vulgò appellant) continere videtur, & refrænare, quò minùs liberè audeat Concionator objurgare, & vehementiùs, divino Spiritu suggerente, dicere. Sunt & qui mediam viam, quam probo, tenent, ut una pagina rem, de qua dicturi sunt, summam, & methodicè comple-

plectantur : quin & verba apposita ad rem ipsam adjungunt , ordineque omnia disponunt. Sic fit , ut liberiore , cum res postulat , campo excurrere possint , ad amplificandum sermonem , & eloquentiæ vim ostentandam , & affectus movere subituario dicendi impetu. Et hæc ratio , meâ quidem sententiâ , tuta est , & frequens.

9. Phrases , dicendique modus , & verba , cavendum , ne affectata adhibeantur , & plus æquo conquisita : hæc enim & dicentis animum exsiccant & audientis. Vitanda contra & verba sordida , rustica , & barbara , & obsoleta. Sit itaque sermo castus , quem nemo æstimator æquus facile reprehendat. Descriptâ jam concione , repetat interdum , ut memoriæ non solum infigatur , verum etiam ut decentibus verbis , gestuque , & actione exprimat , priusquam in publicum prodeat ; præsertim si non magnâ discendi venustate , naturæ beneficio ; & arte polleat , nec usum concionandi habeat.
10. Sunt qui memoriâ locorum utuntur , & artificiosâ , quam ab oratoribus , adhibitis imaginibus , didicerunt : sed vide his impediri sæpè numero magis , quam juvari. Mediam itaque viam hîc quoque tenere juvat : ut nempe in margine orationis scriptæ , sex vel octo locis præcipuis notas pingat , ut crucis figuras , litteras , & numeros : quibus memoriâ comprehensis , fidere possit , ut si fortè , ut sæpè accidit , memoria excidant , quæ didicerat , vel inter concionandum turbetur : ad eas notas , tamquam ad anchoram , cõfugere queat.
11. Opportuno tempore concionis memoriæ mandandæ , scilicet pridie curet , vespertinis horis accuratè eam ediscere , priusquam quieti se nocturnæ , somnoque necessario tradat , ut à somno evigilanti species impressæ occurrant : cubitu verò surgens exigat à memoria , quæ pridie tanquam deposita tradidit. Orationem quoque ad Deum matutinam ea de re instituere poterit , de qua verba ad populum facturus est , ut sibi ipse persuadeat , quod aliis dicendo persuadere conatur. Facilius enim consequetur , ut alios in suam sententiam rapiat , qui sibi primùm persuaserit , quod ab aliis extorqueere nititur.
12. Neque verò minus studium est adhibendum in his quæ dicenda non sunt , quam in his quæ dicenda videntur. Verba itaque de re controversa , & gravi expendat , ne quid excidat imprudenti , quod cum scholastica pugnet Theologia. Et si fortè humanitus aliquod verbum imprudenter excidat , aut sententia , quæ in malum

sensum rapi posset , & periculosè sonet , statim ipse , priusquam ad alia pergat , perspicuè explicet necesse est : ne quod scandalum , aut offendiculum , quasi secus quam oportet , de religione sentiat in auditorum animis relinquatur : nam , ut Propheta ait , *Eloquia Domini eloquia casta.* Psal. 111.

C A P U T V.

Quomodo se ipsum comparabit , & cum fructu alios jurabit.

MAter ut lacte nutriat infantem , se alit primùm , curatque valetudinem , & solidos cibos mandit , quos in infantis os ingerit. Adeundem modum Concionator , ut spiritualem escam populo , quem filiorum loco habet , commodè præbeat , prius ipse cibum mandet , ut sic in os infantis ingerat. Quare sacrificet piè , oret , jejundet , vigilet , lacrymetur , flagellis se verberet , corpusque pœnitentiâ subigat spiritui , & illud domet : sic fiet , ut peccata , quibus tanquam à dæmonibus multi occupantur , citiùs expellat : nam , ut Christus ait : *Hoc genus demoniorum non ejicitur , nisi Mat. per orationem , & jejunium.* In precando Deum , ejusdem Domini exemplum imitetur , qui cum ad cælestem Patrem properaret , sic orabat : *Pater cum essem cum eis , Joan. ego servabam eos in nomine tuo : nunc autem ad te venio , serva eos , &c.* His tanquam commendatitiis litteris , quas nobis hâc vitâ abiens reliquit , uti ad Deum Patrem oportet , qui eas haud dubiè libenter accipiet.

Angelorum quoque subsidium imploret ; à Seraphinis amorem petat , à Cherubinis scientiam & lumen , à cæteris Hierarchiis sua dona postulet , quæ à Domino acceperunt ; præcipuè verò ab uniuscujusque Angelo custode , potestatem sibi fieri postulet docendi eos , tanquam discipulos , qui ejus sunt custodiæ commissi. Pudori quoque sit eos docere se ausum , qui tales nacti sint & magistros & custodes ; quorum si disciplinâ nihil profecerunt , quomodo tuâ , qui imperitus sis , & peccator , doctrinâ proficient ? Rogâ item , ut inspirando ea suppleant , quæ in te desiderantur , vel ob imperitiam , vel negligentiam tuam , vel denique ne ab Angelo tuo illud audias , *Medice cura te ipsum* , ipse serva , quam fers legem , & fac ipse prior quod jubes : sic ex concionibus utile quid hauries animæ tuæ commodo. Da itaque operam , ut boni magistri officio fungaris , ut ipse exequendo , quæ doces , ut de cæle-

Act. 1. *sti illo Doctore accepimus, qui cepit primum facere, quam docere.*

15. *Cum aliquam virtutem persuadere studiosè cupis, ejus Sancti auxilium implora, qui in ea excellit, dum in terris versaretur. Exempli causâ, de Patientia verba faciens, commenda te, tuaque D. Jobo: si de Pœnitentia ages, Magdalenam appella: si de Continentia, & Castitate, Josephum: si de Charitate, eum discipulum, quem dilexit Jesus: ut horum apud Deum intercessione singulas illorum virtutes consequaris, & meritis per Dei misericordiam, ut cum fructu populus verbum Dei simul audiat, & custodiat.*

16. *Verum cum ambitionis æstus oppugnare, (atque utinam ne expugnaret) concionantes soleat, præsertim si audientium frequens sit concursus, armet seipsum, pugnetque cum hoste illo, qui viperæ instar cor & sanguinem bonum, tanquam veneno corrumpere solet. Huic malo hoc esto remedium: Suggestum conscensurus, verecundiâ ducatur, & pudore, quasi palinodiam canere pergat, & quæ dixit, retractare. Reverà enim, si rectam ratione expendas, hoc agis dum virtutem laudas, atque commendas; retractas ea, & revocas, quæ turpiter antea peccando commisisti, cum toties Deum offendebas. Se itaque, suaque opera accuset, & damnet, ipse sibi præco sit, & carnifex. Quæ cum ita sint, quid, ò infelix cinis, si publicè palinodiam canis, teque retractas, superbis? si tuam ipse vitam condemnas, curextolleris? Triduo ante concionem studium sit, obsequi tribus Trinitatis personis: primo die Deo Patri memoriâ commenda; postero die Filio intellectum; tertio autem die Spiritui sancto offer tuam voluntatem. Si quid fortè memoriâ excidet, Patrem cælestem appella; si alicujus loci difficilis explanationem, vel arcanum aliquod sacræ Scripturæ investigas, ad Filium confuge: cum te aridum, & sine devotione comperies, roga Spiritum sanctum, ut sui amoris ignem in corde tuo accendat: ut sic omnes animæ potentiæ instrumenti loco, sint Deo acceptæ, quò illis bene ad Dei laudem, & gloriam utaris.*

C A P U T V I.

Suggestum ascensuro quid agendum?

17. **C**onscensurus ad dicendum, animi puritatem inprimis curet, & puræ conscientie examen adhibeat, tamquam rigorosam de habita concione, rationem reddere

re debet animæ, & sistere se ante tribunal, judiciumque justici Dei. Qua de causa in mentem illi veniat, Filium Dei JESUM Christum suggestum, & cathedram Crucis conscendisse, ut mortem ibi oppeteret: Apostolum item sanctum Andream ex Cruce concionatum, eamque miris antea laudibus extulisse, in eaque expirasse. Sic qui nunc verus est Christi crucifixi Concionator, ita in suggestu stare debet, ut præparatus sit cruciatus ferre, immò & mortem oppetere, in testimonium, & defensionem verbi Dei, quod concionatur, & Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, matris nostræ, & magistræ.

Cogitet etiam Ecclesiastes, se debere esse instar machinæ, seu bombardæ bellicæ, quâ tanquam ariete muros superbos Babylonie quatere vult Deus, atque prosternere; sed nihilominus similem esse pulveris tormentarii, & fictilis, & gravis, & frigidus: & pulverem se esse nigrum, sordidum, foetidum, & ad inquinandos alios, quos tetigerit aptissimum; qui pulvis ut finem consequatur suum, ignem applicare necesse est sancti Spiritus, qui illum incendat, ut olim Pentecostes die, corda Apostolorum ignitis linguis inflammavit. Quod dono ut potiaris, Dei luce & igne, humiliter, & cum fiducia recites Hymnum,

*Veni creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple supernâ gratiâ,
Quæ tu creasti pectora, &c.*

C A P U T V I I.

Concionatoris officium in suggestu.

In suggestu non turbetur animo, neque sibi displiceat, si per paucos ad concionem confluxisse viderit: quin potius mirari oportet, existere unum aliquem, qui illum audire patienter non recuset. Consideret, tamen pauci ad audiendum venerint, nihil meriti sibi detractum iri, imò tantum addet lucri, quantum adimit, ne inanis gloriæ vitio tangatur. Christum itaque magistrum summum præsentem habeat, Concionatorem cælestem, qui paucis sæpè discipulis, & uni mulierculæ infimæ conditionis prædicare non erubuit, summo etiam labore, & lassitudine tantæ longæ viæ.

Paratus sit filere dato jam à comite silentii signo, quamvis vix dimidium dixerit ejus, quod attulit: præstat enim per obedientiam filere, quam sine illa diserte loqui. Erit tamen prudentiæ, ita sermone

nem temperare, ut unâ horâ absolvi concio queat; neque enim extendi ulterius debet: nec proficit auditor, imò tædio afficitur, nauseamque concipit etiam de auditis, si horam Concionator excedat.

21. Gestus, motusque corporis, personæ & decori convenient, & officio: respondeant verò rei, de qua agitur. Cavendum ne in gesticulando nimius sit, ut histriionis personam in scena agere videatur; nec contrà ita quietus stet, atque immobilis, ut statua, non homo videatur. Meminerit actionem, & pronunciationem principem esse oratoris partem, teste Demosthene, & velut orationis vitam.

22. In historiis narrandis vitanda prolixitas: fastidium enim pariet, tempusque, quo docendus potissimum populus est, amittet.

Cum peccatorem reprehendet, cogitet seipsum reprehendere. Se enim peccatorum maximum æstimet, necesse est. Id erit perfacile, quando nullius, nedum auditorum tot errata agnoscit, quot ipse se commisisse novit. Sic docendo, fructumque auditoribus adferendo, ne ipse quidem expers ejusdem fructus erit.

24. Non pigeat, pudeatve sententias, & præclare dicta ab aliis concionari, licet sint æquales, & sui temporis scriptores: respiciens exemplum Christi, qui cum Sapientia esset Patris, eadem tamen prædicare non erubuit, quæ ante illum præcursor Joannes, nimirum de poenitentia, in deserto concionatus erat. Hinc etiam discat Ecclesiastes, sæpè verba facere publicè, privatimque, ad exhortandum populum ad poenitentiam. Ille enim sensuum ductu, & depravatâ consuetudine, ruit in delitias, mundi que voluptates. Animadvertat Deum per Hieremiam falsos appellare Prophetas, eos qui non prædicant poenitentiam. *Thren. 2.* *Propheta, inquit, viderunt tibi falsa, & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad poenitentiam provocarent.*

25. Si concionanti fortè quis rumor obstrepat, patienter ferat, neque animo turbetur, vel iracundiam ostendat: ne dum patientiam alios docet, seipsum palam refellat, dum eâ virtute careat. Meminerit, se majori antea impedimento aliis fuisse, quò minus Dei vocem audirent, quàm sibi nunc qui obstrepunt. Si quid dicto opus sit, ut rumor conquiescat, modestè id fiat, & absque animi perturbatione, ut auctoritati simul, & humilitati locus sit.

26. In reprehendis moribus, & vitiis, prudentiam adhibeat, & modestiam: si enim verba animos offendant, vel asperè & acerbè id fiat; majus erit offendiculum, & detri-

mentum, quàm emolumentum, & emendatio. Prudentis est medici, catapotia inaurare, ut à debili stomacho suaviter accipiantur; & quamvis inaurata sint, nihilominus operantur. Correctio fraterna sit cum candore, & in charitate, ut facilè appareat proficisci ab animo pio, vereque Christiano, & commiserante, quique ejus, quem reprehendit, salutem quærat. Ostendat item, se neminem improbum existimare, aut notare, tantum cavere velle, ne hujusmodi peccata committantur, vel improbus quis sit. Verba ita temperabit, ut si quis læsum se suspicetur, molesteque ferat, verè ei dicere Concionator possit, non ejus causâ id dictum esse. Temperari autem correctio fraterna potest, & mitigari allato aliquo loco, vel exemplo sacre Scripturæ, vel ex SS. Patribus, quibus eadem vitia reprehendantur. Ut enim non tu es, qui loqueris, sed Spiritus sanctus; ita nec se jure læsos esse doctrinâ tuâ conqueri poterunt. Denique reprehensio commiserationem ostendat, non indignationem, aut odium cujusquam habeat, aut personarum delectum, quas reprehendit: sic enim docet, jubetque Apostolus Paulus, senes ut *2 Tim.* patres, anus ut matres reprehendas. 5.

Incredibile dictu est, quanto studio dæmon Evangelico melli fel admiscere in reprehendendo conetur, ut multos hâc ratione ab audiendis concionibus deterreat, vel invidiam & odium zelis Ecclesiasticis conciliet. Si quando visum erit necessarium salutis, & conservationi ejus, qui corrigitur, ut vulnus detegatur, & cauterium adhibeatur; oleum etiam suavitatis addendum esse meminerit. Sic enim Deus olim durum Pharaonem excepit, quem plagis *Exod. 2.* multis affecit: mox autem flagellum avertit, ut ad se rediens resipisceret, moresque placidè emendaret. Si inter concionandum *27.* loca occurrant, quæ tamen domi non cogitaverat, ea non temerè proferat, tamquam non satis matura. Solet enim dæmon sæpe numerò hæc suggerere, ut concionantem turbet, vel avocet à re aliqua, de qua agebatur, cogitatione rei non magni momenti: nisi fortè spiritus sui robur agnoscat, lumenque ingenii, & ad rem ipsam facere videatur, ut vel silentio rem præteriisse, scrupuli religionem injicere possit. Quod si fecus accidat, redeat statim ad ea, quæ domi meditatus est, habito respectu cælestis doctrinæ: ne nimiâ sui fiducia, ut aliquando fit, in errorem labatur.

Hæreses, & errores, qui cum Catholica pugnant veritate, ne temerè tractet in suggestu Concionator, propterea quòd eorum rudes, & imperiti nihil *28.* his

his proficiant : & quamvis doceri possint , præstat tamen ea non attingere. Scimus enim majorem esse dæmonis astutiam , quàm humanam prudentiam , & vigilantiam. Prudentis itaque Ecclesiastæ officium erit , robur addere argumentis Catholicæ fidei , & cum ea pugnans mendacium refellere aliâ viâ ; verbi gratiâ , cum se occasio offert , confirmabit obedientiam Romanæ Ecclesiæ debitam , firmabitque Scripturæ locis , & rationibus , virginitatis donum , cœlibatum Sacerdotum : enumerabit fructus Religionum , Religiosorumque hominum ; exaggerabit meritum bonorum operum , & pœnitentiæ : hortabitur ad obedientiam Principum , & Antistitum Ecclesiasticorum : item de fructu indulgentiarum , tam pro vivis , quàm pro vitâ functis , & intercessionis utilitatem , & invocationem Sanctorum commendabit , ut & cultum reliquiarum , & memorias illis consecratis. Hæc quidem omnia prudens Ecclesiastes sancto zelo ita temperabit , ut qui noverit contrarios esse errores , intelligat quâ ratione refelli possint : qui verò non noverit , in sua permaneat simplicitate , & seipsum consoletur , habeatque ad manum , si fortè intus aut exterius tentetur in fide , quò se tueatur. In provinciis verò hæresi contaminatis non opus est hæc cautione , sed apertè in charitate , & visceribus doloris , hæreticorum fraudes , cæcitatem , & errores detegat. Quod tamen non aggrediatur in suggestu , nisi omnibus nervis ingenii , doctrinæ vi , & spiritu , & argumentorum pondere adhibito : ne dum sanare velit , plus noceat , usus infirmis argumentis.

29. Vitandum & illud , ne in corona hominum indoctorum agat de gradibus perfectionis spiritus , & orationis , & contemplationis sublimitate : pauci enim intelligerent , & multi animum in tanta luce desponderent. Quòd si videret vulgus , se minùs attingere scopum propositum à Concionatore , sua opera bona nullius putaret esse meriti. Alii verò carnis servi irriderent , nec facile assentirentur hujusmodi orationis & contemplationis sublimitati. Sic fieret , ut & Concionator inanis gloriæ vitio periclitaretur , & auditor vacuus domum , & aridus rediret. Consultum itaque erit , ut doctrinam ad auditorum captum temperet , ac moderetur Concionator.

30. Vitabit Auxeses , hoc est , exaggerationes nimias , & Hyperbolas , & comparationes odiosas de præstantia Sanctorum inter se : nec virtutes alicujus , vel opera temerè ita extollat , ut cæteris

omnibus anteponat. Nam præterquam hæc sine auditorum fructu dicuntur , si ad examen & trutinam vocarentur , negotium concionanti faceßere possent hujusmodi exaggerationes. Tutiùs itaque erit candidè loqui , & moderatè. Non satis sit virtutes laudasse , & Sanctos , sed & media ostendat , & viam , quâ invitari queant auditores , ostendens interea spinas , quæ viam illam ad æternam salutem impeditam reddunt. Viæ , quas ad virtutem patefaciet ; multæ sint , & faciles ; alii enim alias ingrediuntur.

Quò populum libentiùs se audire videt , 31. & attentiviùs , atque frequentiùs , eò audaciùs veritatem , in iis , quæ oportet , exponat ; vitia item , & abusus non taceat , memor illius Salvatoris nostri , qui quo die ab Hebræis honorificentiviùs cum applausu , & ramis acceptus fuit , cantantibus illis , *Benedictus qui venit in nomine Domini* : eo ipso die ejecit è templo summâ severitate & flagellis ementes , & vendentes.

Vitabit & illud , ne humano respectu , 32. aut spe commodi adductus , & lucri , minus exerceat suum , nisi velit lepram peccatorum , quam à populo aufert , in se recipere , ut Geso avaro accidisse legimus , qui lepram in se suscepit , quam Nahamo divinâ gratiâ converso abstulerat.

C A P U T V I I I .

Dimissâ concione concionatori quid agendum ?

F Initâ concione ubi se in cubiculum 33. Ecclesiastes receperit , gratias aget Deo , quòd operâ suâ in tam sublimi ministerio , utique sine , uti voluerit. Reperat memoriâ errata quæ concionando commisit , ut seipsum humiliet , utque aliàs eadem fugiat. Sic fiet , ut munitus sit adversus laudes , & adulationes aliorum , & contra cæcum sui amorem , & inanem gloriam , quæ apertis mendaciis fallunt , & excæcant , nisi spiritus sit humilis , atque subactus. Ut autem seipsum humiliter cognoscat , suamque miseriam effugiat , & adulationes , dicat : *Summe Deus , quoties hodiè contra me miserum peccatorem sententiam dixi ! Quantum inter se pugnant apud me dicta , & facta ? Tepidus ego , & delicatulus , quàm in alios severus sum excitando , & reprehendendo ? Contrà , in me quàm mollis sum , & blandus ? Mihi ipsi quàm facile ignosco , cæteris verò minime ? Quomodo de Evangelica perfectione differere audeat , qui tam longè ab ea distat , violator præceptorum tuorum. Equidem leoni similis videor , qui caudâ suâ pedum vestigia delet : nam operibus , & vita vestigiis*

*stigiis obscurare videor eam, quam verbo do-
ceo, doctrinam.*

34. Si fortè dicant amici, fructum te concio-
nando referre, dic cum humili Virgine
Luc. 1. Maria: *Magnificat anima mea Dominum: &
Psf. 44. cum Propheta Regio: Dico ego opera mea Re-
gi, Regis enim cælestis sunt omnia, quæ
cæli ambitu continentur, ipsique omnis
gloria debetur. Et hic quidem fructus est
grani in terram cadentis, & mortui,
Joan. 12. quantum ei placet. Nos verò servi inutiles
Luc. 16. sumus: & cum omnia fecerimus, qua oportet:
nondum satisfecimus.* Si fortè con-
tradici inaudieris, nullum ex tuis con-
cionibus fructum apparere, satis tibi sit
morem gessisse imperanti, quæ res non
modici quæstus est. Dicas ergò, *Do-
mine Deus, quando nulli rei satis idoneus
sum, testis esse possum, & præco divina tua
voluntatis, predicans legem tuam ore meo
hominibus: ut justificeris in sermonibus tuis,
& vincas cum judicaris.* Illud quoque con-
solationis sit cogitanti, tametsi fructus
non appareant hominibus; sæpè tamen
Deum solere clam percipere eos, corda au-
ditorum movendo: quæ enim ille scruta-
tur, & videt, sub hominum sæpiùs aspe-
ctum non cadunt. Memineris, & Aposto-
los, Discipulos Jesu Christi Evangelium

prædicando per totum terrarum orbem,
paucis sæpè motis, modicum fructum re-
tulisse, quem post mortem illorum,
tanquam ex semine natum, colligi Deus
voluit.


Audis fortasse murmur de te natum esse, 35.
cave turberis, si causam non dederis; imò
gratias Deo age, qui audis detractiones, &
blasphemias, quas & ille concionatus in
terrīs audivit, postquam & docendo, &
ægratos sanando, optimè de Judæis meri-
tus esset, & quamvis alii per te non profe-
cerint, saltem tibi profuisse teipsum scias
concionando. Vide quantum te prædica-
tione Evangelicâ obstrinxeris, ut eadem
quæ aliis præceperis, servanda tibi esse
scias. Si enim contra ac docueris, fe-
ceris, similis eris sepulchris dealbatis, fo-
ris quidem albis, & ornatis, intus verò offi-
bus, & fœtore plenis.

His, & similibus meditationibus humi- 36.
lem se Concionator servet necesse est: &
quântò erit humilior, tantò etiam majores
fructus reportabit, eritque gratior Deo,
Optimo, Maximo, qui perfectissimus est
Evangelicæ prædicationis magister, &
unicus humilium Concionatorum Doctor:
cui cum Patre & Spiritu sancto laus, & glo-
ria in sæcula seculorum. Amen.

EPISTOLA

Ad Patres & Fratres Provinciæ Aquitanix ejusdem Societatis.

*De mediis conservandi spiritum Societatis, & Vocationis nostræ. Pax
Christi, &c.*

37.  Dventus PP. Procuratorum oc-
casionem lætitiæ & jucundita-
tis in Domino magnam mihi
præbuit: cum ex eorum rela-
tione magis agnoverim pro vi-
dentiam singularem, quâ divina Majestas
tuetur, & auget hujus vineæ suæ fructus.
Quæ licet novella, & non ita pridem con-
sita sit: *Extendit tamen palmites usque ad ma-
re.* Quò verò indies magis propagatur,
eò clariùs perspicere licet, eam futuram,
ut *granum sinapis*, quod humili stirpe, &
tenui semine, tam brevi in tantam arbo-
rem crevit, quanta magna nostra cum vo-
luptate miramur. Itaque immortales gra-
tiæ præpotenti Deo agendæ sunt, qui id
amoris & studii servis suis impertit: *Qua
omnia, quacumque faciunt, prosperantur; &*

res multò feliciùs ex sententia geruntur,
quàm ab iis unquam expectari potuisset: &
quod longè maximum est, quia ex nostris
injuriis elicit cautionem, & ex nostris cala-
mitatibus bonorum nobis facit accessio-
nem. Benedictus sit is, qui hanc vineam
hoc miserrimo temporum statu ad res
tantas instruxit. Benedictus, qui in eam
continuis cæli muneribus, & beneficiis
influit, unde tam ferax ejus propagatio
cernitur, quàm liberalis fuisse creditur di-
vinæ misericordiæ in ipsius plantatione be-
neficientia. Sed quia mos est, unà cum bo-
no semine oriri inimica zizania; pertimes-
cendum est, ne cum adoleverint, & multi-
plicatæ segetes terræ nostræ fuerint, major,
atque amplior fiat invidia, & confortetur
malitiâ hostis, nunquam ab inferenda cala-
mitate

P p p

mitate quiescentis. Proinde curâ quàm maximâ pervigilandum est, ne quâ aditum zizaniorum satori, per quem segetes salvæ esse non possunt, ad agrum nostrum faciamus.

38. Quocirca, & pro onere quod sustineo, ac officio, quod charitas exigit, *Ne scele-
ris arguar, si reticero*, visum est quàm brevissimè aliqua præmonere, quæ tametsi modò minimè esse necessaria videbuntur, non defuturum tamen puto tempus, quo *horum meminisse juvabit*. Nam eo animo nobis accipienda sunt Dei munera, ut quò illa fuerint majora, hoc graviùs ingrati animi culpam metuamus. *Beatus enim homo, qui semper est pavidus*. Propterea aliquot fallacias, & artes callidissimi hostis aperiam, quibus incautos circumvenire, & capere possit, nisi oculos aperiremus, eique nos viriliter opponeremus. *Quia jacula prævisa minus feriunt*. Cum ergò in campum nostrum zizania multis, ac variis modis per fraudem induci queant, eo tamen ex capite maximè formidarim, si minimè nobis curæ esset spiritum nostrarum constitutionum retinere in admittendis ad Societatem nostram hominibus. Nam si aliâ intentione procedatur, quàm quæ à nostris constitutionibus requiritur, certissimæ ruinæ porta aperietur. Sanè si nullâ habitâ ratione vocationis, & spiritûs, quo quisque impulsus accedit, litteras modò spectemus, & alia exteriora talenta, ac dona; veniet tempus, quo se Societas multis quidem hominibus abundantem, sed spiritu, & virtute destitutam mœrens intuebitur: unde existet ambitio, & sese efferet solutis habenis superbia, nec à quo contineatur, & supprimatur, habebit. Quippe si animum converterint ad opes, & cognationes, quas habent, intelligent illi se quidem propinquis, & opibus affluentes, sed solidarum virtutum, ac spiritualium donorum copiis egenos, ac vacuos. Itaque hoc primum esto consilium, & in capite libri scribatur, ne tandem aliquando experientia doceat, atque utinam nondum docuisset, quod mens demonstratione concludit.

39. Jam verò quando Dei afflatu inspirati in nostram Societatem admittuntur; æquum est eorum cooperari vocationi, & per animi submissionem eos altiùs terræ defigere, ac iis officiis sedulò exercere, quæ Domui probationis sunt propria. Ex bono namque Novitio bonus existit Scholasticus; atque ex ejus culturæ negligentia sæpè contingit, quod ædificiis evenire solet; quæ si firmis cateant fundamentis, repente corruunt, unaque cum ipsis omnes

sumptuum expensæ pereunt. Alterum enim ex duobus sequetur, aut ut Novitius postquam Scholasticus evaserit, & litteris animum excoluerit, discedat à nobis; aut si maneat, cum nèque sit ipse firmiter ædificatus, neque aliis ædificationi, parùm quoque Religioni utilis sit futurus. Itaque celeritas illa, & festinatio educendi è Noviatu nondum maturos, damnum est certissimum, quod quò latius serpit, hoc clariùs cernitur. Et in quo si obdormiamus, zizaniorum seminator non dormiet.

Quapropter bene, atque utiliter collo-
cari illud tempus putandum est, quod ad 40.
instruendum, & efficiendum operarium in vinea Domini utilem confertur: Cujus munus tam præclarum, & illustre est, ut ad declarandam magnitudinem perfectionis, quæ ad illud requiritur, noluerit priùs Christus Dominus initium concionandi facere, quàm annos triginta natus esset, tametsi ejus sapientia in momento Conceptionis æquè perfecta fuerit, atque anno ætatis trigesimo. Quo nomine congruenter, convenienterque instituta existimari debet exercitatio illorum experimentorum, quæ in Societate ordinaria sunt; quippe cum per illa quisque possit, & vires suas probare, & effrænes animi motus domare. Nam si quis illis haudquaquam sedatis, idem qui ante erat, cum Ægyptiis agere cœperit, dubitari non potest, quin jacturam sui facturus sit potius, quàm ab iis quicquam in sua emolumenta reportaturus. Itaque Dominus Moyse Ægyptum ingressuro, quod filios non circumcideret, graviter comminatur, designans conversationem cum Ægyptiis homini non circumciso, nec mortificato, plus damni, quàm utilitatis afferre solere. Certè si Novitius ejus probationis tempore non imitetur exemplum formicæ, omni studio æstate sibi ad hyemem transigendam frumenta congregantis; non parùm jactabitur, cum ingruerit hyems tribulationum, & tempestas tentationum, nisi bene munitus, & instructus fuerit charitatis, obedientiæ, humilitatis, ac patientiæ præsidiiis; quibus comes sit voluntas efficax se despiciendi, & usque ad mortem consequendi Christum crucifixum, ad Dei gloriam, & proximorum salutem.

Quas ob res non immeritò dicere possu- 41.
mus, Domum probationis Novitiis esse Bethleem, quàm sacri scriptores Domum panis interpretantur; quod ex ea panes verbi Dei petantur, & cibaria parentur ad enavigandum periculosum hujus vitæ mare,

re, quousque ad portum terræ promissionis, quæ cælestis est Hierusalem, perveniatur. Ideoque experimento deprehendimus, Novitios, qui id studiosius animo considerant, angere dolore, cum è Novitiatu educi se sentiunt, accuratius cogitantes, quàm parùm virtutibus instructi abeant, quæ sunt panes, & cibaria, quibus ad suam quisque navigationem conficiendam opus habet. Qui autem expetunt, aut delectantur Novitiatu citò solvi, apertè indicant parùm illud sibi perspectum esse, quantopere conferat bene illinc armatos procedere; nihilque ducere præstitutam diem, cum nequaquam vereantur ad illam inermes prodire, & imparati. Hos equidem monitos cupio (faxit autem Deus ne hæc monitione egeant) ni sibi ad eam diem providerint, quâ ad collegia, & capeienda studia mittentur, fore ut multùm negotii habeant, si priusquam literis, & doctrinis imbuantur, præclare in Religiosa simplicitate non fuerint informati: *Scientia enim inflat*, & ab ea, ejusque argumentis emanant sui existimatio, judicium proprium, opinionum diversitas, & quod deterius est, inter condiscipulos, atque adeò inter Fratres, & Patres nostros divisio. Væ illi, qui hanc primam diem ingrediens non ante senserit se in suis defectibus examinandis facile, & bene versatum, quàm ad alienos perspiciendos, & notandos descendat. Væ etiam illi, qui insatiabili quadam studiorum voluptate abreptus, nullam temporis partem spirituali profectui ex ipsis colligendo tribuerit; quem non exiguum decerpere solent ii, qui amorem suum omnem projecerunt in eum, à quo est omnis intelligentia, & sapientia. Neque verò aliam ob causam disciplinas sectari debemus, quàm ut per eas clariùs cognoscentes Conditoris nostri magnitudinem, bonitatem, sapientiam, illum vehementiùs, & diligentius diligamus. Id si fortè difficile cuiquam videbitur, incumbat modò in eum laborem sæpiùs, ac in eo se verset: neque adeò laboriosum opus esse comperiet, cum Maria, & Martha germanæ sint sorores, quamvis in vitæ ratione non consentiant; & studium literarum, & spiritus fratres censeantur, licet interdum dissimili exercitatione segregentur. Neque tandem spiritus, ac litteræ mutuis sibi obsistent impedimentis, si qui in utrisque quo par est studio, elaborent. Singulare, & insigne nobis hujus rei, ut etiam virtutum cæterarum præstitit exemplum bonæ memoriæ P. Laynes, qui mirificè semper conjunxit scientias cum spiritu, maximè verò cum

solidis virtutibus humilitatis, & charitatis.

Quapropter væ iterum illi, qui quò 42. magis se studiis literarum addixerit, eò minùs intellexerit, quàm nihil sit: cum omnis Philosophia non spiritualis modò, sed etiam moralis, quam Ethnici Philosophi coluerunt, hæc sui cognitione, & desipientiâ tanquam basi innitatur. Itaque eum scholasticum, qui submissionis, & desipientiæ sui loco, propriæ inhiat opinioni, & existimationi, verè dixerim, non capere, quæ audit, plusque dedidicisse, quàm didicit. Ex quibus omnibus perspicuè sequitur, quàm necessarium sit quemque in domo Probationis amplam virtutum supellectilem comparare, cum à scholastico in arena fundato expectari aliud non possit, quàm exurgentibus ventis ambitionis, & vanitatis haud dubiè ruiturum. Atque hinc nascitur mentis inquietudo, quâ aliis fastidio sunt tales viri, & perturbationi, dum pacem Domini in seipsis non reperiunt. Hinc etiam oriuntur querimonix, obmurmurationes, dissidia nationum, discordiæ non modò inter Fratres, sed quod gravius est, ab ipsis suis Superioribus, quod eos in postremis habeant ad officia, gradus, aliaque similia. Qua in resistiusmodi homines apertè declarant, ignorare se, quid sit Professionem edidisse, cum eam ad honores, & dignitates, ad quietem, & otium, atque ad ampliora privilegia, falsâ pietatis simulatione detorqueant. Heu quanto in errore versantur: siquidem eorum mihi videntur esse similes, qui cum medicamentum sumpserint, nihil de ejus effectu laborantes, obdormiscunt, cum certum sit ex eo majus corpori detrimentum proventurum, nisi ægroto salutem, quæ sperabatur, afferat. Ita Professio plus eorum nocet animis, quàm profit, si ejus finem non consequantur. Idcirco enim Professio est instituta, ut in vinea Domini alacriter operam suam quisque ponat; sitque ad obedientiam, submissionem, humilitatemque paratior, proximorumque necessitatibus subveniat, illisque perfectioris virtutis præbeat exemplum. *Vos enim estis lux mundi*, inquit Christus, cum iis loquens, qui ejus vestigia consequuntur.

Hinc facile perspicitur, neminem, quod 43. ante dixi, ad literarum studia idoneum fore, quin antea in pietatis, & Religionis disciplina firmum jecerit fundamentum; nec Professum esse posse, qualem requirit forma instituti nostri, nisi in utroque studio pietatis, & doctrinæ sedulò versatus

fuerit. Quod Deo aspirante eveniet, si in recipiendis in Societatem hominibus ea teneantur, quæ in prima constitutionum parte præcipiuntur: si in Novitiatu ea ferventur, quæ sunt in tertia parte; ac demùm si in collegiis ea adimpleantur, quæ quartâ parte continentur. Et quoniam mihi ad omnes sermo est, vehementer unumquemque hortor, ac precor, ne solâ lectione eorum, quæ constitutiones nostræ præscribunt, & admiratione divini spiritûs, atque ordinis, qui in ipsis elucet, contentus sit: sed multò magis incumbat in observationem, cum ab hac sola pendeat fructus spiritualis, & progressus, quem omnes optamus. Vellèm equidem hac de re plura dicere, tum officii mei vinculo adductus, tum quod vos alloqui per literas, (quoniam viribus, & valetudine impediatur, quò minùs possim Provincias ipse lustrare) multò mihi jucundissimum est: sed hæc ipsa pauca cum sub Procuratorum adventum paulò ante ægritudinem meam scribere instituissem, ex ea, licet diuturna, tandem convalescens, tantam contraxi virium imbecillitatem, vix ut paucos hos versus dictare sine gravi molestia possim. Quare ne scribendo longiùs provehar, & ad laborem affectæ valetudinis minuendum, statui ad summa quædam capita ea revocare, de quibus mei muneris esse censeo, vos admonere, ne zizaniorum disseminator agros nostros, ut initio dicebam, ingressus, quod Spiritus sanctus in corda nostra per gratiam vocationis nostræ sparsit, salutare semen extinguat. Ac majorem in modum peto ab omnibus, ut Deum precentur, quò nobis omnibus concedat, ut non in eorum numero simus, qui cum iter facturi, ocreas induti, adjunctisque calcaribus, supersedentes itinere in diversoriis commorantur: sed continuò curramus alacriùs, ac velociùs in via perfectionis, donec perveniamus ad montem Dei Oreb.

44. Illud igitur in primis occurrit, quod habetur initio primæ constitutionum partis, ubi de ratione agitur, quâ conservari Societas, & augeri possit, his verbis., Me-
 „dia illa, quæ cum Deo instrumentum con-
 „jungunt, ac disponunt, ut à divina manu
 „rectè gubernetur, efficaciora sunt, quàm
 „quæ illud disponunt erga homines: cujus-
 „modi est probitas, & virtus, ac præcipue
 „charitas, & pura intentio divini servitii,
 „& familiaritas cum Deo in spiritualibus
 „devotionis exercitiis, & zelus sincerus
 „animarum ad gloriam ejus, qui eas creavit,
 „ac redemit, quovis alio emolumento post-

habito., Dignæ planè voces, quæ ab omnibus attentissimè considerentur, cum eas B. Pater noster suis filiis tanto studio, & amore scriptas reliquerit. Nam si paulò attentius consideremus, verè agnoscemus, cum ea non adhibentur, quæ instrumenta cum Deo magis conjungunt, omnes sacrorum ordinum, ac Religionum dissensiones, ærumnasque subsequi, ac succrescere. Ut enim ex siccitate terræ arborum flores, & fructus arefcunt, ita si mens religiosa in meditationibus, & piis exercitationibus arida perseveret, omnis flos, fructusque spiritualis exuret. Quare qui se in Christi crucifixi meditatione, atque imitatione minùs exercuit, non modò tepidum se sentiet in tolerandis pro Christo laboribus, sed etiam laborum ipsorum impatientem, ac sibi nimium proculdubio arrogabit, aliosque despiciet, quòd rariùs inter orandum de suis ipsius cognitione, & vilissima hominis conditione cogitaverit. Præclarum omninò, & suavissimum in omnibus molestiis nostris remedium est crux Salvatoris. Si enim virga Moysis perdidit Ægyptios, quantò magis seculares, ac Ægyptios animorum nostrorum motus crux Christi profligabit? Qui si adhuc vigent, vivuntque in nobis, certè in cruce positam vitam nostram non habemus. Nam cui in ea viventi, quicquam ad summam animi tranquillitatem, vel jucunditatem desit? Quod si rebus utimur secundis, ejus beneficio id fieri putandum est: sin autem acerbitatibus, & ærumnis premimur, in ea proculdubio mitigantur. Quis audeat cum habitatoribus Crucis Christi pugnare? *Quis nos separabit à charitate Christi?* Quare si qui ab hoste vehementiùs oppugnati, tandem superantur: idèd fit, quod eas res pro viribus adhibere nolunt, quæ nos arctiùs cum Deo opt. Max. perfectiusque conjungunt. *Perditio tua ex te Israël; ex me tantummodo auxilium tuum.* Si autem huic decimæ partis præscripto pareatur, nihil præterea requiratur ad vitam quietam, & sine ulla dissensione traducendam: atque ita fiet, ut idem omnes cogitemus, & sentiamus, nemoque vel de victu, atque vestitu, vel de imposito sibi munere conqueratur: *Quia charitas, benigna est, non inflatur, non agit perperam, non querit quæ sua sunt.*

Quod ad virtutem obedientiæ pertinet, 45.
 (ad quam Societas omnia refert, tanquam ad scopum, & vexillum, quæque ejus est turris præcipua) etsi nonnulla fortasse dicenda erant, tamen quia B. P. N. Epistolam de ea scripsit, non utilem modò, sed omni dignam admiratione, quippe cui nec quic-

quicquam addi possit, nec detrahi; ad eam vos remitto, cum hac una voce Evangelii: *Hoc fac, & vires.* Hoc enim in Domino nobis polliceri possumus, fore ut si quæ in illa continentur, præstiterimus, perfectæ obedientiæ filii nominemur, & simus.

46. Cum de paupertate in sexta constitutionum parte B. P. N. Ignatius ageret, eam esse confirmat instar muri fortissimi Religionum, quo illæ in statu suo, & disciplina conservantur, & à compluribus hostibus proteguntur. Quare maxima nobis est ratio habenda tanti præsidii; illudque in primis sollicitos nos tenere debet, ne Religionis, aut zeli specie, dum Collegia stabilire, aut Domibus volumus adjumento esse, subeat animum sollicitudo immoderatio, propensioque cupidior, quam probari possit hominibus externis, & secularibus; atque adeò domesticis ipsis dolorem afferat, & mœrorem. Nam cum curam vehementiorem habendi prohibitam nobis in Evangelio sciamus, illud omni contentione vitandum est, ne prætextu zeli alicujus minuat in nobis nostræ recordatio paupertatis; ac subintret cupiditas bonorum temporalium, quæ certissima pestis est Religionum earum, quæ aditum penitus hujusmodi perverfis affectibus non occluserunt. Nec tamen ideò interdictum putetur quò minus Collegia, & Domus egentiores, necessitate exposcente, honestis, moderatisque rationibus juyari possint: Illud tamen dico quod aliquando animadversum est, multis Collegiis usque venisse, ut dum studio nimio procurandæ dotationis varios modos exquirunt, aliis negotium potius facefferint importunè, quam exemplo, ædificationique fuerint. Cum autem hujusmodi rationibus humanis posthabitis, ea conati sunt Nostri conservare, quæ pauca Collegiis donata fuerant, brevi tempore, unde minimè sperarent, aut sperare potuissent, divinam providentiã pro ipsis advigilante, uno anno adepti sunt, quod frustra pluribus annis concupiverant. Hæc verò idcirco à me dicta sunt, ut intelligatur appetitu isto immoderato, rem nostram bene non geri, quin potius inde jacturam, non lucrum existere. At contra, ubi cum moderatione in silentio, & spe proceditur, prosperè cuncta succedunt; proximi bene ædificantur; nosque ipsos veræ paupertatis titulo gaudentes majore gratiã, & propensiore auxilio Christus prosequitur: *Quia tibi derelictus est pauper, & orphanus tu eris adjutor.*

47. Sed & illud operæ pretium mihi visum

est; excitare Patres, ac Fratres in Christo mihi dilectissimos; ac hortari in Domino ut memores sint, nos per vota Deo nuncupata semel mortuos esse, vitamque istam jam non esse nostram, sed illius; qui suæ non pepercit, ut eam nobis impertiret: atque ideò æquum esse, ut eam in ipso abscondamus, quam si nostris viribus conservari in nobis posse credimus, graviter decipimur. Nos autem mortuos esse in Christo, hæc signa testantur, si non videamus; non sentiamus, non respondeamus: ut qui oculos habeat apertos, ut aliena facta dijudicet; respondeat etiam facillè, & contradicat iis, quæ ab obedientia injunguntur; doleat, ac conqueratur, si quando defectuum commonefiat, argumento sit certissimo, eum nondum esse mortuum, sed planè vivere cupiditatibus suis, oblitum ejus propositi, quod principio vocationis suæ arripuerat.

Quæ idcirco commemoro, quod audiam initio nascentis Societatis eximiam quandam sinceritatem; simplicitatemque floruisse inter Nostros; cum admonitiones, ac correctiones non mœrorem, non amorem afferrent, sed amorem cum grati animi memoria, & significatione conjunctum; & jure id quidem: nam si seculares homines, qui coram Principe aliquo adstare debent, grati in eos esse solent, quorum indicio vel infectam sibi esse corporis faciem, vel aliud quidpiam non ornate compositum intelligunt: quanto majorem gratiam habere debet is, cui ab alio indicatur, quibus maculis anima foedetur, ut ante Dei conspectum lotus, ac purus veniat. Quod si aut dolor, aut perturbatio, aut etiam abalienatio pro gratia succedat; in horum, & quidem gravissimorum detrimentorum alterum, necesse est incurramus, ut vel nullo nos monente, ac corrigente, vitia in nobis altiores agant radices; cum nemo sit, qui ejusmodi infirmo, correptionis impatienti audeat adhibere medicinam; vel si adhibebitur, cum ea recipiatur stomacho indignabundo, & amaro animo, facillè impleatur domus tota felle, & amaritudine propter illos, qui ut minus perfecti, neque admoneri volunt, neque corrigi. Quare nulla nos istius sanctæ simplicitatis, veræque humilitatis oblivio capiat, cum Scriptura dicat: *Cum simplicibus sermociatio ejus.* Nec mirum sit ibi abesse communicationem Dei, ubi non est simplicitas.

Jam verò sicut lex Christi circumcisionem corporis vetuit, ita commendat præ-

cipuè cordis circumcisionem ei, qui Christi vult esse Discipulus, quippe qui ad hoc vocatur, ut abneget semetipsum, tollat crucem suam, atque ipsum sequatur. Par ratione vetantur in Societate publicæ mortificationes, ob justas, & graves causas: at propriæ voluntatis abnegatio, & interior mortificatio sic proponuntur, ut qui aliter faciat, eum pro legitimo filio Societas non agnoscat. Et sanè manifesto est indicio, minimè illos animadvertere, quodnam voluntati propriæ supplicium debeat, quæ Deum Creatorem suum non est verita offendere; cum illi obsequuntur, & ablandiuntur, neque eam tractant pro merito, quod non est aliud, nisi omni studio eniti, nihil unquam ut fiat, quod ipsa velit. Verendum porrò est, ne harum rerum incuria grave damnum afferat Societati: idemque ipsi contingat, quod vineæ, quæ suis temporibus non putatur, quam sterilefcere, & interire paucis annis videmus; neque uvas ferre, sed in palmites, & sarmenta sylvescere: ita planè apud nos, si qui animum ad commoda sua vehementius adjunxerint, periculum est, ne mortificationis obliti, pro racemis sarmenta proferant, quæ ad nihilum valeant, nisi ut in ignem mittantur. Atque ex incircumcisa voluntate, atque amore proprio aliud etiam incommodum sequitur, nempe quod densissima quædam nubes ex corde immortificato exoriatur, quæ ipsi præsentiam divini conspectus obscurat, atque adeò tollit. Et verò cum mihi in animum subeunt dona, & virtutes Beati Patris nostri Ignatii, aliorumque Patrum, qui primitiæ quodammodo fuerunt Societatis, cum sua omnia sic agerent, & decernerent, perinde ac si præsentem Deum intuerentur; sic afficior intimis sensibus, ut nihil malim quàm ne tantorum donorum, tantarumque virtutum, quas Societati Deus cœpit impertiri, copiosus imber culpâ nostrâ residat. Nam si Israëliticus populus, ducem habens itineris columnam igneam cœlitus demissam, tot nihilominus pericula, & labores in deserto adiit; quid fiet illis, qui cœlesti illo lumine destituti, per hujus vitæ solitudinem, tot periculis obnoxiam gradientur? Quàm facilè poterunt in errorem induci; siquidem non nisi in lumine Dei lux aspicitur: *Quia in lumine tuo videbimus lumen?* Itaque inter hæc monita hoc sit non ultimum, ut omni studio incumbamus in cordis nostri mortificationem; atque operemur omnia opera nostra in conspectu Dei, ac Domini no-

stri, dicamusque cum Propheta: *Propter hoc latatum est cor meum, & caro mea requiescet in spe.* Nec quisquam miretur, si sine corde quidem quieto, & tranquillo vivat, cum nullam dat operam, uti Deum semper præsentem habeat. Neque enim hoc donum confertur iis, qui illud minus æstimant, sed qui in eo assequendo plurimum elaborant.

Licet autem hæc Societatis nostræ vinea, quæ sicut principio scripsi; *Extendit palmites suos usque ad mare*, jam protulerit & frondes, & flores, nec racemi desint, hoc tamen expectatur, ut vinum copiosum fundat, cujus causâ vinea omnis conferitur, idque ut fiat, uvas necesse est in torcular injici, & calcari. Hoc forsitan nobis, Fratres charissimi, deest, quod non gustemus, neque cum voluptatis sensu optemus calcari, premi, contemni, ut optatæ consolationis, atque exultationis vinum proferamus. Meminerimus Christum dixisse: *Torcular calcavi solus.* Quis jam calcari recusabit, cum videat in torculari Christum premi, ut fundat nobis illud vinum, de quo ipse dixit: *Amodò non bibam ex hoc genimine vitis, donec bibam illud novum in regno Patris mei.* Nam nisi fumum vani honoris, atque existimationis propriæ perculcaverimus, facilè ab hostibus nostris conculcabimur, & Christi Discipuli esse desinemus.

Verùm ut tandem huic Epistolæ finem imponam, atque ad unum caput omnia reducam, quæ maximè à vobis desidero; sit nobis continuò ante oculos illud Apostoli: *Videte, Fratres, vocationem vestram.* Si quis igitur humiliandi se desiderio tenetur, etiam atque etiam cogitet, quantum debeat vocationi suæ, & quid ab eo gratia illius exposcat, in dictis, factisque omnibus circumspiciat, an dici, fierique debeant ab eo, qui in hanc Societatem sit adscriptus. Omnia metiatur ad illam mensuram, eritque in locutione modestus, honestus in conversatione, assiduus in ædificatione proximi, prudens, & sanctus in operationibus suis; potens in revocandis hominibus à peccato; ardens in tolerandis pro Christo, & ejus Ecclesia laboribus; ac demum unus ex iis, quos constitutiones nostræ informant, atque instruunt, qui cum saluti propriæ invigilet, idoneus sit & in salutem proximorum incumbere: eritque is operarius, de quo meritò dicatur, *Dignus est operarius mercede sua.* Utinam permulti adeò in hanc vineam suam mittantur,

tur, ut suppetat copia multos non solum in Europam, sed in Africam, atque Asiam, Indiamque mittendi; atque ut, dum omnibus ubique terrarum ad Christum trahendis opera ponitur, *tandem fiat unum ovile, & unus Pastor*. Ille, qui suarum nos ovium numero aggregavit, optimus, & verissimus Pastor Christus JESVS, eam nobis tribuat gratiam, ut ipsius vocem verè audiamus, ac tandem in hac vita per gratiam, & in cælo per gloriam eum cognoscamus.

92. Quoniam verò, quantum homini ex afflictâ valetudine licet conjicere, tempus resolutionis meæ instat, omnes oro, at-

que obsecro; ut quæ est vestra charitas, in precibus, & sacrificiis vestris habeatis me apud Deum commendatum, uti hoc exiguo tempore, quod mihi reliquum est vitæ, gratiam vocationis meæ agnoscam; & ex ejus spiritu actiones meas definiam, atque ad iter me comparem in sanctitate, & justitia coram ipso omnibus diebus meis: Quod ipsum peto, petamque à Deo quoad vivam pro tota Societate, sicut à me non solum officii mei ratio, sed etiam singularis erga ipsam charitas suo jure flagitat. Romæ mense Aprili 1569. R. R. V. V. servus in Christo, Franciscus Borgia.

F I N I S.



I N.

I N D E X

L O C O R U M

S A C R Æ S C R I P T U R Æ

T O T I U S O P E R I S.

G E N E S I S.

3. 16. **M**ultiplicabo arummas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios. lib. 2. num. 21.
3. 17. **Q**uia audisti vocem uxorū tuarū, & comedisti de ligno, ex quo praeceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vita tua. lib. 1. num. 168.
3. 8. **C**ū audissent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso post meridiem, abscondit se Adam, & uxor ejus à facie Domini Dei in medio ligni Paradisi. lib. 1. num. 198.
8. 9. **C**ū non inuenisset, ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in arcam. lib. 2. num. 233.
15. 7. **E**go Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldaeorum, ut darem tibi terram istam, ut possideres eam. lib. 4. num. 10.
18. 20. **C**lamor Sodomorum, & Gomorrhoeorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis. lib. 2. num. 229.
19. 24. **D**ominus pluit super Sodomam, & Gomorrhœam sulphur, & ignem à Domino de caelo. lib. 2. num. 93.

E X O D I.

5. 20. **V**ideruntque se praecepti filiorum Israël in malo, eò quòd diceretur eis; non minuetur quidquam de lateribus per singulos dies. lib. 4. n. 13.
6. 12. **E**cce filii Israël non audiunt me. lib. 3. n. 255.
10. 23. **U**bicumque autem habitabant filii Israël, lux erat. lib. 2. n. 198.
20. 5. **E**go sum Dominus Deus tuus strenuus, zelotes, visitans iniquitatem Patrum in filiis usque in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me: & faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, & custodiunt praecepta mea. lib. 1. n. 238.
20. 19. **L**oquere tu nobis, & audiemus; non loquatur populus Dominus, ne forte moriamur. lib. 4. n. 13.
25. 40. **I**nspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. lib. 1. n. 48.

L E V I T I C I.

13. 44. **Q**icumque ergò maculatus fuerit lepra, & separatus est ad arbitrium Sacerdotis, habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contextum, contaminatum, ac fordidum se clamabit. lib. 6. meditat. 21. parte 2. puncto 2.
16. 14. **T**olles quoque de sanguine vituli, & asperget digito septies contra propitiatorium ad Orientem; cumque mactaverit hircum pro peccatis populi, inferet sanguinem ejus intra velum, sicut praeceptum est de sanguine vituli. lib. 1. n. 196.

N U M E R O R U M.

15. 37. **D**ixit quoque Dominus ad Moysen, loquere filiis Israël, & dices ad eos ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum pertinentes in eis vittas hyacinthinas. lib. 3. n. 330.
16. **J**am enim egressa est ira à Domino; jam enim vastabis

incendiam. Dixit Moyses ad Aarōn: tolle thuribulum, & hausto igne de altare, mitte incensum desuper, & cessabit plaga. lib. 3. n. 239.

D E U T E R O N O M I I.

- S**icut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis. lib. 2. n. 83.
- V**idete, quòd ego sim solus, & non sit alius Deus praeter me. lib. 2. n. 104.
- A**bscondam faciem meam ab eis, & considerabo novissima eorum. lib. 9. n. 14.

J U D I C U M.

Aversi sunt filii Israël, & fornicati sunt cum Baalim. lib. 2. n. 33.

L I B R I P R I M I R E G U M.

- C**onstituere nobis Regem, ut judicet nos, sicut & universa habent nationes. lib. 2. n. 62.
- D**avid tollebat cytharam, & percutiebas manus suā, & resocillabatur Saul, & levius habebat. lib. 4. n. 14.
- E**t induit Saul David vestimentis suis, & imposuit galeam aeream super caput ejus, & vestivit eum lorica. lib. 2. n. 229.

L I B R I S E C U N D I R E G U M.

- C**ognovit David quoniam confirmasset eum Dominus Regem super Israël, & quoniam exaltasset Regnum ejus super populum suum Israël. lib. 7. n. 17.
- S**altabat totis viribus ante Dominum. lib. 7. n. 17.
- V**idesne, quòd ego habitem in domo cetrina, & arca Dei posita sit in medio pellium? lib. 7. n. 17. circa finem.

L I B R I T E R T I I R E G U M.

- E**go ingredior viam universae terrae: confortare, & esto vir, & observa custodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, & custodias caeremonias ejus, & praecepta ejus, & judicia & testimonia, sicut scriptum est in lege Moysi. lib. 7. n. 23.

L I B R I Q U A R T I R E G U M.

- I**te, & videte, ubi sit, ut mittam, & capiam eum: annuntiaverunt ei dicentes; ecce in Dothan: misit ergò illuc equos, & currus. lib. 4. n. 2.
- C**onsurgens autem diluculo Minister viri Dei, egressus est, viditque exercitum in circuitu civitatis, & equos, & currus. lib. 2. n. 74.

T O B I Æ.

- M**agnus es Domine, in aeternum, & in omnia secula regnum tuum: quoniam flagellas, & salvas. lib. 2. n. 104.

J U D I T H.

- S**ubveni, queso te, Domine Deus meus, mihi viduae. lib. 2. n. 183.

Nov

S A C R Æ S C R I P T U R Æ.

9. 16. Non enim in multitudine est virtus tua Domine; neque in equorum viribus voluntas tua est. lib. 2. n. 183.

J O B.

2. 4. Pelle pro pelle, & cuncta, qua habet homo, dabit pro anima sua. lib. 2. n. 13.
11. 3. Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est: conceptus est homo. lib. 2. n. 56.
7. 5. Induta est caro mea putredine & sordibus pulveris, cutis mea aruit, & contracta est. lib. 2. n. 200.
10. 20. Numquid non paucitas dierum meorum finiatur brevi? dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam. lib. 2. n. 82.
17. 14. Putredini dixi, Pater meus es, mater mea, & soror mea vermibus. lib. 2. n. 82.
20. 25. Vadent, & venient super eum horribiles. lib. 1. n. 79.
30. 14. Quasi rupto muro, & aperta januâ irruerunt super me, & ad meas miseras devoluti sunt. lib. 2. n. 70.
30. 20. Clamo ad te, & non exaudis me: sto, & non respicis me: mutatus es mihi in crudelem, & in duritia mandis tua adversaris mihi. lib. 2. n. 60.

P S A L M I.

9. 12. Latentur omnes, qui sperant in te Domine. lib. 2. n. 143.
7. 13. Nisi conversi fueritis, gladium suum vibravit, arcum suum tetendit, & paravit illum, & in eo paravit vasa mortis. lib. 2. n. 54.
9. 14. Misere mei Domine, vide humilitatem meam de inimicis meis. lib. 2. n. 35.
10. 7. Pluet super peccatores laqueos, ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum. lib. 1. n. 79.
15. 5. Dominus pars hereditatis mea, & calicis mei, tu es, qui restitues hereditatem meam mihi. lib. 2. n. 141.
16. 1. Exaudi Domine justitiam meam, intende deprecationem meam. lib. 2. n. 97.
17. 9. Ascendit fumus in ira ejus, & ignis a facie ejus exarsit. lib. 1. n. 77.
17. 5. Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbaverunt me. lib. 1. n. 74.
21. 3. Deus meus, clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad inspicientiam mihi. lib. 2. n. 118.
21. 7. Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis. lib. 2. n. 108.
33. 19. Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu salvabit. lib. 2. n. 161.
35. 6. Domine in calo misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes. lib. 2. n. 81.
37. 4. Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum, quoniam iniquitates mea supergressa sunt caput meum, & sicut onus grave gravata sunt super me. lib. 2. n. 10.
41. 1. Quemadmodum desideras cervus ad fontes aquarum; ita desiderat anima ad te Deus. lib. 2. n. 19.
58. 10. Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es; Deus meus, misericordia ejus perveniet ad me. lib. 2. n. 47.
62. 8. In velamento alarum tuarum exultabo, adhaesit anima mea post te. lib. 2. n. 49.
95. Tunc judicabit orbem terra in aequitate, & populos in veritate sua. lib. 1. n. 83.
103. 30. Emittes spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terra. lib. 1. n. 70.
106. 42. Videbunt recti, & letabuntur, & omnis iniquitas oppilabit os suum. lib. 2. n. 166.
113. Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habent, & non loquentur, aures habent, &

non audient. lib. 2. n. 13.

Convertere anima mea in requiem tuam. lib. 2. n. 20. 114. 7.
Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. lib. 1. n. 84. 144. 14.
Exultabunt sancti in gloria, letabuntur in cubilibus suis. 149. lib. 2. n. 20.

P R O V E R B I O R U M.

Sed non inveniet fraudulentus lucrum. lib. 2. n. 15. 14.
Longe est Dominus ab impiis, orationem justorum exaudiet. lib. 2. n. 28. 15.
Qui declinat aures, ne audiat legem, oratio ejus erit exaudibilis. lib. 2. n. 28. 28.

E C C L E S I A S T Æ.

Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur. lib. 1. 8. 2. n. 20.
Omnia qua desideraverunt oculi mei, non negavi eis. lib. 2. n. 20.
Sunt iusti, atque sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit. lib. 2. n. 163. 9. 1.

C A N T I C O R U M.

Trabe me post te; curremus in odorem unguentorum tuorum: introduxit me Rex in cellaria sua. lib. 2. n. 80. 1. 3.
Sub umbra illius, quem desideraveram sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo. lib. 2. n. 82. 2. 3.
Surgam, & circumibo civitatem, per vicos, & plateas quarum, quem diligit anima mea. lib. 2. n. 96. 3. 2.
Ego dilecto meo; & ad me conversio ejus, veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. lib. 2. n. 61. 7. 10.
Quid videbis in Sulamite, nisi choros Castrorum? quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis. lib. 2. n. 98. 7. 1.
Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris mea, ut inveniam te foris, & deosculer te, & jam me nemo despiciat. lib. 1. n. 222. 8. 1.
Quid faciemus sorori nostrae in die quando alloquenda est? si mortuus est, adificemus super eum propugnacula argentea. lib. 2. n. 68. 8. 8.
Ego murus, & ubera mea sicut turri. lib. 2. n. 80. 8. 10.

S A P I E N T I Æ.

Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. lib. 4. n. 3. 1. 4.
Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improprietatis. lib. 2. n. 130. 5. 3.
Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles: viam autem Domini ignoravimus, quid nobis profuit superbia? lib. 1. n. 228. & lib. 2. n. 202. 5. 7.

E C C L E S I A S T I C I.

Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia, & timore. lib. 2. n. 144. 2. 1.
Si poenitentiam non egerimus, incidemus in manus Dei, & non in manus hominum. lib. 2. n. 32. 2. 22.
Memorare novissima tua, & in aeternum non peccabis. lib. 7. 40. 1. n. 73. & lib. 2. n. 19.
Datio Dei permanet justis, & profectus illius successus habebit in aeternum. lib. 2. n. 218. 11. 17.
Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. lib. 1. n. 146. 15. 14.
Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi 35. 26.

INDEX LOCORUM

rubens pluvia tempore siccitatis. lib. 2. n. 138. & n. 156. & n. 165.

ISAIAE.

2. 4. *Va genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis, dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum.* lib. 1. n. 182.
1. 21. *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis plena iudicii? Iustitia habitavit in ea? nunc autem homicida.* lib. 1. n. 184.
5. 22. *Va qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismet ipsis prudentes.* lib. 1. n. 138.
65. 13. *Propter hoc hac dicit Dominus; ecce servi mei comedent, & vos esurietis: ecce servi mei bibent, & vos sitietis.* lib. 1. n. 79.
10. 17. *Lumen Israel in igne, & sanctus ejus in flamma: & succedet spina ejus, & vepres in die una.* lib. 2. n. 92.
12. 1. *Constebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi, conversus est furor tuus, & consolatus es me.* lib. 1. n. 197.
21. 9. *Cecidit, cecidit Babilon, & omnia sculptilia Deorum ejus contrita sunt in terram.* lib. 2. n. 61.
25. *Faciet Dominus exercituum in monte hoc convivium pingue, convivium vindemiae.* lib. 1. n. 84.
25. 10. *Requiescet manus Domini in monte isto, & triturabitur Moab sub eo, sicut teruntur palea in plastro.* lib. 1. n. 201.
32. 18. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiducia, in requie opulenta.* lib. 1. n. 84.
33. 15. *Qui ambulat in justitiis, & loquitur veritatem, &c. iste in Excelsis habitabit.* lib. 1. n. 84.
49. 10. *Non esurient, neque sitient, & non percussiet eos aestus, & Sol, quia miserator eorum teget eos, & ad fontes aquarum potabit eos.* lib. 1. n. 84. & lib. 2. n. 16.
53. 4. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* lib. 1. n. 216.
54. 2. *Dilata locum tentorii tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas: longos fac funiculos, & clavos tuos consolida.* lib. 1. n. 175.
55. 1. *Omnes sitientes, venite ad aquas.* lib. 2. n. 81.
60. 19. *Non eris tibi amplius Sol ad lucendum per diem, nec splendor Luna illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* lib. 1. n. 84.
63. 1. *Formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis sua.* lib. 1. n. 211. ●
64. *Civitas Sancti tui facta est deserta; Sion deserta facta; Hierusalem desolata est.* lib. 2. n. 66.
- Cap. ult. *Veniet omnis caro, ut adoret coram me, dicit Dominus.* lib. 1. n. 76.

JEREMIAE.

4. 14. *Lava à malitia cor tuum Hierusalem, ut salva fias; usquequo morabuntur in te cogitationes nocivae?* lib. 2. n. 168.
4. 17. *Quasi custodes agrorum facti sunt super eam in gyro.* lib. 2. n. 168.
26. 4. *Si non audieritis me, ut ambuletis in lege mea, quam dedi vobis, ut audiat sermone servorum meorum Prophetarum, quos ego misi ad vos de nocte consurgens, & dirigens, & non audistis, dabo domum istam sicut Silo.* lib. 2. n. 60.
8. 7. *Milvus in calo cognovit tempus suum, surtus, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus adventus sui; populus autem meus non cognovit iudicium Domini.* lib. 2. n. 24.

Omnes amatores tui obliti sunt tui, teque non quaerent: plagam enim inimici percussi te castigatione crudeli. lib. 2. n. 59.

Mentiacium tu loqueris, non misit te Dominus Deus noster dicens, ne ingrediamini Aegyptum. lib. 2. n. 130.

THRENORUM.

Lemia nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos, filia populi mei crudelis, quasi Struthio in deserto. lib. 10. n. 1.

EZECHIELIS.

- Nunc finis super te, & immittam furorem meum in te, & judicabo te juxta vias tuas.* lib. 2. n. 19.
- Et ecce sex viri veniebant de via porta superioris, qua respicit ad Aquilonem, & uniuscujusque vas interitus in manu ejus.* lib. 2. n. 32.
- Violabant me ad populum meum propter pugillum bordei, & fragmen panis.* lib. 3. n. 340.
- Ecce ego extendam manum meam super te, & auferam justificationem tuam, & dabo te in animas odientium te filiarum Palaestinarum, quae erubescunt in via tua scelerata.* lib. 3. n. 6.
- Vivo ego, dicit Dominus, quia non fecit Sodoma, soror tua ipsa, & filia ejus, sicut fecisti tu, & filia tua.* lib. 2. n. 213.
- Exacuere, vade ad dexteram, sive ad sinistram, quocumque faciei tuae est appetitus.* lib. 2. n. 89.

DANIELIS.

- Abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statum in pedibus ejus ferreis, & fictilibus, & comminuit eos.* lib. 2. n. 220.
- Deus magne, & terribilis, custodiens pactum, & misericordiam diligentibus te, custodiens mandata tua.* lib. 2. n. 23.

OSEAE.

- Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus.* lib. 2. n. 149.
- Dies multos sedebunt filii Israel sine Rege, & sine Principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod.* lib. 1. n. 114.
- Omnes adulterantes, quasi clybanus succensus à coquente.* lib. 2. n. 52.
- Noli letari Israel; noli exultare, sicut populi.* lib. 2. n. 9. 21.
- Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum.* lib. 2. n. 230.

JOEL.

- Expergiscimini, & flete, & ululate omnes.* lib. 2. n. 1. 5. 95.
- Computruerunt jumenta in stercore suo.* lib. 1. n. 230. 1. 17.
- Aegyptus in desolationem erit.* lib. 2. n. 229. 3. 19.

AMOS.

- Non erit fuga eius, fugient, & non salvabitur ex eis, qui sugerit. Si descenderint usque ad infernum, inde manus mea educet eos; & si ascenderint usque in caelum, inde detraham eos.* lib. 2. n. 168.

MICHAELIS.

- Super hoc plangam, & ululabo, vadam spoliatus, & nudus, faciam planctum velut draconum, & luctum quasi Struthionum.* lib. 2. n. 95.

S A C R Æ S C R I P T U R Æ.

Z A C H A R I Æ.

1. 5. Ego ero ei murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio eius. lib. 2. n. 70.
 2. 7. O Sion fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis, quia hac dicit Dominus exercituum; post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliaverunt vos. lib. 2. n. 210.

M A L A C H I Æ.

2. 2. Si nolueritis audire; & si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum, &c. lib. 2. n. 211.
 3. 5. Accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, & adulteris, & perjuris, & qui calumniantur mercedem, & humiliant viduos, & pupillos. lib. 1. n. 83.
 4. Ecce dies veniet, succensus quasi caminus; & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem, quasi stipula. lib. 1. n. 193.

Evangelii S. M A T T H Æ I.

3. 17. Hic est filius meus dilectus. lib. 1. n. 38.
 6. 23. Si lumen, quod in te est, tenebra sunt; ipsa tenebra quanta erunt? lib. 2. n. 15.
 7. 13. Intrate per angustam portam, quia lata porta, & spatiosa via, quæ ducit ad perditionem. lib. 2. n. 159.
 11. 2. Joannes cum audisset in vinculis opera Christi. lib. 3. n. 32.
 11. 28. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris: iugum enim meum suave est, & onus meum leve. lib. 1. n. 198. & lib. 2. n. 81.
 12. 47. Ecce mater tua, & fratres tui foris sunt querentes te. At ipse respondens dicenti sibi, ait: quæ est mater mea? & qui sunt fratres mei? & extendens manum suam in Discipulos, dixit, &c. lib. 2. n. 208.
 14. 32. Cum ascendissent in naviculam, cessavit ventus, & procella. lib. 2. n. 221.
 18. 3. Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum celorum. lib. 1. n. 79.
 19. 14. Simite parvulos, & nolite prohibere eos ad me venire. lib. 2. n. 79.
 21. 9. Benedictus qui venit in nomine Domini. lib. 1. n. 39.
 22. 12. Annice quomodo hac intraisti, non habens vestem nuptialem? at ille obmutuit. lib. 1. n. 85.
 23. 27. Va vobis Scriba, & Pharisei hypocrita; quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, &c. lib. 2. n. 15.
 24. 30. Parebit signum filii hominis in celo, & tunc plangent omnes tribus terra; & videbunt filium hominis venientem in nubibus cali cum virtute multa, & majestate. lib. 1. n. 83.
 24. 51. Illic erit fletus, & stridor dentium. lib. 1. n. 78.
 25. 41. Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus. lib. 1. n. 76.
 25. 34. Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis à constitutione mundi. lib. 1. n. 83.
 25. Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus. lib. 1. n. 83.
 26. 39. Progressus pusillum procidit in faciem suam, orans, & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste. lib. 2. n. 119.
 26. 64. Amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cali. lib. 1. n. 111.

Nihil tibi, & justo illi: multa enim passa sum hodie per visum propter eum. lib. 1. n. 139.
 Centurio, & qui cum eo erant, viso terra motu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde. lib. 2. n. 161.

Evangelii S. M A R C I.

Vade retrò me Satana, quoniam non sapi, quæ Dei sunt. 8. 33.
 sed quæ sunt hominum. lib. 3. n. 49.
 Jesu filii David miserere mei. lib. 1. n. 29. 10. 47.

Evangelii L V C Æ.

Non erat eis locus in diversorio. lib. 2. n. 126.
 Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. lib. 2. n. 144.
 Anno quintodecimo Imperii Tiberii Cæsaris. lib. 3. n. 63. 3. 1.
 Domine si vis, potes me mundare. lib. 1. n. 29. 5. 12.
 Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam; aquam pedibus meis non dedisti: hac autem lacrymis rigavit pedes meos, & capillis suis terxit. lib. 1. n. 289. 7. 44.
 Abneget semetipsum, &c. lib. 1. n. 21. 9. 23.
 Descendebat ab Hierusalem in Jerico, & incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum; & plagis impositis abierunt semivivorelictò. lib. . n. 15. 10. 30.
 Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti. lib. 3. n. 85. 11. 27.
 Videte, & cavete ab omni avaritia. lib. 1. n. 74. 12. 15.
 Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei; Pater peccavi in celum, & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis. lib. 2. n. 213. 15. 18.
 Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti in aquam, ut refrigeret linguam meam. lib. 1. n. 79. 16. 24.
 Quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tuâ, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. lib. 2. n. 1. 19. 42.
 Pater dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt. lib. 1. n. 87. & 206. 23. 34.
 Amen dico tibi, hodiè mecum eris in Paradiso. lib. 1. n. 206. 23. 43.
 Pater in manus tuas commendo spiritum meum. lib. 1. n. 205. 23. 46.

Evangelii secundum J O A N N E M.

Tu quis es? lib. 3. n. 52. 1. 20.
 Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. lib. 2. n. 81. 6. 54.
 Panis de calo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. lib. 2. n. 59. 6. 50.
 Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die; caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. lib. 1. n. 194. 6. 55.
 Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aqua viva. lib. 2. n. 81. 7. 38.
 Si quis sitit, veniat ad me, & bibat: qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aqua viva. lib. 2. n. 19. 7. 37.
 Si non venissem, & locutus fuisset eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato. lib. 2. n. 177. 15. 22.
 Si ergò me queritis, finite hos abire. lib. 2. n. 117. 18. 8.
 Mulier ecce filius tuus. lib. 1. n. 206. 19. 26.
 Consummatum est. lib. 1. n. 206. 19. 30.

INDEX LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ.

Actorum Apostolorum.

1. Qui cepit primum facere, quàm docere. lib. 10. n. 15.
 4. 31. Motus est locus, in quo erant congregati, & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia: multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una. lib. 2. n. 140.

Epistolæ D. PAULI ad Romanos.

2. Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum. lib. 1. n. 168.
 2. Ira enim & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum. lib. 1. n. 228.
 7. 23. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, qua est in membris meis. lib. 2. n. 215.
 8. 35. Quis ergo me separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an nuditas? lib. 2. n. 220.
 13. 12. Abiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis; sicut in die honestè ambulemus. lib. 2. n. 211.

Ad Corinthios epistolæ primæ.

2. Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, qua preparavit Deus iis, qui diligunt illum. lib. 2. n. 141.
 13. Videmus nunc per speculum in anigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. lib. 1. n. 119.
 14. 20. Fratres nolite pueri effici sensibus. lib. 2. n. 79.

Epistolæ secundæ ad Corinthios.

4. 5. Quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. lib. 2. n. 57.
 12. Placere mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. lib. 2. n. 165.

Ad Galatas.

3. 13. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. lib. 2. n. 66.
 6. 4. Opus autem suum probet unusquisque. lib. 2. n. 95.

Ad Ephesios.

3. Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis. lib. 1. n. 202.
 5. 15. Videte fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes redimentes tempus. lib. 2. n. 24.
 6. Induite vos armaturam Dei, ut stare possitis adversus insidias diaboli. lib. 2. n. 49.

Ad Philippenses.

2. 9. Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine JESU omne genua flectatur, caelestium, terrestrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus JESUS Christus in gloria est Dei Patris. lib. 2. n. 161.

Imitatores mei estote fratres; & observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. lib. 2. n. 178.

Ad Colossenses.

Igitur si consurrexistis cum Christo, qua sursum sunt sursum, ubi Christus est in dextera Dei sedens: qua sursum sunt sapite, non qua super terram. lib. 2. n. 201.

Epistolæ secundæ ad Timotheum.

Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus. 2. 4. lib. 2. n. 150.
 Qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certaverit. lib. 2. n. 150.

Ad Hebræos.

Sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitula aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit, &c. lib. 1. n. 283.
 Non accessistis ad tractabilem montem, & accessibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tuba sonum. lib. 2. n. 40.
 Factus sum in derisum omni populo, canticum eorum tota die. lib. 2. n. 129.

Epistolæ primæ S. PETRI.

Sobrii estote, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit querens quem devoret, cui resistite fortes in fide. lib. 2. n. 58.

JVDÆ Apostoli Epistolæ Canonicæ.

Hi sunt in epulis suis macula, convivantes sine timore, semetipsos pascentes; nubes sine aqua, qua à ventis circumferuntur; arbores autumnales, infructuosa, bis mortua, eradicata; fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in aeternum. lib. 2. n. 84.

Apocalypsis sancti JOHANNIS Apostoli.

Apertum est templum Dei in celo, & visa est arca testamenti, & facta sunt fulgura, & terra motus, & grando magna. lib. 6. meditatione 99. part. 2. punct. 5.
 De ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipso percutiat gentes, & ipse reget eos in virga ferrea. lib. 1. n. 228.
 Æterna Civitatis duodecim porta, duodecim margarita sunt per singulas; & singula porta erant ex singulis margaritis, & platea Civitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum. lib. 1. n. 84.
 Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. lib. 2. n. 93.

INDEX LOCUPLETISSIMUS

RERUM NOTABILIUM,

Quæ toto hoc opere continentur, in legentium gratiam concinnatus.

A.

Abnegatio.



Uⁱ propriæ voluptatis abnegatio interior-
que mortificatio deficit, ne pro legiti-
mo Societatis IESV filio se habeat. *lib.*
10. n. 49. *ab initio.*

Abraham.

Probata fides Abrahamæ. *lib.* 2. n. 158.

Abstinere.

Abstinendum à prohibito cibo. *lib.* 3. n. 283.

Actus.

Actus contritionis. *lib.* 1. n. 27.

Actus adorationis, quo adorari potest sanctissimum
Sacramentum. *lib.* 1. n. 248. *circa medium.*

Actus petendi fortitudinem in laboribus. *lib.* 8. n. 13.

Devotissimus actus, quo quis se potest divinæ pro-
tectioni committere. *lib.* 9. n. 27. *à medio, & ibidem*
n. 31.

Actus quo petuntur poenitentiae lacrymæ. *lib.* 9. n. 52.

Actus quibus ferendi sumus ad cælestem amorem. *lib.* 9.
n. 87.

Adamus.

Adami culpa maximam facefferat poenam Christo Do-
mino. *lib.* 9. n. 74.

Admiratio.

Admirationis affectus in Passione Domini. *lib.* 1.
n. 53.

Adolescentia.

Ab adolescentia, tenerisque annis serviendum Deo.
lib. 2. n. 147.

Adorare.

Invitatio ad adorandum infantulum IESVM, Nativita-
tis nocte. *lib.* 3. n. 161. *& sequentibus.*

Ut accessere Reges ad adorandum Christum. *lib.* 6.
Medita. 18. parte 2. puncto 1.

Adventus.

Adventus Christi ad universale iudicium. *lib.* 1. n. 83.

Quædam de Adventu Spiritûs sancti ad nostras ani-
mas. *lib.* 6. *medit.* 90. *in additione punct.* 1. *& sequentibus.*

Adversitas.

Adversitas eorum, qui recedunt à Deo. *lib.* 2. n. 29.
Possidentibus Deum nihil nocent adversitates. *lib.* 2.
n. 228.

Adulator.

De Adulatoribus. *lib.* 2. n. 17.

Adulter.

De Adultera liberata à Christo Domino. *lib.* 6. *medita-*
tione 50. parte 2. puncto 3.

Advocatus.

Ne superbiùs efferantur Advocati, quòd videant alios
suâ operâ indigere. *lib.* 18. n. 42.

Aegyptus.

De Regno Aegypti. *lib.* 1. n. 287.

De Aegypti tenebris. *lib.* 2. n. 193.

Æqualis.

Æqualium consideratio te confundet, si te illis in-
digniosem aliis in rebus iudices. *lib.* 8. n. 19.

Æstimare.

Res digna lacrymis, quòd homines tam parùm æsti-
ment Deum. *lib.* 3. n. 203.

Æternitas.

Consideratio æternitatis. *lib.* 1. n. 81.

Desipiunt, qui cum vitiis ac voluptate, quin succe-
dat poenitentia, conjungere velint splendores æter-
nitatis. *lib.* 3. n. 396. *paulò post initium.*

Affectus.

Quo affectu recipiendum sanctissimum Sacramentum?
lib. 1. n. 45. & 46.

Cum mentali discursu miscendi sunt affectus volunta-
tis in oratione. *lib.* 4. n. 11.

Non terreno affectu quærendus Deus. *lib.* 6. *meditatio-*
ne 19. *in additione, puncto* 2.

Affectus imitandi sanctissimam animam Christi IESV.
lib. 9. n. 9.

Afflictio.

Aliquando afflictionibus allicit ad se Deus peccatores.
lib. 3. n. 62.

Agnus.

Agnus suavissimus IESVS. *lib.* 2. n. 120.

Alapa.

De alapa, quam impexit Malchus Christo. *lib.* 1. n. 59.
& lib. 5. n. 12.

Amaritudo.

Dominus nostras amaritudines convertit in dulcedi-
nem. *lib.* 6. *meditatione* 6. parte 3.

Amare; Amor.

Affectus amoris ergà patientem Christum. *lib.* 1. n. 65.
& n. 291.

De vi, & efficacia amoris. *lib.* 2. n. 4. *& n.* 52.

De amando Deo. *lib.* 2. n. 36. *& n.* 52.

Ubi deficit amor, languescit amicorum memoria.
lib. 2. n. 61.

De amore turpi. *lib.* 2. n. 218.

De aureis sagittis Divini amoris. *lib.* 2. n. 220.

Ut mutuo inter nos amaremus hortatus est Christus.
lib. 5. n. 9.

De vehementia amoris, quo prosequitur IESVS ho-
mines. *lib.* 5. n. 14.

Quo amore nos protegit Deus. *lib.* 6. *meditatione* 14.
parte 3.

De amore, quo æternus Pater ejusque celsissimus
Filius inter se diligunt. *lib.* 6. *meditatione* 94. parte 2.
puncto 3.

Annueret deberet animus motioni divini amoris. *lib.* 9.
n. 84.

Ingens quoddam incommodum proprii amoris. *lib.* 10.
n. 49. *circa medium.*

Depellendus amor proprius, ut divino amore locum
demus. *lib.* 6. *in proœmio cap.* 1. n. 9.

Affectus quo petitur dulcissimus Dei amor. *lib.* 6. *medi-*
tatione 91. parte 3.

I N D E X

Prompti sumus, necesse est, ad amplectendum amorem Spiritus sancti. *lib. 6. meditatione 96. parte 2. puncto 11.*

De amando proximo juxta perfectionem signatam à Christo Domino. *lib. 6. meditatione 114. parte 2. puncto 2. & sequentibus.*

Si flagrare cupis Divino amore, suspires pro tuipius odio. *lib. 1. n. 1.*

Sine Dei amore nullius sunt momenti, aut ponderis creaturæ. *lib. 3. n. 135.*

Quâ amoris dulcedine dilexerat Filium suum beatissima Virgo. *lib. 3. n. 209.*

Hominum amore flagraverat Jesus in Cruce. *lib. 2. n. 21.*

Dei amor vincit omnia. *lib. 2. n. 129.*

Generosè surgendum ad affectus amoris Dei. *lib. 2. num. 152.*

Ad accendendum divinum amorem efficax remedium est meditatio Passionis Christi. *lib. 5. num. 1.*

Ambitio.

Quid ambitio indicat in Gubernatoribus, & Principibus? *lib. 7. n. 4.*

Remedium contra vanitatem, & ambitionem Concionatoribus. *lib. 10. n. 16.*

Amicus.

Haud fidendum falsis amicis. *lib. 2. num. 34.*

Annas.

Ducitur Christus Dominus ad ædes Annæ Pontificis. *lib. 5. n. 12.*

Angelus, Angelicus.

Assistunt Angeli sanctissimo Sacramento. *lib. 1. n. 280. & 284.*

Apostrophe ad Angelos, ut deplorent passionem Christi Domini. *lib. 1. n. 125.*

Mali Angeli consilium sequitur peccator. *lib. 6. Medit. 36. part. 3.*

Christi triumphus, ac victoriæ celebrantur ab Angelis. *lib. 6. Meditatione 89. p. 3.*

Angelico munere funguntur Religiosi, quando jubente Prælato petunt Eleemosynas. *lib. 8. num. 34.*

Anima, Animus.

Anima, quæ affluit superfluis, obsistit divino amori. *lib. 1. n. 12.*

Potius consulendum saluti animæ, quàm corporis. *lib. 3. num. 3.*

De pulchritudine animæ exornatæ venustate gratiæ. *lib. 2. n. 4.*

Mollis animus. *lib. 2. n. 16.*

Animæ marcor, & mæror procedit ex despecto Deo. *lib. 1. n. 277.*

Dolendum de nostrâ incuria in procuranda animarum salute. *lib. 6. meditatione 7. part. 2. punct. 2.*

Anima peccatrix Ægyptus nominatur. *lib. 6. meditatione 16. parte 3. n. 2.*

Anima quasi templum, & sacrarium est, quo ornatissime excipitur Christus. *lib. 3. num. 305. sub initium.*

De sacratissima Christi Domini anima, prout in primo ejus creationis instanti. *lib. 9. n. 2. ab initio.*

Dubio animo quid faciendum? *lib. 9. n. 78.*

Maximum, necesse est, habeamus animum ad expugnanda nostra vitia. *lib. 9. n. 189.*

Apis.

Apes, & bombyces cogita, & summam in te confusionem excitabunt. *lib. 8. n. 16.*

Aqua.

Aquâ divinæ gratiæ extinguendæ libidinis flammæ. *lib. 9. n. 85.*

Instar aquarum effundenda anima penitentis coram majestate Dei. *lib. 2. n. 100.*

De cælestioribus aquis, quas propinat Sanctis suis Jesus. *lib. 3. n. 367. & sequentibus.*

In ara nostri cordis semper ardeat charitatis flamma necesse est. *lib. 6. n. 63.*

Arbitrium.

De liberi arbitrii munitione, & fortitudine. *lib. 9. n. 80.*

De liberi arbitrii insigni potestate. *lib. 9. n. 139.*

Arca.

De Arca Noë. *lib. 3. n. 93.*

De Arca Domini capta à Philistæis. *lib. 2. n. 104.*

Ariditas.

Ariditas potest esse materia meriti in oratione. *lib. 4. n. 11.*

Orandum ariditatis tempore. *lib. 6. in Proœmio. capite 1. n. c.*

Ascensus.

De Christi in cælum Ascensu. *lib. 6. meditatione 89. parte 2. puncto 4.*

Atrox.

Quàm atroces sint peccatores in seipso. *lib. 2. n. 103.*

Avaritia, Avarus.

Ii, ad quorum avaritiam faciles, secundasque se ostendunt humanæ felicitates, ipsi suis bonis effocantur. *lib. 2. n. 175.*

De Avaris. *lib. 3. n. 405.*

Audacia.

Quanta audacia, & ingratitude peccatoris, qui tribuit creaturæ, quod Creatoris est? *lib. 9. n. 58.*

Auditus.

Continendus auditus, ne auscultet obreccationes, aut vanitates. *lib. 1. n. 295.*

Augustinus.

Quid senserat D. Augustinus cum Alberto Magno de Passionis Dominicæ meditatione. *lib. 1. n. 25.*

Doctrina D. Augustini pro bono Principe. *lib. 7. n. 6. in fine.*

Aurum.

De charitatis pretiosissimo auro. *lib. 2. n. 192.*

Non omne, quod foris nitet, aurum est. *lib. 3. n. 375. pauld post initium.*

Quidam mysticus sensus de auro templi neglecto, ac decolorato. *lib. 2. n. 196.*

Autor, Autoritas.

Superiorum autoritas magnoperè nos debet movere ad humilitatem. *lib. 8. n. 17.*

Deus non est autor malitiæ peccati. *lib. 2. n. 164. & 165.*

B.

Balnea.

O Rationis Balneis recreantur, reficiunturque peccatores. *lib. 3. n. 305. in ipso fine.*

Barrabas.

Invisum Barrabam anteposuisse Christo Judæi. *lib. 1. n. 145.*

Beatitudo.

Descriptio Beatitudinis. *lib. 2. n. 141.*

Beatitudines quædam ex pluribus, quibus decorata fuit sanctissima Virgo, adhuc in hac vita. *lib. 6. meditatione 9. part. 3.*

Meditatio beatitudinis spiritualem læticiam nobis conciliare potest. *lib. 9. n. 199.*

Bea.

R E R U M N O T A B I L I U M.

Beatus.

Nemo beator illo, qui portionem suam obtinet ex superna hereditate inter Sanctorum delicias. *lib. 2. n. 141.*

Benedictio.

Benedictio post communionem. *lib. 2. n. 286. ab initio.*

Beneficium.

Divina beneficia ad obtinendum amorem aptissima sunt. *lib. 2. n. 66.*

De beneficiis, quibus ditaverat Jesus eos, qui cum dignè exceperant hospitio, & amore. *lib. 1. n. 287. ab initio.*

Beneficentia.

Admirabilis Dei beneficentia. *lib. 1. n. 9.*

Blasphemia, Blasphemus.

De blasphemia Principis Sacerdotum contra Christum. *lib. 1. n. 115. & sequentibus.*

Christus Dominus habetur à Judæis pro blasphemo. *lib. 5. n. 13.*

Quare tor blasphemi in Republica? *lib. 7. n. 13. circa medium.*

Brachium.

Ad Crucis brachia properavit pro me Christus. *lib. 6. meditatione 57. p. 2. punct. 2.*

Cur tam extensa habuerat in Cruce sua beneficia noster Redemptor? *lib. 1. n. 198. & 200. & lib. 2. n. 17.*

Brutum.

Discere possent homines ab ipsis brutis gratitudinem. *lib. 2. n. 21. & n. 148.*

Brutorum consideratio confundere potest peccatorem. *lib. 8. n. 17.*

C.

Calamitas.

Non semper perseverabunt calamitates hujus vitæ. *lib. 2. n. 155.*

Calix.

De Passionis calice, quem biberat pro humano genere Jesus. *lib. 2. n. 152.*

Christi anima perpetuò Deo offerebat suæ Passionis calicem. *lib. 9. n. 14. ab initio.*

Calumniator.

Calumniatores amandandi ab Aulis Principum. *lib. 7. n. 16.*

Captivitas, captus.

Captus fuit Christus, ut nos libertate donaremur. *lib. 1. n. 103.*

De captivitate Præcursoris Christi. *lib. 6. meditatione 7. parte 2. puncto 3.*

Caput.

Præcipua capita meditanda in rebus Christi Domini. *lib. 1. n. 71.*

Quare Christus Dominus moriturus in Cruce inclinaverat caput? *lib. 5. n. 3.*

Caro, Carnalis.

De carnis illecebris. *lib. 2. n. 34.*

Nihil carnalis æstimat, nisi quod suis carnis oculis conspicit. *lib. 6. medit. 49. p. 2. puncto 1.*

Castitas.

Motivum ad servandam castitatem. *lib. 5. n. 5.*

Cathedra.

E Crucis veluti Cathedra corrigebat nostros errores Christus Jesus. *lib. 5. n. 3.*

Causa.

Peccata nostra dant causam iræ Dei. *lib. 2. n. 60.*

Centrum.

Res extra centrum semper inquietæ. *lib. 3. n. 356. ad finem.*

Charitas.

Charitatis, & gratiæ sanctificantis fructus. *lib. 1. n. 87.*

De fulgore charitatis. *lib. 2. n. 192.*

De charitate erga proximum. *lib. 3. n. 295.*

Quanta æterni Patris charitas erga homines? *lib. 6. meditatione 92. parte 2. puncto 1. & sequentibus.*

Christus.

Ut patiens Christus portaverat Crucem ad Calvariam. *lib. 1. n. 169. & sequentibus.*

Patiens Christus suis humeris tulit nostra delicta. *lib. 2. n. 43.*

Patiens Christus motivum doloris est. *lib. 2. n. 65.*

De doloribus patientis Christi Domini. *lib. 2. n. 85. & n. 172.*

Ludibrio habere Christum Dominum in Cruce Judæi. *lib. 2. n. 90.*

Traditur vinculis Christus Dominus. *lib. 2. n. 117.*

Quod si Christum humiliaverit æternus Pater usque ad mortem, & Crucem; in ipsa tamen morte, & Cruce ejus dignitatem, & honorem vindicavit ab hostium calumniis. *lib. 2. n. 161.*

In Christo Cruci affixo figenda mentis acies, ut nostræ vitæ corrigamus nævos, noxasque. *lib. 5. n. 3.*

Labores Circumcisionis Christi. *lib. 1. n. 36. & lib. 3. n. 171. & sequentibus.*

Quomodo quærendus Christus Dominus. *lib. 3. n. 195.*

Quantum præsidium habemus in Christo Domino. *lib. 2. n. 83.*

De paupertate Christi Jesu. *lib. 2. n. 108.*

De oratione Christi Domini in horto. *lib. 2. n. 186.*

Cibus.

Nostra salus suavissimus cibus est Christo. *lib. 3. n. 361. & lib. 6. meditatione 49. parte 2. puncto 2.*

Chris.

Quare conspergimur cinere in initio Quadragesimæ? *lib. 6. meditatio: 28. in Additione puncto 1.*

Circumcisio.

Quid nobis discendum ex Circumcisione Christi? *lib. 6. meditatione 17. parte 2. puncto 2.*

Civitas.

Quænam civitas beata? *lib. 7. n. 2.*

Ad pacem civitatis requiritur quadruplex unitas. *lib. 7. n. 7.*

Clausura.

Clausuram amat in suis Sponsis Deus. *lib. 3. n. 125.*

Clavus.

De clavis, quibus affixus fuit Cruci Christus Dominus. *lib. 2. n. 125.*

Cœna.

De Cœna Domini. *lib. 1. n. 40. subitium.*

Cælestis.

Quemadmodum cælestium contemplatione possimus confundi? *lib. 8. n. 57. & sequentibus.*

Cogitatio.

Abigendæ malæ cogitationes, dura orandi tempore occurrunt. *lib. 4. n. 10.*

Inquirendum de nostris cogitationibus, à quo Angelo oriantur. *lib. 6. meditatione 105. part. 2. punct. 1.*

Cognitio.

Cognitionis propriæ utilitas. *lib. 1. n. 7.*

Maximum damnum, quod oritur ex jactura cognitionis propriæ. *lib. 2. n. 46.*

Colloquium.

Colloquium beatissimæ Virginis cum suo Filio Jesu quam

I N D E X

quando ipsi obviam venerat in Calvariae viis. *lib. 2. n. 197.*
 Quomodo miscenda colloquia cum Christo Domino. *lib. 1. n. 31.*

Communio.

Præparatio ad communionem. *lib. 1. n. 279. & sequentibus.*

Concionator.

Vani Concionatores non adeò prædicant, ac fert eorum officium. *lib. 2. n. 86. & 87.*
 Peccatores viros Religiosos, & Concionatores Evangelicos fugiunt. *lib. 3. n. 320.*
 Muneris magnitudo Concionatoribus potest esse causa reverentialis timoris. *lib. 10. n. 1.*

Condimentum.

De spiritali quodam condimento. *lib. 3. n. 250.*

Conditio.

De conditione viri superbi. *lib. 6. meditatione 39. parte 2. punct. 3.*

Confessarius.

Confessario palàm faciendæ nostræ culpæ. *lib. 3. n. 58.*
 Statim ac inveneris te prolapsus in lethalem aliquam culpam, adire debes Confessarium pro tanti mali remedio. *lib. 9. n. 97.*

Confessio, Confiteri.

Sæpius in anno confitendum de culpis. *lib. 1. n. 299.*
 Confessio beneficiorum Dei. *lib. 8. n. 62.*

Confusio.

Unde propriam confusionem consequi possumus? *lib. 8. n. 10. & sequentibus.*

Congregatio.

Quomodo debent fieri congregationes? *lib. 3. n. 342.*

Conscientia.

De conscientia examine. *lib. 1. n. 301. & lib. 9. n. 96.*
 Cur tam laxa aliquibus conscientia? *lib. 2. n. 118.*
 Scrutare conscientia tuæ latebras, & mitius feres ingruentes dolores. *lib. 2. n. 168.*

Consilium.

Consilia Christi non perniciem, sed vitam nobis comparant. *lib. 3. n. 46.*

Consolatio.

In militia Christi consolationes respondent laboribus. *lib. 3. n. 124.*

Constantia.

De justorum constantia. *lib. 2. n. 233.*

Consuetudo.

Inveterata consuetudo, quasi altera natura. *lib. 1. n. 74.*
 Prava consuetudo fugienda. *lib. 2. n. 226.*

Contemnere, contemptor, contemptus.

Qui Dei Præcepta contemnunt, multæ iis manent ærumnæ in die iudicii. *lib. 3. n. 12.*
 Contemptoribus rei divinæ nihil aliud expectandum præter asperitates, & miseras. *lib. 2. n. 132.*
 De contemptu, quem de nobis ipsis debemus habere. *lib. 6. meditatione 108. part. 2. puncto 3.*

Contemplatio.

Contemplatione divinorum unimur Deo. *lib. 1. n. 55.*
 Passionis Dominicæ contemplatio utilissimæ. *lib. 4. n. 5.*

Contritio.

De Contritionis asylo. *lib. 1. n. 300.*
 De contritionis aquis. *lib. 3. n. 316.*

Conversatio.

Quomodo nobis de nobismetipsis sentiendum in conversationibus, & circulis. *lib. 8. n. 23.*

Convertere.

Converti debemus ad Deum. *lib. 2. n. 54.*

Conviva.

Quinam Christi convivæ. *lib. 6. meditatione 104. part. 2. punct. 5.*

Convivium.

De convivio, ad quod Phariseus invitaverat Christum. *lib. 6. meditatione 62. part. 2. punct. 1. & sequentibus.*

Cor.

Quomodo cor nostrum effundendum coram Domino? *lib. 2. n. 99.*

Cor nostrum præbendum Deo. *lib. 6. meditatione 28. part. 3.*

Væ duplici corde. *lib. 6. meditatione 30. parte 2. punct. 3.*

Quam amarum erit cor peccatoris in die iudicii? *lib. 3. n. 16. & sequentibus.*

Deo gratissima oblatio cordis. *lib. 3. n. 129.*

Corona.

Invitat nos Christus Dominus ad æternam coronam. *lib. 1. n. 66.*

Non donaberis æternitatis coronam, nisi Sanctorum vestigiis insistas. *lib. 2. n. 137.*

Nihil stultius, quam optare coronam sine meritis. *lib. 2. num. 484.*

Correctio, corrigere.

De correctione fraterna. *lib. 3. n. 345.*

Cum suavitate, & amore corrigendi proximi. *lib. 3. n. 346.*

Correctionis fraternæ negligentia ex charitatis provenit defectu. *lib. 6. meditatione 46. part. 2. punct. 2.*

Creatura.

Cur ita feruntur peccatores in amorem creaturarum? *lib. 1. n. 85.*

Confusio magna, quod relicto Deo post creaturas tam famelici decurramus. *lib. 6. meditatione 43. parte 2. punct. 3.*

Crudelis.

Peccatores ipsis feris crudeliores erga Deum. *lib. 3. n. 290.*
 Nihil quod crudele, utile. *lib. 7. n. 5. pauld ante finem.*

Cruis.

Amplectenda Crux Christi. *lib. 1. n. 64.*

De malorum cruce. *lib. 1. n. 228. & sequentibus.*

De poenitentium, & perfectorum cruce. *lib. 1. n. 232. & sequentibus. & n. 234.*

Dominicæ Crucis laudes. *lib. 2. n. 32.*
 Cur adductus Simon Cyrenensis, ut portaret Crucem Domini. *lib. 2. n. 114.*

Cultus.

Quantò majorem habemus de Deo cognitionem, eò ampliorem debemus ipsi cultum, & reverentiam. *lib. 9. n. 29. & sequente.*

Cupiditas.

Cupiditas rerum temporalium pestis status Religiosi. *lib. 10. n. 45. circa medium.*

Cura.

De adhibenda cura in quærendo Deo. *lib. 3. n. 190.*
 Cura, ac diligentia peccatorum admodum ridicula. *lib. 6. medit. 105 part. 2. puncto 4.*

Curiositas.

De nimia curiositate in rebus fidei non hauritur aliud, nisi inferni labores, & dolores. *lib. 9. n. 36.*
 Moderandum sciendi curiositati. *lib. 1. n. 138.*

Custodia.

De custodia nostræ vineæ. *lib. 6. medit. 15. part. 2. punct. 5.*

D.

Dæmon.

Sultus qui prætermisâ vineâ Domini, laboraret in vinea dæmonis. *lib. 6. meditatione 25. in Additione puncto 4.*

R E R U M N O T A B I L I U M.

- Dæmonis conturbatum fugiendum peccatori, quia nihil ab eo sperandum, nisi poenæ, & tormenta,** *lib. 9. n. 14. circa medium.*
- Dammum.**
Mentis detractionis damnum. *lib. 1. n. 13.*
- David.**
Ad imitationem David opus est desleamus nostras culpas. *lib. 2. n. 1.*
Suavissimum refugium Regi David, lacrymæ. *lib. 2. n. 95.*
David Rex exemplum Regum. *lib. 7. n. 12.*
De peccatis & penitentia Regis David. *lib. 7. n. 21.*
De excellentiis ac virtutibus Regis David. *lib. 7. n. 22. ab initio.*
- Deficere.**
Cur aliqui deficiunt in ipso aditu vitæ contemplativæ? *lib. 2. n. 150.*
- Delicia.**
Per mundi delicias non adeunda gloria. *lib. 3. n. 26. lib. 2. n. 25.*
Non inter vanas delicias quærendus Deus. *lib. 3. n. 207.*
Quam parcissimi sint in humanis deliciis, opus est, qui arctissimè velint amplecti Jesum. *lib. 3. n. 408.*
- Deprecatio.**
Piæ quædam deprecationes. *lib. 1. n. 286. & sequent.*
- Desiderium.**
Sanctorum Patrum lacrymæ, & desideria dulcedini, ac suavitati fuere Christo Jesu. *lib. 9. n. 76.*
Inflammati debemus desiderio accedendi ad sanctissimum Sacramentum. *lib. 1. n. 44.*
- Desperatio.**
De desperatione proditoris Judæ. *lib. 1. n. 123.*
- Detractio.**
Vitandæ detractiones. *lib. 1. n. 295. & lib. 9. n. 95.*
- Deus.**
A Deo petendum subsidium ad superanda nostra vitia. *lib. 1. n. 15.*
Semper præsens est nobis Deus. *lib. 3. n. 65.*
Nulla fortitudo nisi à Deo. *lib. 2. n. 48. & 49.*
Deficere à Deo, maximum malum infert. *lib. 2. n. 61. & n. 210.*
Deus à nulla creatura comprehendi potest, quia incomprehensibilis est. *lib. 9. n. 33.*
- Devotio.**
De devotione beatissimæ Magdalenæ. *lib. 1. n. 289.*
- Diabolus.**
Diabolus os peccatoris concludit, ne ad Deum preces fundat, *lib. 3. n. 60.*
De tentationibus diaboli. *lib. 2. n. 10.*
De diaboli artificio ad tentandos homines. *lib. 6. Meditatione 105. part. 2. puncto 3.*
- Differentia.**
De maxima differentia, quæ intercedit inter sensualia, & spiritualia. *lib. 9. n. 60.*
Differentia inter Sanctorum gloriam & damnatorum poenas. *lib. 1. n. 75.*
Differentia inter proficientes & inertes. *lib. 3. n. 107. & 108.*
Differentia inter superbum & humilem. *lib. 3. n. 334.*
- Difficilis, difficultas.**
Nihil difficile faucibus Dei amore. *lib. 2. num. 129.*
De difficultate obtinendi dignitates, & imperia. *lib. 7. n. 14.*
- Dilectio.**
De dilectione proximi. *lib. 3. n. 275. vide Amor.*
- Dira.**
Damnatorum diræ. *lib. 1. n. 80.*
- Discipulus.**
Signa, utrum sis Christi Discipulus. *lib. 3. n. 55. & 56.*
Optimum consilium omnibus, qui aliorum discipuli sunt. *lib. 8. n. 29.*
- Discrimen.**
Discrimen peccatoris ab exemplari Christo. *lib. 1. n. 290.*
Discrimen inter regiam salutis viam, & præcipitia perditionis. *lib. 2. n. 122.*
Discrimen inter peccatorem & justum. *lib. 2. n. 216.*
- Dispositio.**
Qua dispositione accedendum ad sanctissimum Sacramentum? *lib. 1. n. 42. 43. & 44.*
Dispositio in Adventum Domini. *lib. 3. n. 33.*
- Distractio.**
Nostræ distractiones sunt animæ nostræ feroces carnifices. *lib. 2. n. 11.*
Cohibendus intellectus, ne intendat inutilibus distractionibus. *lib. 9. n. 77.*
- Divitiæ, dives.**
De poena avari divitis. *lib. 6. Meditatione 41. part. 2. punct. 1. & sequentibus.*
De Dei divitiis. *lib. 2. n. 16.*
Pœna, & ærumnæ divitum. *lib. 2. n. 20.*
Divitiæ spinæ sunt, quæ Dei grana suffocant. *lib. 6. Meditatione 26. part. 2. punct. 4.*
- Divortium.**
Mundi vanitates spectant animarum divortium cum Deo. *lib. 2. n. 106.*
- Doctor, doctrina.**
Omnium virtutum Doctor Christus Jesus. *lib. 1. num. 48.*
Quamvis peccator sit doctor, sana tamen doctrina, quam prædicat, amplectanda est. *lib. 6. Meditatione 39. p. 2. punct. 1.*
Bene orantes Prædicatoris sequenda doctrina, quamvis is ipse sit imperfectus, & peccator. *lib. 3. n. 329. & sequentibus.*
Hæc verba Christi Domini, mea doctrina non est mea; quomodo intelligenda? *lib. 3. n. 373.*
- Dolores, dolere.**
Quid consequutus est nobis Christus per suos dolores? *lib. 1. n. 95.*
Quis maximus dolor, quem passus est Jesus? *lib. 1. n. 179.*
Dolendum peccatori de suis culpis. *lib. 2. n. 91.*
Tria quædam, quæ attulerunt Christo Domino maximum dolorem. *lib. 9. num. 48.*
- Domicilium, Domus.**
De domo Lauretana. *lib. 6. Meditatione 4. p. 3.*
Quando merebitur animus esse Spiritus sancti domicilium? *lib. 9. n. 88.*
Domo egrediens ad tua negotia sanctissimæ Trinitati te committere debes, *lib. 9. n. 92.*
- Durities.**
De duritie humani peccatoris & cordis. *lib. 2. n. 116. & 134.*
- Dux.**
Videndum, qua via incederat Dux noster Iesus, ut strenuè premamus ejus vestigia. *lib. 2. n. 161.*

E.

Ebriatus, Ebrius.

E Brii hujus mundi deliciis. *lib. 3. n. 28. & 29.*
Ebriati divitiis haud tantum inveniunt saporis in Oratione. *lib. 6. Meditatione 88. in additione puncto 5.*

R r r

Eccle-

I N D E X

- Ecclesia.*
- Ab almæ Matris Ecclesiæ mammis semper pendere debemus. *lib. 2. n. 80.*
- De initiis primitivæ Ecclesiæ. *lib. 2. n. 140. & n. 194.*
- De propaganda Dei Ecclesia. *lib. 2. n. 156.*
- Dei Ecclesia domus orationis est, *lib. n. 239.*
- Educatio.*
- De radice malæ educationis filiorum. *lib. 2. n. 107.*
- Effectus.*
- Boni effectus virtutis. *lib. 1. n. 87.*
- Eleemosyna.*
- Secretè elargiendæ sunt eleemosynæ. *lib. 3. n. 296. ad finem.*
- De bonis proventuque eleemosynæ. *lib. 9. n. 98.*
- Elogium.*
- Quædam ex Elogiis beatissimæ Virginis. *lib. 3. n. 365.*
- Quædam ex Elogiis JESV. *lib. 3. n. 367.*
- Eloquentia.*
- Suavissima Christi Domini eloquentia. *lib. 6. Meditat. 9. part. 2. punct. 1.*
- Ensis.*
- Peccatores convertunt in se ipsos ensẽm, quo pereunt. *lib. 2. n. 158.*
- Epistola.*
- Quædam beati Patris epistola ad suam Religiosissimam amitam. *lib. 8. n. 4.*
- Eques.*
- Ab Equitibus assumptus gladius ad defendendam Ecclesiam. *lib. 8. n. 38.*
- Eucharistia.*
- De sacræ Eucharistiæ dignitate & fructibus. *lib. 2. n. 21.*
- Frequentanda sanctissima Eucharistia, ne devoremur à dæmone. *lib. 2. n. 59.*
- Humiliter ac devotè accedendum ad sacram Eucharistiam. *lib. 1. n. 276 & sequentibus.*
- Qui desiderat devotionem in orando, frequentet sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum. *lib. 4. n. 15.*
- Devotissima præparatio ad sacram Eucharistiam recipiendam. *lib. 8. n. 62.*
- Instructio, ut digniori affectu recipiamus sacrosanctam Eucharistiam. *lib. 9. n. 149. & 150.*
- Examen.*
- Quoties singulis diebus peragendum conscientiæ examen? *lib. 9. n. 204.*
- De examine Conscientiæ alia. *lib. 1. n. 301. & lib. 4. n. 3. & 4.*
- Modus peragendi examen particulare nostræ conscientiæ. *lib. 9. n. 188.*
- Excellentia.*
- Quædam ex excellentiis sanctissimi Sacramenti. *lib. 1. n. 284.*
- Excidium.*
- Hierosolymorum excidium. *lib. 2. n. 191.*
- Excusatio.*
- Non obtendendæ excusationes, nè statim excusamus nostris culpis. *lib. 3. n. 128.*
- Ratio, quam intulerat Christus Dominus, cur Judæi non haberent excusationem. *lib. 2. n. 177.*
- Exemplar.*
- Discrimen peccatoris ab exemplari JESV. *lib. 1. n. 290.*
- Exemplum.*
- Aptissimum exemplum ad amplectendam mortificationem. *lib. 1. n. 67.*
- Bonorum exemplo moveri debent mali ad evitandas culpas. *lib. 2. n. 78.*
- Aliorum exemplo, qui solverunt pœnas pro suis culpis, cautiore esse debemus. *lib. 2. n. 177.*
- Exercitium.*
- Norma quædam pii, & quotidiani exercitii, quod in singulis ferè præcipuis nostris actionibus absolvi potest. *lib. 8. n. 5. per totum.*
- Item aliud simile exercitium. *lib. 8. num. 6. per totum.*
- Exhortatio.*
- Pulcherrima exhortatio, quâ Christus Dominus invitatur animam ad recipiendam gratiam, *lib. 2. num. 5.*
- ## F.
- Fallacia.*
- Quædam artes, & fallaciæ callidissimi hostis aperuntur filiis Societatis, *lib. 10. num. 38.*
- Fama.*
- Cavendum maxima cura, ne proximi famam lædamus dictis, aut factis. *ib. 9. n. 95.*
- Fames.*
- Ipsam famem esuriunt peccatores, quod maxima demencia est. *lib. 2. n. 103.*
- Famulus, Famula.*
- Tribulationes Dei famulæ sunt, quæ nos invitatur ad ejus lautissima Convivia, *lib. 6. meditatione. 100. parte. 2. punct. 7.*
- Quales querendi famuli à Magnatibus. *lib. 7. n. 19.*
- Ex famulorum consideratione potest quis confundi, *lib. 8. num. 22.*
- Fel.*
- De felle, & aceto, quibus potarunt Christum Dominum infensissimi Judæi, *lib. 2. num. 114.*
- Fides.*
- Animi præsidium fides. *lib. 2. n. 70.*
- De excellentia fidei, *lib. 6. Meditatione. 67. part. 2. punct. 3.*
- Ob bonum fidei grates referendæ Deo, *lib. 6. Meditatione 89. parte. 2. punct. 1.*
- Fiducia.*
- In Deo & non in vanitate habenda fiducia, *lib. 2. num. 53.*
- Fiduciam à Patre misericordiarum hauriamus. *lib. 6. Meditatione 43. parte 2. punct. 1.*
- Habeamus fiduciam, quod post labores futura sit benedictio. *lib. 6. Medit. 89. part. 2. punct. 2.*
- Filialis, Filius.*
- Cum meruunt justi, filialis est timor. *lib. 2. n. 185.*
- Filii Dei adoptivi sumus per gratiam. *lib. 6. Meditatione 11. part. 2. puncto 1.*
- De filio Prodigio. *lib. 6. Meditatione 43. part. 2. & sequentibus.*
- Finis.*
- Gubernandi regula sumi debet ab optimo fine. *lib. 7. n. 3. sub initium.*
- Flagellare, flagellum.*
- De flagellis Christi Domini. *lib. 1. n. 6. & 151. & sequentibus, & lib. 2. n. 121.*
- Quomodo flagellat Christus, & quomodo flagellatur dæmon? *lib. 6. Meditatione 52. p. 2. punct. 3.*
- Flamma.*
- Mordacibus rapidisque flammis absumentur omnes regiones terræ, earumque decus, & splendor in fine mundi. *lib. 1. num. 83.*
- Spiritus sancti flammam oret Deum Concionator, ne infidè porrigatur cibus populo. *lib. 10. n. 4.*
- Fletus.*
- De mundi fletu & lacrymis. *lib. 2. n. 189.*
- Flos.*
- Si consideremus flores, confundi possumus. *lib. 8. n. 14.*
- Felici-

R E R U M N O T A B I L I U M.

Felicitas.

De felicitate æterna. *lib. 1. n. 84.*
 Ne invidias mundanæ felicitati. *lib. 2. n. 76.*
 Non fidendum felicitati humanæ. *lib. 2. n. 230.*

Fermina.

De vanitate ferminagam. *lib. 8. n. 47. & sequentibus.*

Fons.

Fons aquarum viventium Christus JESVS. *lib. 3. mem. 357.*

Forma.

Forma spinæ coronæ, quâ redimitus fuit Christus Dominus. *lib. 1. n. 23.*

Formica.

Nostram nobis inertiam formica demonstrat. *lib. 8. mem. 15.*

Fortis, Fortitudo.

De Sanctorum fortitudine. *lib. 3. n. 136. & lib. 2. n. 58.*

Quam imbecilla fortitudo humana. *lib. 2. n. 47.*
 Fortissimorum corruente robore, timendum est imbecillis. *lib. 2. n. 215.*

Fortuna.

Ne elato sis animo, quando amicam se ostenderit fortuna, *lib. 2. n. 94.*

Frænum.

Spes injiciendi frænum rebelliori motui animi. *lib. 2. n. 35.*

Frænum nobis, ne offendamus Deum, memoria mortis. *lib. 3. n. 280.*

Fragilitas.

Auferendum, quod à tua fragilitate, miseria, & pravis cupiditatibus dimanat. *lib. 9. n. 2. circa medium.*

Frigiditas.

Quid faciendum ei, qui frigiditatem præsentit in spiritu. *lib. 9. n. 91.*

Fructus.

De fructu bonorum operum quo mirè oblectatur Deus. *lib. 6. meditatione 66. parte 3.*

Frugalitas.

De fornicarum frugalitate. *lib. 8. n. 15.*

Fruentum.

De bono tritico aut frumento, quod in terra cordis humani seritur. *lib. 3. n. 158.*

Fuga.

De fuga Apostolorum Passionis nocte. *lib. 1. n. 59.*

De Domini fuga in Egyptum. *lib. 6. meditatione 16. tertia parte.*

Fumus.

De inferni fumo. *lib. 1. n. 77.*

Fundamentum.

Fundamentum virtutum humilitas. *lib. 8. n. 8.*

Fur.

Animæ fures, peccata, & scelera. *lib. 6. meditatione 5. parte. 2. puncto. 2.*

G.

Garrulitas, Garrulus.

De vitanda Garrulitate. *lib. 2. n. 146.*
 Garruli, & mimi non admittendi à Principibus. *lib. 7. n. 16. paulo ante finem.*

Gaudium.

Non bene cohærent mundi gaudia & sanctorum felicitas. *lib. 2. n. 67.*

Gaudium obortum in Nativitate Christi Domini. *lib. 6. medit. 13. in Additione puncto 1.*

De gaudio quod est in cælis de peccatore penitente. *lib. 6. medit. 101. parte 2. puncto 4.*

Gemitus.

Christi suspiria, & gemitus. *lib. 1. n. 215. & 216.*

Gestus.

Vocce potius quàm gestu explicet Evangelium Concinator. *lib. 10. n. 5.*

Gloria.

De gloria sanctorum. *lib. 1. n. 84.*

De quibusdam, quæ pertinent ad gloriam. *lib. 2. n. 94.*
 Aspirandum semper ad æternam gloriam. *lib. 2. n. 142.*

Gloria inanis.

Peccatorem gloria inanis ac vana hujus mundi non comitabitur ad decorem in altera vita. *lib. 3. n. 284.*

Vitanda occasio inanis, vanæque gloriæ. *lib. 3. n. 315.*
 Ingrati sunt, qui ob bona opera inani gloria efferruntur. *lib. 9. n. 55.*

Gratia Dei.

Dei gratia vincimus avaritiam & libidinem. *lib. 2. n. 37.*
 Amissa Divina gratia, nullam habemus formositatem. *lib. 2. n. 55.*

Gratiarum actio.

Remisè admodum gratias agimus Deo. *lib. 1. n. 10.*
 De referendis gratiis Christo JESV ob ejus beneficia. *lib. 2. n. 85.*

Grates rependendæ pro acceptis beneficiis. *lib. 2. n. 139.*
 Gratiarum actio. *lib. 2. n. 187.*

Gratulari.

Gratulandum Deo, & Beatissimæ Virgini de Nativitate Domini in stabulo Bethlemítico. *lib. 3. n. 152. & sequentibus, & lib. 6. meditatione 13. in Colloquio.*

Gravitas.

Gravitas lethalis culpæ. *lib. 1. n. 86.*

Grex.

Væ Grægi, cujus Pastor est Lupus. *lib. 7. n. 4.*

Gubernator.

Gubernatores pungi dolore possunt, ubi cum plurima aliis imperent, pauciora in Dei obsequium exequantur ipsi. *lib. 6. meditatione 17. parte. 2. puncto 1.*

A vitiis abstinendum Gubernatoribus, qui Republicæ præsident. *lib. 7. n. 8.*

Gula.

De temperanda gula. *lib. 1. n. 296.*

Saluberrima medicina ad corrigendam gulam. *lib. 5. n. 4.*

H.

Hæreticus.

Per Virgines fatuas possunt intelligi Hæretici. *lib. 3. n. 20.*

De Hæreticorum Magistris. *lib. 2. n. 82.*

Obedientiæ spiritu carent Hæretici. *lib. 3. n. 317.*

Hæreditas.

De terrena hæreditate. *lib. 6. meditatione 43. part. 2. puncto. 1.*

Hebrai.

De gravitate peccati Hebræorum. *lib. 2. n. 213.*
 Hebræi quondam præ corporis macie, fameque non fuerunt cogniti per plateas Hierosolymorum. *lib. 2. n. 217.*

Herba.

Quantum gregis periculum, ubi herbæ venenatæ ovibus dulcius sapiunt, quàm salutaris? *lib. 6. meditatione 85. in additione, puncto 2.*

Herodes.

Ductus est Christus ad Herodem. *lib. 1. n. 60. & 128.*
 discrimen inter Joannem Baptistam & Herodem. *lib. 3. n. 44.*

Herodes cum omni suo exercitu irrisit JESVM. *lib. 5. n. 22.*

Hierosolymi.

De Hierosolymorum culpis & miseriis. *lib. 2. n. 214.*

I N D E X

Homo.

Contempta res est homo, nisi supra se erectus respiciat suum centrum, nempe Deum. *lib. 2. n. 151.*
Plectendus est fastus veteris hominis. *lib. 3. n. 310.*
Vetus homo, infernusque passionum eruendus. *lib. 7. n. 15. ab initio.*

Homo arx infirma. *lib. 1. n. 8.*
De illis verbis Pilati, quibus ostenderat Christum populo; *Ecce Homo lib. 1. n. 61. & 159. & sequentibus.*
De veteri homine. *lib. 1. n. 82. & 201.*
De duobus hominum generibus maximè notandis. *lib. 3. n. 1.*

De interiori homine. *lib. 1. n. 298.*

Horologium.

Horologii faber. *lib. 1. n. 17.*

Hora.

Quam vellet à se peractam vitam peccator in hora mortis? *lib. 2. n. 89.*

Hora, quâ recipitur sanctissimum Sacramentum, convenientissima ad orandum. *lib. 1. n. 280.*

Hortus.

De ingressu Christi Domini cum suis discipulis in hortum Getsemani, *lib. 1. n. 57. sub initium.*

Hostis.

Homo sibi ipsi hostis. *lib. 1. n. 5.*

Quid exigent hostes à peccatore in hora mortis. *lib. 2. n. 88.*

Quam strenuè dimicandum cum hostibus, ut reportemus ab ipsis victoriam. *lib. 4. n. 13.*

Hostis peccatoris cor ejus. *lib. 9. n. 124.*

Humilis, Humilitas.

Mirabilis Christi Domini Humilitas. *lib. 3. n. 53.*

De bonis humilitatis. *lib. 2. n. 18.*

Radibus nitendum humilitatis. *lib. 1. n. 298.*

Si vis, ut floreat tuæ virtutes, profundè agant radices in areolis humilitatis. *lib. 2. n. 156.*

Tàm elegans est humilitatis genus & nobilitas, ut cæli proceres efficiat ex pauperculis hominibus. *lib. 2. n. 182.*

Humilis in hac vita ad altiores perturbatur dignitates. *lib. 6. medit. 4. parte 2. punct. 4.*

De humilitate sancti Joannis Baptistæ. *lib. 6. meditatione 10. parte 2. puncto 4.*

De conceptibus humilitatis. *lib. 3. n. 336.*

Ad ampliores favores movet divinam misericordiam humilis. *lib. 3. n. 352.*

Commendatio humilitatis. *lib. 8. n. 8.*

Humilitatem indui debet, qui Christum sequi velit. *lib. 8. n. 61.*

Humiles Deus vult Concionatores Evangelicos. *lib. 10. n. 2.*

Hypocrita.

De Hipocritis. *lib. 2. n. 15.*

I.

Iacob Patriarcha.

De domo Jacob. *lib. 2. n. 44.*

Jacobus.

Pater Jacobus Laynes dilaudatur. *lib. 10. n. 41. in fine.*

Factura.

De temporis jactura nobis dolendum. *lib. 6. meditatione 50. parte 2. puncto 1.*

Janua.

Januis clausis ingressus est Dominus ad consolandum discipulos. *lib. 6. medit. 84. part. 1. n. 3.*

Jejunium.

Quinam tenentur ad jejunium. *lib. 3. n. 281.*

De excellentiis jejunii. *lib. 3. n. 282.*

Jejunandum ad imitationem Christi. *lib. 6. meditatione 28. part. 2. puncto 2.*

J E S U S.

JESU nomen quid significat. *lib. 1. n. 37.*

De JESU nomine alia. *lib. 1. n. 185. & lib. 6. medit. 17. in additione per totam.*

De suavitate, ac pulchritudine JESU. *lib. 2. n. 83.*

De singultibus JESU. *lib. 2. n. 184.*

S. Ignatius de Loyola.

Dignissima verba, quæ sanctus Ignatius reliquerat suis filiis, *lib. 10. n. 44. paulo post initium.*

Commendatio epistolæ, quam scripsit D. Ignatius de obedientia. *lib. 10. n. 45.*

Cui rei comparavit S. Ignatius paupertatem Religiosam. *lib. 10. n. 46. ab initio.*

Quomodo operabatur D. Ignatius. *lib. 10. n. 49. paulo post medium.*

Ignavus.

Ignavi in via Domini improviso obveniunt. *lib. 3. n. 18.*

Ignis.

Quomodo divini amoris ignis conservandus in nobis. *lib. 6. meditatione 91. parte 2. puncto 5.*

Ignis consideratio nos confundere potest. *lib. 8. n. 14.*

De igne nostri amoris erga Deum. *lib. 6. in Proemio.*

Ignorantia, Ignoratio.

Quanam est causa tantâ ignorantie, quâ multi Fideles laborant in articulis fidei. *lib. 2. n. 206.*

De aliquorum Magistrorum ignorantia. *lib. 3. n. 332.*

Donorum Dei ignoratio est unum ex maximis malis, quibus divexatur mundus. *lib. 3. n. 351.*

Illuminatio.

Per illuminationem spiritus liberamur laborum metu. *lib. 2. n. 74.*

Illusio.

Consideranda peccatorum illusio. *lib. 6. meditatione 59. parte 2. puncto 3.*

Imago.

De Dei imagine. *lib. 2. n. 14.*

Ad renovandam in nobis Dei imaginem, opus est in fornacem amoris divini immittamur. *lib. 6. meditatione 96. part. 2. puncto 8. circa medium.*

Imitatio.

De imitatione Christi. *lib. 9. n. 1.*

De imitatione Magdalene. *lib. 1. n. 290.*

De bonorum imitatione. *lib. 1. n. 301.*

Imitatio crucis Christi, cujus rei signum est. *lib. 6. meditatione 51. part. 2. punct. 2.*

Imperfectio.

Non porrigendæ dulcissimo JESU pro virtutibus imperfectionum sæculæ. *lib. 2. n. 208.*

Imperium.

Imperare sibi, maximum est imperium. *lib. 3. n. 7.*

In imperio non querenda quies, sed labor. *lib. 7. n. 2.*

Impunitas.

Per triginta tres annos laboravit Christus, ut impunitatem obtinerent a suis pœnis peccatores. *lib. 2. n. 110.*

Incarnatio.

De bonis, quæ consecuti sumus per Dei Filii Incarnationem. *lib. 3. n. 32.*

Quam devotissimus sis erga Incarnationis mysterium. *lib. 9. n. 118.*

Inconstantia.

De inconstantia rerum humanarum & eorum, qui committunt se illis. *lib. 2. n. 17. lib. 2. n. 26. & n. 233.*

De inconstantia humana alia. *lib. 2. n. 33. & lib. 9. n. 18. circa medium.*

De

RERUM NOTABILIU M.

De inconstantia, quâ servant peccatores sua proposita. *lib. 3. n. 406.*

Indicium.

Indicium præparatæ animæ ad recipiendum Dominum. *lib. 3. n. 38. & sequentibus.*

Indignatio.

Nihil terribilius peccatoribus, quam compleri tempus indignationis Domini. *lib. 2. n. 223.*

Inclinatio.

Quid significabat inclinatio capitis Christi. *lib. 1. n. 211. & 222.*

Inertia.

Quanta sit nostra inertia in via salutis? *lib. 3. n. 77.*
Arguitur quorundam inertia in via salutis. *lib. 2. n. 121.*

Infamia.

Parum proderit externè ad speciem componi, ni internè expuat animâ suam mortiferam infamiam. *lib. 2. n. 169.*

Infans.

De infante Jesu recentè nato. *lib. 3. n. 142. & sequentibus.*

Inferior.

Tui inferiores, si accuratius eos consideres, confusionis materiam tibi præbebunt. *lib. 8. n. 21.*

Infernus.

Cur inferni locus in centro terræ? *lib. 1. n. 75. De ejus pœnis. lib. 1. n. 76. 77. 78. & sequentibus, & lib. 3. n. 301. circa medium.*

Meditatione descendas ad Infernum, si vis pretiosissimam timoris gemmam invenire. *lib. 3. n. 381.*

Consideratio Inferni ad nostram confusionem deservire potest. *lib. 8. n. 19.*

Infirmus.

Saluberrima consideratio pro infirmis. *lib. 8. n. 19.*

Influentia.

Cælestibus influentiis, quæ defluunt in Oratione, & Meditatione, indigent marci di imperfectorum flores. *lib. 4. n. 9.*

Ingratitudo.

Jure nobis contradicunt creaturæ ob nostram ingratitude[m] erga Creatorem. *lib. 1. n. 6.*

De ingratitude peccatoris erga Dei beneficia. *lib. 2. n. 53. & n. 85.*

Concipiendus dolor de nostra ingratitude. *lib. 7. Meditatione 23. parte 2. puncto 1.*

Insignes comparationes, quibus ostenditur ingratitude peccatoris erga suum servatorem ac Dominum. *lib. 3. n. 401.*

Nostra ingratitude Christo Domino causa fuit mœroris. *lib. 9. n. 73.*

Inimicus.

Dei filius affixus cruci, rogavit æternum Patrem pro inimicis. *lib. 1. n. 106. & sequentibus.*

Diligendi inimici. *lib. 3. n. 297. ab initio.*

Initium.

Initio resistendum hosti, ne serò paretur medicina. *lib. 2. n. 13.*

Injuria.

De injuriis illatis Deo homini. *lib. 2. n. 130.*

Innocentia.

De innocentia cordis, quam servare debent viri Principes. *lib. 7. n. 18. in initio.*

Insensibilis.

Etiâ insensibiles creaturæ me docent Dei voluntatem adimplere. *lib. 6. Meditatione 53. p. 2. puncto 3.*

Insidie.

De mundi insidiis. *lib. 2. n. 180.*

Gula, superbia, & cupiditas, insidiæ sunt dæmonis.

lib. 6. Meditat. 32. parte 2. puncto 1.

Inspiratio.

Æquis lancibus strictissimi Iudicii ponderabit Christus, quid perfectum ommissumvè fuit in exequendis divinis inspirationibus, quas nobis concesserat ad obtinendam gloriam. *lib. 2. n. 177.*

Intellectus.

De occasione, quam præbent sensus intellectui ad suos actus. *lib. 7. n. 18. in fine.*

De naturalibus excellentiis nostri intellectus. *lib. 9. n. 71.*

De intellectus præstantia, quoad supernaturalia. *lib. 9. n. 72.*

Maxima stultitia est rebus terrenis hebetare tuum intellectum creatum ad contemplandum Deum. *lib. 9. n. 73.*

Interpretatio.

Optima interpretatio Scripturæ, quomodo peragenda? *lib. 10. n. 3.*

Invidia.

Invidiæ poena apud inferos. *lib. 1. n. 8.*

Invitatio.

Invitatio creaturarum ad laudandum Creatorem. *lib. 2. n. 18.*

Invitatio, quâ Deus nos allicit ad strenuè dimicandum sui causa. *lib. 2. n. 131.*

Invitatio blanda multis ademerat vitam. *lib. 2. n. 15.*

S. Joannes Baptista.

S. Joannes Baptista ob eximiam ejus humilitatem dilaudatur à Christo. *lib. 3. n. 54.*

Amputatum fuit caput divo Joanni Baptistæ. *lib. 2. n. 133.*

Cur Joannes Baptista habitaverit solitudinem? *lib. 2. n. 141.*

S. Joannes Evangelista.

S. Joannes Evangelista enunciat beatissimæ Virgini de Tragedia, quâ exceptus fuit Iesus Passionis nocte. *lib. 5. n. 16. & 17.*

Iob.

Hæc verba Iob: *Non peccavi & in amaritudinibus moratur oculus meus: Accomodantur patienti Iesu. lib. 2. n. 131.*

Acriter percussus patientissimus Iob, licet dilectus à Deo. *lib. 2. n. 158.*

Joseph.

Non idè abjectus à Deo innocens Joseph, quia in captivitatem traditus. *lib. 2. n. 158.*

Quam promptè obediendum divinæ inspirationi, à divo Josepho hauriendum exemplum. *lib. 6. meditatione 16. parte 2. puncto 1.*

Iracundia, Iracundus.

Quâ lanienâ torquentur iracundi in inferno? *lib. 1. n. 78.*

Haud fovendi iracundiæ stimuli in nostro corde. *lib. 6. meditatione 107. parte 2. puncto 2. in principio.*

Iracundiam differre debet vir Princeps. *lib. 7. n. 6. circa medium.*

Irrisor.

In tremendo Dei judicio, lugebunt irrisores Religionis. *lib. 2. n. 130.*

Judeus.

De dolore, quem conceperat Iesus de Judæorum scelere. *lib. 9. n. 75.*

Judas.

De proditore Iuda. *lib. 2. n. 117. & lib. 5. n. 11.*

Judex.

Terroni Iudices Dei judicium timeant. *lib. 8. n. 41.*

Judicium extremum.

De causis Iudicii universalis. *lib. 1. n. 83.*

I N D E X

De extremo & universali Iudicio. *lib. 1. n. 83. & lib. 3. n. 1. & sequentibus, & lib. 2. n. 41. & n. 93. & n. 224. & lib. 6. meditatione 1. per totam. & lib. 3. n. 300. & sequentibus.*

Quare dies Iudicii vocatur dies Domini? *lib. 2. n. 106.*
Judicium particulare.

De iudicio particulari. *lib. 1. n. 74.*

Quæ remedia esse possunt contra iudicia temeraria? *lib. 8. n. 23.*
Judicium temerarium.

Confusione suffundi debemus ob iudicia temeraria, quæ de aliis ferimus. *lib. 6. meditatione 63. part. 2. punct. 1.*
A iudiciis temerariis quàm maximè cavendum est. *lib. 6. medit. 106. part. 2. punct. 1. & lib. 9. n. 106.*

Iugum Domini suave, & dæmonis intolerabile. *lib. 6. meditatione 48. part. 2. punct. 1.*
Fugum.

Iumentorum consideratio nostram superbiam deprimere potest. *lib. 8. n. 14. in fine.*
Fumentum.

Ubique abstinendum juramenti. *lib. 9. n. 94.*
Juramentum.

De Justorum solatio. *lib. 3. num. 31.*
De Justorum generositate, & fortitudine. *lib. 2. n. 234.*
Iustus.

L

L Abores Deo hospitium adornant. *lib. 9. n. 121.*
De laboribus, quos Christus passus est in sua passione. *lib. 1. n. 64. & 65.*
Labor.

Dolor, & labor, quocumque modo ingruunt, toleranter sustinendi sunt. *lib. 2. n. 98.*

Solet aliquando Deus miscere labores cum dulcedine, & cum cordis hilaritate lacrymas. *lib. 2. n. 157.*

Ferendi labores, ut obtineas coronam. *lib. 2. n. 160.*
De laboribus Christi Domini. *lib. 1. n. 121. & lib. 1. n. 136.*

Qui sequuntur Christum in laboribus illuminantur à Deo. *lib. 6. meditatione 27. part. 2. punct. 2.*

Facile tolerari possunt labores hujus vitæ, si conferantur cum æternitate gloriæ, quam speramus. *lib. 9. n. 10.*

Cur lacrymas fuderat Iesus. *lib. 3. n. 385.*
Lacryma.

Quem fructum attulerunt nobis Christi lacrymæ? *lib. 1. n. 210. & lib. 2. n. 1.*

Lacrymæ potius quam risus conveniunt peccatoribus. *lib. 3. n. 14.*

Pro nulla alia re fundendæ lacrymæ, nisi pro amisso Deo. *lib. 3. n. 212.*

Offerat peccator lacrymas pro suis culpis. *lib. 2. n. 44.*

De lacrymarum poenitentiae efficacia. *lib. 2. n. 93. & 94. & sequentibus*

Petuntur lacrymæ ad defendendam Passionem Christi. *lib. 2. n. 109.*

De Magdalensæ lacrymis. *lib. 1. n. 289.*
De variis generibus lacrymarum. *lib. 2. n. 178.*

Concipienda lætitia in natalitiis Domini. *lib. 3. n. 67.*
Lætitia.

De lamiarum conditione. *lib. 2. n. 204.*
Lamia.

In modum nitidissimæ lampadis conditi fuimus à Deo. *lib. 1. n. 3.*
Lampas.

Lancea.
De lancea, quâ vulneratum est pectus Christi mortuū jam in Cruce. *lib. 1. n. 223. 224. & n. 294.*

Cur inter duos latrones mori voluit Christus Dominus. *lib. 1. n. 183. & 184.*
Latro.

Quædam de bono & malo latrone. *lib. 2. n. 161.*
Latus.

Gratiarum ditissimi thesauri, qui promanarunt fidelibus ex latere Christi Domini. *lib. 1. n. 294.*

Quocumque flatu decurrat fortuna, Dei nomen laudandum. *lib. 3. n. 310. ab initio.*
Laus. Laudare.

Quotidie à Dei laudibus auspicanda dies. *lib. 9. n. 93.*
Leprosus.

De leprosis, quos misit Iesus ad Sacerdotes, ut munderentur à sua lepra. *lib. 6. medit. 111. part. 2. punct. 1. & sequentibus.*

Inconcinna oculorum divagatio indicium est levitatis animi. *lib. 1. n. 295.*
Levitas.

Viri seculares, ne temerè disputent de iis, quæ pertinent ad Dei legem, sed suos Pastores audiant, & sequantur. *lib. 6. in Proœmio cap. 1. sub initium.*
Lex.

Lex dominetur terrenis Principibus, non autem Principes legi oportet. *lib. 7. n. 4.*

De libris Canonicis. *lib. 7. n. 9. sub initium.*
Liber.

De divina liberalitate. *lib. 3. n. 400. in fine.*
Liberalis, Liberalitas.

Liberalissimus est Christus in exequendis promissis. *lib. 9. n. 18. in principio.*

In nostra est libertate, favente divinâ gratiâ, deprimere ex infirmitate salutem. *lib. 9. n. 29.*
Libertas.

De supernaturali virtute nostræ libertatis. *lib. 9. n. 81.*
Lilium.

Flores, liliaque consideranda ut discamus fiduciam habere in Domino. *lib. 6. meditatione 112. part. 2. punct. 1.*

De descensu sanctissimæ Christi animæ ad lymbum Patrum. *lib. 2. n. 181.*
Lymbus.

Lymbi consideratio efficere potest, ut deploremus nostras misérias. *lib. 8. n. 12.*

De mysteriis, quibus sacræ litteræ abundant. *lib. 2. n. 2. & sequentibus.*
Littera.

Quâ veneratione legendæ sacræ Litteræ. *lib. 9. n. 109.*

Timet homines ad loca deserta accedere, & cur. *lib. 3. n. 72.*
Locus.

De loci compositione ad orandum. *lib. 6. in Proœmio cap. 1. n. 13.*

Pia loca, & opera frequentanda. *lib. 3. n. 303. in initio.*
Loquela.

Mundi loquela à fervorum Dei colloquutione longè diffidet. *lib. 6. meditatione 89. in additione puncto 1.*

De lotionem, quâ Christus lavit pedes Apostolorum. *lib. 1. n. 40.*
Lotio.

Quædam de Loth. *lib. 2. n. 93.*
Loth.

Citiùs aut serò lugendum pro culpis. *lib. 3. n. 8. & lib. 2. n. 77.*
Luctus, Lugo.

De reproborum luctu die Iudicii. *lib. 6. medit. 1. part. 2. num. 5.*

R E R U M N O T A B I L I U M.

Ludibrium.

Quo ludibrio excipiunt dæmones impios in hora mortis. *lib. 2. n. 228.*

Lumen.

De lumine, quo nos illustrat Christus Dominus. *lib. 6. meditatione 57. part. 3.*

Luna.

Virgo sanctissima comparatur Lunæ. *lib. 5. n. 15.*

Lupus.

Peccator suarum ovium Lupus fit. *lib. 6. medit. 85. part. 3. & parte 2. punct. 5.*

Lutum.

Qui humilitatis lutum oculis suis non imponunt, excæcantur in spiritu. *lib. 6. medit. 54. part. 2. punct. 2.*

Lux.

De eorum varietate, qui odiunt lucem in hac vita. *lib. 3. n. 132.*

JESVS lux mundi. *lib. 2. n. 109.*

Quantò magis cognoscitur cæcitas, eò pluris æstimatur videndi lux. *lib. 9. n. 75.*

Luxus.

Spernendus mundi luxus cum omni ejus pompa ac vanitate. *lib. 2. n. 14.*

Lyra.

Cur permiserat Christus ita tendi suas venas in cruce, ut cujusdam lyræ cordæ viderentur. *lib. 1. n. 103. & 204.*

M.

Magdalena.

DE justificatione Magdalene. *lib. 1. n. 287.*

De lacrymis Magdalene. *lib. 1. n. 289.*

De conversione Magdalene. *lib. 6. meditatione 62. part. 2. punct. 1.*

Magister.

Imperfectus Magister male ducet ad perfectionem. *lib. 3. n. 9.*

De hæreticorum Magistris. *lib. 2. n. 82.*

Spiritualis Magister eligendus ingredientibus contemplationis vias. *lib. 4. n. 5.*

Magnates.

De humilitate, quâ florere debent viri primarii & Magnates. *lib. 7. n. 17. circa medium.*

Magus.

De Magorum Regum oblatione. *lib. 2. n. 64.*

Malchus.

Malchus impexit Christo Domino ferocissimam alampam. *lib. 5. n. 12.*

Malum.

Præsens malum maximè affligit. *lib. 3. n. 2.*

Mala afflictionis & poenæ à malis culpæ. *lib. 2. n. 30.*

Mancipium.

Triremium labori adactis mancipiis similes sunt peccatores. *lib. 6. meditatione 64. parte 2. puncto 2.*

Manus.

Manus injiciunt in Christum Judæi. *lib. 1. n. 58. & lib. 5. n. 11.*

Suspensi sumus è manu Dei. *lib. 3. n. 134.*

Christus Dominus impositione manuum restituebat ægros sanitati. *lib. 6. meditatione 48. part. 2. punct. 4.*

Sanctissima Dei Mater MARIA.

Devotissimam eam invenerat Archangelus Gabriel, cum à Deo fuerat legatus ad ipsam. *lib. 1. n. 33.*

Suspiria beatissimæ Virginis ad pedem Crucis. *lib. 1. n. 51. & 235. & 236.*

Sanctissima Virgo obvia facta est filio portanti Crucem ad locum supplicii. *lib. 1. n. 62. & lib. 2. num. 197.*

A Beatissima Deipara petendus favor, ut ritè disponamur in Adventum Domini. *lib. 3. n. 66.*

Sanctissima Virgo eminentissimo modo Beata. *lib. 3. n. 86. & sequentibus.*

Destruit culpas. *lib. 3. n. 118.*

Mariæ sanctissimæ exemplo submitti debemus. *lib. 3. n. 126.*

Acutissimo dolorum gladio faucia beatissima virgo obpansionem sui sanctissimi filii. *lib. 2. n. 85.*

Beatissima virgo Maria introducitur invitans ad laborandum in vinea Domini. *lib. 3. n. 252.*

Deslet beatissima Virgo patientem Filium. *lib. 5. n. 18.*
Sanctitas & obedientia beatissimæ Virginis. *lib. 6. meditatione 4. parte 2. puncto 1.*

Beatissima Virgo concepta sine macula. *lib. 6. meditatione 9. part. 2. puncto 3.*

Sancta Maria Magdalena.

De apparitione Christi Domini S. Mariæ Magdalene Resurrectionis die. *lib. 1. n. 68. vide Magdalena.*

Martyres.

De fortitudine & generositate Martyrum. *lib. 2. num. 219.*

Mater.

Dolor, quem conceperat Christus Dominus, ex doloribus suæ sanctissimæ Matris tempore Passionis. *lib. 1. n. 24.*

De quarundam matrum atrocitate in lactantes filios. *lib. 2. n. 102.*

Maxilla.

Qui verè imitantur Christum parati sunt percutienti exhibere maxillam pro justitia. *lib. 2. n. 153.*

Medicus.

Cogitent Medici, quemadmodum se gerant cum ægrotis. *lib. 8. n. 43.*

More prudentissimi Medici se gerit Deus cum peccatoribus. *lib. 2. n. 104.*

Ubi prosperæ sunt res, demulcet Deus, ut amantissimus Pater; ubi autem adversæ, sanat ut Medicus. *lib. 2. n. 165.*

Meditatio.

De Meditatione nocturna. *lib. 1. n. 301.*

Cælestium Meditatione accenditur ignis nostri amoris erga Deum. *lib. 6. in Proemio cap. 1.*

Ab alma Matre Ecclesia petenda materia nostræ Meditationis. *lib. 6. in proemio cap. 1. n. 2.*

Mémoria.

Memoria mortis statio segura & à multis periculis immunis. *lib. 9. n. 134. circa medium.*

De bonis, quæ nobis affert memoria nostræ fragilitatis. *lib. 2. n. 19.*

De memoriæ naturalibus excellentiis. *lib. 9. num. 63.*

De ejus supernaturali decore. *lib. 9. n. 64.*

Quomodo occurrendum malis cogitationibus, quæ offeruntur memoriæ? *lib. 9. n. 67.*

De memoria, quam nostri habet Deus. *lib. 9. n. 69.*

Dei memoria nostræ felicitatis origo est. *lib. 9. num. 70.*

Quando ad memoriam remeant peccatorum imagines, quid faciendum? *lib. 9. n. 90.*

Mendacium.

Qui gaudent vitæ mendacio, in plurimas incidunt angustias. *lib. 2. num. 73.*

Mercator.

Confundantur Mercatores, qui magno pretio infernum emunt, prætermisso cælo. *lib. 8. n. 44.*

Mercenarius.

Pastoris Mercenarii conditio. *lib. 6. medit. 85. p. 2. puncto 2.*

Pecca-

- Peccator Pastore adhuc mercenario deterior est. *lib. 6. meditatione 85. parte 2. puncto 4.*
Messias.
- Messiae nomine defraudare Christum quaesivere Pharisaei. *lib. 6. meditatione 10. part. 3.*
Miles.
- Egregius Dei miles, qui scit temperare passiones. *lib. 2. n. 151.*
- Fortiores milites, & qui ex confragoso sunt virtutis amore, amat Deus. *lib. 2. n. 184.*
Minister.
- Dei Ministri praedicant poenitentiam. *lib. 2. n. 95.*
- Dei Ministri nostri superiores. *lib. 8. n. 18.*
Miseria.
- De peccatoris miseria. *lib. 2. n. 18. & lib. 6. meditatione 36. part. 2. punct. 3.*
- Justis aliquando auferentur hujus vitae miseriae; uti peccatoribus, ni resipiscant, parabitur supplicium. *lib. 2. num. 238.*
- Methodus declarandi nostras miseras Deo. *lib. 1. n. 286. circa medium.*
Misericordia.
- De beneficiis Divinae misericordiae. *lib. 2. n. 138.*
- Misericordia imploratur, qua disponamur in diem iudicii. *lib. 6. meditatione 1. parte 3.*
- Qua misericordia usus est Christus JESVS erga homines. *lib. 6. meditatione 8. parte 2. punct. 2.*
- De summa Dei misericordia etiam erga suos hostes. *lib. 3. n. 403. in fine.*
- De variis testimoniis Divinae misericordiae. *lib. 6. meditatione 104. parte 3. puncto 4.*
- Summam misericordiam ostendit Deus in committendo perdito homini tot donorum thesauros. *lib. 9. n. 27. paulo inferius ab initio.*
Missae.
- Cur introitus Missae primae Dominicae Adventus incipit, ad te levavi &c. *lib. 3. n. 24.*
- Sacerdos in Missae sacrificio in crucis formam positus, crucis mysterium refert. *lib. 9. n. 122.*
Moderatio.
- Qui velit internam perfectionem attingere, prius navet operam moderationi sensuum, necesse est. *lib. 9. num. 62.*
Modestia.
- Exterior modestia in veste, & incessu procuranda. *lib. 1. n. 295.*
Modus.
- Modus quo sustinuit suam Passionem, & illatas sibi injurias Christus. *lib. 1. n. 56.*
Mori, moriens.
- Vitae blandimenta, nequaquam morientibus proficua sunt. *lib. 2. n. 132.*
- Describitur causa, cur mortuus fuit Christus Dominus. *lib. 1. n. 91.*
- Qui impoenitentes morientur in lethali culpa, aeternis flammis damnandi sunt. *lib. 2. n. 93.*
- Quinam bene, aut male moriuntur. *lib. 2. n. 226.*
Mors.
- De Christi servatoris nostri morte. *lib. 1. n. 63.*
- De mortis sententia lata in Christum. *lib. 1. n. 168.*
- Mortis signa. *lib. 3. n. 21. & 22.*
- De dulcedine mortis amantium Deum. *lib. 2. n. 220.*
- De mortis memoria. *lib. 3. n. 279.*
- Contra nimiam mortis formidinem efficacissimum remedium ipsa consideratio mortis. *lib. 9. n. 132.*
- Per mortem Christi parta est victoria de nostra morte. *lib. 9. n. 133.*
- De diligenda bona morte. *lib. 9. n. 134.*
- Mors repentina.*
- Quaenam repentina, aut improvisa mors. *lib. 9. n. 127.*
Mortificatio.
- Adhibito cauterio mortificationis, sanatur effraenis voluntas. *lib. 1. n. 19. & 20.*
- Gloriosissimo lucro sunt mortificationes sumptae pro Deo. *lib. 2. n. 151.*
- Haud tot labant malis, qui mortificationis virgam hilariter sustinent. *lib. 2. n. 185.*
- Admirabile exercitium mortificationis. *lib. 9. n. 99.*
Motivum.
- Varia sunt motiva accedendi ad sanctissimum Sacramentum. *lib. 1. n. 43.*
- Passionis Dominicae motivum. *lib. 1. n. 56. & n. 222.*
Motus.
- De inordinatis motibus animi. *lib. 1. n. 301.*
Mundities.
- De munditie a peccati lepra. *lib. 6. Meditatione 21. parte 2. punct. 1.*
Mundanus, Mundus.
- De mundanorum caecitate ac stultitia. *lib. 1. n. 260.*
- A mundo, & mundanis fugiendum, ut omnino adhaeramus Deo. *lib. 3. n. 84.*
- Mundus mundanis relinquendus. *lib. 2. n. 92.*
- Qualis erat mundus ante Adventum Christi. *lib. 6. meditatione 4. parte 2. puncto 3.*
- Nobis Tyrannus Herodes hic mundus. *lib. 6. Meditatione 18. parte 2. punct. 6.*
- Quo signo dignoscatur, an mundani sint mortui. *lib. 3. n. 359.*
- Plurimis tenebris scatet mundus. *lib. 6. meditatione 57. part. 2. punct. 3.*
- De mundi malitia. *lib. 6. meditatione 95. part. 2. puncto 2.*
- De mundi insania, & stultitia. *lib. 9. n. 30.*
Murmuratio.
- Non omittenda misericordiae opera ob detrahentium murmuraciones. *lib. 3. n. 314.*
Murus.
- Quid significat Christum sustinuisse mortem extra Hierosolymae muros. *lib. 1. n. 174.*
- Inexpugnabilis murus bonus Christianus. *lib. 2. num. 68.*
Musica.
- Quam suavem virtutum Musicam edebat sacratissima Christi anima, & quam horridam edunt peccatores? *lib. 9. n. 5. ab initio.*
Mysterium.
- Mysterium sanctissimae Trinitatis suo modo ostendunt creaturae. *lib. 6. meditatione 96. part. 3. n. 2.*

N.

Natura.

Humano captu comprehendi non possunt, quae extra sphaeram naturae sita sunt. *lib. 1. n. 18.*

Navigare.

Quomodo navigandum ad caelestem Patriam. *lib. 3. n. 391. & 392.*

Negatio.

De negatione D. Petri. *lib. 5. n. 14. & lib. 1. n. 59. paulo infra medium.*

Negligentia.

Optima ratio, cur erubescamus de nostris negligentibus. *lib. 5. n. 6.*

Defectus salutis ex tua negligentia provenit, non quia desunt Dei subsidia. *lib. 3. n. 317.*

Nego-

R E R U M N O T A B I L I U M.

Negotium.

Nulla suscipienda negotia, nisi consulto Deo. *lib. 9. n. 86.*

Domo exeuntibus ad aggredienda negotia, quid agendum? *lib. 9. n. 92.*

Nihilum.

De nihilo culpæ. *lib. 9. n. 2. ad finem.*

Nomen.

De nomine Jesu. *lib. 3. n. 171. & sequentibus. & lib. 6. meditatione 17. part. 2. puncto 6.*

Nihil tribuendum splendori nominis, si amittitur apud Deum. *lib. 3. n. 179.*

Norma.

Mors Christi totius perfectionis norma. *lib. 1. n. 50.*
Sæpius castigat Deus, ut ad meliorem vitæ normam redeamus. *lib. 2. n. 69.*

Nota.

De notis signandis in Concione. *lib. 10. n. 10.*

Novissima.

Elegans de novissimis dissertatio *lib. 1. num. 73. & sequentibus.*

Novitatus, Novitius.

Qui expetunt Novitiatu citò solvi, apertè indicant, quàm parùm profecerint. *lib. 10. n. 41. sub initium.*

Festinatio educendi è Novitiatu nondum maturos, damnum est certissimum Ordini. *lib. 10. n. 39.*

Ex bono Novitio bonus Scholasticus *lib. item 10. num. 39.*

Novitio probationis tempore imitandum exemplum formicæ, *lib. 10. num. 40. circa medium.*

Nox.

Mirè conciliat orantibus devotionem quies, & silentium noctis. *lib. 1. n. 296.*

Nubes.

Quæ mala secum fert compacta nubes ex vaporibus vanitatis, ac superbix? *lib. 2. n. 171.*

Numerus.

Numerus flagellorum, quibus cæsus est Christus Dominus Passionis tempore. *lib. 1. n. 22.*

Clavorum, quibus affixus fuit Cruci, numerus. *lib. 1. n. 24.*

Numerus vulnerum Christi Domini, per lanceam, clavos, spinas, & flagella. *lib. 1. n. 72.*

Cur tot sunt numero superbi, & tam pauci humiles. *lib. 3. n. 335.*

Nummus.

De nummis, quibus vendidit Judas Christum. *lib. 1. n. 124.*

Nuptia.

De Nuptiis, ubi aqua conversa est in vinum. *lib. 6. meditatione 20. per totam.*

O.

Obedire, Obediens.

Obedientes tenemur esse Deo. *lib. 6. meditatione 11. parte 2. puncto 2.*

Obediendum Deo, ut sanet nos à nostris culpis. *lib. 6. meditatione 111. parte 2. puncto 3.*

Obedientia.

De effectu obedientix erga Deum. *lib. 2. n. 51.*

Obedientia est Lydius lapis uniuscujusque valorem indicans. *lib. 3. n. 311.*

De obedientia, quam debent viri seculares Ecclesiasticis. *lib. 7. n. 7. in fine.*

Oblatio.

De oblatione facienda Deo. *lib. 3. n. 238.*

Quàm grata Deo oblatio, quàm homo integrè se illi offert? *lib. 9. n. 14. in fine.*

Obligatio.

Quanto obligationis vinculo adstringantur Superiores ad imitandum Christum? *lib. 6. meditatione 15. parte 2. puncto 1.*

Oblivio.

Unde irrepit nobis oblivio mortis? *lib. 3. n. 74. & 75.*

De malis, quæ secum fert oblivio nostræ fragilitatis. *lib. 2. n. 19. & n. 72.*

Ex rei divinæ oblivione maximum oritur nobis damnum. *lib. 9. n. 70.*

Obsequium.

Adversitatis tempore mirificè arrident Deo nostra obsequia. *lib. 2. n. 97.*

De obsequiorum vi ad conciliandum amorem. *lib. 5. n. 2.*

Occasio.

Peccati occasio fugienda. *lib. 1. n. 121. & lib. 3. num. 211.*

De efferato impulsu proximæ occasionis. *lib. 2. n. 194.*

Ex occasionibus ducunt aliquando originem tentationes. *lib. 3. n. 291.*

Oculus.

Servanda oculorum modestia. *lib. 1. n. 295. & lib. 2. n. 176.*

Officina.

Officinæ visitandæ à Superioribus. *lib. 9. n. 126.*

Officium.

Quo sensu nemo possit in hac vita Pastoris Officium effugere? *lib. 6. meditatione 85. parte 2. puncto 3.*

Operarius.

Benè collocatur tempus, quod ad efficiendum utilem operarium in vinea Domini confertur. *lib. 10. n. 40.*

Opinio.

Divi Gregorii opinio de optimo statu Principis: *lib. 7. n. 8. ab initio.*

Opprobria.

Qui paulò attentius consideraret opprobria Christi Domini, haud ægrè ferret, quæ ab aliis ipsi offerrentur. *lib. 1. n. 154.*

Opus.

De operibus Domini. *lib. 3. n. 39.*

Sordes nostrorum operum procedunt ab immunditia cordis. *lib. 2. n. 19.*

Opera fictilis haud parùm explicant peccatorum miserias. *lib. 2. n. 202.*

Opera, & virtutes Christi consideranda. *lib. 6. meditatione 7. parte 3.*

Oraculum.

Infallibilis veritas divini oraculi. *lib. 2. n. 93.*

Orare, Oratio.

Nostræ culpæ Orationi maximo sunt impedimento. *lib. 2. n. 28.*

Convenientissima hora Orationi, tempus, quo recipitur sanctissimum Sacramentum. *lib. 1. n. 280.*

Qui aliquo puncto Orationis se præsentit moveri, in eo diutius persistendum. *lib. 1. n. 281.*

Humilis Oratio ad Jesum ante Communionem. *lib. 1. n. 286.*

De aptissimo quodam tempore Orationi. *lib. 1. num. 296.*

De Oratione Christi Domini in horto Gethsemani. *lib. 2. n. 118. & 119. & lib. 5. n. 9.*

Cur peccatorum orationes non adèd exaudiantur à Deo. *lib. 2. n. 170.*

De orandi necessitate. *lib. 4. n. 1.*

De vi, & efficacia orationis. *lib. 4. n. 2.*

Oratio majoribus peccatoribus saluberrima Medicina est. *lib. 4. n. 8.*

De oratione vocali. *lib. 4. n. 16.*
 Oratio mentalis finienda colloquio. *lib. 6. in Proœmio. cap. 1. num. 15.*
 Cur aliquorum orationibus non annuit Deus. *lib. 3. n. 307. & 308. & 309.*
 Devota oratiuncula ad Jesum. *lib. 5. n. 24. in fine.*
 Oratio, quâ sapientissimus Salomon petiverat à Deo sapientiam. *lib. 7. n. 11.*
 Efficax admodum ratio, cur orationis studiosi simus. *lib. 9. n. 115.*
 Quomodo orare possunt ægroti, & infirmi. *lib. 9. n. 116.*
 De oratione fundenda à Concionatore, priusquam verba faciat ad populum. *lib. 10. n. 13. & sequentibus.*

Ordo.

Quæ dicturus est orator Evangelicus pro rostris, prius ea suo ordine dirigat, necesse est. *lib. 10. n. 7.*

Osculum.

De proditoris Judæ osculo. *lib. 1. n. 101. & lib. 2. n. 117. & n. 179.*

Otium.

Fugiendum otium. *lib. 6. meditatione 25. parte 2. puncto 1.*

Otio dediti stulti. *lib. 6. meditatione 25. in additione puncto 6.*

Ovis.

Signum, utrùm simus ex ovibus Christi, an non. *lib. 3. n. 404. pauld infra initium.*

Cujusque præcipuè oves, quænam sunt? *lib. 6. meditatione 85. part. 2. punct. 5.*

P.

Paganus.

Quare pagani malè sentiunt de Majestate Christi Domini. *lib. 3. n. 42.*

Palescere.

Amantibus proprium, palescere. *lib. 1. n. 214.*

Panis.

De quinque panibus, quibus Dominus saturaverat quinquies mille homines. *lib. 1. n. 288.*

Paralyticus.

De paralytico sanato à Christo Servatore nostro. *lib. 6. meditatione 95. per totam.*

Participatio.

Aspirandum semper ad participationem æternæ gloriæ. *lib. 2. n. 142.*

Parvulus.

Maximum hauserat dolorem Hieremias ex morte parvulorum. *lib. 2. n. 101.*

Passio Domini.

Quotidiana Passionis Dominicæ meditatio commendatur. *lib. 9. n. 104.* De eadem etiam re sequente numero.

Spiritualis proventus ex meditatione Dominicæ Passionis. *lib. 1. n. 26. & n. 301.*

Deploranda cæcitas hominum, qui ex Christi Passione non legunt sibi fructus. *lib. 2. n. 174.*

Pastor.

Boni Pastoris condiciones. *lib. 6. medit. 85. part. 2. puncto 1.*

Pater.

Æternum Patrem conciliaverat nobis Christus per sua merita, & labores. *lib. 2. n. 111.*

Quâ curâ debent invigilare Patres, & Pastores suis filiis. *lib. 2. n. 207.*

Patientia.

Mira Dei patientia. *lib. 1. n. 111. & 107.*

Patientiæ exemplum habemus in suavissimo Jesu. *lib. 5. n. 12.*

Patientia victoriæ laurum reportat. *lib. 6. meditatione 16. parte 2. puncto 2.*

Pati, patienter.

Patienter adversa subit, qui ad sua scelera animadvertit. *lib. 3. n. 47.*

Pati acerrimos dolores voluit Christus Jesus, ne lucret homines inferorum supplicia. *lib. 2. n. 173.*

Pluris faciendum pati pro Christo, quàm frui Regum divitiis. *lib. 9. n. 18. in fine.*

Patrocinium.

De Patrocinio Beatissimæ Virginis. *lib. 3. n. 141.*

Pauci.

Cur tam pauci sint, qui morem gerant divinæ voluntati? *lib. 3. n. 376. circa finem.*

Cur adeò pauci sint, qui obstitant veteri homini. *lib. 7. n. 15. ad finem.*

Pauper, Paupertas.

Religiosus, ac pauper sequatur pauperem Christum. *lib. 2. n. 181.*

Pauperes, ac Religiosos sustentare debent Imperii Principes. *lib. 7. n. 6. pauld ante medium.*

Ex nostra, & aliorum paupertate magnum humilitatis argumentum sumi potest. *lib. 8. n. 20.*

Universo orbi sine expensis dominatur paupertas. *lib. 2. n. 31.*

Quædam de paupertate. *lib. 2. n. 91.*

Quis gloriari audeat de fastu, videns paupertatem Christi. *lib. 2. n. 108.*

Paupertas fortissimus murus Religionis. *lib. 10. n. 46. ab initio.*

Pax.

Vera pax ab expugnatione passionum. *lib. 3. n. 7.*

Multâ fruuntur pace, qui non laborant de obtrectatorum verbis, aut injuriis. *lib. 2. n. 145.*

Peccatum.

De peccati damnis. *lib. 1. n. 85. & 86. & lib. 2. n. 27.*

De peccati gravitate. *lib. 1. n. 268. & lib. 2. n. 168.*

De peccati tenebris. *lib. 2. n. 39.*

Væ omnibus, qui mancipantur peccato. *lib. 2. n. 56.*

Peccati vilitas. *lib. 2. n. 203.*

Peccator.

De peccatoris cæcitate. *lib. 3. n. 309.*

Quàm proclives sunt peccatores in malum, cum ne movere quidem se velint ad virtutem poenitentia. *lib. 3. n. 321. & sequentibus.*

Quid relinquunt peccatores pro suis culpis, & peccatis? *lib. 6. meditatione 112. parte 2. puncto 4.*

Creaturæ tandem vindictam sument de peccatore, nisi resipiscat. *lib. 3. n. 4. & sequentibus.*

Comparatio peccatoris cum valle. *lib. 3. n. 79.*

Peccator sibiipsi est carnifex. *lib. 2. n. 22.*

Descriptio peccatoris. *lib. 2. n. 84.*

Peccatores ipsis feris immaniores. *lib. 2. n. 204.*

Peccatores suâ culpâ nigrescunt, veluti carbones. *lib. 2. n. 217.*

Vipera vocatur peccator, & quare? *lib. 3. n. 301. in fine.*

Peregrinatio.

Quid solent facere, qui longas suscipiunt peregrinationes? *lib. 1. n. 41.*

Hæc vita peregrinatio. *lib. 3. n. 354.*

Quid cavendum Religiosis in peregrinationibus? *lib. 8. n. 35.*

RERUM NOTABILIMUM.

- Perfectio.*
Perfectiones Christi Domini mirè rapiunt ad se nostram voluntatem. *lib. 1. n. 30.*
Quibus perit Christianæ vitæ perfectio? *lib. 2. n. 144. 144.*
- Periculum.*
De peccatoris periculo. *lib. 2. n. 23.*
- Persecutio.*
Quantum ex infantuli Jesu persecutione emerferit bonum? *lib. 6. meditatione 16. part. 2. puncto 4.*
- Pes.*
Pedes Christi in mystica significatione accepti. *lib. 1. num. 292.*
Quomodo conscendi potest per cæli clivum luteo, terrene nove pede? *lib. 2. n. 200.*
- Petitio.*
De efficacia petitionis, quam fundimus apud Beatissimam Virginem. *lib. 6. meditatione 20 parte 1. puncto 2.*
- S. Petrus.*
Divi Petri negationes. *lib. 1. n. 59.*
- Phantasma.*
Qui recedunt à Christo sequuti suas delicias, mortificationis opera phantasmata judicant. *lib. 6. meditatione 31. part. 2. puncto 2.*
- Pharao.*
Aliqui peccatores haud ab similes Pharaoni in cordis duritie. *lib. 3. n. 262.*
- Pharisæus.*
De superbia Pharisæorum. *lib. 3. n. 330.*
Ut circumdatus est Christus à Pharisæis. *lib. 6. meditatione 61. parte 2. puncto 1.*
Pharisæorum generatio prava, & adultera, *lib. 6. meditatione 61. part. 3.*
Pharisæi convocant Concilium contra mundi Servatorem. *lib. 6. meditatione 63. part. 2. puncto 1. & sequentibus.*
- Philosophia.*
Philosophia, quâ basi nititur? *lib. 10. n. 42. ab initio.*
- Pictor.*
Impatiens pictor. *lib. 1. n. 4.*
- Pius.*
Si vis, ut Deus erga te singulariter sit pius, sis & tu erga alios pius. *lib. 7. n. 5. ad finem.*
- Pigritia.*
De nostra pigritia, & socordia dolebat Christus Dominus. *lib. 9. num. 53.*
- Plangor.*
Lugubres plangores Prophetæ Hieremiæ. *lib. 2. num. 104.*
- Planta, Plantatio.*
De Christiana plantatione. *lib. 6. medit. 47. part. 2. puncto 2.*
Planta, & lapides deserviunt nostræ humilitati. *lib. 8. n. 14.*
Ex bonis operibus deduci potest, nos meliori plantæ infitos esse. *lib. 9. n. 123.*
- Plebs.*
Quid erga plebem agendum sit Principi? *lib. 7. n. 20.*
- Pœna.*
De inferni pœnis. *lib. 1. n. 76. & sequentibus.*
- Pœnitere, Pœnitentia.*
Mala ejus, qui differt pœnitentiam in ultimam horam. *lib. 3. n. 13. & lib. 2. n. 213.*
Consideratio, quâ excitari possumus ad pœnitentiam. *lib. 2. n. 15. & n. 94.*
Quò gravior culpa, eò acrior debet pro illa sumi pœnitentia. *lib. 2. n. 40.*
- Strenuè incumbendum pœnitentiæ, & lacrymis.* *lib. 3. n. 358.*
Informandus prudens Confessarius de nostris privatis pœnitentiis, ne quoad modum erretur. *lib. 9. n. 127.*
- Pompa.*
De pompa hujus miserabilis vitæ. *lib. 2. n. 182.*
Omnem fastum, mundi que pompam primo suæ conversionis die Magdalena Christi pedibus demittit. *lib. 6. medit. 62. part. 2. puncto 2.*
- Populus.*
Populus Israëliticus sibi ipsi causa fuit suæ destructionis, & exitii. *lib. 2. n. 105.*
- Porta.*
De portis, quas nobis aperuit Dei Filius. *lib. 6. meditatione 39. part. 3.*
- Potentia.*
Apostrophe ad nostros sensus, & potentias. *lib. 3. num. 305. sub initium.*
Dolendum de nostrorum sensuum, & potentiarum dissolutione. *lib. 8. n. 51. & sequentibus.*
Quò gaudio afficiebatur Christus Dominus, videns maximam Dei potentiam. *lib. 9. n. 56.*
- Potestas.*
De potestate clavium Ecclesiæ. *lib. 3. n. 342.*
- Potus.*
De potu propinato Servatori in Cruce. *lib. 7. n. 63.*
- Præceptor.*
Præceptorem corde suo renuit vocare peccator Jesum, & cur? *lib. 6. meditatione 111. part. 2. puncto 3.*
- Præceptum.*
De duobus illis præceptis diligendi Deum, & proximum. *lib. 6. meditatione 110. part. 2. puncto 1.*
- Præcipitium.*
De præcipitiis, quæ obveniunt eis, qui decedunt hæc vita in lethali culpa. *lib. 1. n. 74.*
- Præco.*
De voce præconis, dum duceretur Christus ad Calvariam. *lib. 1. n. 62.*
Apostoli præcones altissimi mysterii sanctissimæ Trinitatis. *lib. 6. meditatione 96. parte 2. puncto 12.*
- Præda.*
De oculorum præda. *lib. 2. n. 175.*
- Prædicator.*
Per dentes Christi intelliguntur Prædicatores Evangelici. *lib. 2. n. 133.*
Magna damna inferunt, & sustinent scandalosi Prædicatores. *lib. 2. n. 227.*
Methodus, quam servare debet verbi Divini Prædicator in scribenda Concione. *lib. 10. n. 8.*
- Prælatus.*
De Prælati officio erga suos subditos. *lib. 2. n. 221.*
- Præparatio.*
A Deo petenda debita præparatio ad recipiendam Eucharistiam. *lib. 1. n. 297.*
De præparatione animi ad orandum. *lib. 4. n. 1.*
De præparationibus, & mediis ad recipiendum sanctissimum Sacramentum. *lib. 6. meditatione 98. per totam & lib. 8. n. 63. & sequentibus.*
- Præsepe.*
Præsepis Bethleemici dignitas. *lib. 1. n. 35.*
- Præsentia.*
De beneficiis ortis à præsentia Christi Domini. *lib. 1. n. 287.*
Ubique cogitandum de Divina præsentia. *lib. 3. n. 302. in ipso fine.*
In Divina præsentia, ut cera liquefiunt Sancti ob cultum, & reverentiam. *lib. 9. n. 23. in fine.*

I N D E X

- Præsidium.*
Nullum præsidium esse potest Christianis viris in mundi vanitate, & deliciis. *lib. 2. n. 229.*
- Pravitas.*
Væ infectis solutiori pravitate. *lib. 2. n. 212.*
- Principes.*
Principum peccata perniciēs Reipublicæ. *lib. 2. n. 225.*
Quo studio laborandum Principibus de subditorum moribus, & salute. *lib. 3. n. 247.*
Quodnam munus optimi Principis juxta Platonem. *lib. 7. n. 4.*
Optima consideratio Regibus, & Principibus, ut se humiliēt. *lib. 8. n. 36. & sequentibus.*
- Privilegium.*
Privilegium est solis Dei clientibus concessum pati pro Christo. *lib. 6. meditatione 56. parte 2. punct. 13.*
- Probrum.*
De probris, quæ sustinuit Dei filius in sua sanctissima Passione. *lib. 2. n. 127. & lib. 5. n. 13.*
- Proditio.*
De Proditione Iudæ. *lib. 1. n. 57.*
- Professio, Professus.*
Professus esse non potest, qualem requirit forma instituti Societatis IESV, nisi in utroque studio, scilicet pietatis, & doctrinæ sedulo versatus fuerit. *lib. 10. n. 43. in initio.*
- Propheta.*
Quinam dicantur falsi Prophetæ? *lib. 6. meditatio. 105. part. 2. puncto 2. & sequentibus.*
- Proprietates.*
Proprietates ignis inferni. *lib. 1. n. 76.*
- Propositum.*
Egregia animi proposita. *lib. 1. n. 289.*
Firmiter servandum propositum non peccandi. *lib. 3. n. 315.*
- Prosperitas.*
Maxima prosperitas observantium Dei leges. *lib. 2. n. 29.*
- Protectio.*
De divina protectione. *lib. 1. n. 49.*
- Providentia.*
Dei Providentiâ omnia gubernantur. *lib. 2. n. 163.*
- Proximus.*
Proximorum ærumnas præsentire debemus. *lib. 6. meditatione 107. part. 2. puncto 1.*
De diligendo proximo. *lib. 6. meditatione 114. per totam.*
- Prudentia.*
De serpentum prudentia. *lib. 8. n. 15.*
- Publicanus.*
De orante Publicano. *lib. 6. meditatione 108. parte 2. puncto 2. & sequentibus.*
- Puer.*
De puero IESV, quando eum perdiderant Parentes. *lib. 3. n. 208.*
- Pulchritudo.*
Christi suavitas, & Pulchritudo mirè demulcent nostram voluntatem. *lib. 1. n. 29. & n. 286.*
De pulchritudine amoris, quo profecutus est homines in sua passione IESVS. *lib. 2. n. 129.*
De pulchritudine, ac suavitate Christi IESV. *lib. 2. num. 196. & 197. & n. 236.*
- Punctum.*
Quænam puncta singulis diebus meditanda? *lib. 6. in proœmio cap. 2. per totum, & ibidem cap. 3.*
- Purgatorium.*
Purgatorii consideratio valet ad nostram humilitatem. *lib. 8. n. 13.*
- Puritas.*
Conscientiæ puritas requiritur in viris contemplativis. *lib. 6. in proœmio cap. 1. n. 4.*
- Puritas conscientiæ requiritur in Principe ad gubernandam.* *lib. 7. n. 5. in initio.*
- Puſillanimitas.*
Non abstinendum à sacra Communione ob nimiam puſillanimitatem. *lib. 1. n. 284.*
- Punire.*
Boni etiam aliquando puniuntur ob imperfectiones. *lib. 3. n. 36.*
- Q.**
- Querela, Querimonia.*
Damnatorum querimoniæ. *lib. 1. n. 79.*
Quæ major confusio, quàm laborante Dei filio moveri à nobis querelas de iniquitate fortunæ? *lib. 2. n. 128.*
- Quies.*
Non desideranda quies, quin priùs exantlentur labores. *lib. 6. meditatio. 60. parte 2. puncto 1.*
- R.**
- Radix.*
Vitiorum radices convellendæ. *lib. 3. n. 256.*
- Redemptio, Redimere.*
Quibus impensis nos redemit Christus? *lib. 2. n. 213.*
De sufficientia nostræ redemptionis. *lib. 2. n. 135.*
- Regnum.*
De quærendo Dei Regno. *lib. 2. n. 99.*
- Regula.*
Regulæ ex D. Augustino sumptæ pro bono Governatore. *lib. 7. n. 6. in fine.*
- Religiosus.*
Magis defudant dæmones in tentandis Religiosis, quàm in parando insidias viris secularibus. *lib. 3. n. 294.*
Quomodo Religiosi in quotidianis exercitiis conservare possint humilitatem? *lib. 8. n. 30. & sequentibus.*
Maximus mœror Religioso Ordini habere viros polentes literis, sed sine virtute, ac spiritu. *lib. 10. n. 38.*
- Remedium.*
Nihil conducit tractari de remediis, nisi adhibeantur. *lib. 3. n. 23.*
Cum tentationes crebræ sint, remedia debent esse perpetua. *lib. 9. n. 76.*
- Reprobos.*
De quodam reprobos signo. *lib. 3. n. 257.*
- Res parva.*
Non negligendæ res parvæ, eò quòd videantur imperfectiones nullius ferè ponderis. *lib. 2. n. 12. & 13. & 91.*
Multos accurrere videmus ad res momentaneas, relictis æternis. *lib. 2. n. 81.*
- Respondere.*
Quàm egregiè respondebunt Sancti tentationibus dæmonis in hora mortis. *lib. 3. n. 409.*
- Resistere.*
Haud resistendum paternæ correctioni Domini. *lib. 2. n. 156.*
- Restituere.*
Res alienæ suis dominis restitui debent. *lib. 3. n. 284.*
- Resurrectio.*
De Christi Resurrectione. *lib. 6. meditatione 77. parte 2. puncto 1. & sequentibus.*
- Rex.*
Etiam Reges contemplativi debent esse. *lib. 7. n. 17. in initio.*
Cur permiserat Christus tractari se ut fictum Regem à suis hostibus. *lib. 6. n. 156.*

De

R E R U M N O T A B I L I U M.

- De Magis Regibus.** *lib. 3. n. 189. & sequentibus.*
Noster Rex, & Princeps Deus. *lib. 2. n. 62.*
Rifus.
De modo servando in risu. *lib. 1. n. 297.*
Rosa.
Labores tolerati pro Christo flores, & rosæ sunt, ex quibus componitur æternitatis corona. *lib. 2. n. 160.*
Rosarium.
Methodus recitandi Rosarium Beatissimæ Virginis. *lib. 9. n. 152. & sequentibus.*
Ruina.
Defenda spiritualis templi, nempe animæ ruina. *lib. 6. meditat. 58. parte 2. puncto 3.*
- S.**
- Sacerdos.*
Meditatio, quâ præparent se Sacerdotes ad faciendam rem sacram. *lib. 3. n. 163.*
Cavendum ne deficiamus à reverentia debita Sacerdotibus. *lib. 2. n. 229.*
Quâ consideratione confundatur Sacerdos? *lib. 8. n. 26.*
Sacramentum.
Sanctissimi Sacramenti dignitas, & utilitas. *lib. 1. n. 40. & 41.*
De institutione sanctissimi Sacramenti. *lib. 5. n. 8.*
De dulcedine sanctissimi Sacramenti. *lib. 1. n. 284 in initio.*
Quid in nobis fit susceptione sanctissimi Sacramenti? *lib. 1. n. 284. ad finem.*
De dispositione ad recipiendum sanctissimum Sacramentum. *lib. 6. meditat. 90. parte 2. punct. 2. & sequentibus.*
Quædam considerationes de sanctissimo Sacramento. *lib. 6. meditat. 97. per totam, & meditat. 100. serè per totam.*
Sagitta.
De odii, atque inimicitie sagittis, quæ emissæ fuerunt in innocentiam Christi Domini. *lib. 2. n. 126.*
Sal.
Quo sale condiendi sumus? *lib. 6. meditat. 6. parte 2. per totam.*
Salus.
A nullo alio potest esse nostra salus, nisi à solo Deo. *lib. 2. n. 45.*
Salus est mortalibus, non sine Dei timore sperare salutem. *lib. 2. n. 215.*
Salutatio.
Salutatio, quâ adorare possumus vulnera, & dolores, quos sustinuit JESVS in sua sanctissima Passione. *lib. 1. n. 294. ab initio.*
Samaritanus.
De muliere Samaritana. *lib. 3. n. 355. & sequentibus.*
Sanguis.
Quid indicabant sanguinis flumina, quæ decurrebant ex Christi vulneribus. *lib. 1. n. 195. & 196.*
Sapientia.
Dei sapientia infinita. *lib. 6. meditat. 84. parte 3.*
De sapientia Principis in gubernanda Republica. *lib. 7. n. 9. in medio.*
De ratione inveniendi cælestem sapientiam. *lib. 7. n. 10.*
Sartor.
Particulare argumentum, unde se confundant Sutores, & Sartores. *lib. 8. n. 45. & 46.*
Sauil.
Quinam referunt Sauilem, imitanturque ejus opera? *lib. 3. n. 254.*
Quid interpretatur Sauil. *lib. 7. n. 14. circa medium.*
Scandalizari.
De eo, qui scandalizatur in Christo. *lib. 3. num. 45.*
- Scholasticus.*
Ab Scholastico in arena fundato aliud expectari non potest, quàm ruina. *lib. 10. num. 42 paulo post initium.*
Scientia.
De infinita Dei scientia. *lib. 2. num. 166.*
Vera scientia, agnoscere nostram ignorantiam. *lib. 9. n. 79.*
Scientia inflat. *lib. 10. n. 41. paulo ante medium.*
Scopus.
Christus Dominus expositus, ut scopus inimicorum sagittis. *lib. 2. num. 126.*
Scrutator.
Scrutator cordium Deus. *lib. 9. n. 23. sub medium.*
Seculum.
Post communionem parumper abstinendum à seculi curis, ut debitæ grates persolvantur Deo. *lib. 1. num. 286.*
Semen.
De bono semine. *lib. 3. num. 257. & sequentibus, & lib. 6. Meditatione 23. parte 2. per totam.*
Sensus.
Cur in singulis corporis sensibus passus sit Christus. *lib. 1. num. 191. & 192.*
Animi portæ, ac fenestræ sensus. *lib. 2. n. 71.*
De solitudine sensuum. *lib. 2. n. 150.*
Sententia.
De sententia mortis lata in Christum Dominum. *lib. 1. n. 61. & 168.*
De sententia judicii universalis. *lib. 1. n. 83.*
Propter peccatum mortis sententia in hominem lata fuit. *lib. 9. n. 135.*
Sepulchrum.
De Christi sepulchro. *lib. 1. n. 238. & 240. & lib. 2. n. 115.*
De festinatione sanctorum Petri, & Joannis ad sepulchrum Domini. *lib. 6. meditatione 83. parte 2. puncto 2.*
Serpens.
Quomodo effugiunt serpentes vocem incantatoris. *lib. 8. n. 15.*
Servitus.
Implorandum divinum numen, ut mundi servitute nos liberet. *lib. 2. n. 131.*
Peccatoris servitus, ut Onagri. *lib. 6. Meditatione 64. parte 2. puncto 2.*
Signum.
De signo crucis. *lib. 1. n. 67. & lib. 2. n. 242.*
De devotionis signo. *lib. 3. n. 241.*
De signis Adventus Christi ad mortaliū animas. *lib. 3. num. 310. & 311.*
Silentium.
De Christi mirabili silentio cum accusatus fuerat à falsis testibus. *lib. 1. n. 111.*
De ejusdem silentio coram Herode. *lib. 1. n. 131.*
Silentio studendum. *lib. 1. n. 295.*
De silentii præstantia, dum servatur inter injurias. *lib. 2. num. 145.*
Simonias.
Maximè cavendum à vitio Simonie. *lib. 3. n. 305. circa medium.*
Synagoga.
De crudelitate Synagogæ erga Christum JESVM. *lib. 2. num. 209.*
Sitis.
Christi sitis in Cruce. *lib. 1. n. 218. & sequentibus.*
Sitis tolerata pro Christo semper recreat. *lib. 3. n. 357.*

I N D E X.

Societas, Socius.

Socius culpæ quomodo torquetur in inferno? *lib. 1. n. 80.*
 In Societate Jesu eximia quædam sinceritas, simplicitasque sancta inter ejus Religiosos debet esse. *lib. 10. n. 48.*

Solatium.

Nullum solatium extra Deum. *lib. 2. n. 61.*

Solitudo, Solus.

In solitudine familiarius tractat suos Dominus. *lib. 3. n. 69. & 71.*

De amore solitudinis. *lib. 1. n. 297.*

De solitudine, ejusque bonis. *lib. 2. n. 149. & lib. 3. n. 294.*

De solitudine Beatissimæ Virginis mortuo Christo. *lib. 6. Meditatione 76. part. 2. punct. 2. & 3.*

Somnus.

De moderatione adhibenda in somno. *lib. 1. n. 296.*

Species.

De speciebus Sacramentalibus. *lib. 1. n. 284.*

Spectaculum.

Ex vanis spectaculis quis fructus colligitur? *lib. 3. n. 264.*

Spes, Sperare.

Vana est spes peccatoris, qui expectat salutem sine operibus. *lib. 3. n. 104. & 105.*

Faustissimus ille, qui spem suam sitam habet in Dei nomine. *lib. 2. n. 136.*

De eorum felicitate, qui sperant semper in Domino. *lib. 2. n. 143.*

Spiritus, Spiritualis.

De novitate spiritus. *lib. 1. n. 240.*

Quis spiritus amplectendus, & quis fugiendus? *lib. 1. n. 258. & 259.*

Per secularia negotia defatigatur spiritus. *lib. 4. n. 6.*

Ad quos venit Spiritus sanctus? *lib. 6. Meditatione 91. part. 2. punct. 3.*

Considerandi effectus adventus Spiritus sancti. *lib. 6. Meditatione 96. parte 2. punct. 7.*

De descensu Spiritus sancti ad Beatissimam Virginem, & Apostolos. *lib. 1. n. 70.*

De Spiritu contrito, & principali. *lib. 3. n. 313.*

Spiritus sanctus, Spiritus consolationis, & veritatis. *lib. 6. Medit. 96. part. 2. punct. 10.*

Sponsa.

Quanta sit misericordia animas nostras in Christi sponsas esse electas. *lib. 6. Meditatione 20. parte. 2. punct. 5.*

Sputum.

De sputis, quæ emiserant Judæi in Christum Dominum. *lib. 1. n. 117.*

Statio.

Egregium incitamentum, ducem servare stationem, ut idem milites exequantur. *lib. 9. n. 133. in fine.*

Statua.

De statua hujus mundi. *lib. 2. n. 199.*

De statua Nabuchodonosoris Regis. *lib. 2. n. 200.*

Stipendium.

Stipendium eorum, qui Dei majestatem nimium curiosè scrutantur, separari à gloria. *lib. 9. n. 34.*

Studium.

De studio, ac vigilantia in re cælesti. *lib. 6. Meditatione 5. part. 3.*

Literarum studium, & perfectionis spiritus in viro Religioso fratres esse debent. *lib. 10. n. 41. circa finem.*

Stultitia, Stultus.

Stultitia divitum cernitur in ultima vitæ hora. *lib. 1. num. 74.*

Quæ stulta reputaverat mundus, elegit Deus. *lib. 3. num. 137.*

Stylus.

De stylo peccatoris. *lib. 3. n. 378.*

De stylo servando in explicatione Evangelii. *lib. 10. n. 9.*

Subditus.

Discant subditi debita pensa solvere. *lib. 6. meditatione 17. part. 2. puncto 1.*

Sudare.

Cur sudavit sanguinem Christus? *lib. 1. n. 97. & 99. & lib. 5. n. 19.*

Superbia, Superbus.

De superbis. *lib. 2. n. 151. & lib. 3. n. 160.*

Deponenda omnis superbia ut conformemur cum Jesu. *lib. 2. n. 156.*

Metuant superbi, qui despiciunt humilitatem loci, & officii. *lib. 2. n. 183.*

Ignorantia poena superbiæ. *lib. 6. medit. 39. p. 2. punct. 2.*

Nullibi gentium prodest superbia. *lib. 6. meditatione 108. part. 3. num. 1.*

Quomodo depellenda superbia? *lib. 8. n. 9.*

Quàm odibilis res superbia? *lib. 3. n. 333.*

Superior.

Ignorans est, qui ad modulum suum, & non sanctum quærit superiorem. *lib. 6. meditatione 9. parte 3.*

Cogita miseram peccati servitutem, & dulcia tibi videbuntur superiorum tuorum præcepta. *lib. 8. n. 18.*

Quomodo procedendum superioribus ad correctionem? *lib. 9. n. 125.*

Superscriptio.

Quænam beatorum superscriptio? *lib. 9. n. 17.*

Supplicium.

Citiùs, aut serò luent supplicium impoenitentes peccatores. *lib. 2. n. 123.*

Nullum gravius supplicium dilatione, quàm postea sub graviore securi cervices jaceant. *lib. 2. n. 235.*

Suspicio.

Ad suspensionem vulneris tyrones pallefcunt, cum audacter veteranus miles cruorem suum spectet. *lib. 1. num. 289.*

Non tantum culpa, sed etiam ejus suspicio fugienda. *lib. 1. n. 303.*

Suspirium.

Dulcissima suspiria ad Jesum. *lib. 1. n. 293.*

De suspiriis Christi Jesu inter ejus vulnera, ac dolores. *lib. 2. n. 124.*

Susurro.

Susurrones castigandi. *lib. 7. n. 16.*

T.

Templum.

De ruinis Hierosolymorum templi. *lib. 2. n. 190. & sequentibus.*

Temporalis, Tempus.

Eò quòd tam citò transeat tempus & ætas, impensè vacandum honestati vitæ. *lib. 2. n. 147.*

Ad tempus corripit Deus, ut in æternum parcat. *lib. 2. n. 159.*

De ruinis horum temporum. *lib. 2. n. 193.*

Vocat Dominus tempus contra insensatos. *lib. 2. n. 24.*

De judicii tempore studiosè cogitandum. *lib. 2. n. 25.*

Opus est obliviscamur temporalium, ut consequamur æterna. *lib. 2. n. 75.*

Tenebra.

De tenebris, quas Christus Dominus passus fuit in sua passione. *lib. 2. n. 109.*

Tentatio.

Tentationes absterrentes à susceptione sanctissimi Sacramenti. *lib. 1. n. 47.*

R E R U M N O T A B I L I U M .

Ad vincendos scrupulos, & tentationes non aptum, aut utile medium est interrumpere orationem. *lib. 4. n. 10.*
 In nimium defatigantibus mentem tentationibus optimum responsum est, dare nullum. *lib. 9. n. 68.*

Quomodo se geret, qui tentationum tristitiis, ac tenebris opprimitur? *lib. 9. n. 76.*

Terrenus.

Terrena despicienda sunt, ut consequamur æterna. *lib. 3. n. 82.*

Terrena amovenda, ut percipiamus cælestia in oratione. *lib. 4. n. 12.*

Terreno viro parùm sapiunt spiritualia. *lib. 6. meditat. 49. part. 2. puncto 3.*

Terror.

Summi terrores diei iudicii. *lib. 3. n. 9.*

Divini terrores sæpissimè tendunt ad nostram correctionem. *lib. 2. n. 22.*

Testamentum.

Testamentum ritè confectum est protestatio iustitiæ, quâ quis unicuique tribuit, quod suum est. *lib. 9. n. 138.*

Maturè condendum ultimum testamentum. *lib. 1. n. 28.*

Testis, Testimonium.

Qui mundi testimonium amplectantur, Christi testimonium haud promerentur. *lib. 6. meditat. 57. parte 2. puncto 1.*

Cur permisit Iesus falsos subornari contra se testes? *lib. 1. n. 109.*

An sis Christi discipulus, testes erunt tui sensûs? *lib. 3. n. 57.*

Nostris bonis operibus testimonium perhibere debemus de maiestate Dei. *lib. 3. n. 180.*

Thesaurus.

Theauri, quos in se continet Dei Passio. *lib. 1. n. 54. & 254. & sequentibus.*

Insanus, qui cælestem thesaurum contemnit. *lib. 6. medit. 3. parte 2. puncto 1. & sequentibus.*

S. Thomas.

D. Thomæ doctrina de bono Principe. *lib. 7. n. 7. ab initio.*

Timor.

Dei timori studendum. *lib. 3. n. 7. & 8. & lib. 2. n. 214.*

De timore Dei ut celsissimi Regis. *lib. 3. n. 131.*

Motiva, quibus minuuntur importuni timores aliquorum. *lib. 2. n. 237.*

Ad Dei timorem excitandi sumus per signa diei iudicii. *lib. 6. meditat. 1. in additione sub initium.*

Timendum semper in hac miserabili vita. *lib. 7. n. 21.*

Quomodo discutiendi vani timores mortis? *lib. 9. n. 131.*

Titulus.

Ob multos titulos debemus obsequia nostra Deo. *lib. 2. n. 99.*

Tribulatio.

Tribulationes nos ducunt ad Christum. *lib. 6. meditatione 22. parte 2. puncto 1.*

Peccator operatus tribulationum fluctibus, aliquando aptior fit ad recuperandam salutem. *lib. 3. n. 356. in initio.*

In tribulatione ad patientiam, & humilitatem corroboremur à Deo. *lib. 6. meditat. 86. in additione puncto 1.*

Sanctissima Trinitas.

Quàm ineffabile sit mysterium sanctissimæ Trinitatis? *lib. 6. meditat. 96. part. 2. puncto 1.*

De distributione diei in honorem sanctissimæ Trinitatis. *lib. 9. n. 128.*

Tristitia.

De damnatorum tristitia. *lib. 1. n. 82.*

Causa Christi tristitiæ in Cruce. *lib. 1. n. 189. & 190.*

De Hierosolymorum tristitia, ac mœrore. *lib. 2. n. 38.*
 De remedio tristitiæ, quæ occurrit tempore orationis. *lib. 4. n. 14.*

Triumphare.

Verè triumphat, qui expugnat suas passiones. *lib. 3. n. 7.*

Triumphus.

De maiestate triumphis, quo ad cælum ascenderat Christus. *lib. 1. n. 69.*

Turbatio.

De turbatione veteris hominis, invalescente spiritu. *lib. 3. n. 310.*

Turpitude.

De turpitudine peccatoris. *lib. 2. n. 217.*

Tyrannis, Tyrannus.

De spiritualium nostrorum hostium tyrannide. *lib. 6. medit. 107. part. 2. puncto 4.*

De Tyranni regno. *lib. 7. n. 3. paulò ante finem.*

V.

Valetudo.

Consideratio, quâ moveri possumus, ut dum bona adsit valetudo, non superbius efferamur. *lib. 8. n. 19.*

Valles.

In hac lacrymarum valle nihil præter adversitates, & tristitiæ. *lib. 3. n. 6.*

Vanitas, Vanus.

Mundi vanitates spectant animarum divortium cum Deo. *lib. 2. n. 100.*

Fugienda vana gloria. *lib. 6. meditat. 36. parte 2. puncto 1.*

Varietas.

Cur quæsit à Christo nostro Servatore tanta in patiendo varietas? *lib. 1. n. 66.*

Velocitas.

De velocitate, quâ obediendum Deo. *lib. 2. n. 201.*

Venustus, Venustus.

De Christi sanctissimæ animæ venustate, ac splendore. *lib. 9. n. 23. in principio.*

Foris venusti peccatores, sed intus nihil ipsis, nisi foetores, & immunditiæ. *lib. 9. n. 61.*

Verba.

De septem verbis, quæ locutus est Christus in Cruce. *lib. 1. n. 206.*

Deo non solum verbis, sed etiam operibus respondendum. *lib. 3. n. 39.*

Dei verba salutifera sunt. *lib. 3. n. 100.*

Superbus ne unum quidem verbum sustinere vellet pro Dei amore. *lib. 2. n. 153.*

Fortia, & acuta divini sermonis verba. *lib. 3. n. 254. & ibidem n. 299.*

De custodiendis Dei verbis. *lib. 6. meditat. 26. part. 2. puncto 1.*

Vestis.

Quid mysticè indicabat scissio vestis Principis Sacerdotum in Passione Christi? *lib. 1. n. 112. & sequentibus.*

Non quæratur vanitas, aut inanes plausus in vestibus Sacerdotalibus. *lib. 3. n. 330.*

Vexillum.

De Crucis vexillo. *lib. 6. meditat. 58. part. 3.*

Via, Viator.

Qui scrutatur conscientiam, ut doleat de suis culpis, rectam init viam, quâ pervenitur ad patriam. *lib. 2. n. 169.*

Væ errantibus à Regia via, quæ ducit ad gloriam. *lib. 2. n. 199.*

Dum incedis per vias, quid agendum? *lib. 9. n. 93.*

Mo-

INDEX RERUM NOTABILIUM.

- Modus, quo præparatur via Domino. *lib. 3. n. 63. & 64.*
 Via nostra Christus. *lib. 3. n. 73.*
 Via cælestis, quamvis arcta sit, ad salutem tamen tendit. *lib. 2. n. 1, 9.*
- Victima.*
- Immoleris victima viva divino amori. *lib. 1. n. 16.*
- Victoria.*
- De victoria justorum in hora mortis. *lib. 2. n. 89.*
- Vinculum.*
- Arctissimo vinculo conjuncti sumus capiti nostro Christo. *lib. 1. n. 52.*
 De excommunicationis vinculo. *lib. 3. n. 340. & sequentibus.*
 Ligatus fuit vinculis pro nostra salute Christus Dominus. *lib. 6. medit. 70. part. 2. punct. 3. circa finem.*
- Vindicta.*
- De abstinendo ab odiis, & vindictis. *lib. 3. n. 298. circa medium.*
- Vinea.*
- Vinea Societatis Jesu assimilata granq; sinapis. *lib. 10. n. 37.*
 De insigni moralitate, quâ explicatur parabola vineæ Domini. *lib. 3. n. 244.*
 De labore in vinea Domini. *lib. 6. Meditatione 25. in additione puncto 5.*
- Vinum.*
- Contritionis lacrymæ in spiritualis gaudii, ac lætitiæ vinum convertuntur. *lib. 6. Meditatione 20. part. 2. punct. 4.*
- Vir.*
- Vir videns paupertatem suam Christus Dominus. *lib. 2. n. 107. & 108.*
- Virtus.*
- Altissimæ virtutes disci possunt ex vita Christi Jesu. *lib. 1. n. 38. & 39.*
 Virtutis pretium. *lib. 1. n. 266.*
 De declinatione virtutis in aliquibus. *lib. 2. n. 193.*
 De virtutibus Christi Domini. *lib. 1. n. 48. paulo post initium.*
- Visio.*
- De visione beatifica Christi Domini. *lib. 2. n. 134.*
- Visitatio.*
- Circumstantiæ visitationis Beatissimæ Virginis, quando visitatum ivit sanctam Elizabetham. *lib. 1. n. 34.*
- Vita.*
- De brevitate, & inconstantia hujus vitæ. *lib. 2. n. 16.*
 Non dilatanda emendatio vitæ. *lib. 2. n. 74.*
 De mundanorum vita. *lib. 2. num. 194.*
 Si vis diurnam ducere vitam, piè, ac virtuosè vive. *lib. 2. n. 240.*
- Vitiosus, Vitium.*
- Desistendum à vitiis, ut inveniamus Christum. *lib. 3. n. 191.*
 De variis diversorum vitiis. *lib. 2. n. 167.*
 Quò lentius inhæseris lethali vitio, eò difficilius molieris reditum ad gratiam. *lib. 2. n. 181.*
 Elegans invectionio in vitiosos. *lib. 3. n. 301. Paulo ante finem.*
 Cum suis vitiis, ac passionibus dimicandum est Regi. *lib. 7. n. 13. ab initio.*
- Umbra.*
- Obscurissimâ conveſtiuntur umbrâ, quibus charitatis lumen occidit. *lib. 2. n. 216.*
- Vocatio.*
- De vocatione, quâ omnes convocat Dominus. *lib. 6. Meditatione 25. part. 3.*
 Quid postulat à nobis gratia nostræ vocationis. *lib. 10. n. 51.*
- Voluntas.*
- Damna orta à voluntate ad vilia se demittente. *lib. 1. n. 14.*
 Conformes simus Divinæ voluntati ad imitationem Beatissimæ Virginis. *lib. 6. Meditatione 4. p. 2. punct. 6.*
 Dei sanctissimam voluntatem amplexari tenemur. *lib. 6. Meditatione 11. part. 2. punct. 2.*
 Quàm perfectè obsecuta fuit Dei voluntati Beatissima Virgo. *lib. 3. n. 370.*
 Cur tam pauci sint, qui morem gerant Divinæ voluntati? *lib. 3. n. 376. ad finem.*
- Voluptas, Voluptuosus.*
- Objurgat Dominus voluptuosos. *lib. 2. num. 25.*
 Voluptas fragilis, & brevis. *lib. 2. n. 31.*
 Imis pedibus conculcandæ hujus mundi voluptates. *lib. 2. n. 33.*
 Solitudo medium esse potest, ut divellat se homo vetus, à scelerata sua radice voluptate. *lib. 2. n. 150.*
 Mundanæ voluptates, ac virtutes eodem loco coherere non sistent. *lib. 5. n. 6.*
- Vox.*
- Cur altiori voce clamavit in Cruce Christus. *lib. 1. n. 208.*
 Frustra elevatur vox rogantis ad Deum post mortem, nisi vocetur in vita. *lib. 3. n. 61.*
 De voce, quàm elevavit multitudo Hebræorum, ut Christus ageretur in Cruce. *lib. 2. n. 57.*
 Lupi vocem loquuntur multi peccatores, relicto vero Pastore Jesu. *lib. 6. medit. 93. parte 2. punct. 3.*
- Utilitas.*
- De orandi utilitate. *lib. 4. n. 2.*
- Vulnus.*
- Vulnera, & dolores Christi nobis persuadent sensuum nostrorum mortificationem. *lib. 5. n. 23.*
 Vulnera Christi debent esse nobis motivum doloris. *lib. 1. num. 291.*
 Oratio ad sanctissimum vulnus lateris Christi. *lib. 1. num. 294.*
 Quàm concisa vulneribus pulchritudo bellissimi Corporis Christi Jesu? *lib. 2. n. 112.*
 Ex vulneribus Christi hauriendæ nostræ consolationes. *lib. 5. num. 6.*
- Uxor.*
- De Pilati uxore. *lib. 1. num. 139. & sequentibus.*
 De uxore Loth conversa in statuam salis. *lib. 2. n. 202.*
- Z.**
- Zelus.*
- D**E zelo domus Domini. *lib. 6. Meditatione 53. part. 2. puncto 1.*
 De reidivine zelo, cui studere debent Principes. *lib. 7. n. 17. in fine.*
- Zizania.*
- Summâ curâ invigilandum, ne quâ aditum zizaniorum fatori ad agrum nostrum faciamus. *lib. 10. num. 37. in fine.*

F I N I S.

